370/B/1

L x 18/8

Geoffroi tres Cuerpos en pasta
Blanca su Balor — 400 rs. —

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30529797_0001

STEPHANI-FRANCISCI

GEOFFROY

DE

MATERIA MEDICA

Tomi Tres.

TRACTATUS
DE
MATERIA MEDICA
SIVE DE
MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM
Hiſtoria, virtute, delectu, & uſu;

Auctore STEPHANO-FRANCISCO GEOFFROY,
Doctore Medico Pariſienſi &c. &c.

Editio noviſſima locupletior, aliiſque emendatior, Supplemento PARTIS SECUNDÆ SECTIONIS SECUNDÆ Anonymi Profeſſoris nunc primum aucta, ex Gallica in Linguam Latinam eleganter redacto.

TOMUS PRIMUS.

DE FOSSILIBUS, &
DE VEGETABILIBUS EXOTICIS.



VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.

M DCC LVI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EDITORIS PRÆLOQUIUM.

MOnebat olim Galenus (*Lib.* 1. *de Antidoto* , *cap.* 15.) *ut omnium foſſilium* , *ſtirpium* , *&* *animalium peritiam Medicus haberet* : *ſin minus* , *plurimorum ſaltem* , *quorum frequens eſt uſus* ; & quidem recte . Ex hoc enim triplici fonte inſtrumenta depromit ars medendi , quibus labefactatam mortalium valetudinem reſtituat , & morbos depellat , queis miſere affliɛtantur . Hunc ſibi ſcopum proponit Medicus , quem non attinget , imo in graviſſimos , hominumque ſaluti nocentiſſimos errores impingat neceſſe eſt , qui , Materiæ Medicæ peritia neglecta , morbos debellare ſuſceperit armis , quorum virtus & efficacia prius ipſi perſpectæ non fuerint . Incumbit ergo artis ſalutaris tyroni , ut artem exercere non prius aggrediatur , quam medicamentorum , tum ſimplicium , tum præparatorum ſcientiam , *ſine qua* (ut ait Oribaſius) *nemo rite medicari poteſt* , aſſecutus ſit . Nec ſatis eſt eum noſſe , hoc vel illud medicamentum , hac vel illa virtute pollere , huic illive morbo eſſe idoneum , hac vel illa doſi uſurpari : neceſſe eſt præterea, ut medicamina inter ſe diſtinguere , legitima a ſpuriis diſcernere , vieta & effeta rejicere , recentia & integra ſeligere norit ; ne imperitorum herbolariorum , ſeplaſiariorumve inſcitia , ne dicam fraude , deceptus (quod Materiæ Medicæ parum gnaris non raro contingit) toxicum pro pharmaco ægris ſuis propinet .

Quot & quanta ex hujus ſcientiæ neglectu in hominum perniciem redundarent mala , probe ſciens vir clariſſimus D. Stephanus Franciſcus Geoffroy , ut mortalium ſaluti , & Medicinæ tyronum utilitati conſuleret, hunc, qui nunc editur, Tractatum conſcripſit, in quo non modo ſingula medicamina graphice , & ex melioris notæ Auctoribus deſcribit , varias quibus a veteribus recentioribuſque inſignita fuere , denominationes recenſet , quiſnam eorum delectus habendus indicat : verum etiam vires illorum, tum longo uſu in Medicina comprobata , tum ab auctoribus fide dignis recenſitas , tum propria experientia confirmatas perſequitur ; nonnumquam etiam effectibus cauſas adjungit , ſingulorum analyſim chymicam ſubnectit,

legitima a ſpuriis ſecernit, varias quorumdam ſeplaſiariorum fraudes detegit, quibus in morbis, qua doſi, quibuſve cautionibus adhibenda, quibus indigeant præparationibus, & quando inutilia noxiave ſint, ſedulus monet: denique nihil ut deſiderari poſſet, illorum præſcribendorum ſpecimina ad artis regulas exacta apponit; ita ut optimo jure dici poſſit neminem qui de eodem argumento hactenus ſcripſerit, ipſi eſſe æquiparandum.

At dicendum quod res eſt. Omnia ei large ſuppetebant, ſive naturæ, ſive doctrinæ præſidia ad id operis neceſſaria. In pa... ma domo a teneris educatus, præter humaniorum ſtudium litterarum quas non vulgariter excoluit, impetu quodam naturæ ferebatur ad omnia quæ vel Phyſicam, vel rerum naturalium hiſtoriam, vel Medicinam ſpectabant.

Grandior factus nihil eorum prætermiſit, quæ perito Medico informando conducerent. Medicaminum hiſtoriam, delectum, uſum, & præparationes a patre in his cognitionibus verſatiſſimo diſcebat: eodem duce, ſeſe in Chymia exercebat, quam poſtea ſumma cum laude, & maxima auditorum frequentia per viginti duos annos in Horto Regio docuit. Medicinæ in Schola Pariſienſi omnium celeberrima operam dedit, cujus ipſe deinceps inſigne decus fuit & ornamentum. Anno 1709. deſignatus a Rege Chriſtianiſſimo, ut Profeſſorium munus in Regio Franciæ Collegio exerceret, hanc artis medendi partem ſibi legendam aſſumpſit, quæ de Medicaminibus agit. Eo, quem diximus, doctrinæ apparatu inſtructus, demandata ſibi provincia ita functus eſt, ut nominis celebritas non apud indigenas tantum, ſed & apud exteros brevi ſpargeretur, ingenſque fieret ad eum undique auditorum concurſus, qui Pariſios quotannis advolabant, quæcumque de Materia Medica dictitaret, avide ſcriptis & auribus excepturi.

Hanc Materiæ Medicæ tractationem in tres partes diſtribuerat, quarum prima Foſſilia comprehendit, altera de Vegetabilibus agit; in tertia denique de Medicaminibus ex animalium regno petitis diſſerere decreverat.

Vegetabilia in duas ſectiones partitus erat, quarum prior Vegetabilia exotica continet, altera indigena. Priorem adamuſſim perſecutus eſt, poſteriorem vero morte immatura impeditus ad exitum non perduxit; animale regnum omnino non attigit.

Noſtrum hoc vulnus, noſter dolor! Si egregium opus ad finem deducere Cl. Auctori licuiſſet, præſtantiſſimo ac cumulatiſſimo Tractatu locupletatam ſe Medicina gloriaretur. Nunc tametſi inceepto operi extremam manum addere non potuit, quod confectum eſt ita

nume-

numeris omnibus abſolutum viris in arte medendi peritiſſimis & æquis æſtimatoribus viſum eſt, ut rem Medicis non ingratam ſe præſtiturum cenſuerit Bibliopola boni publici conſulentiſſimus, ſi ex ipſius Auctoris autographo hunc Tractatum ederet.

Nunc jam quid in hocce Tractatu edendo præſtitum ſit, ſupereſt dicendum. Primum omnium curatum eſt ut nitidis typis excuderetur; deinde ut Auctoris autographum integrum, & incorruptum redderetur, paucis quibuſdam exceptis, quæ vel addere ſummo viro & in univerſa naturali hiſtoria verſatiſſimo D. Bernardo De Juſſieu R. S. A. Pariſienſis & Londinenſis Socio, vel emendare viſum eſt. Cum enim vir clariſſimus ſecundum hujuſce Tractatus tomum, qui Vegetabilia exotica continet, integrum recognoſcere operæ pretium eſſe duxerit; nonnulla animadvertit, quæ Auctorem noſtrum, ut in opere longo, effugerant, alia poſt ejus mortem accuratius cognita vel deſcripta. Eo igitur duce & auſpice, quæ viri doctiſſimi memoriam fefellerant, explevi, quæ nova eſſent addidi, & pauca a recentioribus accuratius deſcripta emendavi. Ut vero Auctori non tribueretur, ſi quid a me peccatum eſt; quæ mea ſunt uncinis ( ) includenda curavi.

IN-

INDEX CAPITUM.

INTRODUCTIO.
Ad Materiam Medicam.

Cap. I. De Medicamentorum definitione & diviſione. Pag. 1
Cap. II. De Corporum principiis 3
Cap. III. De Corporum principiis ſigillatim. 6
Art. I. De igne elementari, primo Corporum principio. ib.
Art. II. De Aqua elementari ſeu Phlegmate, altero Corporum principio. 7
Art. III. De Terra elementari, tertio Corporum principio. 8
Art. IV. De Sale, quarto Corporum principio. ib.
De Sale acido. 9
De Sale acri ſeu alcali. ib.
De Sale ſalſo. 11
Art. V. De Oleo ſeu Sulphure, quinto Corporum principio. ib.
Cap. IV. De elementorum mixtione. 14
Cap. V. De dignoſcendis Medicamentorum viribus. 17

MATERIÆ MEDICÆ
Pars Prima.
De Fossilibus.

Sect. I. De Aquis. 27
Cap. I. De Aquis ſimplicioribus. ib.
Cap. II. De Aquis mineralibus medicatis. 30
Art. I. De Aquis mineralibus, quæ terreis partibus refertæ ſunt. 31
Art. II. De Aquis, quæ ſalibus ſunt impregnatæ. ib.
Art. III. De Aquis ſulphureis. 34
Art. IV. De Aquis mineralibus quæ de metallis participant. 35
Sect. II. De Terreis. 36
Cap. I. De Argillis. ib.
Art. I. De Terra Lemnia. ib.
Art. II. De Terra Melitenſi. 38
Art. III. De quibuſdam Terris ſigillatis Germanicis. 39
Cap. II. De Margis. ib.
Cap. III. De Bolis. 40
Cap. IV. De Cretis. 41
Sect. III. De Lapidibus. 42
Cap. I. De Lapide calcario, & de Calce viva. ib.
Cap. II. De Talco. 43
Cap. III. De Aetite. 44
Cap. IV. De Lapide Bezoardico foſſili. 45.
Cap. V. De quibuſdam Lapidibus figuratis. 46
Art. I. De Belemnite, ſeu Lapide Lyncis. ib.
Art. II. De Lapide Judaico. ib.
Cap. VI. De quibuſdam lapideſcentibus ſubſtantiis. 47
Art. I. De Gloſſopetris. ib.
Art. II. De Unicornu foſſili. 48
Cap. VII. De quibuſdam Lapidibus pretioſis opacis. 49
Art. I. De Lapide Lazuli. ib.
Art. II. De Lapide Armeno. 50
Cap. VIII. De quibuſdam Lapidibus pretioſis pellucidis, ſeu Gemmis. ib.
Art. I. De Cryſtallo. ib.
Art. II. De quinque fragmentis pretioſis. 51
Art. III. De aliis quibuſdam Gemmis, quæ rarius in uſum Medicum veniunt. 54
Sect. IV. De Salibus. 56
Cap. I. De Sale cibario. ib.
Art. I. De Sale cibario foſſili, & gemmeo. ib.
Art. II. De Sale cibario artificiali, & præſertim marino. 57
Cap. II. De Nitro ſeu Natro antiquorum, & Nitro recentiorum, ſeu ſale petræ. 63
Cap. III. De Vitriolo. 69
Cap. IV. De Alumine. 74
Cap. V. De Sale ammoniaco. 80
Cap. VI. De Chryſocolla, & Borace. 84
Sect. V. De Succis bituminoſis. 67
Cap. I. De bituminibus liquidis. ib.
Art. I. De Naphtha, ſeu Petroleo. ib.
Art. II. De Piſſaſphalto. 88
Cap. II. De ſolidis bituminibus. 89
Art. I. De Bitumine Judaico. ib.
Art. II. De Ambaro cineraceo. 90
Art. III. De Succino. 92
Art. IV. De Gagate, & Carbone foſſili. 95
Cap. III. De Sulphure. 96
Cap. IV. De Succis Arſenicalibus. 102
Art. I. De Auripigmento. 103
Art. II. De Realgar. 104
Art. III. De Arſenico proprie dicto. 106

Sect. VI.

Sect. VI. De Foſſilibus metallicis. 109

Cap. I. De Foſſilibus metallicis, quæ veri metalli partem aliquam continent. ibid.

Art. I. De Hæmatite. ibid.

Art. II. De Smyride, Magnete, Magneſia, & Lapide Petracorio. 112

Art. III. De Cadmia, Lapide Calaminari, Tuthia, Pompholige & Spodio. 114

Art. IV. De Chalcitide, Miſy, Sory, & Melanteria. 119

Cap. II. De Foſſilibus metallicis, quæ ſunt peculiaris naturæ, & metalla ſpuria vel ſemi-metalla a quibuſdam dicuntur. 120

Art. I. De Stibio, ſeu Antimonio. ibid.

Art. II. De Biſmutho. 133

Art. III. De Zincho. 134

Art. IV. De Cinnabari, & Hydrargyro. 136

Sect. VII. De Metallis. 149

Cap. I. De Metallis imperfectis. 150

Art. I. De Plumbo, & ejus recrementis. ibid.

Art. II. De Stanno. 156

Art. III. De Ferro. 158

Art. IV. De Ære. 165

Cap. II. De Metallis perfectis. 169

Art. I. De Argento. ibid.

Art. II. De Auro. 173

PARS SECUNDA

De Vegetabilibus Exoticis.

Sect. I. De Medicamentis Exoticis. 278

Cap. I. De Radicibus. ibid.

Art. I. De Acoro vero, Acoro Indico, & Pſeudo-Acoro. ibid.

Art. II. De Angelica. 180

Art. III. De Anthora. 181

Art. IV. De Ariſtolochia rotunda, Ariſtol. longa, Ariſtoloch. Clematitid. & Ariſtol tenui. 183

Art. V. De Behen albo & rubro. 186

Art. VI. De Butua. 188

Art. VII. De Carlina. 190

Art. VIII. De Caccummuniar. 191

Art. IX. De China radice. 193

Art. X. De Contrayerva. 196

Art. XI. De Coſtis. 198

Art. XII. De Curcuma, ſeu Terra merita. 201

Art. XIII. De Cyperolongo & rotundo. 203

Art. XIV. De Dictamno albo, ſeu Fraxinellæ radice. 204

Art. XV. De Doronico. 206

Art. XVI. De Galanga minore & majore. 208

Art. XVII. De Gentiana. 210

Art. XVIII. De Glycyrrhiza. 212

Art. XIX. De Helleboro albo & nigro. 213

Art. XX. De Hermodactylis. 220

Art. XXI. De Jalapa. 221

Art. XXII. De Imperatoria. 224

Art. XXIII. De Ipecacuanha, 226

Art. XXIV. De Iride Florent. & noſtrate. 230

Art. XXV. De Mechoacanna. 232

Art. XXVI. De Meo Athamantico. 234

Art. XXVII. De Nardis. 235

Art. XXVIII. De Ninzin, & Gins-eng. 238

Art. XXIX. De Pyretero. 242

Art. XXX. De Rhabarbaro, & Rhapontico. 244

Art. XXXI. De Sarſaparilla. 249

Art. XXXII. De Seneka. 252

Art. XXXIII. De Serpentaria Virginiana. 254

Art. XXXIV. De Turpetho. 256

Art. XXXV. De Zedoaria; & Zerumbeth. 259

Art. XXXVI. De Zingibere. 262

Cap. II. De Corticibus. 265

Art. I. De Cinnamomo. ibid.

Art. II. De Caſſia lignea. 271

Art. III. De Caſſia Caryophyllata. 272

Art. IV. De Canella alba. ibid.

Art. V. De Cortice VVinterano. 274

Art. VI. De Cortice Peruviano Kina-Kina dicto, & Caſcarilla. 275

Art. VII. De Codaga-pala. 291

Art. VIII. De Simarouba. 292

Cap. III. De Lignis. 293

Art. I.

Art. I. *De Agallocho, ſeu Ligno Aloes.* ibid.
Art. II. *De Aſpalatho, & Ligno Rhodio.* 296
Art. III. *De Guaiaco.* 298
Art. IV. *De Ligno Nephritico.* 306
Art. V. *De Santalo Citrino, & albo & rubro.* 307
Art. VI. *De Ligno Saſſafras.* 310
Cap. IV. *De Plantis quibuſdam maritimis.* 312
Art. I. *De Corallis, & Madrepora.* ibid.
Art. II. *De Corallina.* 318
Cap. V. *De Surculis quibuſdam, Foliis & Floribus.* ibid.
Art. I. *De Calamo aromatico vero.* ibid.
Art. II. *De Schœnantho, ſeu Junco odorato.* 319
Art. III. *De Malabathro, ſeu Folio Indo.* 321
Art. IV. *De Senna.* 322
Art. V. *De Dictamno Cretico.* 325
Art. VI. *De foliis Thea.* 327
Art. VII. *De Stœchade.* 330
Art. VIII. *De Croco.* 331
Cap. VI. *De Fructibus & Seminibus.* 336
Art. I. *De Palmulis, ſeu Dactylis.* ibid.
Art. II. *De Jujubis.* 344
Art. III. *De Sebeſten, ſeu Myxis.* 347
Art. IV. *De Uvis paſſis, ſeu Paſſulis.* 349
Art. V. *De Caricis, ſeu Ficubus paſſis.* 351
Art. VI. *De Mirobalanis.* 355
Art. VII. *De Colocynthide.* 359
Art. VIII. *De Caſſia ſolutiva.* 365
Art. IX. *De Tamarindis.* 370
Art. X. *De Vanilla, ſeu Araco aromatico.* 373
Art. XI. *De Cardamomo, ejuſque ſpeciebus.* 375
Art. XII. *De Amomo racemoſo.* 379
Art. XIII. *De Cubebis.* 381
Art. XIV. *De Pipere, & ſpeciebus ejus.* 382
Art. XV. *De Caryophyllis aromaticis, Antophyllis, & Caryophyllo regio.* 389
Art. XVI. *De Anacardiis.* 392
Art. XVII. *De Nuce Cajous vel Acajous dicta.* 394
Art. XVIII. *De Nuce Ben.* 395
Art. XIX. *De Cacao.* 400
Art. XX. *De Piſtaciis.* 403
Art. XXI. *De Nucleis pineis.* 405
Art. XXII. *De Ricinis & Ricinoidis nucleis purgantibus.* 406
Art. XXIII. *De Semine Caffe.* 412
Art. XXIV. *De Nuce Moſchata, & Maci.* 415
Art. XXV. *De Nuce Vomica, Ligno Colubrino, & Faba S. Ignatii.* 421
Art. XXVI. *De Carthami ſive Cnici ſemine.* 428
Art. XXVII. *De Semine contra vermes.* 431
Art. XXVIII. *De Aniſo Indico ſtellato,* Badian *dicto.* 432
Cap. VII. *De Plantarum ſuccis liquidis & concretis.* 434
De Reſinis liquidis. 435
Art. I. *De Opobalſamo, ſeu Balſamo Judaico.* ibid.
Art. II. *De Balſamo Peruviano, albo & fuſco.* 439
Art. III. *De Balſamo Tolutano.* 441
Art. IV. *De Balſamo Copaiva, ſeu Braſilienſi.* ibid.
Art. V. *De Liquidambaro.* 444
Art. VI. *De Styrace liquido.* 445
Art. VII. *De Terebenthina, variiſque ejus ſpeciebus ac productis.* 447
De Reſinis ſolidis. 456
Art. I. *De Anime, & Copal.* ibidem.
Art. II. *De Benzoino.* 458
Art. III. *De Camphora.* 461
Art. IV. *De Caranna.* 466
Art. V. *De Elemi.* 467
Art. VI. *De Lacryma, vulgo Gummi Hederæ dicta.* 469
Art. VII. *De Ladano.* 471
Art. VIII. *De Maſtiche.* 476
Art. IX. *De Olibano, vel Thure.* 477
Art. X. *De Sandaracha.* 479
Art. XI. *De Sanguine Draconis.* 481
Art. XII. *De Styrace ſolido.* 485
Art. XIII. *De Tacamahaca.* 488
De Succis gummoſis. 490
Art. I. *De Gummi Arabico, Seneca, & noſtrate.* ibid.
Art. II. *De Gummi Tragacantho.* 492
Art. III. *De Manna ſolutiva.* 495
De Gummi-reſinis. 506
Art. I. *De Ammoniaco.* ibid.

INDEX CAPITUM.

Art. II. *De Aſſa fœtida.* 508
Art. III. *De Bdellio.* 517
Art. IV. *De Euphorbio.* 519
Art. V. *De Galbano.* 522
Art. VI. *De Myrrha.* 524
Art. VII. *De Opopanace.* 527
Art. VIII. *De Sagapeno.* 528
Art. IX. *De Sarcocollà.* 530
Cap. VIII. *De Succis arte quadam e plantis extractis.* 531
Art. I. *De Succo Aloes.* ibid.
Art. II. *De Scammonio.* 540
Art. III. *De Gummi gutta.* 548
Art. IV. *De Opio.* 552
Art. V. *De Acacia vera, & Acacia noſtrate.* 567
Art. VI. *De Hypociſtide.* 570
Art. VII. *De Catechu, & Lycio veterum.* 571
Art. VIII. *De Succo Glycyrrhizæ.* 575
Art. IX. *De Saccharo.* 576
Art. X. *De Tartaro ejuſque præparationibus.* 590
Cap. IX. *De Tuberibus, Fungis, & adnatis quibuſdam vegetabilibus.* 595
Art. I. *De Tuberibus cervinis.* ibidem.
Art. II. *De Fungo Sambucino.* 596
Art. III. *De Agarico.* ibid.
Art. IV. *De Gallis.* 600
Art. V. *De Grano Kermes, & Coccinella.* 602

PON-

PONDERA ET MENSURÆ
CUM NOTIS.

gr. Granum quod æquat pondus grani Hordei modice craſſi.

℈. Scrupulus	continet	grana xxiv.
ʒ. Drachma		ſcrupulos iij.
℥. Uncia		drachmas viij.
℔. Libra		uncias xvj.

ß. Semis, ſive pars menſuræ dimidia.
N. Numerus par vel impar.
Pug. Pugillus, quantum tribus digitis capi poteſt.
Man. vel M. quantum manus tota complectitur.
Faſc. Faſciculus, quantum brachio complicato capi poteſt, continens.
Pint. Pinta continens libras duas.
Cyathus, qui circiter ſeſqui unciam capit.
Cochl. Cochlearium, quod pro ſemi-uncia habetur.
gutt. Gutta, quæ minima liquidorum menſura & grano æquiparatur.
Ana, ſingulorum prius recenſitorum quantitatem ſequentem ſumendam eſſe ſignificat.
p. æ. partes æquales.
q. v. Quantum vis.
q. l. Quantum libet.
q. ſ. Quantum ſufficit.
p.p. Præparatum.
M. Miſce.
℞. Recipe.
F. Fiat.
ſ. a. Secundum artem.
B. A. Balneum Arenæ.
B. M. Balneum Mariæ.
alkool. alkoolizatum.

TRA-

TRACTATUS
DE
MATERIA MEDICA
SIVE DE
MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM
Hiſtoria, virtute, delectu, & uſu.

INTRODUCTIO
AD MATERIAM MEDICAM.

CAPUT PRIMUM.

De Medicamentorum definitione & diviſione.

QUæcumque ad ſanitatem tuendam, morboſque profligandos adhibentur auxilia, ex triplici fonte deſumuntur; vel ex Diæta, quæ rectam & appoſitam vivendi rationem inſtituit; vel ex Chirurgia, quæ malis debellandis auxiliatricem manum, aut nudam, aut ferro & igne armatam, admovet; vel etiam ex Pharmacia, quæ variis ægritudinibus convenientia medicamenta ſuppeditat. Harum Medicinæ partium ediſcendarum par Medico neceſſitas: illius vero quæ de medicamentis agit, cognitionis acquirendæ ſumma difficultas, tum ob illius immenſitatem, tum propter difficilem virium, quæ medicamentis inſunt, perſcrutationem.

Medicamenta dicuntur, quæ depravatam corporis conſtitutionem mutant & ad meliorem adducunt. Unde liquet, ea ab alimentis & venenis differre ab his, quod corporis naturam non deſtruant; ab illis vero quod bonum corporis habitum non ſervent, ſed maleſanum reſtituant. Quædam tamen alimentoſa dicuntur medicamenta, quæ nutriendo bonam valetudinem tuentur, & labantem firmant. Verum ſi nonniſi corporis detrimento in ejuſdem partes agant, vehementiora dicuntur & deleteria.

Medicamenta alia ſimplicia, alia compoſita. Simplicia appellamus quæ ſponte, ſoliuſque naturæ beneficio emerſerunt; cujuſmodi ſunt Roſa, Abſynthium. Compoſita, quæ arte & induſtria ex multorum ſimplicium permixtione conſtat: talia ſunt Theriaca, Panacea Mercurialis, &c.

Hìc agemus tantummodo de ſimplicibus medicamentis, quorum congeries pene immenſa Materiæ Medicæ nomine nuncupatur.

Præcipua medicamentorum ſimplicium tam noſtratium, quam exoticorum diſcrimina, vel ab eorum materia, vel ab eorum facultatibus deſumuntur. Ex materia, cum triplex ſit, triplex quoque in genere ſtatuitur medicamentorum differentia: vel enim ex mineralibus ſumuntur, vel ex plantis, vel ex animalibus; unde totidem Claſſes, Regna ſeu Familiæ exſurgunt. Cum medicamentum quodlibet naturam corporis mutet, vim ſuam, vel in ſolidas, vel in fluidas ejus partes exerit.

Si in fluidas, vel vacuando, vel alterando; unde vacuantia dicuntur, vel alterantia. Vacuantia adhuc, vel per alvum humores ſubducunt, quæ purgantia appellantur; vel per vomitum, quæ emetica; vel per urinæ vias, cutis poros, os uteri, nares, &c. quæ diuretica, ſudorifera, emmenagoga, apophlegmatiſantia, &c. Quædam hos vel illos humores vacuant; hinc cholagoga, quæ flavam bilem; melanagoga, quæ nigram; phlegmagoga, quæ pituitam. Alterantia vero medicamenta, vel æſtuantes humores compeſcunt, & refrigerantium nomen ſortiuntur; vel lentos ac tardos humores attenuant & cient, qualia ſunt calefacientia; vel cuidam ægritudini proprie conveniunt, qualia ſunt febrifuga, antipleuritica, antiepileptica, antidyſenterica, traumatica, &c. vel cujuſdam partis affectus ſublevare exiſtimantur; unde cephalica, ophthalmica, bechica ſeu pectoralia, cardiaca, ſtomachica, hepatica, ſplenica, hyſterica, &c. Si medicamenta in ſolidas partes agant, eas afficiunt, vel laxando, ut emollientia; vel adſtringendo, ut ſtyptica; vel erodendo, ut cathæretica: quæ quidem medicamentorum differentiæ in infinitum protrahi poſſent. Verum cum longe ſimplicior ſit ea, quæ ab ipſa materia derivatur, hunc ordinem utpote naturæ magis conſentaneum, in hocce tractatu ſervabimus. Itaque in tres partes hanc Materiæ Medicæ tractationem diſtinguemus.

Prima pars foſſilia ſeu quæ e terræ viſceribus eruuntur; Aquas ſcilicet Minerales, Terras, Lapides, Sales, Sulphura, & Bitumina, Metallica concreta, atque Metalla comprehendet.

Secunda, Vegetabilia, Radices nempe, Cortices, Ligna, Folia, & Germina, Flores, Fructus, Semina, Succos, tum liquidos, tum concretos, & cœtera e plantis nata continebit.

Tertia de Animalibus, Inſectis nimirum, Piſcibus, Avibus, Quadrupedibus, Homine, eorumque partibus, vel excrementis uſui Medico accommodatis, differet.

Verum

Verum ad accuratam ac diligentem Materiæ Medicæ tractationem inſtituendam, remedii cujuſque hiſtoriam & virtutes a Medicis recenſitas exponere non ſufficit; ſed etiam multa inſuper conſideranda ſunt ac perpendenda. In iis enim, quæ nobis veteres de Materia Medica reliquere, ſumma eſt obſcuritas & confuſio. Sæpe eadem medicamenta variis nominibus, varia vero eodem nomine, inſigniuntur; quædam nomine tantum indicantur, prætermiſſis deſcriptionibus; unde horum medicaminum proprietates aliæ aliis confuſe tribuuntur.

Hanc autem confuſionem explicare & elucidare opus eſt in Medicina perutile, ſed ſummæ difficultatis. Præterea tot ac tanta de ſingulis remediis prædicare ſolent auctores, ut unumquodque, ſi ipſorum verbis fides habeatur, tanquam Panacea aut Pharmacum univerſale foret exiſtimandum. Cum autem tot præclaræ dotes, remediis aſſignatæ, ſæpius commentitiæ deprehendantur; verum a falſo, quantum fieri poteſt, extricandum eſt & diſtinguendum. Tandem quantumvis progreſſa jam fuerit Materiæ Medicæ ſcientia, longe adhuc plura detegenda ſuperſunt, tum ad eam novis remediis ſpecificis locupletandam, tum ad medicamentorum agendi rationem perſcrutandam, tum etiam ad tutiorem eorum adminiſtrationem.

Itaque cujuſque medicamenti variam, tum apud veteres, tum apud recentiores denominationem diligenter inquiremus: ejuſdem deinde deſcriptionem, hiſtoriam, & delectum exponemus; poſtea chymicam analyſim, ſeu principiorum reſolutionem & earum partium, a quibus virtus illorum præcipua pendet, phyſicam ſubnectemus diſquiſitionem: vires quoque, tum longo uſu in Medicina comprobatas, tum ab auctoribus fide dignis recenſitas, tum propria experientia confirmatas, proſequemur; nonnunquam etiam de ejuſdem remedii agendi ratione peritiorum ſententias adjungemus, ne empyricorum more unicam experientiam omni ratione deſtitutam profiteri videamur, ac tandem quibus cautionibus utendum ſit in ejus adminiſtratione, quibus præparationibus indigeat, & quando inutile vel noxium ſit, quam fieri poteſt, diligentiſſime perſcrutabimur & enarrabimus.

Sed priuſquam opus illud aggrediamur, nonnulla de corporum principiis præmittenda ſunt, quædam etiam de medicamentorum viribus dignoſcendis exponenda.

CAPUT SECUNDUM.

De Corporum Principiis.

QUemadmodum machinam generatim exploratam habere non poſſumus, niſi in ſuas partes ea diſſolvatur; ita quæ ſint corporum virtutes & qua ratione diverſæ naturæ mixta ſe habeant ad corpus humanum, ſive ad ejus œconomiam æquabilem ſervandam, ſive ad eamdem perturbatam reſtituendam, vel etiam ad eam perturbandam & deſtruendam, perſpectum nobis eſſe non poteſt, niſi principia, ex quibus conſtant, dignoſcantur, & horum principiorum inter ſe commixtio ac

 pro-

proportio, a quibus præcipue pendet mixtorum vis & energia, explorata fuerint & manifeſta. Quapropter variis, quas nobis exponit Chymica, corporum reſolutionibus ſedulo perpenſis, ſubſtantias ſimpliciores, in quas omnia corpora ultimo reſolvuntur, & ex quibus etiam componi videntur, tanquam vera & genuina rerum principia conſtituemus.

Cum in corporum reſolutione quinque ſubſtantias, Spiritum nempe ſeu Mercurium, Sulphur, Salem, Aquam, & Terram elicerent Chymici veteres; totidem rerum principia aſſignaverunt, quæ in vini reſolutione obſervare licet.

Si vinum, alambicis ope, ignis calore diſtilletur, primum aqua ardens ſeu ſpiritus prodibit: hunc excipit aqua inſipida, quam Phlegmatis nomine iis placuit deſignare. Cum autem in fundo alambicis, phlegmate magna ex parte exhauſto, nihil remaneat præter materiam viſcoſam & craſſam, hac utique in aliud vas, quod retorta dici ſolet, translata & vehementiori igni admota, primo nonnihil phlegmatis, tum liquor acidus, quem adhuc Spiritum vel Mercurium nuncupant; tandem viſcoſus, pinguis, & oleoſus humor egreditur, quem olei aut ſulphuris nomine inſigniunt. Quod ſupereſt jam valde exſiccatum, igne comburunt, tum in vas terreum conjiciunt, cui aqua fervida affunditur. Hæc ſale imprægnatur; tum philtrata, ſeu per chartam bibulam aut panni lacinias trajecta, & calore exhalata, ſalem in fundo vaſis deponit. Quod remanet ex cineribus, terra eſt aut caput mortuum.

Ex hac quintuplici ſubſtantia, duo ſunt principia, quæ a Chymicis dicuntur inertia & otioſa elementa, Aqua ſcilicet, & Terra: tria vero actuoſa vocantur, a quibus omnem miſti vim & energiam pendere exiſtimant, Spiritus nempe, Sal, & Sulphur. In hac autem vini reſolutione Spiritus ſeu Mercurius duplex eſt; pinguis unus & inflammabilis, quique leni calore primus egreditur, iſque vini Spiritus dicitur; alter penetrans & acidus, quique in aceto plurimus eſt. Alia præterea recenſetur apud Chymicos Spiritus ſpecies, penetrantis nempe, volatilis, & urinoſi; qui ex animalium partibus educitur, ut Spiritus urinæ, Cornu Cervi, aut ſanguinis.

Verumtamen recentiores Chymici ex principiorum ſeu elementorum numero Spiritum rejecerunt, utpote qui nihil aliud eſt quam Sal vel Sulphur aqua ſolutum: eſt enim Spiritus vel Sal acidus, ut Spiritus Nitri aut Spiritus aceti; vel Sal alcali volatilis, ut Spiritus urinæ, Cornu Cervi; vel eſt Oleum ſeu Sulphur æthereum aut attenuatum, ut Spiritus vini, Spiritus Terebenthinæ. Non igitur elementi vel ſimpliciſſimæ ſubſtantiæ nomen ſortiri debet.

Quidam vero e neotericis elementi ſtrictiori ſignificatione ſumpti ſeu ſimpliciſſimæ ſubſtantiæ titulum Sali & Sulphuri denegarunt, quibus & nos aſſentimur. Sulphur enim diligenti analyſi ſubactum, in Salem, Aquam, & Terram convertitur: quod patet ſi olea diſtillata fœtida cum Calce multoties diſtillentur; magnam enim ſalis volatilis copiam phlegmate dilutam, cum capite mortuo, abundanter præbent. Olea veroætherea, ut Spiritus vini, nihil aliud ſunt quam Oleum pingue & craſſum, ſicut Olivarum oleum, ſalibus quibuſdam attenuatum, & in aqua diſſolutum. Quod duplici experientia confirmari poteſt: primo, ſi Oleum Olivarum aut aliud quodcumque liquori fermenteſcenti admiſceatur, totum in ſpiritum

tum

tum ardentem abit. Secundo ſi Spiritus vini ℔ij. aquæ communis duodecim libris diluantur, & libero aeri exponantur, ſalibus volatilibus exhalatis, oleoſæ partes in ſuperficie aquæ congregantur, guttarum inſtar ſupernatantes, Olei Olivarum vel Amygdalarum ſpecie & guſtu prorſus ſimiles.

Salem pariter ex elementorum numero rejiciendum cenſemus; quippe qui in Terram & Aquam poſt quoſdam labores reducitur. Hujus rei exemplum ſit Nitrum, quod ſi diſtilletur, fere totum in ſpiritum acidum abit; & econtra, ſi cum Tartaro vel carbonum pulvere comburatur, ſal alcali evadit, qui Nitri fixati vel alcalizati nomen accipit; qui quidem ſi poſtea per ſe liqueſcat, & per chartam bibulam coletur, magnam terræ copiam in colatorio deponet. Percolatus vero liquor per alambitem, ad ſiccitatem uſque diſtillatur; unde prodit aqua inſipida. Sal vero reſiduus exſiccatus & magna ſui parte diminutus reperitur. Quem operandi modum ad finem uſque ſi repetas, ſal fere omnis in terram convertetur: quæ deerit vero portio, in aquam inſipidam immutatam fuiſſe vero ſimile eſt. Præterea quid eſt alcalium ſalium vitrificatio, niſi eorumdem in terream ſubſtantiam immutatio, cum vitrum nullas habeat proprietates a terræ virtutibus diverſas.

Quod autem per analyſim probavimus, illud idem plurimis circa corporum ortum & formationem experimentis facile demonſtratur, præcipue vero inſigni Helmontii de Salice experimento ab aliis ſæpius repetito.

Ducentas fere libras terræ, in clibano exſiccatæ, vaſe concluſit, addito operculo ferreo variis foraminibus pertuſo, ne quid extrinſecus accederet; ramum Salicis quinque circiter librarum pondere huic terræ infixit, qui radices in terram ſubjectam egit, & in arborem adolevit. Quinto poſt anno Salicem extraxit, quæ centum & ſexaginta libras & amplius pendere viſa eſt, cum vix ſubjecta terra aliquot unciarum pondere eſſet imminuta. Sola aqua pluviali irrigata fuerat terra. Magno quidem argumento ex aqua & exigua terræ portione hanc arborem adoleviſſe; cœteraſque, ex quibus componebatur, ſubſtantias, ſales nempe & ſulphura, ex duobus illis elementis fuiſſe compoſitas. Nec minoris ſunt momenti illuſtriſſimi Boylei experimenta longe accuratiora. Menthæ, Majoranæ, Pulegii, Meliſſæ ramuſculos in ampullis aqua limpida repletis diſpoſuit, & ramuſculi trium drachmarum vel ſemiunciæ pondere ad uncis ſex & amplius creverunt; qui poſtea diſtillati non minorem principiorum copiam exhibuerunt quam rami plantarum terræ pingui inſitarum. Unde ſatis liquet ſales & olea ex his plantis elicita, ex aqua & terra coaluiſſe.

Verum præter has duas ſubſtantias, aliam tertiam ad corpora mixta producenda neceſſariam eſſe facile demonſtratur. Aqua enim & terra ſubſtantiæ ſunt per ſe inertes & minime actuoſæ, quæ aliud ſupponunt principium a quo motum ſuum, omnemque agendi poteſtatem mutuantur. Terra per ſe omnis motus prorſus expers eſt; aqua vero, niſi ab alieno principio moveatur, in corpus ſolidum, glaciem nempe, concreſcit. Deinde ignis ſeu flamma quæ ex omnibus fere corporibus elicitur, principium ſumme mobile in iiſdem ſupponit, quod fixiores partes pernici motu concitando, flammam excitet. Tandem cum partes quorumdam mixtorum volatilitate, ſubtilitate & mobilitate vigeant, illud principium

tenue eſſe & ſumme mobile demonſtratur. Licet igitur ſenſibus minus obvia videatur hæc ſubſtantia, eam tamen cum aqua & terra ad mixtorum corporum compoſitionem concurrere manifeſtum eſt. Nequicquam enim terra & aqua ſimul confuſæ variis modis conjungerentur, ſemper inertia jacerent abſque ulla virtute & energia, niſi ab alio principio motum, vim, & agendi poteſtatem acciperent: unde pro varia mixtionis ratione, pro diverſo motus gradu, variæ mixti corporis proprietates exſurgunt.

Illud itaque principium ſubtiliſſimum ac ſumme mobile cenſeas elementum ignis Peripateticorum, materiam ſubtilem Carteſii, idem perinde eſt.

Tres igitur ſimpliciores ſubſtantias agnoſcimus, quas elementi nomine inſignire non dubitamus; actuoſam unam, quam Ignem dicemus; paſſivas duas, aquam, & terram. Ex igne, aqua, & terra inter ſe diverſo modo conjunctis, ſal exſurgit primigenius, qui prima eſt trium elementorum copula & ſimplicior connexio. Sal deinde cum igne, aqua, & terra junctus & connexus, ſulphur ſeu oleum conſtituit, quod alterum eſt e mixtis minus compoſitis ſeu quintum ex principiis corporum. Nunc de iis ſigillatim.

CAPUT TERTIUM.

De Corporum Principiis ſigillatim.

ARTICULUS PRIMUS.

De Igne elementari, primo Corporum principio.

IGnem elementarem, utpote ſolam actuoſam ſubſtantiam, a qua cæteræ omnes motum ſuum accipiunt, primum etiam inter principia recenſemus.

Corpus eſt ſimplex, ſubtiliſſimum, pernici motu agitatum, quod omnium corporum poros replet & facile permeat, dummodo nihil ejus motui reſiſtat; ſed magno impetu omnia diſrumpit, ſi ſufficienti copia in eorum poris turgeat, & ſi ſolidiora corpuſcula ejus motui opponantur. Hanc ſubſtantiam ſubtiliſſimam dico, cum omnia naturæ corpora penetret; nulla enim eſt materia igni impervia. Pernici motu agitatur: tanta enim eſt ignis celeritas & violentia, ut omnium corporum partes rapidiſſimo motu ſecum abripiat. Major vel minor eſt ejus actio pro majori vel minori copia, qua in corporibus turget. Perniciſſimus & violentiſſimus eſt ejus motus in Sole, qui immenſa nobis videtur hujus ſubſtantiæ congeries. Non tanta eſt in noſtris ignibus ejuſdem vehementia. Minus vividum eſt hoc elementum in ſpirituoſis & volatilibus liquoribus; & adeo debile in oleoſis corporibus deprehenditur, ut niſi dum incenditur corpus, vix ignea hæc ſubſtantia percipi poſſit.

Cum autem omnis corporum motus ab hoc elemento proficiſcatur, ſic

ab

ab eodem pendet calor omnis, qui nihil aliud eſt, quam inordinatus & perturbatus partium inſenſibilium motus.

Adeo ſubtilis eſt & actuoſa hæc ſubſtantia, ut in analyſibus chymicis fere ſemper avolet, nec unquam obtineri poſſit niſi cum aqua & terra in ſalibus & ſulphuribus conſociata. At vero quantumvis volatilis & fugax deprehendatur, nihilominus tamen tanta copia in quibuſdam corporibus coacervatur & figitur, ut eorum pondus multum augeat: quod in Plumbi, Antimonii, & Mercurii calcinatione obſervare licet. Dum enim flamma vel Solis radiis calcinantur, eorum pondus vel quinta ſui parte creſcit & augetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Aqua elementari, ſeu Phlegmate, altero Corporum principio.

AQua elementaris ſubſtantia eſt ſimpliciſſima, liquida, inſipida, inodora, pellucida, quæ ab ignis elemento fluiditatem habet; ab eo vehementius concitata, in tenuiſſimas partes dividitur, & in vapores abit: necnon in corpus ſolidum, glaciem nempe, facile concreſcit, ſi ab actuoſo illo principio deſeratur.

Elementum illud, quod a Chymicis phlegma dicitur, conſtat ex particulis exilibus, non anguillaribus, non flexibilibus; ſed rigidis, oblongis, teretibus, quæ ad figuram ovatam accedunt.

Aquæ partes exiles ſunt, cum omnium fere corporum poros ſubeant. Leves nobis videntur, teretes & ovatæ, quæ ſcilicet dotes aquæ fluxilitati & motui maxime conveniunt. Non ſphæricas cenſemus aquæ moleculas; vix enim globulorum congeries tantam conſequi poſſet ſoliditatem quæ in glacie deprehenditur, cum nimis exiguus foret ipſorum contactus, ut in Hydragyro percipitur. Nec anguillares, nec flexibiles ſunt moleculæ aqueæ: qui enim concipi poſſit anguillares, & flexibiles moleculas corporum diſſolutionem promovere, ſiquidem molles & flexibiles moleculæ ſalium poros difficillime ſubirent ac penetrarent, nec intra eos intruſæ pororum latera disjungerent. Econtra vero ovatæ partes, cuneorum inſtar, parte ſua acuminata poros ſubeunt, illos deinde latiore ſui parte dilatant, moleculaſque corporum ab invicem disjungunt.

Nullum ſoporis vel odoris ſenſum excitant aquæ partes, quod non omnino aculeatæ ſint, ſed obtuſæ; & præterea adeo tenues, ut linguæ vel narium papillas vellicare vel confodere nequeant.

Quæ in aqua deprehenditur fluiditas, oritur tum ex partium ſuarum exiguitate, levitate, & figura, tum etiam ex earum motu inſenſibili, ab igneo fluido intercurrente. Quid ad fluiditatem conferant partium aquearum exiguitas, levitas, & ovata figura, nullus non videt. Exiguitate & levitate promptiores fiunt ad motum, & igneæ materiæ incurſu facilius dividuntur; ad quod etiam confert ovoidis figura, qua nempe partium minor eſt inter ſe contactus, qui facillime diſſolvi poſſit. Præcipua autem fluiditatis cauſa eſt ignis elementum, quo fluidum aqueum penetratur, dividitur, & movetur. Quod ſi quacumque de cauſa ignis elementum ab aqueo liquore recedat, aut ſaltem minori copia illum pervadat; aqua ſtatim fluiditatem amittit, & in corpus ſolidum immuta-

tur; quod ejus partes omnino quieſcant, ſeſe immediate tangant, & fere nulla incurrente materia dirimantur. Quemadmodum autem, recedente igneo principio, corpus fluidum in ſolidum concreſcit; ſic eodem uberius affluente fluidi aquei partes, magis ac magis ab invicem disjunctæ in vapores primo ſenſibiles, fumi ad inſtar, deinde vix ſenſibiles, rareſcunt & expanduntur. Aquæ pelluciditas a recto luminis per poros aquæ ſatis patentes tranſitu proficiſcitur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Terra elementari, tertio Corporum principio.

QUod Chymici Terram damnatam, Caput mortuum nuncupant, illud Terram elementarem dicimus. Tertium eſt corporum elementum, ſeu ſubſtantia ſimplex, friabilis, poroſa, inſipida, & inodora; cujus moleculæ nulla regulari figura donantur, & ad motum prorſus ineptæ ſunt.

Cum irregulares ſint terreæ moleculæ, multos inter ſe poros relinquunt: hinc friabilis eſt earum compages, quod per ſuos tantum angulos ſæpius inter ſe cohæreant. Nec etiam ullum per ſe ſaporis vel odoris ſenſum excitare valent, quod obtuſæ ſint, & ad motum inhabiles.

In corporum reſolutione ultimum ſupereſt illud principium, & in eorumdem compoſitione, reliquorum miſcibilium veluti baſis & fundamentum reputatur. Ab eo corporum, in quibus abundat ſiccitas, ſoliditas & durities magna ex parte ducitur.

Ex terræ, aquæ, & ignis moleculis certo quodam ordine diſpoſitis, & inter ſe commixtis, prima & ſimplicior exſurgit elementorum compoſitio, quæ ſalis nomine inſignitur, & cui quartum inter corporum principia locum concedimus.

ARTICULUS QUARTUS.

De Sale, quarto Corporum principio.

SAl, licet corpus mixtum, a nobis tamen inter corporum principia recenſetur; quod hæc ſubſtantia per analyſes vulgares e corporibus mixtis integra eliciatur, nec niſi exquiſita & accuratiori analyſi ad ſua reducatur principia ſeu elementa; deinde quod ab ea corporum ſapores, odores, & plurimæ aliæ proprietates pendeant.

Sal itaque eſt trium elementorum, ignis nempe, aquæ, & terræ concretio in corpus ſolidum, rigidum, durum, in aqua ſolubile & in igne fuſile, quod partibus duris & ſolidis ſolo ſuperficierum planarum contactu ſibi cohærentibus conſtat. Sal non friabilis eſt, ut terra; ſed ſi conteratur in fruſtula, cum fragore ad inſtar vitri diſſilit; quod nonniſi magna vi ejus moleculæ a ſe invicem dimoveantur. Aqua tamen facile diſſolvitur, quod aquæ partes pernici motu agitatæ ſalinas moleculas huc

& il-

& illuc ſecundum planas ſuas ſuperficies propellant, ab invicem disjungant, & ſecum tandem abripiant. Saporum & odorum eſt cauſa vel principium, quod aculeis ſuis linguæ narium membranas nerveas vellicare valeat.

Verum ut ſalis natura clarius elucefcat, eum in acidum, acrem, & ſalſum diſtinguemus.

De Sale acido.

Sal acidus congeries eſt partium rigidarum, ſolidarum, oblongarum, utrimque fuſorum ad inſtar acuminatarum.

Salis acidi partes rigidas & duras eſſe commonſtrat vis, qua ſolidiora corpora diſſolvit, eorumque moleculas dividit: eaſdem acutas eſſe ac pungentes ſufficienter probat ſapor, quod linguam & palatum pungunt, non vero abradunt, ut ſal acris. Aqua facile ſolvuntur, & eumdem cum ipſa fluidi motum ſervant: unde liquet primo eas cum aquæ moleculis ejuſdem fere ponderis eſſe: deinde talem eſſe illarum connexionem, ut, licet valida & tenax, facile tamen aquearum partium motu ſolvatur. Cum autem ſolidæ ſint, rigidæ, aculeatæ ad fuſorum inſtar, mirum non eſt ſi omnium fere corporum poros ſubire, eorum partes, tanquam cunei, dirimere, mixtorumque diſſolutionem promovere valeant. Verum ut rationem, qua ex igne, aqua, & terra acidæ ſalis moleculæ componuntur, conjectura, quantum fieri poteſt, aſſequamur; ſupponere licet plures aquæ partes in unam moleculam congeſtas ſibi invicem agglutinari ope terrearum & ignearum quarumdam particularum, quibus aquoſarum partium interſtitia replentur. Eas vero moleculas in duplicis pyramidis aut fuſi formam adaptari putamus, cum tribus, quatuorve aquæ partibus juxta ſe invicem diſpoſitis, ut triangularis vel quadrati corporis formam efficiant, altera aquæ particula iis ſuperimponitur, altera vero infra accommodatur. Diverſa eſt autem fuſorum ſalinorum ſeu acidarum molecularum configuratio pro varia aquearum partium diſpoſitione; quæ ad tres claſſes reduci poſſunt, nimirum ad acidum nitroſum, ad acidum muriaticum, & ad acidum vitriolicum, de quibus poſtea.

Ex iis moleculis acidis cum terra & igne permixtis, ſal acris ſeu alcali conflatur, cuius natura evolvenda.

De Sale acri ſeu alcali.

Alcali vox a plantæ Kali nomine originem duxit: nam ex hujus plantæ cineribus ſal elicitur, ad vitrum conficiendum, qui ab Arabibus *Alcali* dictus fuit; deinde eadem vox uſurpata eſt pro ſalibus, qui e plantarum cineribus eliciuntur, & tandem pro ſalibus aut ſubſtantiis quibuſcumque, quæ cum acidis ſalibus fermentationem concipiunt.

Sal acris ſeu alcali congeries eſt partium ſphæricarum & hiſpidarum.

Ex corroſivo & urente hujus ſalis ſapore concludere poſſumus, ipſius partes celerrimo motu facillime donari; quod ſphæricæ figuræ maxime convenit. Judicamus quoque eas ſphærulas aculeis circumquaque armatas eſſe; ita

ita ut, dum ſupra nerveas linguæ papillas convolvuntur, eas limæ ad inſtar abradant; in quo ſal alcali ab acido, qui linguam tantummodo pungit, diſcrepare nobis videtur.

Sal acris per ſe vel leniſſimo calore evehitur, quod hæ ſphærulæ aculeis veluti totidem pinnis armatæ majorem pro ſua mole ſuperficiem igneo principio offerant, ac proinde ipſius motui facillime cedant.

Quod ad hujus ſalis formationem attinet; ex certa quadam acidarum & terrearum molecularum copula & aggregatione oriri videtur: ſiquidem variis Chymicorum operationibus, ſales acidi cum terra permixti, in ſalem acrem convertuntur, ut in Nitri fixi præparatione & urinæ fermentatione videre eſt. Nitrum enim quod diſtillatum fere totum in acidum ſpiritum effunditur, ſi cum carbonum pulvere calcinetur, in ſalem alcali redigitur. Idem etiam obſervare licet in urinæ fermentatione: recens enim urina diſtillata ſalem ſalſum fixum relinquit, ſali marino analogum, ex quo acidus liquor accuratiori diſtillatione extrahi poteſt; nullum vero ſalem volatilem præbet. Eadem vero fermentata & diſtillata, nihil aut parum ſalis fixi, ſed magnam ſalis alcali volatilis copiam ſuppeditat: unde hujus ſalis formatio ſatis liquet. Cum enim fermentatione aut calcinatione accuratior fiat acidarum & terrearum particularum mixtio, plures acidæ partes unicæ terreæ moleculæ occurrentes, eam undequaque aggrediuntur, & in ejus poros alte penetrant; tuncque moleculam conſtituunt, cujus centrum denſum eſt ac firmum, ex quo ſpiculorum acidorum portio quædam prominet & echinatam ſuperficiem efficit. Hæ ſunt alcalium ſalium volatilium partes, quæ, ſi plurimæ ſimul conjungantur, ita inter ſe invicem aculeorum ope cohærent, ut majores & irregularis figuræ conſtituant moleculas. Dum autem hiſpidi illi globuli agglomerantur, quamplures inter ſe poros relinquunt, quibus aquæ, terreæ, ſulphureæ & acidæ moleculæ facile recipiuntur & abſorbentur, quapropter ſal acris raro ſincerus deprehenditur. Sæpe terreis moleculis adimplentur ejus pori; & tunc igne vel ardentiſſimo elevari non poteſt, ſed potius funditur: unde fixus dicitur, ut ſal fixus Tartari, aut ſales qui e plantarum cineribus eliciuntur, & idcirco lixivii vocantur ſales. Nonnunquam ſulphureis partibus tantum permiſcentur, & volatiles ſunt, ſeu leniſſimo ignis calore avolant, ut ſales volatiles urinæ, Cornu Cervi, & alii ex animali proſapia.

Humido aere facile colliqueſcunt ſales acres, quippe qui aqueis particulis in aere contentis, intra innumeros ſuos poros facilem aditum præbent. Sales fixi ſic liquati, ſunt veluti lixivia, quæ olea improprie dicuntur ut oleum Tartari per deliquium. Volatiles vero ſales aqueis partibus diluti, ſpiritus volatiles urinoſos conſtituunt, quales ſunt ſpiritus volatiles urinæ, ſanguinis, Cornu Cervi, &c.

Sæpe etiam ſalium acrium pori acidis particulis referti ſunt. Quæ autem ex hac ſalium acidorum & acrium copula exſurgit ſalina compoſitio, tertia ſalis ſpecies eſt, quæ ſalis ſalſi nomine diſtinguitur, ut Sal Ammoniacus, & cœteri ſales hujuſcemodi, quorum compoſitio & indoles conſideranda venit.

De

De Sale ſalſo.

Sal ſalſus ex acidis & acribus moleculis ſimul conjunctis componitur. Compoſiti hujus ſalis moleculæ ab acido ſale ſuam figuram potiſſimum mutuantur. Quem in linguam excitant ſaporis ſenſus magis hebes eſt, quam qui ab acido aut ab acri excitatur; quia ex horum ſalium copula craſſiores formantur moleculæ, ac proinde ad motum minus aptæ. Licet vero major ſit in his moleculis aculeorum copia, attamen corrodens eorum vis longe minor eſt; quod tanta ſit ſpiculorum denſitas, ut nec cutis poros alte penetrare valeant, neque nerveas ejus papillas æque fortiter vellicare, ac cum expedita erant & disjuncta. Sapor qui ab eo excitatur, ſalſus dicitur; cujus mira varietas pro acidorum aut acrium ſalium differentia, pro varia horum ſpirituum ſalinorum denſitate vel raritate, pro majori vel minori horum vel illorum copia, pro diverſis etiam, quæ cum illis immiſcentur partibus.

Ex acidorum & acrium ſalium aggregatione & miſcela oriri ſalem ſalſum eo confidentius aſſerimus, quod acidorum & acrium confuſione, hujuſmodi ſalem ſalſum Chymici ſæpius componant, & quod ex ſale ſalſo ambos hos ſales ſeparare noverint. Sic acidum ſpiritum Nitri v. g. Salis marini, vel Vitrioli in Tartari ſalem affundendo, Sal ſalſus efficitur, qui Nitri, Salis marini, vel Vitrioli naturam apprime refert; & per ſalium eſſentialium plantarum; aut ſalis Ammoniaci, aut cæterorum ſalſorum ſalium analyſim, ſales acidi & ſales acres, tum volatiles, tum fixi ſecernuntur.

ARTICULUS QUINTUS.

De Oleo ſeu Sulphure, quinto Corporum principio.

QUod ſulphuris & olei nomine intelligunt Chymici, illud nos inter corporum principia quinto loco aſſignamus. Non ſimplex eſt corpus, ſed compoſitum ex prioribus quatuor principiis, igne, aqua, terra, & ſale, in quæ facile reſolvi poteſt. Ideo tamen illud inter corporum principia recenſemus; quod ex mixtis naturæ corporibus integrum facile eliciatur, difficilius vero in ſimpliciora elementa dividatur; quod ſit ignis elementaris veluti receptaculum & fomes, ac proinde ad illud plurimæ mixtorum qualitates, ut inflammabilitas, colores, odores, metallorum ductilitas & malleabilitas, & aliæ corpurum virtutes referantur.

Sulphur itaque ſeu Oleum generice ſumptum, ignis, aquæ, terræ, & ſalis concretio eſt in corpus fluidum, lentum, inflammabile, pellucidum & per ſe inſipidum & inodorum, licet a diverſis ejus cum ſale mixtionibus colores, odores, & ſapores pendeant. Congeries eſt flocculorum plurimis & flexuoſis filis compactorum.

Subti-

Subtiliſſima ſulphurum filamenta ex quadam ſalinarum, aquearum, terrearum, & ignearum molecularum aggregatione, tum in terræ viſceribus, tum etiam in vegetantium & animantium corporibus fermentationis ope, componuntur: quod quidem plantarum aromaticarum aquæ immerſarum accretione ſatis evidenter demonſtratur. Nunquam enim ex illa aqua oleum quod diſtillatione ex his plantis elicitur extra hi potuiſſet: præterquamquod in ſalem, aquam, & terram, olea quæcumque diligenti analyſi reſolvantur, ut jam diximus.

Ex his filamentis diverſimode conſertis, flocculi exſurgunt plus minuſve denſi, intra quorum poros ignis elementum abunde reconditur, unde ſulphuris levitas & inflammabilitas. Præter igneam ſubſtantiam, quæ his poris continetur, uberrimi ſunt hujus materiæ oleoſos flocculos intercurrentis rivuli, quibus a ſe invicem disjunguntur & ſeorſim moventur motu perturbato, qui ad fluiditatem requiritur. Nihilominus tamen quamdam inter ſe connexionem & intricaturam ſervant tortuoſa hæc filamenta; unde fluidi lentor pendet.

Ex ſupra recenſitis ſalis alcali natura, & ſulphurum quam mox expoſui figura & ſtructura, facile concipi poteſt, qua ratione ſulphur quodcumque ab alcali ſale diſſolvatur. Cum enim ſphæricæ & echinatæ ſupponantur alcali ſalis moleculæ, intra floccos filamentoſos ſulphuris moveri non poſſunt, quin quædam ex filis ſecum abripiant, & flocculos paulatim dividant ac diſcerpant. Econtra vero denſæ, rigidæ & aculeatæ acidorum ſalium moleculæ intra ſulphurum flocculos copioſe intruſæ eorum texturam denſiorem & firmiorem efficient: unde etiam ſulphurum varia genera; nam pro varia, tum ſulphurum, tum acidorum ſpiculorum tenuitate aut craſſitie, pro diverſa eorumdem quantitate, diverſa quoque compoſita oleoſa, vel ſulphurea exſurgent, conſiſtentia, tenuitate & volatilitate varie inter ſe diſcrepantia.

Nam quæ in terræ viſceribus oritur ſulphurea concretio ex ignis, ſalis acidi, aquæ, & terræ tenuiſſimæ conſortio, bituminis vel pinguedinis terræ nomen obtinet. Deinde bituminoſa hæc pinguedo magna partium aquearum copia ſoluta, oleum minerale conſtituit, quod Petroleum dicitur. Si vero terræ & ſali permiſceatur, ſolidiora bitumina producit, pura vel impura pro terræ copia, vel craſſitie, vel pro mixtionis diverſo gradu: inde Carbo foſſilis, Gagates, Succinum, Bitumina, & terræ bituminoſæ. Si vero minor ſit terræ, major vero ſalis acidi copia, ex hac mixtura exſurget Sulphur minerale vulgare ſeu inflammabile. Si tandem illud bitumen terræ occurrat fuſibili & vitreſcibili, formam metallicam illi tribuet, nempe metalli ſplendorem, mollitiem, ductilitatem, & malleabilitatem, quæ quidem variis experimentis probantur. Nam mixtura olei acidi Vitrioli & olei Terebenthinæ, partibus æqualibus, poſt lenem, ſed diuturnam digeſtionem, per retortam diſtillata, liquorem effundit primo flaveſcentem, deinde croceum, ad Petroleum odore & conſiſtentia proxime accedentem. Quod in retorta ſupereſt, primo in bitumen molle inſpiſſatur, ac tandem in maſſam nigram & ſolidam concreſcit & induratur; quæ flamma admota facile accenditur; & dum comburitur, odorem ſpargit, carbonis foſſilis odori prorſus ſimilem. Quod ſi pergatur diſtillatio ex materia ſuperſtite prodit liquor albicans & acidus, in quo ſubſidet pulvis gilvus, ſulphur nempe flammæ concipiendæ capax; & præterea ad

retor-

retortæ collum elevatur ſulphur flavum & combuſtibile, quod a ſulphure vulgari non diſcrepat. Ultimum vero in retorta remanet quædam ſubſtantia nigra, ſplendens, levis & foliacea aut talcoſa, in qua ferreæ particulæ magnetis ope deteguntur.

Nec ſola artificialis horum bituminum compoſitio, ſed etiam eorum quæ e terræ viſceribus eruuntur reſolutio arte Chymica, eadem principia nobis detegit.

Metalla vero nihil aliud eſſe, quam bitumina diuturno digeſtionis calore cocta, & ad certum fixitatis gradum adducta ſatis commonſtrat Chymica eorum analyſis, quæ metalla ſaltem imperfecta in cineres & vitra reducit, ſulphureum quo turgent principium auferendo. Si enim igne diuturniori vel radiis ſolaribus vitreæ lentis ope congeſtis calcinentur imperfecta metalla, ſulphureum principium avolat, & in calcem aut cineres reducuntur, quæ tandem igne vehementiori in vitra convertuntur. Si vero hiſce vitris metallicis ſulphureum principium reſtituatur, denuo metallicam formam induunt.

Quæ in animali & vegetabili regno occurrunt flammæ capaces ſubſtantiæ, ſulphureo principio & acido ſale nova combinatione permixtis componuntur. In his enim principium ſulphureum ſeu oleum, ut in minerali regno, ex ſalis acidi & ignis elementaris permixtione cum aquæ & terræ modica portione ortum ducit. Deinde vero oleum cum acri ſale mucagines & gummata conſtituit; cum acidis tenuibus & nova ignea ſubſtantia interſperſa olea eſſentialia & ardentes ſpiritus producit; acidis vero craſſioribus & terræ quantitati ſufficienti conſociatum, reſinas efficit. Sic arte Chymica artificiale gummi componimus aut ſaponacea concreta plus minuſve craſſa, ſalium acrium & oleorum tenuiorum aut craſſiorum mixtione. Sic ſpiritus vini & ſpiritus volatilis urinæ ſimul mixti, tenue gummi ſeu mucilaginoſum concretum efficiunt; oleum vero olivarum & ſal fixus Tartari liquatus, ſaponem ſeu craſſioris gummi ſpeciem componunt. At ſpiritus vini & oleum Vitrioli confuſa & diuturniori calore digeſta, diſtillatione oleum inflammabile, ſubtile, grati odoris, & eſſentialibus plantarum oleis haud abſimile fundunt, ac tandem veram reſinam in retorta relinquunt.

Idem principium oleoſum in animalibus axungiam efficit, & gluten aut gelatinoſam ſubſtantiam quæ in partium nutrimentum cedit. Hæc enim gelatinoſa ſubſtantia ſalibus acribus volatilibus & oleo componitur, quod analyſi ſatis manifeſtum eſt. Axungia vero ex oleo & ſale acido conſtat. Si enim oleum olivarum & acidus ſpiritus quicumque, ſive Nitri, ſive Vitrioli, confundantur & digerantur, ſebum vel axungia inde emerget animalium pinguedini ſimilis.

Flamma quam ſulphurea vel oleoſa corpora concipiunt, eſt motus primi noſtri elementi in flocculorum oleoſorum poris latentis; quod carceres, quibus detinebatur, ſucceſſive diſrumpit, & acidi ſalis ſpicula ſecum abripit, quorum ope corporis accenſi moleculas, cujuſcumque generis ſint, dividit ac deſtruit.

Sulphurea concreta, vel volatilia, vel fixa, in corporibus deprehenduntur. Fixiora vel ſolida ſunt, ut axungiæ, reſinæ, & bitumina; vel fluida, ut olea: volatilia vero calore leviſſimo avolant, & olei conſiſtentiam ſervant, ut olea eſſentialia Juniperi, Thymi, &c. vel aqueam formam habent,

habent, & ſpiritus ardentes dicuntur, ut ſpiritus vini, & fructuum ſpiritus ardentes.

CAPUT QUARTUM.

De Elementorum mixtione.

Ex quinque ſupra recenſitis principiis corpora quæque conſtare oportet. Hæc principia, ut diverſa ratione miſcentur, diverſa itidem efficiunt compoſita. At vero quænam ſint variæ mixtionis rationes in diverſis, quæ inde exſurgunt compoſitis, nobis conſiderandum eſt.

Principiorum mixtio fit ope motus, qui totus ab ignis elemento pendet; vel lentus eſt ac tardus, ut in fructuum maturitate; vel vividus, ac promptus, ut in muſti fermentatione; vel vehementiſſimus, ut in corporum deflagratione. Omnes illi motus donantur nomine fermentationis, quæ ſi ad compoſiti deſtructionem tendat, corruptio nuncupatur.

Simplicior principiorum mixtio, ſeu minus compoſita, ea eſt quæ ſalem conſtituit, intima nempe & ſtricta aquæ & terræ copula; deinde ſulphur quod ex ignis, terræ, & ſalis confortio exſurgit; tandem ſales acres, volatiles vel fixi, ſales eſſentiales plantarum, & ſuphura tum ſolida, tum liquida.

Quænam ſint illæ mixtionis rationes, & quænam ſint ejuſdem mutationum ſeries in triplici regno, variis exemplis obſervare licet.

Et primo quidem exemplo ſit vitis. Ejus uvæ adhuc immaturæ & vix nodatæ ſaporem inſipidum aut herbidum tantummodo referunt. Prout creſcunt, aciditas quædam in iis ſenſim evolvitur: unde primo auſterus percipitur earum ſuccus, poſtea acerbus, & tum Omphacium dicitur; quod ſi diſtillationi ſubjiciatur, magnam phlegmatis copiam largiturum eſt, nonnihil acidi liquoris, ſulphuris ſeu olei portionem exiguam, & in vaſe magnam terræ copiam relinquet.

Hoc in ſucco moleculæ terreæ ſalium rudimentis veluti fetæ, primo auſtero guſtu percipiuntur: deinde vero acerbo ſapore extremi ſalium aculei e terreis moleculis jam erumpentes, ſed ſuis involucris nondum omnino liberati, manifeſtos ſe præbent.

Verum cum ad perfectam maturitatem perveniunt uvæ, auſterus earum ſapor in dulcem convertitur. Tunc ignis elemento uberius penetratur ſuccus, rarior fit ac tenuior; concitatiori motu agitantur ejus partes, ſales acidi terrea ſua involucra exuunt, & ex nova ſalium, ignis, aquæ, & terræ conſociatione naſcuntur ſulphura. Si qui vero acidi ſales ſulphurum compoſitionem non ſubeunt, ab iiſdem ſulphuribus irretiuntur, ita ut ſummis tantum acuminibus inter ſulphurea filamenta prominentibus, linguæ papillas vellicent, & gratum ſaporem excitent. Tunc muſti nomen obtinet, quod diſtillatione copioſum phlegma exhibet,

bet, deinde liquoris acidi non mediocrem quantitatem, aliquam ſalis volatilis acris ſeu urinoſi portionem, & oleum craſſum longe uberius quam in priori diſtillatione; tandem ex materia in vaſibus ſuperſtite ſal fixus acris elicitur, qui a terra ſeparatur.

In hoc uvarum maturarum ſucco, ſive muſto, ſales & ſulphura ad ſummum tenuitatis gradum nondum evecta fuere, vel terreis craſſioribus partibus adhuc involvuntur, quibus eorum actio multum retunditur.

Si vero ille magna ſuccus copia fermentationi committatur; tunc ignea materia, qua abundat, novum & majorem fermentationis motum excitat, qui non quieſcit, quin partes craſſiores attenuatæ fuerint, aut e liquoris ſinu remotæ, quin ſales & ſulphura e terreis partibus liberata, exacte mixta & ſubacta fuerint: tunc liquor vinum dicitur. Craſſiores vero partes e centro ad circumferentiam propulſæ, in fundo ſubſident fæcum nomine. Vividus autem & maxime penetrans videtur liquor ob magnam ignei elementi copiam, quæ intra ſulphureorum flocculorum filamenta nidulatur. Diſtillationi ſubjectus ille liquor, non mediocrem ſpiritus ardentis copiam primo largiturus eſt, deinde phlegma uberrimum præbebit; poſtea liquorem acidum cum aliqua oleoſi ſpiritus portione, tandem olei craſſi aliquantulum tribuet. Exigua admodum remanet capitis mortui portio, quæ ſalis acris fixi paululum lotione exhibebit. Sic in vini diſtillatione longe minor eſt acidi liquoris proventus quam in muſti analyſi: ſed ex vino magna ſpiritus ardentis copia extrahitur, nulla vero ex muſto.

Verum ſi vini fæces probe ſiccatæ diſtillentur, magna ſalis volatilis acris ſeu urinoſi quantitas elicietur; quod acidi ſales ſulphureis & terreis moleculis irretici, tum vi fermentationis, tum etiam ignis calore in ſalem volatilem convertuntur.

Alia quoque variarum ſalis acidi metamorphoſeon, tum in ſpiritum ardentem, tum in ſalem volatilem, exempla videre eſt in Fabarum & Piſorum diſtillatione. Si enim Fabæ aut Piſa recentia & adhuc virentia ex retorta diſtillentur, acidum ſpiritum copioſum, præter magnam phlegmatis quantitatem, & nonnihil olei præbent. Si vero hæc ſemina tempore convenienti in aqua vulgari fermenteſcunt, copioſum ſpiritum ardentem largiuntur. Si tandem abſque ulla ſenſibili fermentatione per aliquot menſes in loco arido ſerventur, ſpiritum alcali urinoſum diſtillatione exhibebunt, nihil vero aut parum acidi liquoris. Unde liquet, ſalem acidum fermentatione cum cœteris principiis conſociatum, in ſulphur converti; aut ſui ipſius cum terreis & ſulphureis moleculis coaleſcentia, in ſalem alcali volatilem abire, ſicuti calcinatione in ſalem alcali fixum immutatur, ſi vi ignis in craſſiores terræ moleculas intromittatur, ut in lixivioſorum ſalium præparatione.

Verum hic obſervandum incumbit, omnes ſales e regno vegetabili oriundos, non eſſe inter ſe prorſus ſimiles. Nam inter ſe diſcrepant non ſolum ratione compoſitionis pro majori vel minori copia ſulphuris, aquæ, aut terræ cum ſale acido conjuncta; ſed etiam multum inter eos intercedit diſcriminis, ratione ſalis acidi primigenii, a quo ortum ducunt. Sal enim primigenius, acidus nempe, non unus & ſimplex eſt; ſed pro variis

typis

typis in quibus formantur, diverſi ſales acidi emergunt, quorum tria tantum genera cognoſcimus, ſcilicet muriaticum, ſalem nitroſum; & ſalem vitriolicum. Sal muriaticus, qualis eſt gemmeus vel marinus cryſtallizatione cubicam figuram ſuſcipit: ejus partes integrantes quaſi ex duplici pyramide quadrata per baſim junctis formatæ mihi videntur. Nitri cryſtalli priſmaticam figuram exhaedram repræſentant: & ex duplici pyramide triangulari integrantes ejus partes formatas ſupponimus. Vitrioli vero partes integrantes ex duplici pyramide exagona effictas exiſtimamus, ob figuram, quam ſal fixus Vitrioli omni parte metallica, quantum fieri poteſt, purgatus ſolet ſuſcipere.

Sales illi primigenii cum aliis ſubſtantiis conjuncti, ſales compoſitos conſtituunt diverſæ figuræ & energiæ, quorum numerus pene infinitus eſt. Sic in regno vegetabili acetorum varia occurrunt genera, quæ nihil aliud ſunt quam ſales acidi primigenii aliqua phlegmatis copia ſoluti. Sales eſſentiales abſque igne præparantur, qui iidem ſunt acidi cum moleculis terreis & cœteri principiis aggregati; ſales Ammoniaci, qui ex acidorum & acrium volatilium copula exſurgunt: acres fixi, cum acidis ſpiculis terreæ moleculæ craſſiores hiſpidæ ſunt; volatiles vero ſeu urinoſi, cum tenues admodum ſunt moleculæ terræ, ita ut globulos hirſutos conſtituant.

Pariter eadem ſalis acidi primigenii genera, quæ in minerali regno obſervantur, in regno quoque vegetabili deprehenduntur. Exempli gratia, ſal eſſentialis Parietariæ nitroſus eſt; & carbonibus accenſis impoſitus, ad inſtar Nitri fulgurat. Sales fixi Cardui Benedicti, herbæ Kali, ſpongiæ, ſali marino congeneres ſunt. Eorum cryſtalli cubica figura donantur, & inter accenſos carbones crepitant. Tartari cryſtalli vitriolicos cryſtallos repræſentant: & eamdem eſſe acidi in Tartaro deliteſcentis naturam cum acido vitriolico facile demonſtratur ex ſulphureo odore quem ſæpius ſpargit Tartarum certo modo calcinatum.

Præter ſalina compoſita, ſunt & aliæ mixtiones, quæ in plantis producuntur, ut Gummi, Reſinæ, & mellei liquores.

Gummi eſt ſubſtantia media inter acidum & oleum, vel eſt ſal acidus qui cum terreis moleculis ita conjungitur, ut major ejus portio in ſalem alcali jam immutata ſit, dum altera in oleum convertitur; ita ut mixtum inde exſurgat ſalino-oleoſum, qualia apud Chymicos videre licet concreta ſaponacea ex oleo olivarum & lixivio Tartari, ant mucilaginoſa ex ſpiritu vini & ſpiritu volatili urinæ. Unde ſemina fere omnia quæ in maturitatis ſtatu oleo turgent, nihil aliud ſunt in principio quam mucagines ſeu olea immatura.

Reſinæ ex acido & oleo componuntur, qualis eſt mixtura olei Vitrioli & ſpiritus vini, vel ſpiritus Terebenthinæ. Sunt vel ſolidæ vel liquidæ, quæ niſi partium terrearum interventu inter ſe non differunt.

Mellei ſucci qui ex plantis vel ſponte exſudant ut Manna, vel arte eliciuntur ut Saccharum, ſales ſunt eſſentiales ex acido & alcali ſale conſtantes cum oleoſis partibus quamplurimis permixtis.

Quamplurima diverſarum, quibus principia inter ſe miſceri poſſunt, ſive natura, ſive arte, rationum exempla obſervare licet in regno minerali.

Lapis Calcarius & Gypſum ita ſunt diſpoſita, ut in iis, ſi igne calcinentur, ab ignea materia innumeri aperiantur poruli, quibus aqueæ moleculæ facile

reci

recipiuntur, non tamen ſine quadam earum, & ignei principii inibi incluſi colliſione. In his poris diutius aſſervatæ aquæ partes tandem in moleculas nitroſas convertuntur. Ex muris enim antiquis ex calce aut gypſo extructis Nitrum temporis decurſu effloreſcit, vel etiam arte extrahi poteſt. Idem Nitrum diſtillatum pro majori ſui parte in ſpiritum acidum effunditur; econtra vero cum Carbonibus calcinatum, fere totum in ſalem alcali convertitur; & fortaſſe Natrum antiquorum ſeu ſal alcali mineralis, qui in Ægypto, & in aliis regionibus e terra effoditur, aut ex pleriſque mineralium fontium aquis elicitur, nihil aliud eſt, quam Nitrum calore terræ calcinatum, quod in ſalem alcali fixum mutatum eſt.

Sal acidus vitriolicus cum metallis Vitriolorum varia genera conſtituit: cum terra adſtringente alumen efficit, ac tandem cum igneo principio ſulphur vulgare, & combuſtibile. Sulphur enim vulgare flavum, deflagratum, & igneo principio exhalato in acidum liquorem totum convertitur; & rurſus acidum illud vitriolicum igneo principio coadunatum, in ſulphur concreſcit.

Eædem principiorum mixtiones in animali regno deprehenduntur. Chylus, & lac ſalem acidum occultum continent, qui quadam putrefactione facile evolvitur: facile enim aceſcunt. Cum vero debita fermentatione ſubigitur ſal ille acidus, in ſalem alcali volatilem commutatur, qui copioſus ex liquoribus e chylo prognatis, ſanguine ſcilicet, ſero, bile, urina, &c. elicitur. Verum in debita corporis diſpoſitione ſal acidus in ſalem alcalinum non omnino mutatur; ſed ſalem ſalſum ſeu Ammoniacum conſtituit cum terreis, & oleoſis partibus commixtum, Ex hac autem ſalis Ammoniaci cum oleoſis partibus unione, gelatinoſa ſeri, & ſanguinis ſubſtantia oritur, quæ putrefactione vel calcinatione indiget, ut ſal in ea contentus, in ſalem alcalinum convertatur; ut videre licet in urina, ſanguine, aut cœteris corporis humani ſuccis, ex quibus ſal alcali extrahi nequit niſi prævia putrefactione aut calcinatione.

Hæ ſunt præcipuæ principiorum mixtiones, quæ in corporibus naturalibus occurrunt, ex quibus cœteræ, quæ ex his fieri poſſunt compoſitiones, facile deducentur.

CAPUT QUINTUM.

De dignoſcendis Medicaminum viribus.

Nihil ſane Medicis optabilius, ægris quoque ſalubrius contingeret, quam ſi mixtorum omnium, quæ natura paſſim profert, vires ad immutandum corpus humanum probe dignoſcerentur.

Quod enim accurate obſervatum fuiſſet de ſingulis mixtorum effectibus, Medico veluti norma foret, ad quam tuto ſemper praxim medicam accomodaret; nec alio præterea indigeret adjumento, niſi judicio quodam

ad remedia opportune juxta varios morbi caſus exhibenda: ſed cum nobis deſint maxima ex parte ejuſmodi rerum naturæ obſervationes, ad alia confugere oportuit.

Quidam ſe operæ pretium facturos duxerunt, ſi ex rerum naturalium figura, colore, aliiſque externis qualitatibus, quamdam inter earum vires & certas corporis humani partes aut certos morbos connexionem augurarentur. Ita ut hac methodo inveſtigare conati ſint, quidquid ſingulis partibus utile, noxiumve futurum eſſet. Si quamdam ſibi finxerunt analagiam inter Nucem moſchatam & caput, inter Aſari folia, & renes, inter Anacardii fructus & cor, Dentariam, & dentes, ſemen Fraxini, Gloſſopetram & linguam; inter lapidem Aetitem, & fœtum in utero, lapidem variolarum & variolas; inter lapidem Hæmatitem, aut Jaſpidem maculis rubris diſtinctum & ſanguinem; inter lapidem Cancrorum, lapidem Judaicum & calculum veſicæ; inter Carduum benedictum, Carduum Beatæ Mariæ, dentes Apti, aut mandibulas Lucii piſcis & pleuritidis dolorem punctorium, inter radices Scrophulariæ vel Cardui hæmorrhoidalis nodos & hæmorroidas; inter Rhabarbarum vel Chelidonium & bilem vel icterum. Sed præterquamquod non bene ceſſit talis virium inquirendarum ratio, nullus eſt rerum phyſicarum ita rudis, qui ſtatim non agnoſcat quam ſit futilis, & abſurda. His itaque exterioribus ſignis utendum quidem ad diſtinguendas inter ſe res naturales, non vero ad earum vires detegendas.

Ab intimis mixtorum qualitatibus Galenus, & ejuſdem aſſeclæ eorum virtutes cognoſcere tentaverunt: & recte quidem, ſi veras introſpexiſſent eorum qualitates, non vero vanas finxiſſent eorum judicio primarias, calidum ſcilicet, frigidum, ſiccum, & humidum. Neque enim ipſis ſuppetebat alia dijudicandi ratio, quam ex odore & ſapore; quod quidem ad ſuas qualitates inſtituendas non ſufficiebat, licet ad certa quædam indicia non ſit inutile. Etenim ex guſto amaro ſatis tuto judicamus, plantas eſſe ſtomacho proficuas, & alimentis recte coquendis aptas; ex guſtu acido, eas eſſe immodico ſanguinis aut bilis motui cohibendo perutiles; ex odore aromatico, illas nervis ac ſpiritibus adjumento eſſe. Non itaque iſta neglıgenda ſunt, ſed ad rectum uſum convertenda.

Poſtea vero recentiores Phyſici, ad rerum naturalium vires inveſtigandas, duplicem adhibuere methodum. Altera nempe rerum principia, altera vero earumdem effectus cognoſcere tentarunt. Utramque viam inſiſtunt celeberrimæ illæ in Gallia, Anglia, & Germania doctorum virorum ſocietates. Chymicis reſolutionibus intima mixtorum principia multo labore ſcrutati ſunt; eoque pervenere, ut principia mixtorum ſeparata, aut ſubſtantias iiſdem ſimiles ſimul jungendo, eadem compoſita, unde elicita fuerant, denuo compoſuerint. Sic non minus facile quam perfecte ad nutum deſtrui aut reſtitui poſſunt ſal marinus, Nitrum, Vitriolum, Alumen, Sulphur, Bitumina, & Mineralia pleraque. Unde ſpes illuceſcit iis, quæ jam comperta ſunt, & quæ in dies ea de re comperiuntur; mixtorum compoſitionem ex tenebris, quibus involvitur, tandem erui poſſe.

Multum laborem inſumpſit Regia Scientiarum Academia in analy-

ſes

ſes plantarum perficiendas, quas ſcilicet diſtillandas curavit, ſive recentes, ſive jam fermentatas. Sed quam pauca inter eas, quæ ex tot diverſis plantis extrahuntur, ſubſtantias, reperiuntur diſcrimina.

Ex his phlegma inſipidum, idque copioſum plerumque ante omnia diſtillari ſolet; tum ſpiritus acidi, ſales alcalini ſeu urinoſi, vel ſoluti; vel concreti; liquores mixti, qui nempe acidorum, & alcalium effectus exerunt; & olea fœtida & nigra extrahuntur: tandem ſal aut lixivialis aut ſalſus e cineribus elicitur; ille lixivii ſaporem præſefert, & humido aere reſolvitur, ut ſal Tartari; hic ſalem ſalſum guſtum refert, ut ſal Leucoii lutei vulgo *Keiry*.

Præter has ſubſtantias, quæ ex omnibus fere plantis educuntur, quædam aliæ adhuc ex quibuſdam plantis eliciuntur. Sic ex plantis aromaticis oleum ſubtile & fragrans, quod eſſentiale vocant, plerumque primum egreditur, ut ex Lavandula, Thymo, Salvia, &c. In paucis plantis, ut in Elleboro, Elleboraſto Croco, Veronica, Naſturtio, &c. ſpiritus acerrimus, ſeu oleum tenuiſſimum, & ſapore acerrimo donatum, primo caloris gradu erumpit. At præhabita plantæ fermentatione, eadem quoque, ſed mutato ordine, depromuntur. Nullus exit liquor ſaporis ſenſibilis expers. Interdum primo ignis gradu profluit humor, vel acidus, vel urinoſus; nonnumquam etiam ſpitus ardens & ſumme volatilis. Verumtamen pauca hæc elementa, quæ ex plantis exſtillantur, multum adhuc a ſe invicem diſcrepare conjicere licet; quod aliquid ſit diſcriminis inter ſales fixos ex earum cineribus elicitos. Cum enim ſint accidorum fœtus, tot ſupponunt acidorum genera, quot ipſorum diſcrimina deprehenduntur. Si vero qui e plantis extrahuntur ſpiritus acidi, diverſi ſint generis, non minus diſſimiles inter ſe erunt ſales urinoſi volatiles. Perinde olea ſe habent, cum nempe ab acidis ortum ducant, ut experimentis probatur. Oleum enim eſſentiale Thymi cum ſpiritu ſalis Ammoniaci digeſtum, colore violaceo vel purpureo inficitur, quod illi cum oleo Succini commune eſt; nec tamen idem præſtant cœtera olea eſſentialia. Sed nondum hæc diſcrimina ſatis fuere perſpecta.

Ex animalibus vero, & eorum partibus diſtillatis multum ſpiritus & ſalis volatilis urinoſi elicitur, nec mediocris portio olei craſſi, parum vero ſalis fixi, & nihil aut perparum acidi ſalis. Verum ſi in aqua communi decoquantur, ex iiſdem partibus mucilago vel gelatina quædam ſe prodit, quæ cœtera quibus conſtat, elementa includit, unde per diſtillationem facile evolvuntur.

Si nondum omnibus numeris abſoluta eſt mixtorum cognitio, quam docti viri hac priori methodo aſſequi conati ſunt; ſaltem eo progreſſa eſt, ut tum ex principiorum reſolutione, tum ex earumdem in plantis compoſitione, certæ quædam regulæ deduci poſſint ad eorum virtutes indagandas. Fatendum tamen eſt, peculiares eſſe quorumdam mixtorum ſpecificas, ut vocant, virtutes, quæ fortaſſe a materia adeo ſubtili pendent, ut hactenus analyſes effugerit; quin etiam veriſimile eſt, hanc ſpecificam virtutem a partium diſpoſitione proficiſci quoque poſſe, quæ nondum explorari potuit. Non itaque nobis innoteſcit unde Antimonium ſit emeticum, Kinakina cortex ſit febrifugus, Opium narcoticum, Cantharides veſicam corrodentes, Arſenium veneno-

nenoſum, & nervis ita noxium. Sed non deſperandum eſt fore, ut exprimenta congerendo, hæc omnia palam fiant, aliaque pariter incognita.

Altera methodo, ab effectibus mixtorum proprietates eruere conantur. Hæc autem, licet diuturniore egeat tempore, ſuum tamen quoque percipit incrementum. Dura itaque hac arte res naturales explorantur; tum ipſæ, tum earumdem principia reſoluta cum variis miſcentur intermediis jam cognitis, ut inde effectus comperiantur, quibus poſtea earum rerum indoles innoteſcat. Obſervatum eſt quoque, quonam modo agerent res eædem cum ſanguine, aliiſve corporis liquoribus permixtæ, aut in animalium venas injectæ, aut per os intruſæ; & inde quædam conjecerunt ad earum virtutes detegendas perutilia.

His potiſſimum utuntur in experiundo intermediis ſeu criteriis, nempe tinctura Heliotropii tricocci, vulgo *Tourneſol*, tinctura Violarum vel Syrupo violaceo, tinctura Roſarum, tinctura florum Malvæ, ſolutione Sublimati corroſivi, ſolutione ſalis Saturni, ſolutione ſalis Tartari, aqua Calcis vivæ, infuſione gallarum, ſpiritibus acidis Nitri, ſalis marini, vel vitrioli, ſpiritu vini, &c.

Corpora, quæ ſalibus acidis ſcatent, cæruleæ Heliotropii tincturæ colorem rubrum, ſed varie intenſum a purpureo ad igneum, vel ad ſanguinis bovini colorem pro variis aciditatis gradibus conciliant: rubro quoque colore inficiunt tincturas Violarum, Roſarum, & florum Malvæ. Præterea eadem acida cum ſolutione ſalis Tartari tumultuantur. Mixta quibus ineſt ſal acris ſeu alcali, tincturas Violarum, Roſarum, & florum Malvæ virides efficiunt: ſi admodum debilis ſit, aliquot in ſpiritu ſalis bullas aëreas excitant; majorem agitationem, & fremitum quemdam, ſi fortiori ſale donantur: ſed ſi volatili hoc ſale abundant, cum ſpiritu ſalis ſtatim & vehementer efferveſcunt.

Præterea ſal volatilis urinoſus admodum debilis, ſæpe non ſtatim, ſed interjecto tempore, Sublimati corroſivi ſolutioni Opali colorem inducit: ſi paulo uberior, pallidum ei impertit colorem; ac tandem lacteum, ſi fortior ſit; atque ſenſim præcipitat. Ubi multum viget ſal urinoſus, tum repentinam invehit præcipitationem, aut ſolutionem ſtatim coagulat, ſi ſit uberrimus.

Verum ſal alcali fixus Sublimati ſolutionem ſubflavo colore tingit, & ſenſim præcipitat, ſi debilis ſit: ſi vero fortior, & uberior, ſtatim præcipitat, & Mali aurei aut Croci colorem exhibet.

Si quid Vitrioli in mixtis contineatur, atro colore vel purpureo gallarum infuſionem inficiunt.

Salis marini vel minima portio mixtis contenta, Sacchari Saturni ſolutionem turbat.

Quæ Ammoniaco ſale turgent, cum ſolutione ſalis Tartari, vel cum aqua calcis permixta, odorem urinoſum exhalant.

Corpora reſinoſa tincturas ſuas ſpiritui vini communicant, ex quo poſtea aquæ communis affuſione reſina in præceps ruit.

Præter hæc experimenta, nonnulla etiam in ſanguine, ſero, bile, & ceteris animalium liquoribus tentaverunt. Ex quibus compertum eſt, primo a quibuſdam liquoribus ſanguinem venenoſum coagulari, quibus arterioſus funditur, & vi-

& vice verſa; a plurimis vero aliis ſuccis utrumque coagulari: unde patet aliquid intereſſe diſcriminis inter ſanguinem qui arterias alluit, & eum quo venæ replentur.

Quidam liquores e plantis deſumpti, arterioſum minime coagulant; ſive e venenoſis, ut ex Napello & Solano letali; ſive ex purgantibus, ut ex Elleboro nigro; ſive ex ſalutaribus, ut ex Abſynthio, Angelica, Imperatoria, & Perſicaria extrahantur.

Omnes pene plantarum ſucci colorem ſanguinis immutant, paucis ut Salviæ, Menthæ, Bugulæ, Scorſoneræ, & Apii exceptis. Succus Napelli, & Arthemiſiæ colore livido eum perfundunt.

A pleriſque acidis ſpiritibus e mineralium familia oriundis ſanguis in denſum coagulum inſpiſſatur, & atro colore tingitur, excepto tamen ſpiritu ſulphuris, quo non multum alteratus videtur: quin & olei ſulphuris drachmam unam aut alteram in canis vivi venam jugularem abſque ullo damno infuſam fuiſſe Borellus aſſerit. Si vero aqua fortis, vel quilibet alius ſpiritus acidus mineralis, licet aqua dilutus, ac debilitatus, ſenſim intra jugularem venam canis injiciatur; miras convulſiones & ſpaſmos animal patitur, & vehementiſſime ſe contorquendo & ejulando cito moritur; aperto vero thorace, ſanguis in grumos converſus in vaſis & in corde reperitur. Solutio ſalis Tartari eodem modo injecta, eaſdem convulſiones & ſummos dolores procreat, & tandem necem affert: at ſanguis non in grumos abit, ſed ejus nativa fluiditas ſervatur.

Sanguis e vaſis extractus, & cum ſalis Tartari aut cujuslibet alcali fixi ſolutione permixtus, fluidior videtur fieri. Tamen in infima liquoris parte, fex quædam craſſa & turbida præcipitata apparet. Craſſamentum illud non tanta copia deprehenditur, ſi cum ſpiritibus volatilibus urinoſis permixtus fuerit ſanguis.

Spiritus vini affuſione ſanguis in grumos coaleſcit; verum ejus lympha ſeu ſeroſa portio cum eodem ſpiritu confuſa, ad inſtar albuminis ovi cocti concreſcit & indureſcit. Eadem pariter a ſpiritibus acidis coagulatur; ab alcalinis vero non inſpiſſatur, ſed quædam ejus portio ſub albidi craſſamenti ſpecie in vaſis fundum præcipitatur.

Flavus vel ſubrufus bilis color ab acidis in viridem convertitur, & multum imminuitur ejus amarities. Ab alcalium vero ſalium affuſione, & color flavus magis dilutus evadit, & amarior augetur. Cum acidis liquoribus efferveſcit, non vero cum alcalinis; ſed ab illis ſicut & a ſpiritu vini condenſatur.

Spiritus acidi colorem urinæ ſemper intendunt. Spiritus Nitri & phlegma vitrioli eam colore ſanguineo ſenſim tingunt, multo minus vero ſpiritus & oleum Vitrioli.

Acidi ſpiritus urinam non turbant, nec quidquam in ea præcipitant. Illius autem quæ limpida primo, poſtmodum per ſe turbatur, turbationem & contentorum præcipitationem ut plurimum adjuvant, ſæpius accelerant, rariſſime impediunt.

Acidis liquores urinæ ſedimenta condenſant, & colore intenſiori ad rubedinem accedente inficiunt. Nonnunquam evenit ut urinæ ſedimenta ſpontanea vel ab acidis præcipitata, ab iiſdem acidis diluantur, & denuo novæ & copioſæ concretiones rufæ quaſi ſabuloſæ in vaſis fundo ſubſideant.

Alcalini ſales urinæ tincturam remiſſiorem reddunt; ab illis ejuſdem ſedimenta minus denſa, motu leviora, colore magis candida efficiuntur, ſed hæc omnia magis a volatilibus, quam a fixis.

Nonnunquam ab alcalinis ſalibus, urina quæ per ſe turbata fuit, & craſſum ſedimentum depoſuit, ad priſtinam perſpicuitatem reducitur, ita ut inibi contenta omnino evaneſcant.

Lac ab acidis coagulatur ita ut ſeroſa ejus pars a caſeoſa ſecernatur: ab alcalinis vero ſalibus ejus coagulatio præpeditur. Si vero lactis pars una & ſolutionis ſalis Tartari partes duæ ſimul digerantur, mixtura rubra fiet & pellucida, grumis quibuſdam in vaſis fundum præcipitatis.

Inſuper ex quibuſdam obſervationibus liquet quid mixta in hominum aut animalium corpora ingeſta præſtare valeant.

Quædam hominibus noxia, brutis innocua aut minus nocentia obſervata fuere. Sic Mercurius ſublimatus corroſivus, hominibus letalis, canibus eadem doſi exhibitus vomitum ſolummodo excitavit. Econtra Nux vomica canibus nocens, hominibus nullo modo exitioſa creditur. Crocus metallorum hominibus emeticum potentiſſimum, equis ſudores tantum movet. Amygdalæ amaræ quæ nihil damni hominibus afferre videntur, brutis prorſus infeſtæ ſunt; vehementiſſimas enim convulſiones & tandem mortem iis inferunt. Jalapium ipſum, quod blandum medicamentum purgans exiſtimatur, canibus exhibitum convulſiones excitat & ventriculum inflammatione afficit.

At hominibus pariter & brutis damnoſi ſunt ac letiferi Coronæ Imperialis bulbi. Hyoſciami radices & folia comeſta, ardorem vehementem per totum corpus accendunt, & mentem turbant. Solani ſomniferi baccæ delirium, ſenſuum ſtuporem & nonnunquam ſomnum letalem inducunt. Napellus præter ardorem quem circa fauces & præcordia excitat, frigoris ſenſum per artus inducit, ac tandem interimit.

Plurimæ aliæ hic recenſeri poſſent obſervationes: ſed quantum lumen afferat ad medicamentorum vires enucleandas hæc duplex inveſtigandi methodus, ex ſupradictis unicuique facile patebit; ita ut illarum ope, ſi præſertim utraque jungatur, conjectura admodum probabili aſſequi poſſimus quid prius ineſſet in mixtis, quorum analyſis inſtituitur; quid in corpus humanum agere valeant, & qua ratione illud operentur. Illud autem quibuſdam exemplis demonſtrandum eſt.

Sint Lappæ ſeu Bardanæ vulgaris vires explorandæ. Quærendum primo quid analyſi Chymica, ex ejus foliis extrahatur. Conſtat autem ex foliorum hujus plantæ ℔v. præter phlegmatis fere inſipidi ℔jß. aut circiter, elici humoris acidi ℔ij; humoris alcali urinoſi ℥viij aut circiter; ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj; olei craſſioris quod per retortam diſtillavit, tum etiam quod in carbonibus reconditum, tandem calcinatione in flammam abiit, circiter ℥iij; ſalis fimi fere ℥j; terræ vero mortuæ & principiis orbatæ ℥j. Ex hac analyſi conjicere licet, folia Bardanæ, priuſquam analyſi ſolvantur, plus continere liquoris aquei quam aliarum partium; liquorem vero illum abundare ſale ad Ammoniacum accedente. Probabile enim eſt, acidam partem ante analyſim cum ſale volatili urinoſo fuiſſe conjunctam, & ex hac copula ſalem quemdam ſalſum ſali Ammoniaco analogum emerſiſſe. Quid enim ſal Ammoniacus, niſi ſalſus ex acido & urinoſo concretus? Quod ad ſalem fixum attinet,

cre-

credibile eſt in planta ante ignis miniſterium non adfuiſſe ; ſed tartarum ſeu ſalem eſſentialem Bardanæ in ſalem fixum abiiſſe , ut tartaro vini contingit, qui nihil aliud eſt, quam terrea pars vini ſale acido ultra ſatietatem imbuta.

Præterea amaro ſapore donantur hujus plantæ folia , nec eorum ſuccus Heliotropii tincturam mutat ; unde liquet acidum ejus ſalem tum urinoſo , tum ſulphure , tum terreis partibus adeo eſſe involutum , ut omnis ejus actio prorſus retundatur . Deinde dum comburuntur ejus folia, levis fulguratio inter carbones percipitur ; unde concluditur ejus ſalem acidum nitroſum eſſe. Præcipua igitur Bardanæ virtus pendet a ſale Ammoniaco uberrimo & ſalis nitroſi minori copia ſimul mixtis, necnon quadam olei portione involutis. Si autem ad horum ſalium vires attendamus, eaſdem, quibus donantur, in Bardana reperiri concludemus. Nec mirum , ſi hæc planta diuretica , ſudorifica , pectoralis , hyſterica , vulneraria , & febrifuga prædicatur.

Agrimoniæ vires quæris ? Inveſtiga quid præbeat analyſis . Foliorum Agrimoniæ ℔v. humoris acidi & auſteri fere ℔ iiij. ſuppeditant ; humoris alcali urinoſi circiter ℥ij. olei ſpiſſi , tum illius quod ex retorta diſtillavit , tum ejus quod in carbonibus reconditum fuit , fere ℥vj ; ſalis fixi mere alcali ʒviß ; terræ vero mortuæ circiter ℥j. Unde patet in hac planta nihil ferme ſalis Ammoniaci contineri , cum nullus ſal urinoſus concretus extrahatur : ideoque acidus ſal quo Agrimonia abundat , cum terra conjunctus , concretum quoddam efficit ſali eſſentiali ſeu tartaro , aut potius ſali Coralliorum perſimile , cum ſulphure copioſo copulatum.

Agrimonia ſapore ſalſo aliquantiſper ſtyptico & ſubacri donatur: ab ejus ſucco Heliotropii tinctura rubro colore leviter tingitur . Itaque a ſale leviter adſtringente virtutem adſtringentem & aperitivam obtinet ; quæ quidem dotes, licet contrariæ videantur, ſæpius ab eodem principio pendent, quo nempe partium fibræ nimis laxæ firmantur , & tonus partium validior fit. Præterea ab acido ejus ſale inflammationes temperantur. Has virtutes comprobat experientia, qua ſeſe adſtringentem , deterſivam , reſolutivam , vulnerariam, & aperientem exhibet.

Biſtortæ & Argentinæ radices adſtringunt , & humores ſiſtunt , ſale quodam aluminoſo cum ſulphure conjuncto: nam analyſi rite inſtituta , poſt acidum phlegma oleum prodit , deinde modicum phlegmatis urinoſi ; ſed pondere inſigni remanet caput mortuum. Unde cum radices illæ ſtyptici ſaporis ſint, probabile eſt, ſalem acidum quo plurimum pollent, & terram adſtringentem ſimul conſtituiſſe concretum ad alumen accedens , unde virium rationem intelligere eſt.

Sic pariter ex Malvæ analyſi, ipſius agendi rationem eruere licet.

Ex libris quinque foliorum & radicum Malvæ vulgaris in vas recipiens fluxerunt humoris acidi ℔iiij ; humoris urinoſi ℥ij. circiter ; olei tum fluidi quod e retorta fluxit , tum craſſi in carbonibus reconditi ℥iiij ; ſalis urinoſi concreti grana xlviij ; ſalis fixi mere alcali ʒvj ; terræ vero ℥j. Ergo veriſimile eſt Malvam ſale quodam Ammoniacali præditam eſſe cum terra conjuncto ; necnon maximam olei partem cum acido phlegmate probe commixtam , in ſuccum illum lentum quem mucilaginoſum vocant, abire: qui licet ab igne deſtruatur , præcipuum tamen inſtrumen-

tum quo Malva demulcet & emollit. Aqua enim cum oleo diu agitata ; in mucilaginem vertitur, maxime ſi ſpiritus acidi guttæ aliquot addantur. Alvum præterea laxat, tum quia fœces nimis induratas, molles ac lubricas facit, tum etiam quia lentore ſuo villos ventriculi & inteſtinorum calore nimis tenſos, ac rigidos emollit & ad contractionem habiliores efficit; unde contentorum evacuatio.

Quid præſtare valeat Linaria, tum ex analyſi Chymica, tum ex analyſi phyſica ſeu ex effectuum comparatione, adhuc inquiremus.

Ex Linaria foliorum ℔v. prodiere humoris acidi ℔iij. circiter ; humoris urinoſi ℥v ; olei ℥ix ; ſalis fixi ʒiij ; terræ vero ℥jß. Exigua admodum quantitas ſalis Ammoniaci occurrit in Linaria, ut patet ex phlegmate urinoſo, quod nullus ſal volatilis concretus ſequitur: ſed potius ſale ſalſo donatur ad tartarum vel ad terram foliatam tartari accedente. Tota planta ſaporis eſt ſalſi, herbacei; nec ejus ſuccus Heliotropii tincturæ ullam coloris mutationem affert. Folia intra digitos contrita, odorem viroſum emittunt ad Sambuci odorem accedentem : quæ quidem obſervationes cum analyſi comparatæ, probant illam plantam oleo abundare tenui, & Opii ſulphuream partem referente. Unde eam anodinam & reſolventem concludimus, quod experientia probatur.

Ut Lumbricorum terreſtrium agendi rationem explores, audias eorum reſolutionem.

Ex Lumbricorum ℔v. prodiere phlegmatis leviſſime acidi, nitroſi ℔jß ; phlegmatis urinoſi ſed vehementiſſimi totidem ; ſalis urinoſi concreti ʒv ; olei ℥vij ; terræ ℔j ; ſalis fixi ʒij. Hinc liquet, Lumbricos terreſtres ſale urinoſo turgere, eoque non multum per ſalem acidum ſubacto, ſed potius magna ſulphuris copia irretito, fuliginis inſtar a qua differunt Lumbrici, quod non ſolum aquea ſubſtantia ſed & terrea abundent. Si Lumbrici in vaſe diutius ſervati putreſcant, ac tandem magma putrefactum per ſe exſiccetur, lotione ſalem in carbonibus fulgurantem præbet. Unde liquet, eorum ſalem acidum nitroſum eſſe. Non mirum igitur ſi externe adhibiti, polleant incidendi, emolliendi, & abſtergendi virtute, intus ſumpti urinas moveant & obſtructiones reſerent.

His poſitis, regulæ ſequentes tanquam axiomata ad vires medicamentorum inveſtigandas conſtituendæ ſunt.

1. Nihil magis confert ad inveſtigationem principiorum quibus mixta in corpus humanum agunt, quam obſervatio analogiæ quam habent cum rebus vulgo cognitis. Ignotarum enim rerum vires dignoſcere & explicare non poſſumus niſi comparatione earum quæ nobis perſpectæ ſunt. Ita ſatius eſt apud Medicos ad Salem Ammoniacum, Tartarum, Alumen, Vitriolum, Nitrum, Oleum eſſentiale tum aromaticum, tum fœtidum, & ſimilia confugere, quam ad acidum & alcali, aut ad ignem, aerem, terram, & aquam, quæ fere nunquam pura e mixtis extrahuntur; aut ad calidum, frigidum, ſiccum, & humidum, quæ nimis leves ſunt mixtorum proprietates, quam ut eorum indolem aperire valeant. Mixtorum autem, quæ tanquam exemplaria proponimus, virtutes aut ex ſupradictis jam ſatis innoteſcunt, aut poſtea ſuo loco exponentur.

2. Omnia mixta ex animalium familia deſumpta, ſuccum gelatinoſum continent ex ſale ſalſo ammoniacali & oleo craſſo conſtantem, qui ex eorum pellibus, carnibus, oſſibus, aut cornubus ebulliendo cum aquæ uberio-

uberiori copia, ſub gelatinæ vel glutinis ſpecie extrahitur. Ab hoc gelatinoſo ſucco parum differunt ſanguinis ſerum & lympha. Si vero mediante fermentatione vel igne, oleum & ſal ſecernantur, ſal alcali urinoſus copioſus obtinebitur, nec minor olei craſſioris portio. Sal acidus vero nullus niſi in urina recenti aut in ſudore manifeſtum ſe præbet, ſed cum terra in ſuperſtite materia remanet ſub ſalis alcali fixi ſpecie, cujus quidem admodum exigua eſt portio. Quædam tamen inſecta animalia excipi debent, ut Lumbrici terreſtres, ex quibus tenuis & paucus ſal acidus nitroſus diſtillatione elicitur.

Hinc ſubſtantiæ ex animalibus deſumptæ probe nutriunt, ope ſucci gelatinoſi ſucco noſtro nutritio congeneris. Sed quo majorem ſalis volatilis copiam præbent, eo acriorem efficiunt ſuccum nutritium: unde quædam carnes calidæ cenſentur, ut caro vervecina, columbina; quæ vero mediocrem hujus ſalis volatilis urinoſi quantitatem tribuunt, temperatæ cenſentur, ut caro vitulina.

3. Non exiſtimandum eſt, ſales acres urinoſos ſibi prorſus ſimiles eſſe: alii enim ab ſalis marini indolem accedunt, ut ſal volatilis urinæ humanæ, qui guſtu ſalſus eſt & minus cauſticus, quam ſal ſanguinis humani qui lingua magis acris percipitur. Sal volatilis Cornu Cervi in ramuſculos concreſcit cornuum figuram apprime referentes; ſal urinæ econtra figuras cubicas vel polyhedras cryſtallizatione effingit.

Idem etiam cenſendum de oleis. Licet enim olea fereomnia ex animalibus oriunda, actuoſis partibus donentur; unde ad partes debilitatas & paralyticas roborandas, ad nervorum obſtructiones reſerandas & humores in partibus coactus reſolvendos vulgo accomodantur; quædam tamen vi irritante & cauſtica pollent, ut Cantharidum & Formicarum olea.

4. Mixta, quæ vegetabilium familia ſuppeditat, ſale eſſentiali donantur, qui ex ſale acido, alcali urinoſo, terra, & oleo componitur.

Hic per analyſim Chymicam ſalis acidi plus, minuſve largitur, & ſpiritum urinoſum vel ſalem volatilem concretum præbet.

Quæ ſalem urinoſum concretum promunt, copioſo ſale ſalſo ammoniacali fœta ſunt: quæ vero ſpiritum tantum exhalant, parum hujuſce ſalis continent. Ex acidi enim & alcali ſalis conjugio ſalſum naſcitur, quod de Ammoniaci indole & viribus participat.

5. Mixta, ex quibus analyſi Chymica multum terræ & acidi liquoris educitur, nec ullo ſtyptico ſapore donantur, ſalem continent tartaro vel cremori tartari analogum, quique eaſdem virtutes obtinet; tartarum enim eſt copula quædam acidi & terræ.

6. Si eadem mixta ſtyptica ſint, ſale gaudent aluminoſo, cum Alumen ſit ſalſum ſtypticum ex acido & terra adſtringente conflatum, nec viribus ab Alumine diſcrepant.

7. Quæ Gallarum tincturæ attopurpureum vel purpureum colorem conciliant, eadem ſale ad Vitriolum accedente vigent.

8. Quæ inter carbones ardentes fulgurant, Nitro vel ſale ſalſo ad Nitrum accedente ſcatent: ſic Parietariam & Calendulam Nitro abundare veriſimile eſt.

9. Quæ lento & mucilaginoſo humore referta ſunt, cætera principia involvente, maxime agunt ratione mucilaginis ad gummi tragacanthum accedentis.

10. Quæ-

10. Quædam mixta ſunt, quæ non tam ſalis eſſentialis quam olei tenuis & uberrimi ratione vires ſuas exerunt. Illud ideo eſſentiale dicitur. Mixta quæ forti odore aromatico nares percellunt, hoc oleo tenui ſunt prædita, & cum magna aquæ copia diſtillata illud fundunt.

11. Quæ vero inſuavem & fętidum odorem ſpargunt, olei eſſentialis fœtidi ratione operantur, ut Rutha, Caſtoreum, &c.

12. Mixta quæ Opii odorem vel ad Opium accedentem emittunt, anodina ſunt & demulcentia ratione olei ad Opii naturam accedentis.

13. Quæcumque per Chymicas analyſes, aut phyſicas inveſtigationes & comparationes dignoſcuntur, quantum fieri poteſt, in uſum medicum non adhibeantur niſi experientia comprobata fuerint, ideſt, aut a practicis Medicis, aut ab auctoribus fide dignis commendata, aut ſaltem in animalibus ſæpius tentata, ita ut plane conſtet ea medicamenta ſine noxa exhiberi poſſe.

14. Ex ſupradictis tentaminibus generales quædam mixtorum proprietates facile innoteſcunt; ſed illæ medicamentorum virtutes, quæ ſpecificæ dicuntur, ex analyſi quacumque raro & difficillime percipiuntur. Earum inventio ſorti plurimum debetur, aut aſſiduæ & accuratiori obſervationi rerum, quæ hominibus aut brutis, ſanis aut morboſis, poſt hoc vel illud medicamen aut alimentum aſſumptum accidunt. Quapropter eos qui in rei medicæ ſtudium incumbunt, ſatis adhortari non poſſumus, ut omnia diligenter & accurate obſervent ac meditentur. Plus enim incrementi ex obſervationibus res medica ſuſcipiet, quam ex omnibus peritiſſimorum philoſophorum ratiocinationibus. Sic, inquiunt, ſorti & obſervationi debetur corticis Peruviani inventio.

Forte quædam Kinækinæ arbores in ſtagno deciduæ jacebant & putreſcebant. Nemo ejus aquam præ inſigni, quem inde contraxerat amarore, guſtare poterat. Quidam tamen ex incolis circumdegentibus æſtu febrili correptus, urgentemque ſitim largo ejus aquæ hauſtu depellere conatus, cum ſiti febrim amiſit. Quod cum expertus fuiſſet, cœteros febre laborantes eodem uti remedio ſuaſit. Nec infelix fuit ſucceſſus. Sic aqua ingrata guſtui, ſalutaris evaſit. Sed cum per tempus, putrefactis arboribus, aquæ vis febrifuga cum amaritie evanuiſſet, altius hujus amari ſaporis & febrifugæ virtutis cauſa inquiſita, eam tandem ab arborum corticibus pendere cognoverunt. Sic incertum quod ſors obtulerat remedium, accuratione e tenebris, in quibus deliteſcebat erutum fuit, & poſtea diligentibus obſervationibus confirmatum.

MATE-

MATERIÆ MEDICÆ
PARS PRIMA.
DE FOSSILIBUS.

SECTIO PRIMA.
DE AQUIS.

AQuæ uſui medico inſervientes, vel ſimpliciores ſunt; vel minerales.

Aqua ſimplex eſt corpus fluidum, pellucidum, inodorum, & inſipidum. Nunquam abſolute ſimplex reperitur, cum ſemper terreis, ſalinis, & ſulphureis particulis plus minus referta ſit. Sed ea ſimplex dicitur, in qua hæ ſubſtantiæ ſenſibus minus percipiuntur. Cœteræ vero, quæ ex diverſis terris, metallis, ſuccis, cœteriſque mineralibus tanta copia commixtæ ſunt, ut ſint obvia ſenſibus, minerales dicuntur.

CAPUT PRIMUM.
De Aquis ſimplicioribus.

INter ſimpliciores Aquas numerantur fontana, fluviatilis, putealis, lacuſtris, pluvialis, nivealis. Deterior eſt paluſtris: optima cenſetur, quæ limpida eſt, tenuis, leviſſima, ſaporis & odoris prorſus expers, quæ ventriculum non gravat, quæ cito permeat, quæ igne cito effervеſcit, & priſtino frigori cito reſtituitur, quæ carnes & legumina celerrime coquit, & ſmegmati facile & perfecte immiſcetur. Pro potu ſolito improbatur turbida, cœnoſa, ſtagnans, quæ ſecum ex terræ viſceribus alienas affert qualitates.

Nemo non novit quantus ſit illius uſus, tum ad ſitim extinguendam, tum ad alimenta & medicamenta paranda.

Aqua, potus a natura cunctis animantibus & cunctis in regionibus paratus, hominis naturæ omnium maxime convenit; ciborum coctionem & diſtributionem juvat; chylum fluidiorem efficit, blandum, dulcem, non æſtuoſum, non acrem, aut irritantem; ſanguini, cœteriſque humoribus debitam fluiditatem conciliat; ſi quæ ſit in humoribus, acredinem demulcet; æſtum compeſcit: meatus urinarios liberos reddit; alvum nimis tardam ciere valet; ſanguinem, bilem, cœteroſque humores æſtuoſos compeſcit, ſpiſſiores diluit,

luit, tarde fluentes fluxiliores reddit; partibus ſolidis mollitiem & flexibilitatem inducit, & earum rigiditatem, ſi quæ ſit, emollit: unde ſanis & ægrotis perutilis; ſanis vero temperata, ægrotis calida. Frigida ſeu gelida raro prodeſt, nervorum enim eſt inimica: partium internarum torporem & paralyſim inducit; colicos dolores excitat; & ciborum coctionem, vel minuit, vel plane extinguit; ſanguinis cœterorumque corporis liquorum motum moratur & ſiſtit. Calida quoque majori copia ingeſta haud innocua: nam ſæpe ventriculi fibras nimis laxat; unde citius e ventriculo elabuntur alimenta, antequam perfecte concocta fuerint.

Non tamen omittendum eſt quemdam apud Anglos Doctorem Hancock aquam frigidam veluti valens ſudoriferum & febrifugum magnum commendaſſe. Plurimis obſervationibus probat febres, tum intermittentes, tum continuas, vel etiam mali moris, imo variolas & morbillos hocce unico remedio profligari poſſe, ſi præſertim initio morbi aquæ frigidæ potus adhibeatur ad ſudorem promovendum.

In febribus intermittentibus paulo ante paroxyſmum, in continuis ante exacerbationem, & ſtatim initio morbi ad ℥vj. vel ℥viij. pro infantibus; ad ℔j. aut alteram pro adultis intra horæ quadrantem vel ſemihoram, gelidam aquam in lecto decumbentibus, nec ſtragulis plus ſolito coopertis, propinandam exhibet; & paulo poſt copioſus ſudor ſæpius effunditur, aut ſaltem blandus calor non minus ſalutaris per totum corpus diffunditur. Pro prima vice febrilis paroxiſmus minuitur, ſæpe etiam non amplius recurrit. Idem tamen remedium una aut altera vice ante horam paroxiſmorum aut exacerbationum reiterandum eſt. Et raro, inquit auctor, tertia doſis fefellit.

Alius eſt Medicaſtes Franciſcanus apud Melitenſes, cujuſdam Medici Hiſpani *Rovida* nominati diſcipulus, qui ſola aqua gelida affatim epota omnes morbos ſanare tentat, & quidem ſucceſſu non infelici. Aquam gelidam morbis tum acutis, tum chronicis, laborantibus affatim propinat ad libras decem, duodecim, & amplius, intra viginti quatuor horas; & diætam perauſteram præſcribit, ita ut nonnullis ægrotantibus per 20. 30. imo 60. dies ſolam aquam pro alimento præbuerit, juſculis aut alimentis quibuſcumque interdictis; & ſanati fuerunt. Nonnullis in ipſa dyſenteria aut in viſcerum abdominis inflammationibus enemata ex aqua gelida injicit, non ſolum innocue, ſed ſalubriter. Nec ſudorem, ut Doctor Hancok, expectat; imo quantum fieri poteſt, impedit ne ægrotantes poſt aquæ frigidæ potum ſudent. Per urinæ vias aut per ſeceſſum hæc aqua rejicitur. Equidem hæc miranda ſunt potius quam imitanda: aut ſaltem expectandum eſt, donec diuturniori experientia hæc praxis confirmata fuerit.

Nec minus utilis eſt aqua externe adhibita, tum ad lotiones, tum ad balnea.

Tepidæ vel moderate calidæ aquæ uſus in balneis cum moderamine adhibitus, ut plurimum ſalubris. Aqua enim calida poros cutis detergit & aperit, ſe ſe per eos inſinuat, partes emollit & laxat, humores diſſolvit & attenuat, eorum circuitionem juvat, perſpirationem promovet; unde fatigationes & laſſitudines demulcet, & dolores ſedat. Quapropter in dolore nephritico, inflammationibus veſicæ, renum, inteſtinorum, aliorumve abdominis viſcerum, & in eorumdem obſtructionibus commendatur; necnon etiam

ad

ad propellendos quoſdam cutaneos affectus, ut impetiginem, ſcabiem, & cœteros hujuſcemodi, feliciter adhibetur.

Obſervandum tamen balnea non raro atque in primis inſuetos graviter lædere, ut & plethoricos, & eos, qui crudis humoribus referti ſunt, qui catarrhis obnoxii, & ad paralyſim ſunt propenſi. Raro conveniunt in morbis acutis, febribus, deliriis, alvi fluxu, hæmorrhagiis. Iis maxime adverſantur, quibus nobilioris cujuſdam viſceris imbecillitas ineſt; ne æſtuantes humores a balneo ſoluti, in partem affectam vel debilem majori copia ferantur, & morbus ingraveſcat; nec niſi ſumma adhibita cautione, in morbis hypochondriacis præſcribenda ſint.

Licet minus voluptuoſa ſunt aquæ frigidæ balnea, & rarius uſurpentur; non idcirco tamen damnanda ſunt & rejicienda: imo, ſi quibusdam, tum veteribus, tum recentioribus Medicis fides habenda ſit, utiliſſima ſunt remedia. Hippocrates, *Lib.* 20. *de Diæta*, *ff.* 36. *de Balneis* ſic pronuntiat. „ *Calida balnea jejunum attenuant*, *&* *frigefaciunt*, *a cibo* „ *accepto eadem calefaciunt*, *&* *humectant*: *balnea autem frigida vice-* „ *verſa*. Et Aphoriſmo 23. Sect. v. *In his autem frigida uti oportet*, *un-* „ *de ſanguis erumpit aut erupturus eſt*, *non ſuper ipſa*, *ſed circa hæc un-* „ *de influit*. *Et quæcumque inflammationes*, *aut flammei ardores ad ru-* „ *brum*, *&* *ſanguineum colorem vergentes novo ſanguine*, *ſuper ipſos*: „ *nam inveteratos nigrefacit*. *Eryſipelas etiam non exulceratum juvat*, „ *quoniam exulceratum lædit*. Et ejuſdem Sectionis Aphoriſmo 25. *Tu-* „ *mores autem in articulis*, *&* *dolores abſque ulcere*, *&* *podagricos*, „ *&* *convulſiones*, *horum plurima frigida multa affuſa*, *&* *levat* *&* „ *attenuat* *&* *dolorem ſolvit*. *Torpor enim modicus doloris ſolvendi vim* „ *habet*.

Romanis mox erat e balneis calidis ad frigida tranſire: nec methodum hanc improbabat Galenus. Sic enim adultorum hominum membra fieri robuſtiora, cutem denſiorem, & firmorem ac vegetiorem effici ſanitatem, eoſque ſic aeris mutationes, & tempeſtatum injurias fortius ſuſtinere poſſe exiſtimabat.

Hunc morem primo Romæ introduxiſſe Antonius Muſa Medicus vulgo creditur. Is enim, poſtquam Imperatorem Auguſtum diſtillationibus, & catarrhis obnoxium, ita ut de ejus convaleſcentia vix ulla ſpes, balneo frigido reſtituit, frigidis lavationibus morbis cunctis mederi tentavit. Eodem ſuadente, calidas Bajarum aquas reliquit Horatius, utpote oculis ſuis inflammatis nocivas; & Cluſium, & Gabios ad balnea frigida; etiam media hyeme, ſe contulit, ut ipſe conqueritur *lib.* 1. *Epiſt.* 15. *v.* 2.

. . . . . nam mihi Bajas
Muſa ſupervacuas Antonius; *&* *tamen illis*
Me facit inviſum, *gelida cum perluor unda*
Per medium frigus. . . . . .

Sed poſtea mos ille adeo invaluerat, ut Plinii tempore viderentur ſenes conſulares, uſque ad oſtentationem, inquit, rigentes. Quin & Annæus Seneca Philoſophus Stoicus pſychrolutæ ſeu lavatoris in aqua frigida nomine gloriatur. Ille, inquit *Epiſt.* 83. tantus pſychrolutes, qui Calendis Januariis in Euripum ſaltabam, &c.

Sed ne quid nimis. Balnea moderate frigida humores æſtuantes temperant,

cutis

cutis poros nimis apertos occludunt, & nimiam tranſpirationem coercent; cutis, & muſculorum fibras conſtringunt & firmant, earum oſcillationem vividiorem efficiunt; unde validiores partium functiones.

Aliquot ab hinc annis apud Anglos multum commendatur frigida balnea plurimis in affectibus, nempe in febribus hecticis, hemorragiis, inflammationibus, eryſipelate, arthiritide, artuum tremore, paralyſi, rheumatiſmo, ſuffocatione uterina, hyſterica paſſione, affectione hypochondriaca, ſterilitate, rachitide, aſthmate convulſivo, & aliis affectibus ſyſtematis nervoſi.

Hæc autem æſtate tantum uſurpari debent, nec niſi robuſtis, & calidis præſcribi. Non conveniunt infirmis, aut debilibus, nec ſenibus, nec infantibus, nec iis, qui cacochymia laborant frigida: in hæmorrhoidum, menſtruorum, lochiorumve evacuationibus ſuppreſſis, in colicis doloribus, in hemiplegia, & in ulceribus quibuſcumque internis vel externis noxia exiſtimantur. In principio febrium haud periculo vacant, licet in earum declinatione nonnumquam innoxiæ adhibeantur.

Ægrotantes ad balneorum frigidorum uſum præparantur venæ ſectione, & purgatione, ſecundum conſtitutionis, & modi indicationem. Jejuni, matutino tempore, illa ingrediuntur, ad cervicem uſque in aqua inſident, & caput quoque aliquoties immergunt. Ibi vero ab horæ minutis duobus vel tribus ad horam dimidiam manent, prout ſcilicet frigus tolerare poſſunt. Tum vero corpore abſterſo, & probe ſiccato, calidum in lectum ſe conferunt, laneo induſio cooperti; ibique dormiunt. Iteratur hæc immerſio ter vel ſæpius. Interim remedia convenientia exhibentur, & ſervatur diæta morbo conducens. Ne tamen incautus frigida ſubintret balnea poſt venerem, magnam laſſitudinem, aut ventriculo pleno, aut poſt vomitum, catharſim, aut aliam ſpirituum aut caloris naturalis diminutionem.

CAPUT SECUNDUM.

De Aquis mineralibus medicatis.

EX aquis mineralibus medicatis aliæ calidæ ſunt, aliæ frigidæ. Has acidulas dixerunt nonnulli ex ſubacido vel vinoſo ſapore, qui in iis e fonte recens hauſtis deprehenditur: illæ vero Thermæ a voce græca θερμαὶ, quæ calidas aquas deſignat, nuncupantur. Nulla alia caloris thermarum cauſa aſſignari poteſt, quam ignes ſubterranei, qui aquarum venas, & receptacula calefaciunt; cum præſertim in locis flammivomis thermæ ſint frequentiores, cum omnes ferme aquæ repentes ſulphur & bitumen, ignis nempe fœtus, & fomites, redoleant; cum etiam agri e quibus thermales aquæ ſcaturiunt, ſulphure & bitumine abundent.

Cum præcipuas aquarum mineralium virtutes non tam ab earum frigore & calore, quam a principiis ex quibus componuntur, pendeant; idcirco hanc calidarum & frigidarum diſtinctionem omittimus; eaſque, pro variis quibus ſcatent principiis, ad quatuor potiſſimum claſſes reducemus. Vel enim terreis partibus refertæ ſunt, vel ſalinis, vel ſulphureis, vel metallicis.

cis. Licet autem unum ex his principiis ſincerum in aquis raro deprehendatur: tamen pro ea parte, quæ in iis magis abundat, & aqua præcipua virtus pendet, eas ſuo ordine diſponemus.

Hic tantum de Aquis, quæ in hocce Galliarum regno maximum uſum obtinuerunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De Aquis mineralibus, quæ terreis partibus refertæ ſunt.

INter aquas minerales, quæ terreis partibus ſcatent, una in primis venit in uſum, nempe aqua ſaponacea fontis Plomberiani in Lotharingia prope Romarici montem, vulgo *Eau ſavoneuſe de Plombieres.*

Hæc ad ſcaturiginem limpida eſt, tepida, guſtu perparum ſaponaceo vel pingui, cum leviſſima aſperitate. Argillam continet tenuiſſimam, & pinguem, ſaponis inſtar: unde valde commendatur in ventriculi affectibus ex aceſcente fermento, in ſanguinis, & humorum acida diatheſi, in hæmoptoe, hæmorrhagiis, phtyſi, aſthmate convulſivo, aſcite, fluore albo, dyſenteria, necnon in omnibus cutaneis affectibus: tum interne, tum externe, feliciter adhibetur. Externæ vero ulcera detergit, & exſiccat: interne alvum leviter ſubducit, & urinas movet. A libra una ad ſex, mane, jejuno ſtomacho, exhibetur, & quibuſdam pro potu ſolito præſcribitur.

Cum autem non ſemper in promptu ſit hæc mineralis aqua, tum propter longinquitatem, tum etiam propter inopportunam tempeſtatem: tunc arte ſimili præparari poteſt, vel in aquæ limpidæ, aut ægritudini convenientis libra una, diſſolvendo terræ ſaponaceæ, quæ in ejus fontis ſcaturigine deprehenditur, drachmas tres: vel etiam hujus terræ loco terram ſigillatam, bolum, cretam, corallium, aut oculos cancrorum in alcohol redactos, pari quantitate in aqua permiſcendo. Quin etiam pro illa aqua minerali feliciter ſubſtitui poteſt decoctum album Anglorum, quod ſic paratur.

℞. cornu Cervi philoſophice calcinati, & pulverizati, Micæ panis ſiliginei ana ℥ij. Coque in aquæ limpidæ ℔iiij. ad dimidie partis conſumptionem. Fiat colatura, & liquori lacteſcenti adde Sacchari albi ℥ij. vel Syrupi, de pomis compoſiti, vel de quinque radicibus, vel alterius cujuſcumque pro re nata ℥ij.

ARTICULUS SECUNDUS.

De aquis, quæ ſalibus ſunt imprægnatæ.

INter aquas minerales, quæ ſalibus refertæ ſunt, aliæ ſalem gemmeo ſimilem, aliæ ſalem a marino non diſcrepantem, aliæ ſalem alcalinum foſſilem, antiquorum Natro congenerem continent.

Salem gemmeum ſincerum ferunt aquæ *de la Trauliere* vulgo dictæ apud Borbonenſes, & aquæ Sancti Petri ad Claromontium.

Sale marino congenere turgent aqua marina, aquæ Corbonienſes Anſelmien-

mienſes in Burgundia, vulgo *Bourbon lancy*, Encaſſienſes apud Convennas, vulgo *d' Encauſſe dans le Commingeois*, Bellilucanæ in Gallia Narbonenſi, vulgo *de Balleruc ex Languedoc*, Bargienſes apud Sigerrones, vulgo *de Barreges dans le Bigorre*, & aliæ hujuſmodi minus notæ.

Verum hìc obſervandum eſt, ſalem marinum a gemmeo diſcrepare, quod marinus non ſimplex ſit, ſed compoſitus ex ſale ſalſo foſſili ſeu gemmeo, ſale alcalino tum fixo e terra eruto, tum volatili urinoſo, ex piſcium, & plantarum marinarum putrefactione producto, necnon etiam ex quadam bituminis portione; unde aquæ marinæ amarus ſapor, & ſalis marini odor, dum tractatur, non injucundus.

Aqua marina ob ingratum ſaporem rare interne exhibetur. Externe vero commendatur ejus balneum ad ſcabiem, pſoram, impetiginem, elephantiaſim, tumores, membrorumque dolores: necnon in hydrophobia ſpecificum exiſtimatur. Ejus defectu aqua communis ſale marino imprægnata, uſurpari poteſt. Virgo hydrophoba viginti circiter annos nata, in magno hujus urbis noſocomio frequentioribus in aquam tepidam, & ſalitam immerſionibus tandem feliciter fuit perſanata.

Aquæ minerales ſale gemmeo vel marino fetæ, interne aſſumptæ, inteſtina vellicando purgant & urinam movent, præterea exſiccant, adſtringunt & diſcutiunt; unde in cachexiis, & hydrope nonnunquam plurimum conducunt. Externe ulcera putrida abſtergunt & mundificant, catharrales affectus tollunt, ſtupores, ſpaſmos, nervorum reſolutionem, paralyſim, tumores œdematoſos ſanare valent.

Salem alcalinum foſſilem continent aquæ Borbonienſes Arcimbaldicæ in Borbonio Ducatu, vulgo *Bourbon l' Archambaut*, Montis aurei in Arvernia, *du Mont d' or*, Vicienſes in Borbonenſi Provincia, *de Vichy*, Sanreginenſes, vulgo *de ſainte Reine*; licet hæc aqua exiguam admodum hujus ſalis portionem continere videatur.

Nitroſæ a nonnullis dicuntur illæ aquæ, non quod ſal quo turgent, noſtro Nitro ſeu ſali petræ ſimilis ſit, ſed Nitro ſeu Natro antiquorum, quod ſpecies eſt ſalis alcalini a tartari ſale non multum diſcrepantis. Sal poſt illarum aquarum exhalationem ſuperſtes, intra carbones non deflagrat, ut noſtrum ſal petræ: ſed alcalium more cum acidis efferveſcit, viridi colore ſyrupum violaceum tingit, ſublimati corroſivi ſolutionem turbat, & ex ea ſedimentum flavo colore tinctum dejicit. De hoc ſale fuſius, cum de Nitro.

Quæ majori ſalis copia turgent, illæ aquæ catharticæ ſunt, & diureticæ, ſi interne aſſumantur. Ad humores lentos, & tenaces attenuandos ac diſſolvendos, obſtructiones reſerendas, viſcerum infarctum, tumores, & ſcirrhos reſolvendos conveniunt, necnon etiam in vomitu, & appetitu proſtrato, in colicis affectibus, in paralypſi, ictero, nephritide, & renum affectibus.

Obſervandum tamen non præſcribendas eſſe aquas minerales quaſcumque in urinæ ſuppreſſione, niſi perſpectum ſit eam ex calculo grandiori non oriri: nam metuendum eſſet, ne dum major foret ad veſicam urinæ affluxus, major quoque fieret obſtructio, non ſine maximo ægri detrimento.

Externe feliciter adhibentur thermarum nitroſarum aquæ ad tumores, &

ſcir-

ſcirrhos reſolvendos, ad nervorum obſtructiones diſcutiendas, & paralyſim curandam. Tuncque non modo earum balnea præſcribuntur, ſed & embrocationes ſeu ſtillicida vulgo *Douches*, cum ſcilicet aqua calida in partem affectam, & in extremas corporis partes ex alto infunditur. Sic aqua in partem affectam altius penetrat, ſalinis ſuis particulis inſpiſſatos humores valentius attenuat, & ſpirituum maximam copiam in eam partem incitat.

Attamen aquarum calidarum ſalinis partibus fœtarum uſus, tum internus, tum externus, in febribus, & in inflammatoriis diſpoſitionibus, reformidandus: nam earum ſalina ſpicula partes irritare & inflammationem augere valent.

Aquæ minerales arte præparari poſſunt, quæ iiſdem donentur virtutibus cum nativis, quæ ſalem gemmeum vel marinum continent. Sic ex ſale cathartico amaro ſeu ſale mirabili Glauberi paratur aqua blande purgans, abſque ullo irritationis, aut ardoris ſenſu; unde mire convenit in calidis affectionibus hypochondriacis. Optimo ſucceſſu uſurpatur in ciborum inappetentia, in cholera, colica paſſione, & in omnibus affectibus a lympha craſſiori, & in glandulis inhærente: eam enim ſolvit, & vacuat. Hæc autem eſt illius ſalis conficiendi ratio.

℞. Salis communis ℔iij. Solve in aq. limpidæ q. ſ. Solutioni philtratæ ſenſim affunde olei Vitrioli optime rectificati q. ſ. ad punctum ſaturationis ſeu ℔ij. Diſtilla ex retorta vitrea ad ſiccitatem. Maſſam reſiduam calcina igne aperto in crucibulo; dein ſolve in aqua calida; philtra; liquorem percolatum coque ad pelliculam, & repone poſtea in loco frigido ad cryſtallizandum. Cryſtallos a liquore ſepara & ſerva ad uſum.

Hujus ſalis ℥ß. ℥j. vel ℥jß. aquæ limpidæ libris duabus, tribus, vel quatuor ſolutæ, præſcribi poſſunt ſic.

℞. Aquæ limpidæ & calentis ℔iiij. Salis cathartici amari ʒx. Solve. Hauriat æger calide, mane jejuno ventriculo, intra bihorii ſpatium.

Eaſdem cum nitroſis dotes nanciſcuntur aquæ minerales factitiæ, quæ nitro fixato, nitro purificato, terra foliata nitri vel tartari, ſale vegetabili, ſale Ducis Holſatiæ, vel aliis hujuſcemodi componuntur.

Sic aquæ minerales aperientes & diureticæ præparari poſſunt ad viſcerum obſtructiones reſerandas, & renum ſaburram eliminandam.

℞. Nitri purificati ʒj. Solve in aquæ limpidæ tepentis ℔ij. Capiat æger per cyathos. Vel

℞. Nitri fixati vel terræ foliatæ Tartari, aut Nitri ʒj. Solve in aquæ limpide ℔j. Hauriat æger intra unam horam.

Verum ad pituitam craſſiorem & tenaciorem reſolvendam, in remotioribus glandulis inhærentem, & per alvum, & urinarias vias ſubducendam, ſic confici poſſunt.

℞. Salis vegetabilis ℥ß. Solve in aquæ communis ℔iiij. Propinetur mane deambulando intra bihorium. Vel

℞. Salis Ducis Holſatiæ ʒij. Solve in aquæ limpidæ calidæ ℔ij. Hauriat æger intra unam horam.

Quin & thermæ artificiales nitroſæ componuntur; vel aquam aquæ mater Nitri dicitur, & poſt ſalis petræ cryſtallizationem fluida remanet lenta & ſub olei ſpecie, in decocto convenienti permiſcendo; vel Nitrum cum tartaro

partibus æqualibus calcinatum, in aqua diſſolvendo. Sic, exempli gratia, ad dolores iſchiadicos, rheumatiſmum, & paralyſim ſequens balneum utiliter adhiberi poteſt.

℞. Folior. Malvæ, Chamæmeli, Meliloti, Abrotani, Tanaceti, Salviæ ana faſciculum unum Radicum Bryonæ albæ, Ariſtoloch. rotund. Iridis noſtratis ana ℥iiij. Baccar. Lauri, & Juniperi ana ℥ij. Aquæ matris Nitri ℔j. Bulliant in ſufficienti quantitate aquæ fluviatilis pro balneo quod ingrediatur æger tepide mane & veſperi, longe a paſtu, præmiſſis præmittendis; & continuet per triduum, plus, minus pro exigentia.

Embrocatio ſeu irrigatio ex eodem decocto inſtitui poteſt, ſi nempe dum in balneo inſidet æger, liquori calido ex alto cadenti partem affectam porrigat, donec ex hac irrigatione pars erubeſcat & incaleſcat.

ARTICULUS TERTIUS.

De Aquis ſulphureis.

IN plurimis mineralium fontium aquis ſulphureæ quædam partes continentur, quæ percipi poſſunt tum odore fœtido, & nidoroſo tanquam ex hepate ſulphuris, tum etiam, ſi aquarum ſedimentum reſiduum poſt lentam exhalationem carbonibus imponatur; quippe quod tenuem & cæruleam flammam concipit, cum ſulphuris accenſi odore.

Quas autem novi uberiore ſulphure turgentes, ſunt aquæ tepidæ Balneolenſes in Normannia, vulgo *Bagnoles proche è Argentan.*

Interne plurimum commendantur in pectoris affectibus, aſthamate, phtyſi, &c. in pſora, ſcabie, cœteriſque cutis ægritudinibus. Externe vero in iiſdem morbis feliciter adhibentur earumdem balnea, quin etiam in membrorum tremore, contractura, paralyſi, in infantium rachitide, & aliis affectibus hujuſcemodi.

Aquas ſulphureas minerales imitari poſſumus, ſulphur virum accenſum multoties in aqua extinguendo; ſed ob ingratum odorem & ſaporem, rarioris eſſent uſus aquæ illæ commentitiæ. Felicius, nec adeo injucunde, variæ ſulphuris præparationes interne uſurpantur. Sed Thermales aquæ ſulphureæ componi poſſunt, nativis haud inferiores. Sequens pro exemplo ſit.

℞. Nitri Tartari crudi, & Sulphuris citrini partes æquales. Omnia pulverizata miſce, & per vices in crucibulum ſuper carbonibus ignitum projice. Peracta deflagratione, materiam ſuperſtitem, in cella repone ad liqueſcendum. Liquorem philtra & ſerva ad uſum.

Deinde præparetur balneum, cui pro ſingulis aquæ libris duabus miſce lixivii hujus liquaminis cochlear unum.

ARTICULUS QUARTUS.

De Aquis mineralibus, quæ de Metallis participant.

NUllas in Gallia novi aquas minerales metallicas, præter ferrugineas, quales ſunt Forgienſes dictæ, vulgo *de Forges*, & Paſſiaci vici in agro Pariſienſi, *de Paſſy pres de Paris*. Forgienſes præter terram ſubtilem martialem, ſalem continent marino prorſus ſimilem. Paſſiacæ cum terra martiali ſalem antiquorum Natro ſimilem conjunctum habent. Ambæ ſaporem ferrugineum ſeu vitriolicum obtinent; & cum Gallarum infuſione permixtæ, atroviolaceo vel purpureo colore inficiuntur.

Alvum & urinas movent. Proficuæ ſunt in vomitionibus, alvi fluxibus, cholera, hæmoptyſi, in menſium ſuppreſſione, quin etiam in eorumdem immoderato fluxu, in diabete, lienis & hepatis obſtructionibus, ictero, melancholicis, & hypochondriacis affectionibus: obſtructiones renum, veſicæ, & uteri referant. In ſcorbuticis affectibus maxime nocent, & in febribus hecticis.

Chymia Martis præparationes nobis ſuppeditat quamplurimas, quæ aquarum martialium vices ſupplere valent, ut ſales, & tincturæ Martis. Attamen duplici ratione aquæ nativæ anteponendæ mihi videntur. Primo metallicæ partes, quibus imprægnantur, adeo tenues ſunt atque volatiles, ut aquæ colorem, & limpiditatem immutare nequeant, quin & facile avolent: illæ enim aquæ per aliquot dies aeris expoſitæ, & ſapore, & virtute prorſus deſtituuntur. Deinde, cum affatim bibantur aquæ minerales, ex hac larga liquoris copia viſcidi, ac tenaces humores facilius reſolvuntur; & partium fibræ, ſi quæ ſint criſpatæ, & nimis tenſæ, emolliuntur & laxantur. Eam ob rem Martis præparationes liquore uberrimo exhibitæ, cœteris utendi modis longe præſtantiores ſunt. Itaque aquarum nativarum defectum, earum vices, quantum arte fieri poteſt, adimplebunt ſequentes aquæ minerales factitiæ.

♃. Limaturæ Martis, & Tartari albi ana q. pl. Quibus pulverizatis, & ſimul mixtis affunde aquæ pluvialis q. ſ. ad quatuor tranſverſorum digitorum eminentiam. Omnia ſub ſole in vaſe aperto digerantur, identidem agitando, donec maſſa ad ſiccitatem prorſus redacta fuerit. Exſiccatam pulveriza, & digere denuo poſt novam aquæ pluvialis affuſionem. Quod toties repetatur, donec Mars plane ſolutus deprehendatur. Tunc maſſa vel in globulos exſiccata, vel in pulverem redacta, ſervetur ad uſum. Dein

♃. Hujus pulver. ℥ß. Infunde per noctem in vini generoſi ℥viij. Liquor decantatus cum aquæ communis ℔iiij. permiſceatur. Hauriat æger tepide per cyathos, jejuno ventriculo, intra duarum vel trium horarum ſpatium. Vel

♃. Vitrioli Martis gr. xv. Solve in aquæ limpidæ ℔ij. F. aqua mineralis, per cyathos tepens mane propinanda.

SECTIO SECUNDA.

DE TERRIS.

DE terra hìc agimus, non quatenus elementum ſimplex, ſed quatenus mixtum eſt foſſile. Terræ genus duplex diſtinguemus, lutum, & arenam.

Terra lutuoſa tenuiſſimis conſtat partibus, quæ injecta aqua lenteſcunt; ſolvuntur, & in limum faceſſunt: aut ſi uberiori aquæ copia diluantur; nonniſi per longum tempus ſubſident; exſiccata vero ſæpe multum indureſcit.

Arenoſa vero congeries eſt granulorum diverſæ magnitudinis, & figuræ, diverſique coloris, quæ ex aqua nullum lentorem contrahit, & in ea ſtatim fundum petit. Terra vulgaris ſæpius ex hoc duplici genere compoſita deprehenditur. Hìc agitur tantum de terris, quæ in uſum medicum veniunt. Quapropter de lutoſis, quæ ſolæ medicamentoſæ ſunt, tractabimus; easque in quatuor claſſes, ſcilicet Argillas, Margas, Bolos, & Cretas, diſtribuendas eſſe exiſtimamus.

CAPUT PRIMUM.

De Argillis.

ARgilla eſt terra ponderoſa, denſa, pinguis, tenax, & lubrica, quæ in odore detenta e ſapone vel ſebo conſtare videtur. Recens e terra extracta, lenta eſt, & ceræ inſtar; quamlibet figuram recipere poteſt, igne cocta in lapideam ſubſtantiam concreſcit.

Argillarum ſpecies ſunt pene innumeræ. Quædam albæ ſunt, & ſebum apprime referunt: talis in ſaponacearum aquarum Plomberianarum ſcaturigine deprehenditur. Aliæ variis coloribus porphyritem, marmoraque diverſa, excepta duritie, exacte imitantur; quales ex Bohemia afferuntur. Aliæ cinericiæ, rufæ, nigræ, aut aliis coloribus intinctæ ſunt.

At ex variis Argillarum ſpeciebus in uſum medicum veniunt Terra Lemnia dicta, ſeu ſigillata Turcica, Terra Melitenſis, & Terræ ſigillatæ Germanicæ, quæ Axungia Solis, & Axungia Lunæ dicuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Terra Lemnia.

TErra Lemnia: *Dioſcoridis*. Σφραγὶς αἰγος ſeu ſigillum capræ veterum; Terra ſigillata vera, ſeu Turcica, *Offic.* Terra eſt argillacea, pinguis nempe & tenax & lubrica, colore pallide rubro. Omnis hæc terra in paſtillos ſeu exiguas placentulas, quatuor circiter drachmas pendentes formata, & variis caracteribus inſignita, ad nos adfertur. Nomen obtinet ab inſula Lemno, hodie Stalimene, in qua effoditur.

Mirum

Mirum ſane quantum hæc terra ab omni ævo inter homines celebrata fuerit; cum etiam ipſius Homeri & Herodoti ætate nonniſi ſolemnibus obſervatis ritibus effoderetur. Dioſcoridis tempore, hirci recens mactati ſanguis paſtillis formandis admiſceri conſueverat, paſtilloſque Veneris ſacerdos capræ imagine ſignabat. Unde nomine græco, Σφραγίδα αἰγός, hoc eſt ſigillum capræ, appellavere. Sed Galeni ætate hæc hircini ſanguinis terræ admiſcendi conſuetudo jam deſierat: ejus autem loco alii ſuperſtitioſi ritus invaluerant. At vero cum Petrus Bellonius Lemnum appulit, alii erant inducti ritus. Nam die tantum ſexta Auguſti, inquit, lithurgia quadam a Græcis ſacerdotibus & Calohieris celebrata, precibuſque fuſis, inſulæ primatibus, tum Græcis, tum Turcis adſtantibus, hujus terræ vena aperitur, & tantum eximitur terræ, quantum in illum annum ſufficere exiſtimatur: poſtea ſtatim occluditur vena, & aggeſta terra denuo tegitur. Severioribus autem legibus, ne quis ex incolis alio tempore venam aperiat, cautum eſt. Hujus terræ maxima pars ad Turcarum Imperatorem tranſmittitur, cujus ſigillo poſtea inſignitur; alia vero ab inſulæ Præfecto, vel abſque ſigillo, vel ſuo ſigillo notata mercatoribus venditur. Non deſunt impoſtores, qui eam Conſtantinopoli, teſte Bellonio, adeo dextre adulterare norunt, ut legitimæ quam ſimillima videatur.

Laudatur pinguis, quæ in ore contenta, dum dentibus confringitur, e ſebo conſtare videtur, & minimum arenæ continet.

Hujus terræ vires ab antiquis multum prædicantur. Verum magnus eſt dubitandi locus, num vanis cœremoniis & ſuperſtitionibus multo magis nobilitata fuerit, quam virium præſtantia. Eam tamen interne, ut antidotum contra venena, & ut medicamentum dyſenteriis utile commendat Dioſcorides. Externe vero idoneum eſſe remedium, tum recentibus glutinandis vulneribus, tum inveteratis & contumacibus ulceribus Galenus aſſerit; & inſuper addit Fernelius eam undecumque prorumpentem ſanguinem, tum intus ſumptam, tum externe admotam, cohibere. Tandem nonnulli ejus virtutem alexipharmacam contra peſtem & morbos contagioſos & malignæ qualitatis participes prædicant.

At vero plurimi e neotericis hanc terram mere alcalinam exiſtimant, & poſthabitis tot decantatis ejus dotibus, acidos ſuccos abſorbendi virtutem in ea tantum agnoſcunt, ſed perperam; ſiquidem terra Lemnia, ſicut terræ argillaceæ fere omnes, cum acidis liquoribus non effervefcit. Deinde ſi ad ejus analyſim attendamus, eam viribus quas illi tribuere veteres, non prorſus deſtitutam judicabimus.

Nonnihil ſalis urinoſi volatilis e ſuo ſinu fundit, cum aliqua olei bituminoſi portione, & aliquantulum ſalis fixi a ſale marino non diſcrepanti ſuppeditat. Hæc igitur terra ſale ammoniacali imprægnatur, & oleo bituminoſo ſaturatur, a quo acidorum actio in eam præpeditur. Unde conjicere licet virtutem alexipharmacam, diaphoreticam, abſtergentem, & vulnerariam illi haud immerito adſcriptam fuiſſe, licet eam adeo debilem eſſe fateamur.

Terra ſigillata nulla præparatione indiget; vel in tenuem pollinem redigitur, vel in liquore convenienti ſolvitur. Interne in dyſenteria, in ulcere inteſtinorum, in hæmorrhagiis, in variolis, morbillis, & febribus malignis, ſub potionis vel boli forma præſcribitur:

Sic in dyſenteriis, alvi fluxibus, & hæmorrhagiis.

℞. Terræ ſigillatæ ʒj. Syrupi Cydoniorum ℥j. Aquarum Plantaginis & Centinodiæ ana ℥iij. M. F. potio cochleatim exhibenda.

℞. Terræ ſigillatæ, Conſervar. Roſarum & Cynorrhodonis ana ℥ß. Syrupi Oxyacanthæ q. ſ. Fiat opiata mollis, cujus doſis ad ʒj. mane & ſero exhibenda.

In febribus malignis.

℞. Terræ ſigillatæ ʒß. Syr. Caryophyllor. hortenſ. ℥j. Aquar. Meliſſ. Scorſonneræ & Cardui benedicti ana ℥ij. Aq. Theriacal. ʒvj. Fiat potio cochleatim exhibenda.

Sæpius externe cum bolo Armena conjungitur, ut poſtea videbimus.

Terra ſigillata uſurpatur in Theriaca, in Confectione de Hyacinthis, in Pulvere contra peſtem ſeu Bezoardico *Renaudæi*, in Antidoto Orvietano *Hoffmann.* in Pilulis contra gonorrhæam virulentam *D. Charas*, & in Emplaſtro pro fracturis oſſium, *Ejuſdem*.

Si quid incommodi a Terra ſigillata metuendum, idem ſane quod a cœteris terris quæ abſorbentes vulgo dicuntur. Si nempe earum uſus immoderatus fuerit & diuturnior, ventriculum gravant, cum rugoſis hujus membranis pertinacius hæreant; unde moleſta oritur ſenſatio. Deinde occluſis, ſi præſertim ſtypticæ fuerint ejuſmodi terræ, orificiis glandularum, tum ventriculi, tum inteſtinorum, nulla vel perverſa fiet ciborum coctio; unde plurimi morbi ortum ducent: quin etiam Lympha ſtomachalis & inteſtinalis, ſecretione inhibita, vel per alias vias exitum ſibi quæret, vel ad quaſdam corporis partes refluat, vel per totum corporis habitum ſtagnabit, non ſine novis incommodis.

Verum hæc vitabuntur incommoda, ſi moderatus ſit abſorbentium uſus, ſi multo liquore ſoluta aut parva doſi exhibeantur, & ſi attendatur ad omnia quæ eorum exhibitionem ſubſequuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Terra Melitenſi.

TErra Melitenſis ſic dicta a Melita inſula in qua eruitur, quæ Terra ſigillata alba, & Terra Sancti Pauli nuncupatur, eſt argillacea, colore albo ad cinereum vergente. Ex quodam ſpecu prope antiquam urbem Meliten effoditur, & ex ea formantur tabellæ variis figuris inſignitæ.

Ejus vis alexipharmaca in variolis, morbillis, & morbis putridis multum commendatur, ſed præſertim adverſus venena & ſerpentum, ac ſcorpionum ictus & morſus. Eamque vim a Divo Paulo accepiſſe credunt, cum naufragus ad hanc inſulam appuliſſet. Ex ea parantur vaſa quibus ſi vinum vel aqua infundatur, liquor virtute cardiaca donari vulgo creditur.

Apud nos hæc Terra rarioris eſt uſus.

ARTICULUS TERTIUS.

De quibuſdam Terris ſigillatis Germanicis.

APud Germanos uſitatæ ſunt quædam Terræ argillaceæ, quæ in eorum officinis ſigillis notatæ reperiuntur. Has inter præcipuæ ſunt Terra ſigillata Strigonenſis vel Strigenſis, altera Lignicenſis ſeu Goldbergenſis.

Terra ſigillata Strigonenſis, quæ Axungia & Medulla Solis dicitur, lutea eſt & pinguis, inſtar ſaponis in aqua & in ore diffluens. Generatur in aurifodinis Montis-acuti ſeu Divi Georgii ad Strigonium oppidum, inter duriſſimas rupes. Inde eruitur, & ſumma diligentia, magiſtratus cura & ordinatione præparatur; & in formam orbiculorum, appoſito urbis ſigillo, redigitur. Sulphure ſolis impregnatam credunt.

Terra Lignicenſis ſeu Goldbergenſis, quæ Axungia vel Medulla Lunæ dicitur, colore alba eſt, aut cineritia; & ex argento oriri exiſtimatur.

In febribus malignis, peſte, dyſenteria, diarrhæa, & morſibus animalium venenatorum ſumme utiles prædicantur. Vim ſudorificam obtinent. Doſis a ʒß. ad ʒij.

Earum apud nos nullus eſt uſus.

CAPUT SECUNDUM.

De Margis.

MArga eſt ſubſtantia terrea, friabilis, levis; media inter Argillam & Cretam; quia non eſt æque ſebacea & pinguis, ac Argillæ, nec tam denſa quam Cretæ: linguæ adhærens, & varii coloris.

Ex variis Margarum apud Germanos in uſum medicum veniunt duæ tantum ſpecies.

I. Marga alba *Officinar.* proprie dicta, quæ & Medulla ſaxorum dici ſolet; quia in ſaxorum commiſſuris & in cavitatibus quorumdam ſilicum qui idcirco Geodes appellantur, tanquam medulla in oſſibus continetur. Forte Oſteocolla, Geodes & oſteolithodes, Lapis ſabuloſus *Eraſti:* Ψαμμοςεος *Geſner.* Ψαμμολίθος. *Quorumdam*, ex quo Oſteocolla extrahitur. Ex montibus Bohemicis magna copia educitur.

Commendatur apud eos hœmoptoicis; dyſentericis, epilepticis, ex alto devolutis, & in oſſium fracturis. Intus exhibita ſanguinem coagulatum reſolvit; inquit Schroderus.

II. Agaricus Mineralis *Ferranti Imperati*, Lac Lunæ *Geſneri*. Subſtantia eſt terrea, friabilis, fungoſa, levis, rara, candida, & inſipida ut

plurimum, Agarico, vulgari prorſus ſimilis. Hæc terra aqua facile ſolvitur, quam albo lactis colore tingit.

Vis ei tribuitur refrigerandi, adſtringendi, ſanguinis eruptiones & fluores ſiſtendi, uteri profluvia compeſcendi. Lac auget drachmæ unius pondere ex juſculo propinata, vel in emulſionibus diſſoluta. A quibuſdam tanquam ſomnifera in teneſmo & dyſenteria utiliter exhibetur. Ejus pollinem ulceribus exſiccandis inſpergunt.

CAPUT TERTIUM.

De Bolis.

BOlus eſt terra ponderoſa, pinguis, minus tamen quam Argilla, ſed ſtyptica, ad linguam prompte adhærens, manus inficiens, & cujus color eſt diverſus. Sunt enim Boli croceæ, luteæ, albæ, & aliæ.

Duplici Bolo utuntur Medici, Armena nempe & noſtrate.

I. Bolus Armena vera *Offic.* eſt ſubſtantia terrea, ponderoſa, pinguis, friabilis, ſaporis adſtringentis, crocea, vel ex flavo rubra. Armena dicitur, quia ex Armeniæ parte quæ Cappadociæ vicina eſt, advehi ſolet. Rariſſime nobis affertur.

Non plane conſtat num Bolus Armena Galeni eadem ſit cum Bolo Armena Græcorum juniorum & Arabum: hæc enim colore ad crorum accedebat, illa vero pallida erat; niſi dicatur in eadem terræ vena glebas diverſi coloris repertas fuiſſe, ſicut in noſtrate in eadem gleba venæ albæ, rubræ, flavæ, & aliæ ſæpe deprehenduntur.

Laudatur quæ promptiſſime in tenuiſſimum pollinem redigitur piſtillo adhibito, aut liquore quodam affuſo ſolvitur, nec quidpiam arenoſi habet admixtum, atque commanducata butyri modo liqueſcere videtur, & manifeſtam relinquit adſtrictionem.

Eam commendat Galenus ad dyſenterias, alvi profluvia, ſanguinis exſpuitiones, & catarrhos: quin etiam eos mire juvare afferit, quibus ex capite in thoracem catarrhus decumbit. Ulcus pulmonum exſiccat. Porro in immani peſte, narrante eodem Galeno, quotquot hoc medicamen bibere, celeriter ſanati fuerunt. Externe ſiccat & adſtringit: ſanguinem fluentem ſiſtit, inde in vulneribus ad ſanguinis fluxum cohibendum præſcribitur.

II. Bolus noſtras eſt ſubſtantia terrea, ex flavo pallide rubra, ponderoſa, friabilis, ſaporis adſtringentis. E plurimis noſtræ Galliæ locis eruitur. Eaſdem vires cum præcedente obtinet, & in officinis vulgatiſſima eſt.

Cum Bolus ut plurimum arenulis permixta ſit, præparari ſolet, eam ſcilicet aqua limpida ſolvendo, & adhuc turbidam aquam, cum ſubſederint arenulæ, decantando in aliud vas. Inibi relinquitur, donec, ſedimento terræ facto, limpida fuerit: tum ſenſim effunditur, & terra in placentulas redacta ſiccatur, & ad uſum ſervatur.

Inter-

Interne ſola, vel cum Terra ſigillata conjuncta, feliciter præſcribitur.

℞. Boli Armenæ pp. Terræ ſigillatæ, Theriacæ, ana ʒß. Syrupi e Roſis ſiccis ℥j. Aq. Spermatis ranar. ℥vj. Miſce. Fiat julap. cochleatim exhibendum in dyſenteria, & alvi profluviis. Vel

℞. Bol. Armen. pp. Sang. dracon. & Maſtich. ana ℈j. Alum. rubei purificat. gr. xv. Cum Syr. Myrthillor. q. ſ. F. bolus in hæmorragia quarta quaque hora reiterandus, donec ſiſtatur ſanguis, ſuperbibendo decocti Symphiti majoris cyathum unum.

In vulneribus & contuſionibus primus apparatus conficitur ex Bolo, Terra ſigillata, Maſtiche, Thure, &c.

℞. Boli Armen. pp. q. ſ. Excipe, albumine ovi agitato cum aqua Roſar. Parti vulneratæ applicetur cataplaſmatis modo, cum ſtupis cannabinis, ſupponendo faſcias oxicrato imbutas. Vel

℞. Boli Armen. Terr. ſigill. Sang. drac. ana ʒij. Aloes, Myrrhæ, & Colcothar ana ʒj. F. pulvis admovendus parti e qua ſanguis erumpit.

Bolus uſurpatur in Confectione de Hyacinthis, Diaſcordio *Fracaſtoris*, Trochiſcis *Gordonii*, Pulvere contra peſtem ſen Bezoardico *Renaudæi*, Pulvere Pannonico, Cerato Santalino, & Emplaſtro pro fracturis.

CAPUT QUARTUM.

De Cretis.

CReta eſt terrea ſubſtantia, denſa, macra, friabilis, ad linguam prompte adhærens, ſine ulla adſtrictione, & manus inficiens.

Ad Cretarum genera revocantur variæ terrarum ſpecies varii coloris; ut Creta alba proprie dicta; Rubrica fabrilis; Terra vireſcens Theodoſia dicta; Ampelites, ſeu Terra nigra fabrilis, &c. quarum rariſſimus uſus in Medicina.

Creta alba proprie dicta, ſeu Terra Cretica ſic dicta ab inſula Creta, quod olim ex ea laudabilior afferebatur, nunc in multis aliis regionibus paſſim & copioſe invenitur.

Cum acidis liquoribus tumultuatur, unde pro terra alcalina ſeu abſorbente legitime uſurpari poteſt, & revera feliciter adhibetur.

Convenit ad ventriculi lympham nimis acidam demulcendam, & in affectibus qui ab hoc vitio pendet. Ea utuntur Germani ad compeſcendum ventriculi ardorem, vulgo apud eos Sodam, qui ab æſtuante bile oritur. Nec mediocrem opem affert in tuſſi aſpera quæ ab acriori pituita. Sanguinem uberius prorumpentem cohibet, necnon vermes interimere dicitur. Obſervandum autem, terras alcalinas non modo ſuccos acidos, ſed & acriorem pituitam demulcere, & bilis æſtus inhibere, cum nempe fixioribus ſuis particulis concitatiorem ſalium & ſulphurum motum coercere valeant.

Exhibetur ſola a ℈ß. ad ʒj. vel ex ea paratur decoctum Cretaceum *Pharmacop. Batheanæ*, quod ſic conficitur.

℞. Cre-

℞. Cretæ alb. pulver. ℔ß. Coque in aquæ limpid. ℔iij. ad ℔ij. Poſt craſſioris partis ſubſidentiam, tenuis liquor inſtar lactis effundatur, cui adde Sacchari roſati, vel ſyr. convenientis, q. ſ. Bibatur affatim. Vel

Fiat emulſio ex hoc decocto, ſenſim in eo contundendo 4. Sem. frigidor. major. ana ʒij. & colaturæ addendo Cretæ in alcohol tenuiſſimum redactæ ʒij. Syrup. Tuſſilaginis, de Symphito, vel alterius pro re nata ℥ij. Bibat æger per vices.

Creta cum lacte epota, ejus aceſcentiam in ventriculo præpedit.

Externe in vulneribus, ulceribus, & mammarum ſciſſuris exſiccandis commendatur.

SECTIO TERTIA.

DE LAPIDIBUS.

LApides ſunt corpora foſſilia, ſolida, dura, non ductilia, quæ aquæ vel oleo non ſolvuntur.

Dividuntur in vulgatiores ſeu minus pretioſos, & rariores ſeu pretioſos. Vulgatiores diſtinguuntur in lapides lutoſos, arenarios, cryſtallinos, ſciſſiles, qui filamentoſi, laminati & ſquammoſi; necnon lapides figuratos, & petrificationes. Pretioſi vero, vel opaci ſunt ſeu minus translucidi, vel diaphani qui gemmarum nomine inſigniuntur.

Ex tot lapidum generibus pauci in uſum medicum veniunt, licet quamplurimis inſigniores tribuantur virtutes: quæ quidem encomia hominum credulitati potius quam genuinæ experientiæ debentur. Itaque cœteris de induſtria prætermiſſis, de quibuſdam tantum agemus, quorum apud Medicos uſus eſt non mediocris. Et primo quidem de Lapide Calcario.

CAPUT PRIMUM.

De Lapide Calcario, & de Calce viva.

LApis Calcarius ſeu ex quo Calx conficitur, ſaxum eſt durum, ponderoſum, diverſi coloris, pro variis regionibus e quibus eruitur. Ignis violentia in Calcem redigitur, quæ aquæ affuſione maximos ſtrepitus edit, vehementer incaleſcit, & tandem in pultem albam redigitur. Si vero Lapis calcinatus aeri humido per aliquod tempus exponatur, in tenuiſſimum pulverem album ad pollinis inſtar dividitur.

Calx viva corrodens eſt & adurens, quapropter nunquam interne exhibetur; externe vero ſæpius adhibetur in pſylothris, cum auripigmento permixta. Ex ejuſdem & cinerum clavellatorum lixivio parantur pyrotica ſeu cauteria, quæ partem cui admoventur inurunt, & cruſtam inducunt.

cunt. Horum Lapidum cauſticorum conficiendorum ratio in Chymicis clariſſimi Lemerii libris legi poteſt.

Calx lota non amplius corrodit, ſed valenter exſiccat; unde a quibuſdam ad contumacia ulcera exſiccanda commendatur.

Aqua cujus ope Calx viva extincta fuit, Aqua Calcis dicitur. Externe adhibetur ad ulcera exſiccanda, vel ſola, vel aliqua ſublimati corroſivi portiuncula impraegnata: tunc flaveſcit liquor, & aquae phagaedaenice nomine inſignitur, & feliciter uſurpatur ad carnes fungoſas & ſuperfluas exedendas, tum etiam ad antiqua ulcera detergenda & exſiccanda. Eidem ad gangrenam ſiſtendam & domandam, ſpiritus vini, vel ſpiritus vitrioli adjungitur.

Ex aqua calcis, vitriolo veneris grato colore caeruleo intincta & cum oleo roſato, vel oleo ovorum per expreſſionem, paratur linimentum ad ambuſta. Eadem etiam aqua Saccharo Saturni, donec lacteſcat, impraegnata utuntur ad eryſipelata, ſcabiem, & ulcera maligna, ſaepe in die madidis linteis partem fovendo.

Nec ejus uſus internus reformidandus eſt. A quibuſdam practicis Medicis, & praeſertim ab expertiſſimo Richardo Morton ad vetera & curatu difficilia ulcera, tum externa, tum interna, vel etiam in pulmonibus, exſiccanda, commendatur & multum praedicatur. Hujus enim ſalis beneficio praecipitatis acribus & ſalinis ſanguinis particulis, tota maſſa miteſcit. Inde facilius ſanguini novus chylus conſociatur, fluxio chyli ad partes ulceratas minor fit, & conſequenter expeditior ulcerum ſanatio. Ea autem formula Aquam Calcis praeſcribere ſolebat.

℞. Salſae-parillae tenuiſſime inciſae ℥vj. Uvar. Corynthiac. ℔ß. Poſt debitam infuſionem coque in aquae limpidae ℔xij. ad vj. Deinde fiat colatura. In hoc decocto extingue Calcis vivae ℔ß. quod poſtquam per reſidentiam fuerit depuratum & ſale Calcis ſaturatum, clare decantetur, & in lagenis vitreis bene obturatis ſervetur ad uſum. Bibat aeger ab ℥iiij. ad viij. bis vel ter in die, horis medicis.

Eamdem etiam praeſcribit clariſſ. Auctor ad ſtrumarum a morbimis ſubortarum curationem.

Ad Calcis ſalem, ſpiritum, tincturam, vel oleum quoddam eliciendum multum inſudarunt Chymici, ſed incaſſum: ſi quid enim hujuſmodi extraxerunt, non tam a Calce quam ab adjunctis educebatur. Calcis ope parant ſpiritum volatilem ſalis ammoniaci, ſpiritum volatilem urinae, & ſalem alcali Baſilianum.

CAPUT SECUNDUM.

De Talco.

Talcum lapis eſt ſplendens, fiſſilis, ſeu qui in laminas tenuiſſimas, translucidas & nonnihil flexiles facile dividitur; in igne neque funditur, neque

neque calcinatur, nec colorem amittit, ſed perennis eſt. Coloris eſt diverſi; Talcum enim aliud eſt argenteum, quod a Chymicis Argyrolithos, aliud flavum quod Solare ipſis videtur, aliud viridiuſculum, aliud vero nigrum.

Optimum cenſetur Venetum, & quod leviter virideſcit.

Rarioris eſt uſus in Medicina, nec niſi in coſmeticis adhibetur. A mulierculis enim de ſua venuſtate maxime ſollicitis ad nitorem & candorem cuti conciliandum avide expetitur. Eam ob rem variis modis præparatur. Primo in alcohol tenuiſſimum redigitur, quod alioqui difficillimum, brevi perficitur, ſi Talcum aliquoties ignitum toties in aqua frigida extinguatur; tunc enim facile ſupra porphyritem in tenuiſſimum pulverem argenteo ſplendore micantem, & tactu levem reducetur, ex quo poſtea ſua pomata mulierculæ conficiunt.

Oleum etiam ex talco non minus ſollicite extrahere tentarunt Chymici, quam mulierculæ; hæ ad ſui condecorationem, illi vero ad Mercurii fixationem perficiendam, aut æs in argentum convertendum, ſed irrito conamine. Si quid enim oleo ſimile ex quibuſdam Talci præparationibus elicitum fuit, non ſane ipſius, ſed adjunctorum fœtus eſt.

CAPUT TERTIUM.

De Aetite.

AEtites, Lapis Aquilæ, eſt lapis ſquammoſus, ſeu qui ex variis ſquammis ſeu cruſtis lapideis conſtare videtur, intus concavus, & in cujus capacitate alius lapis Callimus dictus, vel arenulæ, vel cryſtalli, vel argilla abſcondita ſunt. Colore eſt albo, cinereo, pullo, vel fuſco; externa ſuperficie rudi & ſcabra; figura ut plurimum ovata, vel ſubrotunda, diverſaque magnitudine.

Quidam Aetitem tantummodo nuncupant lapidem alio lapide vel arenulis prægnantem, & qui concuſſus ſonitum edit; cœteros vero qui terram continent, Geodæ nomine inſigniunt. Verum cum pleriſque Hiſtoriæ Naturalis ſcriptoribus, Aetitis nomen ſquammoſis & concavis lapidibus ſervandum cenſemus; Geodæ vero nomen cœteris cavis lapidibus qui denſi ſunt ad inſtar ſilicum, ſive terram contineant, ſive cruſta cryſtallina intus obducantur.

A græco vocabulo Ἀετός, quod Aquilam ſignificat, nomen habet; quod aliquando in earum nidis reperiri dicatur, vel a colore, vel quod (ut inquiunt) Aquilæ abſque eo parere non poſſint.

Multis in locis reperitur, ſed Orientale cœteris anteponitur. A plurimis magni æſtimatur. Partum promovere, ſi femoribus alligetur; ſi brachio, eumdem retinere vulgo credunt Matronæ. Obſervare autem expedit (inquiunt) ſtatim a partu eſſe removendum, ne uterum ad ſe trahat. Cujus rei exemplum affert Valeriola de muliere quadam, quæ poſt partum, lapidis femori al-

ri alligati, oblita, elapſa matrice, extincta eſt. Sed ſit penes ipſum fides. Nonne enim magis veriſimile videtur imperitam obſtetricem mulieris uterum magna vi protraxiſſe, & ſuæ imperitiæ culpam, arrepta occaſione, in innocuum lapidem tranſtuliſſe? Plurimas alias de Aetite fabulas narrant, quibus fidem ullam nullus ſanæ mentis adhibebit.

CAPUT QUARTUM.

De Lapide Bezoardico foſſili.

LApis Bezoardicus foſſilis: *Joannis de Let*; Lapis Belzoar mineralis foſſilis: *Becconis*; Bezoard minerale: *Beſteri*; quod & Geodes: *Aldrovandi*. Eſt lapis ſquammoſus, plenus colore albo vel cinereo, craſſitie diverſa, figura irregulari ſubrotunda.

Ex variis tunicis coagumentatus videtur, quæ ſucceſſive altera alteri impoſitæ ex parvo lapidis rudimento calculum tandem formant ad magnitudinem Avellanæ, nucis juglandis, vel etiam ovi anſerini. In ejus centro arenæ granulum, vel conchula, vel carbo foſſilis nonnumquam reperiuntur.

Bezoar dicitur, tum ab ejus convenientia cum Bezoar animali, tum etiam a virtute alexiteria: *Bezahar* enim vox eſt Arabica, qua medicamentum alexiterium quodcumque venenorum expugnandorum virtute præditum denotant.

Multis in locis reperitur; in Gallia prope Monſpelium, in Sicilia circa montem Madonium, in Italia in agro Tiburtino, in nova Hiſpania in fluvio Detzhuatlan, unde maximi afferuntur.

Apud Italos, & Siculos hujus lapidis virtutes contra venena, febres putridas, variolas, morbillos, ad acidam humorum diatheſim immutandam, ad ſanguinis effervefcentiam compeſcendam multum prædicantur. Sudores, & diaphoreſim promovet. Exhibitur ejus pulvis a granis xij. ad ʒj. in vehiculo convenienti.

A circumforaneis diverſimode fucantur hujuſmodi lapides, & pro genuino Bezoar animali venduntur.

In dubio eſt utrum lapides, qui pro Bezoar Occidentali nobis afferuntur foſſiles ſint, vel ex animalibus deſumpti.

De Bezoar animali, ubi de animalibus, tractabimus.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De quibuſdam Lapidibus figuratis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Belemnite, ſeu Lapide Lyncis.

BElemnites, Dactylus Idæus; Lapis Lyncis: *Off.* Lapis Lyncurius; *Quorumdam.* Lapis eſt teres & oblongus, in apicem obtuſum deſinens; colore modo albicante, modo aureo, modo obſcuro; quandoque plenus, quandoque concavus, lineis a medulla ad circumferentiam ductis diſtinctus, ut plurimum digiti craſſitie & longitudine, licet quidam brachii craſſitudinem æquantes reperti fuerint. Omnibus ineſt rima ſeu fiſſura ſecundum longitudinem protenſa.

Belemnites dicitur a græco vocabulo Βέλεμνον, ſagitta; quod ſagittæ cuſpidem referat: Dactylus Idæus, a digiti ſimilitudine, & ab Ida Cretæ monte, ubi reperitur. In Alpibus quoque & in plurimis Galliæ, Germaniæ, & Helvetiæ locis effoditur.

Cum antiquorum Lyncurio Lapide confunditur, ſed perperam. Conſtat enim ex Dioſcordis libris, Lyncurium lapidem antiquorum nihil aliud eſſe niſi ἤλεκτρον πτερυγοφόρον ſeu ſuccinum quod pennas ad ſe allicit. Obſervat autem ſuccinum λυγγούριον a quibuſdam dictum fuiſſe, quod illud urinam Lyncis concretam & induratam fuiſſe exiſtimabant.

Germani Belemnitem contra incubum & renum calculos valere credunt; quæ pulverizatum a ℥ß. ad ℥j. in liquore competenti exhibent.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Lapide Judaico.

LApis Judaicus; *Off.* Lapis eſt oblongus, ſubrotundus, Olivæ formam repræſentans, ſtriis & ſulcis ſecundum longitudinem a radice in apicem uſque excurrentibus & æquidiſtantibus diſtinctus; colore exalbido vel ſubcinereo: intus ſplendet, & oblique in laminas foliaceas finditur. Exhibetur ejus pulvis ad ℥j. in vehiculo convenienti.

Judaicus dicitur & Syriacus a locis, in quibus reperitur, Judæa ſcilicet & Syria. A quibuſdam Euroes, quod urinæ fluxum promoveat; & Tecolithos, quod calculum reſolvere credatur.

Huic lapidi vis lithontriptica ſeu calculos comminuendi & frangendi tribuitur. Sed de tanta virtute & energia adhuc dubitamus. Revera vim diureticam lapidi Lyncis, lapidi Judaico, oculis cancrorum, & aliis quibuſdam medicamentis, quæ linthontriptica dicuntur; denegare non poſſumus:

illam

illam enim experientia commonſtrat. Sed ex eo quod ſæpe arenulæ cum urinam excernantur, non idcirco vis calculi frangendi illis aſſignanda eſt. Cum enim horum lapidum fixioribus terreis particulis ſales in corporis humani liquoribus luxuriantes miſceantur, earum conſortio fixiores fiunt, ac proinde difficilius per cutis poros remotiſſimos propelluntur, longe facilius vero per renum colatoria in præceps ruunt. Itaque prout per cutis poros minuitur eorum inſenſibilis perſpiratio, major fit per urinas eorumdem excretio. Deinde vero ex uberiori ſeri urinoſi ad renes affluxu; ſi quæ ſit in his partibus ſaburra eluitur, & urinæ turbidæ fiunt; quin & arenulæ grandiores, modo ſatis pateant viæ, ab effluente liquore abripiuntur. Sic horumce lapidum vis diuretica concipi poteſt; lithontripticam vero neque experientia, neque ratio hactenus commonſtraverunt.

CAPUT SEXTUM.

De quibuſdam lapideſcentibus ſubſtantiis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Gloſſopetris.

Gloſſopetra lapis eſt, ut plurimum triangularis, baſi craſſiore, latiore, ſcabra, toto alioquin corpore lævi & quaſi corneo, minutis quibuſdam denticulis ſæpius ad latera crenato, colore quandoque luteo albicante, longitudine diverſa.

Gloſſopetra dicitur, quod ſerpentum linguam in lapidem converſam vulgo credant. Sed hallucinantur: ſerpentum enim linguæ non triquetræ, ſed teretes ſunt & bifidæ. Gloſſopetras Lamiæ aut canis Carchariæ dentes fuiſſe magis veriſimile eſt.

Alia eſt Gloſſopetræ ſpecies minor, quæ Picæ avis linguam figura refert, quæ dens alicujus quoque piſcis videtur fuiſſe: tenuis eſt, longa, acuta eodem colore quo major ſpecies quacum ſæpius reperitur.

Quidam tamen Gloſſopetras eſſe lapides ſui generis autumant, eoſque non ſecus ac innumeros alios lapides diverſis figuris donatos, ſponte in terra generari arbitrantur.

Variis in locis reperiuntur; ſed copioſe in inſula Melita e terra eruuntur.

Gloſſopetræ vis alexipharmaca a quibuſdam tribuitur, apud nos rarioris eſt uſus. Eas mulierculæ collis puerorum appendunt quoniam dentitionem juvare vulgo creduntur.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Unicornu foſſili.

UNicornu foſſile, ſeu Ebur foſſile, *Off. Germaniæ*; lapis Ceratites, *Geſneri*. Subſtantia eſt lapidea, colore, lævore, & forma, cornua, dentes vel oſſa animalium referens, quandoque mollior; cortice exteriore, ut plurimum duro, flaveſcente, ſubnigro aut cinereo; medulla molli, friabili; compacta, abſque poris, adſtringente, exſiccante linguæ firmiter adhærente; nonnumquam odore grato.

Sæpius eruitur ſub ſpecie oſſium in ſaxeam naturam converſorum: inter quæ ſunt dentes molares, & inciſorii maximi in quibus evidentiſſime radix a dente ipſo ſeu parte, quæ extra gingivas prominuit, diſcernitur. Aliquando fragmenta radiorum, tibiarum, ipſam oſſium naturalem conformationem exacte repræſentantia; quin etiam effodiuntur arborum rami & trunci prægrandes in lapides mutati in quibus ligni ſpecies adhuc facile diſtinguitur.

Nullus eſt dubitandi locus quin hæc foſſilia corpora ſint cornua, dentes, oſſa, vel ligna in lapideam ſubſtantiam converſa. Dum enim diuturniori, ſub terram mora putreſcerent, & quodammodo calcinarentur, eorum ſubſtantia rarior, & poroſa facta eſt, ut videre licet in lignis & oſſibus putrefactis, & carie exeſis. Si vero tunc temporis affluat marga tenuis aqua ſoluta, eorum poros penetrat, adimplet & lapſu temporis, aqua exhalante, concreſcit cum oſſium vel lignorum parte reſidua, in lapideam duritiem, ejuſdem plane figuræ ac os vel lignum antea humo reconditum. Si vero cryſtallina, aut ſilicea fuerit hæcce terra, in ſilices, aut cryſtallinam ſubſtantiam converſa reperientur, qualia ſunt plurima conchytum genera, & ſic de cœteris.

Variis in Germaniæ locis reperitur Unicornu foſſile; quin & in agro Pariſienſi juxta Montem Martirum, oſſea cadavera intra lapideam ſubſtantiam incluſiva paucis abinc annis detecta fuere.

Apud Germanos plurimum commendatur. Vim adſtringentem, alexipharmacam, & ſudoroficam ei tribuunt; ipſumque in alvi profluviis, dyſenteriis, hæmorrhagiis, fluore albo, in febribus malignis, & peſtilentialibus, in epilepſia frequenter uſurpant a ℈ſs. ad ʒj. in competenti vehiculo.

Nec quodcumque Unicornu indiſcriminatim ſumitur; ſed eligitur grato odore perfuſum, & prius in canibus, & animalibus probatum. Aliquando enim contigit quod aliquid veneni contineat, ſi nempe e terra arſenicali effoſſum fuerit, ad quod quidem diligenter attendendum.

C A-

CAPUT SEPTIMUM.

De quibuſdam Lapidibus pretioſis opacis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Lapide Lazuli.

Lapis Lazuli, κυανὸς λίθος *Græcor.* Lapis Cyanus. Durus eſt, florum Cyani cærulei colore, aureis argenteiſve punctulis, & venulis exordinatus. Duplicis generis diſtinguitur, alter ignis vim ferre valet, alter neutiquam. Ille ex Oriente, Aſia, & Africa adfertur, & Orientalis ideo dicitur; hic vero quibuſdam in locis Germaniæ, & Italiæ reperitur, Orientali mollior eſt. Ex fodinis aureis, argenteis, & cupreis eruitur.

Color ex utroque parari ſolet pretioſus, ex Orientali ultramarinus dictus, qui ætate non mutatur; ex Germanico ignobilior: is enim externis injuriis facile læditur, & temporis progreſſu vireſcit.

Eligitur ſaturato cæruleo colore, maculis quibuſdam aureis diſtinctus, fractu contumax, & ab igne invictus.

Surſum deorſumque purgandi facultate præditus eſt. Illum contra melancholicos affectus, quartanam, apoplexiam, epilepſiam plurimum commendant auctores. In eo vim erodentem cum aliqua adſtrictione agnoſcunt, Diſcorides, & Galenus: quidam aquæ ablutione virtutem ejus erodentem, & emeticam corrigi aſſerunt, ſed perperam. Lotus enim & non lotus per ſuperiora, & inferiora æque purgat; quin etiam quod eluitur, & quod poſt lotionem remanet, non differunt niſi tenuitate.

Nullus eſt dubitandi locus quin color cæruleus hujus lapidis a quibusdam cupri particulis oriatur, a quibus etiam vis erodens, & purgans, ſed quæritur quo jure in Confectione Alkermes, quæ compoſitio cordialis eſt, & roborans, uſurpetur illud acre & violenter purgans medicamentum, Duplicem virtutem in lapide Lazuli agnoverunt veteres Medici, purgantem unam, ſtypticam alteram; quæ quidem licet contrariæ, in eodem tamen ſubjecto reperiuntur. Vim ſtypticam, ac proinde confortantem lapidi naturalem eſſe crediderunt, cum nempe in auri fodinis reperiatur, & aureis particulis permixta ſit. Econtra vim purgantem mere accidentalem eſſe arbitrati ſunt, ex admixtis nempe heterogeneis particulis. Quapropter roborantem hujus lapidis virtutem conſervando, pravam ejus indolem variis modis corrigere tentarunt, tum ablutionibus, tum calcinationibus repetitis. An res ex ſententia ſucceſſerit, adhuc incertum mihi videtur. Fateor tamen ex Confectionis Alkermes rite præparatæ longo uſu nihil damni unquam perceptum fuiſſe. Unde concludi poteſt, calcinationibus imminui aut prorſus extingui Lazuli vim purgantem; an vero ad cordialis hujus Confectionis virtutem augendam aliquid conferat, non aſſeram.

De ea atram bilem purgandi proprietate, quæ huic lapidi tribuitur, timeo

ne in errorem inducti fuerint veteres, ex eo, quod poſt aſſumptum lapidem Lazuli crementa nigra dejicerentur, quod quidem non tam ab humorum excretorum indole, quam a tinctura, quæ a martialibus, aut venereis medicaminibus proficiſci videtur.

Cum ad enarratos affectus plurima ſint minus incerta medicamina, rarius hic lapis uſurpatur. Nunc in ſola fere Confectione Alkermes adhiberi ſolet.

Ex eo parrant Chimici magiſteria, tincturas, & elyxiria, quæ apud nos non amplius uſitata ſunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Lapide Armeno.

LApis Armenus opacus eſt lapis, maculis viridibus, cæruleis, & ſubnigris, lævis, & ſicut lapis Lazuli punctis aureis inſignitus, friabilis, a quo parum diſcrepat, & ſæpius cum eo in eadem gleba reperitur. Unde a quibuſdam indiſcriminatim uſurpatur uterque.

Viribus convenit cum lapide Lazuli, ſed potentius purgat per ſuperiora & inferiora. Unde iiſdem in affectibus commendatur. Doſis a granis ſex ad ℈j.

Externe abſtergit cum levi acrimonia & leviſſima adſtrictione. In Medicina rarior eſt illius uſus.

Ex eo pictores elegantiſſimum colorem cæruleum ad gratam veriditatem vergentem, præparare ſolebant.

CAPUT OCTAVUM.

De quibuſdam Lapidibus pretioſis perlucidis, ſeu Gemmis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Cryſtallo.

CRyſtallus Rupea gemma eſt mollis, translucida, aquam in glaciem congelatam referens: columnam hexagonam utrimque acuminatam figura ut plurimum, exhibet; ſeu componi videtur ex duabus pyramidibus hexagonis, & columna intermedia itidem hexagona.

Altera Cryſtalli ſpecies rhomboidalis in Islandia inſula & quibuſdam in Galliæ locis præſertim in agro Trecenſi reperitur, quæ ex laminis cryſtallinis componi videtur: ſecundum omnes ſuperficies planas fiſſilis eſt; & ſi in pulverem redigatur, ſemper rhomboidalem figuram ſervat, ita ut ejus

pulvis

pulvis minutiſſimus oculis microſcopio armatis rhomboidum tenuiſſimorum congeries deprehendatur. Ea eſt hujus Cryſtalli proprietas, ut objectum quodcumque per illam interpoſitam conſpectum, duplex videatur: quod quidem oritur ex duplici refractione, quam luminis radii per illam tranſmiſſi patiuntur.

Tertia adhuc Cryſtalli ſpecies recenſetur, quæ a Martino Lyſter Anglo Medico Doctiſſimo, & rerum naturalium peritiſſimo nominatur Brontia lævis, pellucida, reſplendens, Adamantis æmula, *in Actis philoſophicis R. S. Lond.* Ejus figura diverſa eſt, modo ſphærica, modo ovata, modo depreſſa, modo dimidiam ſphæræ, vel ovoidis partem referens, nonnumquam ſubrotunda & irregularis, dura, admodum pellucida, & abſque ullo artificio exacte polita: e terra effoditur, diverſa magnitudine, & craſſitie. In pluribus Angliæ locis reperitur.

Cryſtallo vis adſtringens, & lithontriptica tribuitur; unde a pluribus in alvi profluviis, in albo mulierum fluore, & in calculo renum, aut veſicæ præſcribitur. Sed quid de ea lithontriptica virtute cenſendum ſit, jam diximus. Nec deſunt, qui hæc lapidea medicamenta reformident: ab iis enim calculorum generationem promoveri exiſtimant; aut ſaltem turbidum ſedimentum quod cum urinis poſt lithontripticorum uſum excernitur, nihil aliud eſſe opinantur præter horum lapidum pulverem tenuiſſimum ab urinoſo ſale præcipitatum.

Rarior hic eſt Cryſtalli uſus internus, non enim de ejus virtutibus ſatis conſtat.

Externe tantum contrita, ad dentifricia paranda uſurpatur. Ejus enim affrictu tartarea dentium cruſta diſſolvitur. Sed ne frequentior ſit ejus uſus; non ſolum enim tartaream cruſtam eradit, ſed & eburneam, qua dentes inveſtiuntur laminam prorſus atterit.

In Unguento Citrino uſurpatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De quinque Fragmentis pretioſis.

QUinque lapides pretioſi, quorum fragmenta in officinis uſurpantur. ſunt Granati, Sardæ, Hyancithi, Saphyri, & Smaragdi.

Granatus ſic dictus, quod ſit acino Mali granati ſimilis; eſt gemma dura, ex flavedine obſcure rubens, quæ in igne vulgari tincturam ſuam non remittit. Si vero Soli radiis lente vitrea majore coadunatis, ſupra carbones exponatur, maſſam metallicam fuſa reducitur ferri æmulam, & a magnete attrahitur.

Granatus amuleti inſtar ſuſpenſus, vel in alcohol redactus, & ebibitus triſtitiæ reſiſtere, & cor creare olim credebatur. Igneam tamen ejus naturam permiſcebant veteres, & ejus abuſum cerebro nocere, ſanguinem exagitare, & ad iracundiam excitare exiſtimabant.

Quidam e neotricis illius vim mere alcalinam aſſerunt: cum tamen multum de ferro participet, illum idcirco quaſdam Martis virtutes obtinere cen-

ſeo, quæ tamen in crocis Martis aut in ejuſdem metalli tincturis longe felicius, & minori pretio ſe exerunt.

Onyx Sarda, & Sardonyx magnam inter ſe habent affinitatem, & ſæpe confunduntur tum ab auctoribus, tum ab artificibus. Quodnam ſit inter hos lapides diſcriminis conſiderandum venit.

Onyx apud veteres commune nomen fuit, & gemmæ, & marmori, ſeu alabaſtriti ex quo vaſa unguentaria conficere ſolebant.

Gemma Onyx dicta fere optata eſt, aut leviter tranſnitens potius quam translucida, colore unguis, aut corneo, aut lacteo, aut exalbido, diverſorum colorum zonis exacte, & diſtincte ſibi invicem ſuperimpoſitis inſignita. Naſcitur in India utraque, Arabia, Armenia, Bohemia, Hiſpania, & in Italia.

Sarda gemma eſt pellucida, ſed quaſi pinguedine obducta, colore diverſo. Quædam enim ſunt colore ſanguinis bilioſi, & pene atri; aliæ carnei coloris, & exigua portione ſanguinis tinctæ; aliæ denique coloris e ſanguineo ſubflaveſcentis. Afferuntur etiam candidi vel lactei coloris, & in quibus cærulei aliquid diluti diſtinguitur.

Quæ colore carneo inſignitur, a gemmariis Carneola, corruptive Corneola nuncupatur.

Diſtinguuntur Sardæ in Orientales, & Occidentales ſeu Europæas, quæ duritie differunt. Illæ enim multo duriores.

Sardonyx apud antiquos duplex, Indica, & Arabica: hæc opaca, translucida illa.

Sardonyx Indica Sardæ, & Onychis particeps erat. Superficiem habebat Onychis gemmæ, vel unguis humani inſtar candidam, radicem vero ſive fundum inſtar Sardæ, vel colore carneo, aut rubro ſanguineo, & translucida erat; quædam tamen opacæ erant, quæ cœcæ dicebantur.

Sardonyx Arabica, Memphites *Quorumdam*, diſtinguebatur ſubſtrato nigro, vel obſcure cæruleo, & circulo candido; ſuperficies vero magis minuſve candicante. Hæc a quibuſdam gemmariis Onyx tantummodo nuncupatur.

Sardonicum vero nomine, quædam gemmæ a recentioribus gemmariis dicuntur, quæ unicolores, vel verſicolores Onyches ſunt, aut Achatæ.

Veteres credebant Sardam quadam irradiatione animum exhilarare, timorem pellere, audaciam præſtare, faſcinationes prohibere, & corpus contra venena quævis tueri.

Sarda in pulverem trita ad omnem ſanguinis fluxum ſiſtendum intus ſumitur, ſed nunc rarioris eſt uſus; ſunt enim alia, & longe præſtantiora medicamenta.

Hyacinthus gemma eſt ab hyacinthino colore ſic dicta, colore ex flavedine rubenti, & rutilante. Cum varios habeat coloris ſui gradus, eorum reſpectu variæ ejus conſtituuntur ſpecies. Sunt qui inſtar minii, aut ſanguinis bilioſi rutilant. Sunt qui colore croceo flaveſcunt. Alii ſuccinum flavum æmulantur, & viliores ſunt. Alii ſuccinum album referunt, & ſunt viliſſimi. Horum alii Orientales ſunt, ex India allati: alii vero Occidentales, ex Sileſia, Bohemia, necnon ex Arvenia, aliiſque locis petiti.

Ab

Ab illo diſcrepare videtur Hyacinthus veterum; quippe qui, teſte Plinio, Amethyſtini lapidis fulgore violaceo, ſed dilutiore, inſignitur.

Quamplurimæ Hyacintho ſuperſtitioſæ virtutes tribuebantur. Et hanc gemmam frigidæ eſſe naturæ dixerunt quidam e veteribus. Narrant eam cor roborare, leviter adſtringere, & ſomnum conciliare. Contra ſpaſmum & contracturas tanquam ſingulare ſpecificum eam prædicat Schroderus.

Gemma hæc in Electuario de gemmis cum cœteris fragmentis pretioſis uſurpatur, & nomen ſuum celeberrimæ Confectioni de Hyacinthis impoſuit.

Saphirus ſeu Cyanus *Plinii*, quæ Gemma gemmarum a quibuſdam dicitur, gemma eſt dura, colore cæruleo ſeu cyaneo conſtans, cœli ſereni colorem referens, ſplendore & perſpicuitate ſumma. Eſt omnium gemmarum præter Adamantem duriſſima. Duplex eſt: altera palleſcens, quæ fœmina; altera coloris ſaturate cœrulei, quæ mas. Tertia omni prorſus colore deſtituitur, & pro Adamante quandoque ſubſtituitur; ſed illi & duritie & ſplendore longe inferior.

Saphiri ex variis Indiæ regionibus afferuntur, qui Orientales dicuntur; vel ex Sileſia, Bohemia, & aliis Europæ regionibus, qui ideo Occidentales.

A Saphiro tinctura & color igne auferri poteſt, ita ut Adamantem mentiatur. Ejus colorem a tenuiſſimo ſulphure venereo oriri exiſtimo.

Præter innumeras & præſtantiſſimas virtutes quibus Saphirum donari multi ſuperſtitioſe arbitrantur, cor recreare dicitur ſeu ſpiritus animales excitare, venenis in potu reſiſtere, & inteſtinorum ulcerationibus mederi.

Smaragdus gemma eſt viridis, ſplendens, diaphana, oculis grata, ac jucunda. Tenerrima eſt & facile frangitur; hinc fabulæ multæ.

In Orientalem & Occidentalem diſtinguitur. Ille præſtantiſſimus, duriſſimus, & grata viriditate ſplendens; hic qui ex Peruvia adſportatur, non æque nitet, ac Orientalis, & nubeculis ut plurimum fœdatur.

Alia eſt Smaragdi noſtratis ſeu Pſeudo-ſmaragdi ſpecies quæ in montibus Helvetiæ aut Arverniæ reperitur, & Smaragdus montanus ſpurius dici poteſt: tenerrimus eſt & pallide virens.

Smaragdi fragmenta prunis impoſita accenduntur & tenuem flammam emittunt, & poſtea colore prorſus deſtituuntur. Quod quidem ſatis evincit ſulphur venereum hac gemma contineri.

Prætermiſſis ſuperſtitioſis quæ illi tribuuntur virtutibus, hæmorrhagias ſiſtere, dyſenterias & hæmorrhoidum fluxum compeſcere vulgo creditur. Cum cœteris fragmentis pretioſis in Electuario de gemmis uſurpatur, & cum Hyacinthis & Saphiris in Confectione de Hyacinthis dicta.

De horum fragmentorum virtutibus magna eſt inter auctores controverſia. Ex recentioribus plurimi eorum virtutes a veteribus prædicatas aut ſuperſtitioſas, aut commentitias eſſe crediderunt, eaque ex officinis pharmaceuticis procul rejicienda cenſuere. Eadem non prorſus inertia a quibuſdam æſtimantur, ſed pro alcalinis & abſordentibus habentur. Si tamen ad gemmarum colores a metallica ſubſtantia tenuiſſima oriundos attendamus, eas non omni virtute deſtitutas cum nonnullis judicabimus, neque eas pro mere alcalinis corporibus habebimus, ſed in eis quaſdam ineſſe vires quas a metallis mutuantur, confitebimur.

Objici poteſt gemmarum fragmenta eſſe corpora duriſſima quæ ſtygiis aquis, ut plurimum, reſiſtunt, ac proinde ventriculi fermento indiſſolubilia, quæ eodem modo quo aſſumuntur, rejiciuntur.

Verum hæc objectio nullius eſt momenti. Nam Smaragdus prunis impoſitus ſicut ſulphur accenditur, & viridi colore cum flamma exhalato, diaphanus remanet & ſine colore, Cryſtalli ad inſtar. Conſtat autem ex hoc experimento, duplici parte gemmas componi, cryſtallina nempe una fixa, ſulphurea altera & volatili. Conſtat etiam hanc partem facile exhalare, illa integra remanente. Equidem quod in eodem experimento ignis ope peragitur, idem ope caloris naturalis & lymphæ ſtomachalis peragi poteſt. Licet cryſtallina gemmarum ſubſtantia non diſſolvatur, attamen ſulphurea pars metallica a cryſtallina ſecerni poteſt, & ſui juris facta in corporis humani liquores vires ſuas exerere.

Sed, inquiet fortaſſe aliquis, nimis exigua eſt hæc metallica portio in gemmis deliteſcens, quam ut tot, ac tanta præſtare poſſit. Cui reſpondeo Medicamenti energiam non ſemper ab ejus mole pendere. Opii, exempli gratia, exigua doſis ſaporem inducit, & dolores demulcet. Tenuiſſima eſt admodum Stibii portiuncula, quæ in Tartari ſtibiati granis quinque vomitum excitat. Quam tenuis eſt etiam & exigua ſucci venenoſi portio, quæ cum viperæ dente in vulnus immiſſa totam molem ſanguineam citiſſime contaminat.

Non ſunt igitur levi de cauſa proſcribendæ gemmæ ex pharmaceuticis compoſitionibus jam longo uſu receptis, & diuturniori, ac felici experientia comprobatis: cum ſuæ ſint uniuſcujuſque virtutes, de quibus, fateor, non ſatis nobis conſtat; quoniam plurimæ, quæ de his prædicantur, incertæ ſunt aut commentitiæ.

ARTICULUS TERTIUS.

De aliis quibuſdam gemmis, quæ rarius in uſum Medicum veniunt.

Topatius *Off.* & Cryſolithus Veterum; gemma eſt pellucida, ſplendens aureo colore, cujus duæ ſunt ſpecies: altera Orientalis, quæ inſtar auri obryzi ſeu puriſſimi rutilat, & duriſſima eſt: altera Europæa, quæ Cryſtalli inſtar mollis eſt, aureo colore vel parum vel multum nigricante. Naturam ſolarem ei tribuere veteres: proinde creditur timores nocturnos & melancholiam minuere, cor & intellectum confortare, moleſtis inſomniis adverſari, & hæmorrhagias ſiſtere. In Confectione de Hyacinthis uſurpatur.

Cryſolithus *Off.* Topatius veterum, & Chryſopraſius *Quorumdam*, Gemma eſt viridis, colore Smaragdo dilutior, utpote cui nonnihil flavedinis adjunctum eſt, ita ut per viridem colorem aureus fulgor quandoque rutilet. Non adeo durus, quin limæ cedat. Licet eædem illi, quæ Topatio, tribuantur virtutes; nunc tamen nullus eſt ejus uſus in Medicina.

Opalus, ſeu Opalis, gemma eſt elegantiſſima, omnes ferme colores exhibens. Ex radiorum enim luminoſorum refractionibus variis, cæruleum, purpureum, viridem, flavum, rubrum, lacteum, ac nigrum inter-

dum

dum intuentium oculis ingerit. Hinc a quibuſdam Gemma gemmarum dicitur.

Præſtantiſſimi Opali in India inveniuntur, viliores in Cypro, Ægypto, Hungaria, & in Dania, inſulis Feroenſibus. Naſcuntur omnes in lapide molli, venis nigris, flavis & fuſcis diſtincto.

Hanc omnium aliarum gemmarum vires habere auctores arbitrantur. Nunc ad uſum pharmaceuticum non adhibetur.

Amethyſtus gemma eſt pellucida, violacei coloris ex rubri & cœrulei mixtura orti, fulgore non omnino igneo, ſed deficiente ſeu languido. Præferuntur quibus in purpura refulget roſeus color.

Reperiuntur in variis locis utriuſque Indiæ, Hiſpaniæ, Italiæ, & Germaniæ. In uſum Medicum non adhibentur.

Rubinus gemma eſt translucida, rutilans, rubenſque, ad cœruleum parum inclinans, limam reſpuens. Ratione ſplendoris & rubedinis, quatuor ejus conſtitui ſolent genera.

Rubinus verus ſeu Carbunculus, Ανθραξ Græcorum; quia carbonis inſtar accenſi rutilat, & Pyropus quaſi ignitus lapis.

Rubicellus, qui pallidior.

Balaſſius, qui exiguam & languidam habet rubedinem.

Spinellus, qui vero Rubino aliquanto mollior eſt, & minus ſplendet; licet Balaſſio ſit rubicundior.

Præſtantiſſimi in inſula Zeylan reperiuntur.

Miræ ſunt, quæ de Rubino prædicantur virtutes, ſed vanæ, ac ſuperſtitioſæ.

Adamas gemma eſt omnium duriſſima, totaque pellucida, & inſtar aquæ puriſſimæ nitens. Nonnunquam alieno colore inficitur, albido, flaveſcente vel nigreſcente, quod illi vitio eſt. Ex laminis cryſtallinis ſibi invicem ſuperimpoſitis conſtat. A peritis Gemmariis ad laminarum commiſſuras admota cultri acie, in duas vel plures tabellas facile finditur. Igne vulgari non calcinatur, neque ab igne ſolari alteratur, ſi lamellæ ſecundum planam ſuam ſuperficiem ejus radiis opponantur: verum ſi earum extrema ſolis radios inter ſe recipiunt, ab ignea ſolis materia facile dividuntur lamellæ, & poſtea in maſſam vitream funduntur, quæ nihil amplius de Adamantis ſplendore retinet.

Adamantes in ſola India naſcuntur. Nullus eſt apud Medicos eorum uſus.

Chymici ex coloratis gemmis tincturas extrahere conati ſunt. Sed de earum tincturarum, ſi quæ fuerunt extractæ, energia, quam de gemmarum ipſarum virtutibus, non magis nobis conſtat.

SECTIO QUARTA.

De Salibus.

SAlium nomine intelligimus corpora mineralia, ſolida, friabilia, pellucida, ſapida, quæ aqua facile ſolvuntur, igne funduntur, & in cryſtallinam formam facile concreſcunt. Hujuſmodi ſunt Sal cibarius, Nitrum, Vitriolum, Alumen, Sal Ammoniacus, & Borax; de quibus ſigillatim agemus.

CAPUT PRIMUM.

De Sale cibario.

SAl cibarius, quo nempe cibi condiri ſolent, eſt ſal, qui dum in cryſtallos reducitur, conſtanti naturæ ritu cubicam figuram effingit, quam etiam in minimis ſervat. Duplex eſt, vel e fodinis eruitur, & foſſilis dicitur: vel artificialis eſt, qui nempe ex aquis marinis, ex aquis ſalſis fontium vel puteorum humoris evaporatione conficitur; & ſal marinus vel communis nuncupatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sale cibario foſſili & gemmeo.

PLurimæ ſunt Salis cibarii foſſilis ſpecies, coloris tantum ratione inter ſe diſcrepantes; gemmeus cryſtalli inſtar pellucidus, niveus, griſeus, ruber, flavus. Ad uſum Medicum gemmeus quaſi cœterorum puriſſimus anteponitur.

Subſtantia eſt octogona, cubica, ſaporis acris & ſalſi, gemmæ inſtar pellucida, quæ cryſtallum nitore & colore ſæpius imitatur. In teſſeras facile ſcinditur, & aqua ſolutus humoris exhalatione in cryſtallos perfecte cubicas concreſcit.

Ex Catalauniæ montibus prope Cardonam oppidum, necnon etiam ex profundioribus Poloniæ fodinis circa vicum Vilizcam dictum, ſexto a Cracovia lapide diſtantem, moles hujus Salis foſſilis prægrandes ſaxorum inſtar ferro exſcinduntur.

Eaſdem, quas Sal marinus, dotes obtinet.

Sal gemmeus ſtimuli loco clyſteribus & ſuppoſitoriis adjicitur ad fœces alvi induratas eliquandas & vacuandas.

℞. Mellis deſpumati ℥ij. Salis gemmei ʒjß. Coque ad convenientem duritiem, & fiant ſuppoſitoria. Vel

℞. Mellis ad juſtam duritiem cocti ℥j. Salis gemmei, pulver. Hieræ anæ ʒß. Dia-

ʒß. Diagryd. gr. iiij. M. F. ſuppoſitoria ad alvum nimis induratam ſollicitandam.

℞. Radicis Pyrethri ℥ß. Folior. Nicotianæ, Rutæ, ana M. j. Folior. Sennæ, Agarici, & pulpæ Colocynthid. ana ʒij. Coq. in aquæ com. q. ſ. ad ℥xij. In colatura diſſolve Salis gemmei ʒij. Solutioni adde vini ſtib. ℥iij. pro enemate in apoplexia, & ſoporoſis affectibus.

Sæpius his in affectibus clyſmata vel fortiora fruſtra, & ſine effectu uſurpantur, cum inteſtina paralyſi ſæpius afficiantur. Attamen acria hæc & ſtimulantia medicamenta procul rejicienda ſunt, ſi adſit inteſtinorum inflammatio.

Eaſdem ex Sale foſſili, & gemmeo Chymia præparationes conficit, quæ ex Sale marino fieri ſolent.

Sal gemmeus uſurpatur in Benedicta laxativa, & in Pilulis aggregativis ſeu polychreſtis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Sale cibario artificiali, & præſertim marino.

SAL cibarius artificialis ex aqua maris, fontium vel puteorum ſalſorum, ſolis ardore aut coctione concreſcit.

In Aquitania, prope littus maris, foveas excavant, quas argillacea terra obducunt: eas replet æſtus maris; & aqua ſolis ardore exhalata, Sal copioſus exſiccatus in fundo remanet.

Neuſtriæ populi in littore maris arenæ tenuis acervos conſtruunt, quos aqua marina ſæpius irrigare ſolent: humore ſolis radiis exhauſto, ſal inter arenas retinetur. Cum autem arena magna ſalis copia turget, eam aqua dulci decoquunt, lixivium Sale fœtum, & percolatum moderato ignis calore in plumbeis caldariis iterum decoquunt, ad certum quemdam ſpiſſitudinis gradum; tandem igne ſemoto, Salem in cryſtallos albicantes concreſcere ſinunt.

Sal ex ſalſorum fontium aqua, humoris aquei evaporatione conficitur. Sed dum aqua ſalſa decoquitur, fellis vel ſanguinis bubuli nonnihil permiſcetur, quo Sal in majora granula facilius concreſcat. Nam ramoſis fellis vel ſanguinis partibus bituminoſæ, & terreæ partes Sali permixtæ, quæ ejuſdem concretioni obſtant, arripiuntur, & in ſpumam abeunt, aut in colatoriis remanent.

Sal ille melius ſapit, qui ex aqua marina in ſalſis lacubus ſolis ardore concreſcit: qui vero ignis calore exſiccatur, plus habet amaritudinis. Verum qui ex aqua ſalſorum fontium vel puteorum conficitur, linguam acrius vellicat, ob majorem Salis alcali mineralis copiam, quæ cum ſale cibario permixta eſt; hinc cœteris citius liqueſcit.

Sal marinus ſolis ardore coagulatus, ut ad uſum culinarium, ſic ad Medicum cœteris anteponitur. Sapore eſt ſalſo ſatis noto, colore griſeo, ob admix-

admixtam terram. Si ſolvatur, & levi calore cryſtallizetur; in granula concreſcit albida, cubica.

Sal ex aqua maris aut fontium ſalſorum ignis calore exſiccatus, albus eſt; ſed figuram cubicam non exacte referunt ejus grana, ob diverſorum ſalium miſcellam.

Sal marinus priuſquam ignem expertus ſit, nec Syrupum violaceum; nec tincturam Heliotropii mutat, cum oleo Tartari non effervefcit, neque Calcis aquam turbidam efficit. Leve tamen aciditatis ſignum præbet, ſi affundatur ſpiritui urinoſo Salis Ammoniaci cujus pelluciditatem turbat. Infuſionem Gallarum etiam nonnihil obſcurat. Alcalinæ quoque indolis videtur, cum ſolutionem Mercurii albidam reddat, & calidam cum oleo Vitrioli effervefcentiam excitet.

Salis marini aqua ſoluti pars maxima, humore ad cuticulam uſque exhalato, in cryſtallos cubicas frigore concreſcit: altera vero portio, alcalina nempe, nonniſi calore exſiccari poteſt, nec ullam regularem figuram concretione effingit, humidoque aere brevi liqueſcit. Unde patet, Salem marinum ſalſum eſſe ex acido peculiari, & alcali minerali compoſitum, cujus acida pars ab alcali adeo eſt involuta, ut vim ſuam exerere vix poſſit.

Ex Sale marino per retortam ignis ope ſeparatur ſpiritus acidus, qui Heliotropii tincturam purpureo colore perfundit, & cum oleo Tartari vehementer effervefcit, ſed abſque calore; nequaquam vero cum aqua Calcis fervorem concipit.

Solus ille ſpiritus Aurum, & Stannum ſolvere potis eſt, non vero Argentum ac Plumbum: quin & eamdem facultatem ſpiritibus Nitri, & Vitrioli tribuit, qui ex Salis communis conſortio aquæ regales fiunt. Si acidus ille ſpiritus linguam vehementer lancinans Sale Tartari alcalino ſaturetur, in Salem ſalſum convertitur, qui marinum ſapore, & cubica figura apprime refert. Unde liquet quod jam ex ejus analyſi conſtat, Salem marinum acidum eſſe alcalino ſale perfecte ſaturatum.

Salis marini cryſtalli cubicæ in igne crepitant, ſeu cum fragore diſſiliunt.

Sal marinus nimiam fermentationem coercet, & putrefactionem præpedit; quare a Chymicis in plantis macerandis, ne putreſcant, adhiberi ſolet. Quod autem præſtat Sal marinus in herbarum maceratione, illud idem cum cibis permixtus in ventriculo peragit. Ciborum fermentationem nimiam, & putrefactionem præpedit, & vehementem cœterorum corporis liquorum æſtum cohibet. Præterea cum ſales volatiles urinoſos facile ſibi conſociet, & in ammoniacum convertat, humorum acredinem contemperare valet, & eorum depurationem per urinas promovere. Huc adde quod ſuis aculeis partes ſolidas leviter proritando, ſtimuli ad inſtar, fibrarum oſcillationes vividiores efficit. Unde corporis functiones felicius peraguntur. Hinc tot præclaræ dotes Sali communi tributæ, ut vis calefaciendi, exſiccandi, abſtergendi, digerendi, aperiendi, incidendi, ciborum appetentiam provocandi, venerem ſtimulandi, & putredini ac venenis reſiſtendi.

Interne adhibetur in difficili ciborum coctione, in eorum inappeten-

ten-

tentia, in obſtructionibus alvi, & urinæ. Cum autem Sal communis tanquam alimentum aut potius alimentorum condimentum interne adhiberi ſoleat, rarius veluti medicamentum præſcribitur. Quin imo ſæpius ægris interdicitur. Largiorem tamen illius uſum Helmontius ad renum calculum præcavendum magnopere commendat; qua de re non levis eſt controverſia. In dubio enim verſantur plerique Medici, utrum Sal communis calculi generationem præpediat, an potius promoveat. Plurimi conveniunt animalium terreſtrium, aquatiliumve carnes ſale conditas materiam calculi ſuppeditare, & ex horumce ciborum uſu ægros calculis obnoxios pejus ſe habere. Verum multum nobis videtur intereſſe diſcriminis inter Salem communem, & ſalſorum condimentorum muriam. Sal enim communis cum carnium ſucco, longo poſt tempore quamdam putrefactionem ſuſcipit, dividitur, attenuatur, & ſalis volatilis naturam induit; unde non eoſdem effectus quos antea conſequitur, ſed plane diverſos producit. Nam quandoquidem renum, & veſicæ calculi ex ſale alcalino volatili terreis, & ſulphureis partibus implicito conſtare videantur, ut ex eorum analyſi ſatis liquet; quodcumque hujus ſalis volatilis evolutionem aut productionem in chylo & in ſanguine cohibebit, calculorum generationem præpediet.

Verum id præſtat Sal marinus: econtrario muria, cum ad ſalis alcali volatilis naturam accedat, non modo hanc calculi cauſam non deſtruet, ſed etiam illam magis ac magis fovebit. Licet igitur muria calculoſis noxia ſit, non idcirco Salis communis uſum noxium eſſe concludendum eſt.

Quin imo ſi ejus moderatus ſit uſus, eum ad ſanguinis ſales nimis evectos ſibi conſociandos, & per urinæ vias ducendos aptum ac idoneum exiſtimamus.

At vero de immoderato illius uſu aliter cenſemus. Omnes enim corporis membranas vellicando, vehementiores fibrarum oſcillationes excitat, unde æſtus per totum corpus incenditur, vel etiam criſpaturas inducit: unde functionum læſio. Deinde cum Salium exuperantia acriores fiant corporis liquores, inſenſibilis perſpirationis materia craſſior, & acrior in ſumma cute inhæret, eam corrodit: unde pruritus, ſcabies, & alii cutanei affectus. Elephantiaſim in Bavariæ Ducatu frequentem Becherus immoderato ſalſamentorum uſui tribuit. A muriatico ſale ſcorbutus, quo diutius in mari degentes infeſtantur, ortum ducit.

Sal communis in os apoplecticorum ingeritur tum ad linguæ, palati, & faucium membranas proritandas, & ſoporem diſcutiendum; tum etiam ad lympham craſſiorem in earum partium glandulis inhærentem ſolvendam & foras eliminandam. In linguæ paralyſi apophlegmatiſmus paratur ex foliis Salviæ, & Sale communi.

Sal communis externe feliciter uſurpatur in humidis, & pituitoſis cerebri affectibus, in cephalalgia a cauſa humida ſeu catharro. Sic autem præſcribitur.

℞. Furfuris macri ℔ß. Milii ℥iiij. Salis communis ʒj. Torreſiant omnia ſimul in ſartagine: & fiant ſacculi duo interpuncti ut decet capiti imponendi.

Ex

Ex eo quoque paratur cataplaſma ſequens, quod proponit Riverius ad arthritidis materiam reſolvendam, & ad dolorem arthriticum vel iſchiadicum ſedandum.

℞. Furfuris Tritici ℔j. Salis ℥j. Sapæ q. ſ. Decoquantur ad formam cataplaſmatis parti dolenti applicandi.

Sal communis in unguento enulato uſurpatur.

Sal marinus a Chymicis plurimi æſtimatur, quod ſit Auri menſtruum ſeu diſſolvens particulare. Ex eo ſpiritum Salis, & aquam temperatam Baſilii Valentini ad uſum Medicum præparare ſolent.

Ad acidum Salis marini ſpiritum extrahendum prævia præparatione opus eſt, quam Salis calcinationem, & decrepitationem dicunt. Cum enim Salis marini granula ignis calore diſſiliant; vaſa, in quibus diſtillarentur, diſrumperent, niſi prius humor aqueus, quo turgent, calcinatione exhalaſſet. Oritur autem hæc crepitatio ab aquoſo humore inter ſalinas moleculas irretito, qui cum ignis calore ſubito rareſcat, exitum ſibi quærens, partes ſalinas, quibus detinetur, cum impetu disjungit. Sic autem inſtituitur hæc calcinatio:

Sal communis vaſe fictili, & operto incluſus, carbonibus accenſis imponitur, & calcinatur, ſpatula ferrea identidem agitando. Magnus fit ſalis ab igne excandeſcentis ſtrepitus. Relinquitur ſal tamdiu donec non amplius crepitus edat, ſed quietus ſub forma pulveris remaneat. Sic ſal, ut vulgo dicunt, decrepitatus, uſtus, calcinatus vel exſiccatus paratur.

Sal decrepitatus inſervit cœmentandis mineralibus, & metallis, ſpiritui ſalis diſtillando, & plurimis aliis chymicis operationibus.

Spiritus ſalis diſtillatio ſic perficitur.

℞. Salis decrepitati partem j. Argillæ figulor. part. ij. Pulverizata miſceantur, & ex his cum modica aquæ portione fiat maſſa, ex qua formentur globuli Nucum Avellanarum magnitudine, quibus blando calore prius exſiccatis, dimidia fere retorta luto undique obducta adimpletur, collocatur in furno reverberii, eique capax excipulum adjungitur. Tunc igne per gradus adhibito quouſque ſub finem retorta candeat, ſpiritus vaporibus albis diſtillatur. Verum cum nulli amplius fumi perſpiciuntur, tunc abſoluta diſtillatione excipulum amovetur, ſpiritus effunditur, & ſervatur. Hic, ſi lubet, rectificatur ſine ulla additione, phlegma inſipidum Alambicis ope in Balneo maris abſtrahendo, donec guttæ acidæ prodire incipiant: tunc ſpiritus intenſe acidus in Alambicis fundo remanet ad uſum ſervandus. Vel etiam rectificari poteſt, Zinchi vel lapidis Calaminaris additione, hac methodo:

In ſpiritu Salis, Zinchi vel lapidis Calaminaris q. ſ. ſolvunt. Solutionem ex retorta diſtillant, igne per gradus aucto: prodit primo phlegma inſipidum rejiciendum; tandem exit ſpiritus ſalis rectificatus, & an omni phlegmate ſeparatus, qui dicitur ſpiritus ſalis concentratus.

Spiritus ſalis dulcis efficitur, ſi ſpiritus ſalis pars una, & ſpiritus vini partes tres ſimul confuſe per aliquot hebdomadas leni calore digerantur. Tum mixtura odorem fragrantiſſimum acquirit; quæ ad uſum ſervatur, & dicitur *Aqua temperata Baſilii Valentini*.

Præ-

Præter Chymicos hujuſce ſpiritus uſus ad metalla aut mineralia ſolvenda, eorumque tincturas eliciendas, apud Medicos plurimum commendatur ad urinam promovendam, ad calculum præcavendum, ad hydropiſim curandam, ad ſitim in frebribus ardentibus extinguendam, & humorum malignitatem debellandam. Scorbuto, febribus malignis, & peſti maxime convenit, tam cum potu ſolito exhibitus, quam conjunctus Saccharo, quantum ſolvi poteſt, ut fiat liquor ſyrupi inſtar. Spiritus edulcoratus a guttis iij. ad xx. per ſe, vel ad gratam aciditatem in liquore convenienti præſcribitur: Syrupus vero ad ℥j.

Sic ad calculos renum diſſolvendos & expellendos præſcribi poteſt.

℞. Aquar. Fragariæ & Saxifragæ ana ℥iij. Vini albi generoſi ℥vj. Olei Amigdal. dulcium ℥ij. Spiritus Salis ʒj. Miſce pro tribus doſibus. Prima detur calide, quantum ferre poteſt. Poſt horas ſex detur ſecunda pari modo; ſi etiam hæc ſit inefficax, tertia pariter propinetur. In dolore nephritico ac calculo renum. Vel

℞. Aquæ Parietar. & Saxifrag. ℥iij Syr. Violacei ℥j. Sp. Salis guttas xv. vel xx. ad gratam aciditatem.

Idem ſpiritus ad calculum præcavendum quotidie mane per aliquot dies propinatur, vel in juſculo, vel in convenienti apozemate.

In hydrope ſpiritus ſalis dulcis ad gutt. xv. vel xx. vel ſyrupi acidi ex eodem ſpiritu ad ℥j. in decocti Baccar. Juniperi ℥vj. quotidie mane, jejuno ſtomacho, feliciter præſcribitur.

Verum hujus ſpiritus uſus ad hernias curandas prætermittendus non eſt. Quod quidem remedium Chriſtianiſſimi Regis munificentia & liberalitate ad populorum ſalutem publici juris factum fuit.

Spiritus ſalis vino rubro permixtus, ſed diverſa doſi, ratione ætatis, per dies ter ſeptenos mane, jejuno ſtomacho, exhibetur. Nec quidquam, niſi elapſis quatuor ab aſſumpto medicamento horis, aut cibi aut potus aſſumendum eſt. Si tamen ventriculus inde male ſe habeat, uno vel altero, ſi opus fuerit, die ab eo abſtineatur.

Doſis remedii pro infantibus ab annis duobus ad ſex erit guttar. iij. vel iv. cum vini rubri cochleari uno vel altero. Ab annis vj. ad x. ſpiritus ʒj. cum vini rubri ſextario exacte miſceatur. Cujus mixturæ ℥ij. præterpropter ſingulo mane hauriantur, ita ut hæc doſis pro ſeptem diebus ſufficiat. Abhinc reiteretur de novo remedium, uſque dum ter ſepteni dies ſub uſu ejus præterlapſi fuerint. Ab annis x. ad xiv. doſis ſpiritus erit ad ʒij. Ab annis xiv. ad xviij. ad ʒijß. ab annis xviij. ad lxxx. aut ad vitæ terminum, ad ʒv.

Spatio quatuor menſium ab incepto hujuſce remedii uſu dies noctelque ſubligaculum elaſticum chalibeatum ferendum, quo hernia exacte contineatur, nec unquam ſedendum, ſed ſtandum ſemper aut cubandum. Multa ſit exercitatio; nec equo, nec curru vel rheda vehendum; neque ullus in cibo vel potu, neque alius in diæta error committendus.

Cum ſubligaculo applicetur herniæ emplaſtrum ſequens, pilis prius eraſis.

℞. Maſticges ℥ß. Ladani ʒiij. Hypociſtid. ʒj. Nucum Cupreſſi ſiccatarum n. iij. Terr. ſigill. ʒj. Picis nigr. ℥iij. Terebenthin. Ven. ℥j. Ceræ nov. flav. ℥j. Rad. Conſolid. maj. exſic. ℥ß. Fiat ex arte emplaſtrum.

Pluri-

Plurimi acidorum uſum reformidant, ea opinione imbuti quod omnes fere morbi ab acido oriantur. Sed acidum illud in ſanguine commonſtrare nondum potuerunt. Econtrario morbos plurimos ab alcali in ſanguine redundante pendere demonſtratur.

Omnes, lacte excepto, corporis humani ſucci ſales continent, qui facile alcalinam indolem ſuſcipiunt. Illud non ſolum ex eorum analyſi patet, cujus ope nullum acidum, ſed magnam ſalis alcali copiam præbent: verum etiam ex penetranti & urinoſo eorum fermenteſcentium aut putreſcentium odore, necnon ex viridi colore quem Violarum tincturæ conciliant, manifeſtum eſt. Præterea ſi experimentis D. Colbatch celeberrimi apud Anglos Medici ſit habenda fides, inſtituta ſanguinis ſani & morboſi per chymicam analyſim comparatione, tantam alcalini ſalis in quorumdam ægrorum ſanguine exuperantiam reperiit, ut in iis ejus quantitas ſit ad ejuſdem in ſanguine ſanorum quantitatem ut 6. ad 4.

Sed ut rem altius inſequamur. Si quovis in morbo acidum manifeſtum ſe præberet, ſane in pulmonum ulceribus; attamen purulenta illa materies nullum acidum indicat. Non enim Heliotropii tincturam rubram efficit, econtra potentis alcalini ſalis notas exhibet, cum cæruleam Violarum tincturam in viridem mutet. Eoſdem effectus producit liquor ex hydropicis eductus. Idem præſtant purulenta abceſſuum materia, & ſubſtantia illa gypſea quæ in podagricorum tophis, nodiſque reperitur.

Objiciet fortaſſe aliquis ſalem alcalinum tanta vi non donari, ut tam atroces dolores excitare queat, quales patiuntur ægri lue venerea affecti, ut partes corrodere poſſit, ſicut ſcorbuticis evenit, aut alios ſimiles effectus edere valeat. Huic reſpondeo liquores lixivios apud Chymicos quotidie confici tanta corroſione præditos, ut ſpiritibus acidis vel valentioribus inferiores non ſint. Cauteria enim nihil aliud ſunt præter ſales alcalinos ignis ope ad cauſticitatem ductos.

His patet argumentis a ſale alcali potius quam ab acido plurimos oriri morbos & præſertim malignos & peſtilentiales, in quibus ea videtur eſſe ſanguinis diſſolutio ab alcali exſuperante, ut intra vaſa amplius contineri nequeat, & ſub cute diffluat & ſtagnet, unde maculæ rubræ aut puſtulæ: vel adeo acris & cauſticus fit, ut vaſorum extrema erodat, & hæmorrhagias letales producat.

Nec huic ſententiæ veterum & recentiorum Medicorum praxis repugnat: Plurimis in morbis acida tanquam præſtantiſſima præſidia commendarunt. In illis virtutem cardiacam, putredinis arcendæ, venenis reſiſtendi, febres fugandi, ſitim extinguendi, ciborum appetitum excitandi, refrigerandi, reſolvendi, ac diſcutiendi vires agnoverunt.

Sales acidi reſolvunt & coagulant ſub diverſo reſpectu: reſolvunt tartarea concrementa & ſanguinem grumeſcentem, quatenus ſcilicet alcalinos ſales a quibus hæc concrementa oriuntur, ſubigunt, & partium fibras ſtimulando earum oſcillationem augent, quibus ſanguis ſtagnans & grumeſcens vividius conteritur, ejuſque circulatio per tenuiſſima vaſa promovetur. Coagulant ſanguinem nimis ſolutum, & bilem tenuiorem ac rariorem factam, ſulphura nimis evecta inſpiſſando, ſaleſque volatiles figendo.

Peri-

Peritiores Medici in bilioſis febribus, & in putridis, ac peſtilentialibus, & in ſcorbuticis affectibus acida numquam omittenda pronuntiant.

Verum cum debiliora ſint acida e vegetalibus educta, & facile ab acrioribus ſalibus alcalinis edomentur ac in eorum naturam convertantur, iis anteponenda ſunt acida e minerali proſapia, quæ fermentationi valentius reſiſtunt.

Advertendum tamen, monente Riverio, in pleuritide, peripneumonia, hæmoptoe, phthiſi, cœteriſque pulmonum affectibus, (niſi a craſſa pituita illorum vaſa obſtruente ortum habeant,) ventriculi vel hepatis inflammatione, dyſenteria, ſanguinis mictu, renum & veſicæ ulceribus, acida plurimum nocere, & ab iis abſtinendum eſſe. Suis enim ſpiculis jam inflammatas membranas lancinant, inflammationem augent, unde tuſſis vehemens, colici dolores, & alii pravi affectus ſequuntur.

CAPUT SECUNDUM.

De Nitro ſeu Natro antiquorum, & Nitro recentiorum ſeu Sale petræ.

MAgnum intercedit diſcrimen inter Nitrum vel Natrum antiquorum, & Salem petræ noſtratem ſeu Nitrum recentiorum. In dubio enim eſt an Salem petræ noſtrum agnoverint veteres, necne? At vero Nitrum antiquis uſitatiſſimum, nobis fere ignotum eſt.

Nitrum veteres dixere ſalem acrem ſeu alcali ex Ægypto, & aliis locis eductum, quique cum acidis liquoribus effervеſcebat. Hoc utique inſtar ſalis lixivii tum pannis abſtergendis, tum vitro conficiendo utebantur.

Effervеſcentiam Nitri Ægyptiaci cum Aceto indicat Salomon *Proverbior. cap.* 27. ℣. 20. his verbis: *Acetum in Nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo*, ideſt, afflicto. Quæ quidem antipathia vel effervеſcentia de vulgari Nitro ſeu de Sale petræ, qui cum Aceto non tumultuatur, intelligi non poteſt.

Nitro, & Aphronitro in balneis frequenter utebantur antiqui: hinc ματρωνικὸν νίτρον, & Παρθένιον ab iis dictum fuit, ex eo quod matronæ, & virgines illud in lotionibus frequenter uſurparent. Hinc Jeremias *cap.* 2. ℣. 22. inquit: *Si laveris te Nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculatus es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus*. Quod Sali petræ non convenit, ſed Sali alcali lixivio, qui ex Ægypto Nitri vel Aphronitri nomine nonnumquam affertur, humi-

humido aere facile liqueſcit, cum aceto fermenteſcit, & abſterſiva virtute donatur. Quin etiam hiſce temporibus per Aſiæ minoris campos non procul a Smyrna, & Epheſo, terra in exiguos, ſed frequentes tumultus, quales a Talpis eruuntur, aſſurgit, Vere ſcilicet, & Autumno. Ex qua quidem terra lixivium ad eluendas veſtes parare ſolent indigenæ; vel etiam ex ſale, quem ex ea ſolius aquæ affuſione extrahunt, cum oleo ſaponem conficiunt, referente clariſſimo & doctiſſimo viro D. Tournefort.

Idem Nitrum antiquorum ad vitrum conficiendum cum arena uſurpari ſolebat, ſicut hodie ſal ex planta Kali elicitus; ut conjicere licet ex C. Taciti verbis *Lib. 5. Hiſtoriar.* Loquens enim de amne quodam Palæſtinæ & Ægypti finitimo, *circa cujus os*, inquit, *collectæ arenæ, admixto Nitro, in vitrum excoquuntur*.

Conſtat igitur Nitrum veterum a noſtro prorſus diſcrepare.

Verum hodie in Europa non modo inuſitatum eſt, ſed rariſſimum; licet apud veteres plurimi maximique uſus fuerit, tum ad medicamenta conficienda, tum etiam ad alia vitæ commoda. Balneorum enim frequentia immanem copiam Nitri, & Aphroniti exhauriebat. Serviebat tincturis, in condimentis uſurpabatur, & ad vaſa terrea illinenda nonnumquam radhibebatur.

Cum rariſſime ad nos afferatur, difficillimum eſt ſtatuere quidnam interſit diſcriminis inter Αφρονιτρον ſeu Nitrum Africanum vel Ægyptiacum quod & Baurac Arabum nobis videtur, αφρον τȣ Νιτρȣ, ſeu ſpumam Nitri, & Νιτρον ſeu Λιτρον Græcorum.

Nitrum veterum ſal erat nativus colore roſeo vel candido, ſapore amarcante, in igne non exiliens ſicuti ſal communis; neque inter carbones fulgurans ut Sal petræ recentiorum; ſed fuſilis, in bullas intumeſcens ſicut Alumen, & Borax, cum acidis æſtuans: unde ejuſdem indolis cum ſale tartari, aut cineribus clavellatis eſſe nobis videtur.

Nitrum recentiorum ſeu Sal petræ eſt ſubſtantia cryſtallina, alba, ſapore acri & amaricante, cum cujuſdam frigoris ſenſu, quæ in Cryſtallos priſmaticas, exhaedras, tenues, longas, & æqualiter craſſas concreſcit; quarum extrema in aciem vel in mucronem, pyramidis inſtar, acuminatum deſinunt. Aqua facile ſolvitur, ignis calore funditur abſque deflagratione, niſi aliquid ſulphurei vel carbones admoveantur: tunc enim flammam concipit, & vehementer fulgurat.

Sal petræ vel ſponte in antiquis muris effloreſcit, dummodo nimio imbre non perluantur: & flos Nitri dici poteſt, qui vulgo *Salpetre de Houſſage* nuncupatur; quia ſcopis converri & colligi ſolet. Vel ex ruderibus ſtabulorum, & cellarum, aut ex terris animalium lotio vel fimo identidem perfuſis decoquendo, extrahitur. Quidam Nitrum arte parant, terras latrinarum ſtercoribus, vel fimo columbino perfundendo, quorum ſales per tempus in Salem petræ convertuntur.

Cum Sal petræ nonniſi ex terris ſale urinoſo animali, aut vegetabili impraegnatis eliciatur, dubitant nonnulli, an ſal ille mineralis vel animalis proſapiæ ſit; quod quidem aliis judicandum relinquimus. Illum autem inter minerales ſales cum vulgo Chymicorum annumeravimus, ex eo, quod ex terris immediate extrahatur, nec niſi mediante terra ex animalium urinis vel fœcibus elici queat.

Ea eſt autem Salis petræ conficiendi & purgandi ratio. Terram quam guſtu

ſtu Nitro turgidam deprehenderunt, multa aqua ſolent diluere: lixivium ſeu aquam Nitro divitem, & percolatam ad juſtam conſiſtentiam vel craſſitiem, indeſinenter deſpumantes excoquunt: tum cupis, vel doliis calentem adhuc infundunt, & inibi per aliquot horas relinquunt, donec pene frigida ſit.

Interim ſal marinus quo ſemper turget Nitrum, in granula concreſcit, & liquoris fundum petit. Deinde liquorem Nitroſum educunt, relicto ſale marino: & in aliis cupis cellæ frigori exponunt, quouſque præbeat cryſtallos; quibus extractis, reliquum aquæ iterum igni admovent, donec ſpiſſior, & guſtu acrior percipiatur; frigori itidem exponitur, donec novæ cryſtalli concreſcant. Ultimo tandem remanet aqua acerrima, & amara, tactu pinguis, olei ad inſtar, quæ frigore numquam concreſcit: & *Aqua mater Nitri* dicitur, vulgo: *Eau mere de Salpetre*, quoniam terris inſperſa, eas ad novum Nitrum ſuppeditandum diſponit. Omnes demum cryſtalli aqua dulci rurſus diluuntur, & ſimili prorſus modo puriores efficiuntur. Quod bis, terve reiterari ſolet, unde Nitrum dicitur ſecunda vel tertia coctione purgatum, vulgo: *Salpetre rafine de la ſeconde ou troiſieme cuite*. Nonnumquam etiam optime purgatas cryſtallos ferreo cacabo igne vehementi fundunt; & toto humore exhalato, in unam molem denſam ac ſolidam concreſcere ſinunt, quam Nitri rupei nomine inſigniunt, vulgo: *Salpetre en roche*.

Sal petræ ſic purgatus in igne ſine ſtrepitu funditur, vehementer cum carbonibus fulgurat, vividam, non vero languentem flammam excitat, & perparum ſalis fixi ſuper carbonibus relinquit. Qui vero in igne crepitum edit, multum adhuc ſalis marini continet.

Sal petræ optime purgatus, a cœteris ſalibus diſtinguitur. 1. Fulguratione ſeu deflagratione quam experitur, dum inter carbones accenſos conjicitur: nequaquam enim deflagraret, niſi ſulphurea materia admoveretur. 2. Sapore qui linguam veluti frigiditatis ſenſu cum amarore quodam afficit. 3. Figura cryſtallorum, quæ in columnas exhaedras efformantur.

Sal petræ, priuſquam ignem expertus fuerit, nullum acidi indicium præbet. Heliotropii ſolutionem, & ſyrupum violaceum nequaquam mutat, lac non coagulat; ſanguinem tamen cogit, ejus ſerum ſpiſſius efficit, & in gelatinæ ſpeciem convertit. Nitrum ſolutum ſublimati corroſivi ſolutionem, poſt unius horæ quadrantem, lacteam reddit: ſalium alcalinorum more, Gallarum infuſionem turbidam efficit, & colore exalbido vel cinereo tingit. Attamen mirum eſt, quod vi ignis in vehementiſſimum liquorem acidum diffluat, qui Heliotropii tincturam, & ſyrupum violaceum colore rubro igneo inficit, lac ſtatim cogit, cum oleo tartari vehementer efferveſcit abſque ſenſibili calore, cum ſpiritu ſalis ammoniaci fervet & incaleſcit.

Hujus ſpiritus proprium eſt Argentum ſolvere, unde Aqua fortis vocari ſolet: eamdem vim conciliat ſpiritui Vitrioli, & ſpiritui Sulphuris, qui quidem ſine ſalis petræ ſpiritu huic ſolutioni impares forent. Aqua autem fortis Aurum intactum relinquit, quod Aqua regali tantum diſſolvitur.

Sali petræ vis refrigerandi ſeu ſanguinis æſtum demulcendi tribuitur: a peri-

peritioribus Medicis ad efferveſcentiam febrilem compeſcendam, ſitim ſedandam, & putredinem arcendam in primis in febribus malignis commendatur. Riverius eum virtute quadam diaphoretica donatum eſſe pronuntiat, & plurimi vim anodinam in eo prædicant: unde anodini mineralis nomine illum inſignierunt.

Verum nonnulli aliquid ignei, & cauſtici in Sale petræ ineſſe ſuſpicati ſunt. Eorum ſuſpicionis fundamentum fuit, tum ſententia veterum, qui ſuum Nitrum cauſticum dixerunt, tum etiam noſtri Salis petræ cum carbonibus deflagratio; quapropter igneam ejus qualitatem emendare tentarunt, Nitrum cum Sulphure comburendo, vel alia quapiam ratione. ſed perperam: commentitia enim eſt hæc cauſticitas, & inutiles ſunt tot Nitri correctiones, quibus depravatur potius quam emendatur. Et revera in eo Chymici melioris notæ conſentiunt quod Sal petræ optime purificatus, ſive cryſtallizatus, ſive igne fuſus, & in tabellas projectus ſub cryſtalli mineralis nomine, cœteris ejuſdem præparationibus anteponendus ſit.

Interne a granis duobus tribuive ad ℈j. in ſubſtantia exhibetur, doſes ter, quaterve de die iterando. Vel ſolvitur in ſoliti potus ℔ij. a ʒſs. ad ʒj. Simajori doſi exhibeatur ex. gr. ad ℥j. alvi fluxum concitare ſolet.

Præſcribitur in febribus ardentibus, & putridis, in pleuritide, perineumonia, angina, & inflammationibus quibuſcumque, in urinæ ſuppreſſione ab inflammatione renum vel veſicæ, in lochiorum ſuppreſſione, in hæmorrhagiis, & hæmoptyſi, in doloribus podagricis, & in affectibus melancholicis. Nec timendum eſt, ne illius uſus in acutis intempeſtivas diarrhæas inducat, ut recte monet vir doctiſſim. nec minus in arte Medica, quam Chymica verſatus G. Erneſt. Stahl Medicinæ Profeſſor Hallenſis, in ſua Diſſertatione *de Nitri uſu medico polychreſto*. Ille enim in diarrhæa, febribus malignis, vel etiam ipſis variolis ſuperveniente, Nitrum feliciter exhibuit. Cum enim diarrhææ quibus tunc afficiuntur ægri, prorſus ſymptomaticæ ſint, ſcilicet a nimia ſanguinis colliquatione oriundæ; Sal petræ maſſam ſanguineam leviter cogendo, non ſolum diarrhæam, ſed & alia ſymptomata ſæpe graviora mitigat, & cum debita cœterorum remediorum adminiſtratione prorſus extinguit. Si quæ tamen a Nitri uſu inducantur diarrhææ, ſalutares ſunt, ut obſervavit auctor; cum nempe oriantur a viſcerum inflammatione imminuta, vel ſedata. Quo fit, ut pravi ſucci quibus turgebant glandulæ, & vaſa remotis carceribus, per inteſtina prorumpant, & foras amandentur. Idem aſſerit, urinæ ſuppreſſiones, & ardores ab ejuſdem uſu efficaciſſime ſedari, & curari, dolores inflammatorios demulceri, & eryſipelaceos affectus ſanari. Puerperis lochiorum ſuppreſſionem patientibus, & in graves æſtus febriles prolabentibus, ſæpe & adeo felici eventu adminiſtravit, ut ſublato febrili æſtu, fluxus lochiorum placidiſſime reſtitutus fuerit. Nitri virtutem demulcentem in arthriditis paroxiſmis, in quibus dolores non ſolum articulos invadunt, ſed etiam ſæpe diaphragma aggrediuntur, non ſine ſummo ægrorum periculo, necnon etiam in cardialgia hyponcondriaca ſeu in flatulento ſpaſmodico affectu, quem uberiori ſanguinis ad ventriculum affluxui, vel levi hujus viſceris inflam-

flammationi tribuit, ſe pluries expertum fuiſſe narrat. Eodem quoque remedio hæmorrhagias, & præſertim hæmoptyſim oppugnavit, & expugnavit.

Licet de interno Salis petræ uſu nihil metuendum cenſeat celeberrimus ille Medicus, eum tamen in ulceroſis affectibus, & in vera phtyſi nihil juvaminis afferre, verum etiam aliquam majoris irritationis ſuſpicionem inferre videri pronuntiat: quapropter his in affectibus ab eo abſtinendum eſt.

In febribus inflammatoriis, & malignis ſic præſcribi poteſt.

℞. Diaphor. miner. ʒij. Corall. rubr. Matris Perlar. pp. ana ʒß. Nitri purificati ʒj. M. F. pulvis, cujus doſis ʒj. tertia quaque hora exhibenda, cum Aq. Card. bened. q. ſ. Vel

℞. Bezoard. miner. ʒiij. Nitri purificati ʒij. Caphuræ ʒj. Miſce cum ſyr. Caryophyllor. hortenſ. vel ſyr. flavedinis Citri q. ſ. Fiat bolus cujus doſis ʒj. Vel

℞. Aquar. Ulmar. Meliſs. & Card. bened. ana ℥ij. Cryſtalli mineral. ʒj. Syr. Limonum ʒj. M. F. julap. cochleatim exhibendum.

Rarior eſt Salis petræ uſus externus, niſi cum gargariſmatibus permixti. Horum autem formulæ ſequentes in ſumma linguæ aſperitate, ſiccitate, aut nigredine uſurpari poſſunt.

℞. Salis Nitri purificati ʒj. Succi vel aq. Sempervivi ℥v. Fiat gargariſma quo lingua, & fauces utiliſſime abluuntur. Vel

℞. Butyri recentis in aq. Solani loti ℥ij. Cryſtall. mineral. ʒß. Miſceantur, & mixtura ſervetur in aqua frigida. Detur Piſi vel Fabæ magnitudine ſæpius in die, & diu in ore detineatur.

In angina ex ſale Prunellæ vel Nitro purificato hac ratione parari ſolent gargariſmata.

℞. Decocti Hord. & Agrimon. ℥vj. Cui diſſolve Sal. Prunell. ʒj. Diamori ℥j. M. Fiat gargariſma. Vel

℞. Aquar. Plantag. Solani & Caprifol. ana ℥ij. Mell. roſacei ℥j. Sal. Prunell. ʒj. M. F. gargariſma.

Cryſtallum minerale in apozematibus, & potionibus laxantibus ſæpius olim præſcribebatur; nunc vero rarius uſurpatur, niſi cum imminente viſcerum inflammatione, aut æſtuantibus humoribus, purgandi neceſſitas urgeat. Medicamentorum enim purgantium tincturæ longe melius eliciuntur ope ſalis Tartari, aut Nitri fixati, & eorumdem vis cathartica multo magis augetur. Tartaro ſolubili, Sale polychreſto, Tartaro vitriolato, aut Arcano duplicato quam Nitro purificato, aut Chryſtallo minerali.

Nonnulli Nitrum purificatum in hydrope ſpecificum prædicant. Idem Sal cum quarta parte Croci Martis tanquam arcanum ſpecificum in hydrope pluribus abhinc annis, nec ſemper abſque eventu proſpero, a quibuſdam Monachis circumfertur. Hujus mixturæ grana xvj. quater in die exhibent, & præterea ejuſdem ʒj. in ſoliti potus ℔ij. intra unius, diei ſpatium hauriendis diſſolvunt.

Sal petræ apud Chymicos maxime uſitatus, ænigmaticis nominibus ſæpe abditus fuit: nam modo Sal Sulphureus, Sal infernalis, modo Cerberus Chymicus, aut Serpens terrenus nuncupatus fuit.

Plurimæ ex eo conficiuntur præparationes, inter quas primum locum tenet ejus purgatio, qua ſal marinus cum eo permixtus ſecernitur, & pinguedo quædam eluitur. Hæc autem variis ſolutionibus, & cryſtallizationibus eo, quem ſupra recenſuimus modo perficitur.

Altera præparatio eſt ejuſdem fuſio, quæ Cryſtallum minerale, & a quibuſdam Lapis Prunellæ dicitur. Quidam ad hanc operationem conficiendam Nitro in crucibulo fuſo quamdam ſulphuris portionem injiciunt. Sed hac ratione Nitri vim refrigerantem deſtruunt; & aliud compoſitum inde exſurgit ad ſalem polychreſtum proxime accedens.

Tertia Nitri præparatio eſt ejuſdem cum ſulphure calcinatio, quæ ſic peragitur.

♃. Nitri puriſſimi, Sulphuris communis ana p. æq. Terantur ſubtiliſſime, cribrentur, & miſceantur. Hic pulvis per vices ingeratur in crucibulum ſuper carbonibus ignitum; ceſſante deflagratione, calcinetur maſſa ſuperſtes igne vehementi per horam unam. Tum eam ſolve aqua ferventi, ſolutionem per chartam emporeticam cola, & evapora ad ſiccitatem. Remanebit ſal albiſſimus Polychreſtus dictus, qui ejuſdem eſt indolis, & virtutis cum Nitro vitriolato, de quo poſtea.

Quarto, calcinatur quoque Nitrum cum pulvere carbonum, & fit Nitrum fixum ſeu alcalizatum, cujus ea eſt conficiendi ratio.

Fundatur Nitrum puriſſimum in crucibulo inter prunas candentes cum inſtar aquæ fluxerit, pulveris carbonum ligneorum portio aliqua ſucceſſive injiciatur, fiet magna deflagratio cum ſtrepitu; qua ceſſante, iterum injiciatur carbonum pulvis; quæ projectio toties repetatur, donec non amplius inflammetur Nitrum, ſed remaneat ſub forma maſſæ duræ, ſiccæ, & vireſcentis. Et erit Nitrum fixum in ſalem alcali converſum: quod ſolutione, & percolatione poteſt purgari, & in ſalem album exſiccari, cujus eædem erunt, quæ ſalis Tartari virtutes.

Ex hoc ſale per ſe liquato obtinetur liquor Nitri fixi, qui *Alkaeſt* ſeu menſtruum univerſale Glauberi dicitur. Menſtruum eſt alcalinum apud Chymicos celeberrimum, & uſitatum ad tincturas ex ſulphureis trium regnorum mixtis extrahendas.

Tandem diſtillationis ope ſpiritus acidus ex Nitro extrahitur, variis operandi methodis.

1. ♃. Nitri puriſſimi, probe exſiccati partem j. Boli vel Argillæ ſicc. par. iij. Omnia exacte pulverizata, & mixta diſtillentur, ut artis eſt, ex retorta fictili in igne reverberii, applicato excipulo vitreo ampliſſimo: ita tranſibit ſpiritus Nitri ſub ſpecie vaporis rubicundi, inſtar ſanguinis, quem Chymici Cruorem Salamandræ vocant. Hunc ſpiritum flavum, & fumantem ex recipiente exime, & uſui ſerva. Sic enim paratus nulla indiget rectificatione.

2. ♃. Nitri puri par. j. Vitrioli ad flavedinem calcinati part. ij. Hæc mixta diſtillentur per retortam ex arte, donec non rubri, ſed ex fuſco rubicundi halitus ceſſent: tum ſpiritus effunditur, & ad uſum ſervetur. Dicitur Aqua fortis, vel Aqua ſeparatoria, ex eo quod Argentum ſolvere, Auro prorſus intacto,

ćto, & ſecernere valeat. Nihil a Vitriolo ſpiritus ille mutuatur, nec a ſpiritu ſupra deſcripto diſcrepat.

3. ℞. Nitri puri & exſiccati ℔ij. Olei Vitrioli rectificati ℔j. Committantur retortæ, & diſtillentur ad ſiccitatem. Obtinetur ſpiritus Nitri valentiſſimus. In fundo ſupereſt maſſa ſalina, quæ Nitrum vitriolatum nuncupatur; & idem eſt ſal, ac ille qui lixiviatione obtinetur ex capite mortuo poſt aquæ fortis diſtillationem reſiduo.

Ambo iſti ſales ſub nomine Arcani duplicati, Salis Ducis Holſatiæ, Panacææ duplicatæ, vel Salis de duobus, a Chymicis multum celebrantur: nec tamen a Sale polychreſto, vel etiam a Tartaro vitriolato differre mihi videntur. Hi omnes Sales rite præparati, indiſcriminatim uſurpari poſſunt. Cum purgantibus feliciter adhibentur ad eorum vim augendam, & ad craſſos, lentos, ac tenaces humores incidendos & foras per ſeceſſum & urinas amandandos; urinas enim movent, & alvum ſubducunt. A ʒß. ad ʒj. in purgantibus potionibus, apozematibus alterantibus præſcribuntur; vel etiam ex iis aquæ minerales artificiales parari poſſunt, ut jam diximus. In chronicis morbis a viſcerum obſtructione utiliter uſurpantur.

Obſervandum eſt, Nitrum vitriolatum & Sal polychreſtum, niſi accurate calcinata fuerint, nauſeas & vomitum excitare. Quapropter attendendum eſt ne Vitriolici ſaporis aut odoris ſulphurei quidpiam retineant: alioquin nova opus eſſet calcinatione.

Ex ſpiritu Nitri Aqua Regia paratur, quartam partem Salis Ammoniaci in eo ſolvendo; & tunc non amplius Argentum ſolvit, ſed Aurum: quare lavacrum minerale Solis dicitur.

Raro ſpiritus Nitri ad uſum internum adhibetur. Qui vero huic uſui deſtinatur, cum ſpiritu vini ſic mitigari ſolet.

℞. Sp. Nitri opt. part. j. Sp. vini rectif. part. iij. Digerantur ſimul per aliquot hebdomadas; & erit ſpiritus Nitri dulcificatus, qui viribus a Sp. ſalis dulci facto non diſcrepat. Efferveſcentias febriles compeſcit, præſertim in febribus malignis. Sed ſpeciatim in colica flatulenta, & in aliis flatuoſis affectibus, cœteris ſpiritus acidis anteponitur: unde Spiritus carminativus ſeu anticolicus a quibuſdam appellatur.

Nullus non novit ex Nitro cum Sulphure & carbonibus pulverem pyrium, & ex eodem cum Sulphure & Sale Tartari pulverem tonitruantem præparari, quorum uſus in Medicina rariſſimus eſt.

CAPUT TERTIUM.

De Vitriolo.

Vitriolum *Off.* cujus nomine a vitro deductum volunt, quod vitri colore & pelluciditate donetur, a Græcis Χάλκανθον dictum fuit, quaſi

Æris efflorescentia; a Latinis Atramentum ſutorium, quod eo coria nigro colore tinguntur; & ab Italis Cuperoſa, quaſi Cupri eroſio. In varias diſtinguitur ſpecies. Ratione nativitatis, dividitur in nativum & factitium. Nativum, quod Cryptarum metallicarum concamerationibus adhæret, ſive ſtriarum, ſive cryſtallorum forma; & a Græcis ςαλακτικόν dicitur. Factitium adhuc duplex eſt: vel enim vitriolicæ quarumdam minerarum aquæ decoquuntur, & frigore poſtea in cryſtallos concreſcunt; & hoc Vitriolum Græci πηκτὸν nuncuparunt, vel ἑφθὸν: vel ex pyritis quodammodo corruptis & fermentatis Vitriolum ope aquæ extrahitur & coquitur; quæ quidem Vitrioli conficiendi ratio Græcis ignota fuiſſe videtur. Vitriolum in cryſtallos concretum ab eadem forma λογχωτόν & πινάριον aut forte πινάκιον ab iiſdem dictum fuit.

Ratione coloris, Vitriolum diſtinguitur in album, cœruleum, & viride. Vitriolum album, vulgo, *Couperoſe blanche*, ex Germania ad nos advehitur concretum in moles craſſiores, albas, Sacchari inſtar; ſapore ſubdulci & adſtringente.

Errant qui Vitriolum album Goslarienſe nihil aliud eſſe præter Vitriolum viride ad albedinem uſque calcinatum aſſerunt. Album enim Goslariæ Vitriolum in vitriolicis fodinis ſponte efflореſcit ſub lanuginis ſpecie; quæ aqua ſoluta ad debitam ſpiſſitudinem excoquitur, donec in maſſam albam Sacchari inſtar concreſcat. Nonnunquam etiam in iiſdem fodinis translucida, cryſtalli inſtar, hujus Vitrioli fruſtula reperiuntur. Vitriolum album Goslarienſe, vel ferri mineram adhuc immaturam, vel fortaſſe lapidem calaminarem aut plumbum cum ferri minera mixtum continet.

Vitriolum cœruleum eſt, tactu ſiccum & concretum in cryſtallos cœruleas Saphyrorum inſtar, quæ figuram exhibent rhomboidalem, decahedram & depreſſam. Variis in locis præparatur, ſed præcipue in Cypro & in Hungaria; unde Hungaricum & Cyprium dicitur. A cupro quo turget, elegantem cœruleum colorem obtinet. Saporis eſt auſteri cum ſumma acredine.

Vitriolum viride ſeu herbaceo colore donatum varia obtinet nomina, pro variis locis in quibus oritur. Eſt enim Romanum, Piſanum, Suecicum, Anglicum, vel noſtras. Ferri plurimum continet, a quo viridis color. Vel in cryſtallos grandiores & rhomboidales concretum, vel in maſſas ex variis granulis cryſtallinis coacervatas nonnunquam leviter unctuoſas & manibus adhærentes compactum, in officinis reperitur. Saporis eſt acris ſtyptici.

Vitriolum revera eſt ſal acidus vitriolicus, qui Veneris vel Martis metalla corrodendo, cum iis coagulatur, & ita concreſcit in corpus translucidum, cœruleum vel viride pro metallo ſoluto. Quidam præterea Vitrioli rubri mentionem faciunt: ſed quidnam ſit iſtud Vitriolum non novi.

Variis artibus Vitriolum ex aquis, terris, lapidibus chalcanthoſis, pyrite in primis, eruitur.

Olim in Cypro Galeni temporibus Vitriolum cœruleum ex aqua vitriolica ſolis ardore exhalata præparari ſolebat; nunc idem Vitriolum cœruleum in quibuſdam Hungariæ Ærifodinis prope Smolnikium & Neuſolium, ex aquæ quorumdam fontium vitriolicum decoctione & evaporatio-

tione conficitur ; nec diſſimili ratione in aliis Germaniæ locis viride præparatur.

In agro Senenſi variis ablutionibus extrahitur Vitriolum ex terra cinerea, maculis nonnullis reſperſa, quarum aliæ ferri rubiginem, aliæ æruginem colore referunt, cum odore ſulphuris graveolenti, ac fœtido, & acerbo ſapore. Illud Vitriolum ex ferro & cupro ſimul mixtis colorem obtinet ex cœruleo viridem.

Apud Anglos in vico Debtford circiter ſex millia a Londino diſtante, Vitriolum viride conficitur ex pyritis, quæ lapides ſunt graves, denſi, externe fuſci ; interne vero radios exhibent a centro ad circumferentiam protenſos, Aurichalci ſplendore nitentes, & guſtu prorſus inſipidos : qui quidem lapides, ſi aeri libero diutius exponantur, quadam intus ſuſcepta fermentatione, ſponte dehiſcunt, & in hiantibus rimulis certa quædam lanuginis albæ & ſalinæ ſpecies effloreſcit, quæ ſaporis eſt acidi & ſtyptici, ac tandem tota lapidi ſubſtantia ſolvitur, & in terram ſeu pulverem ſubtiliſſimum ſalinum ſaporis vitriolici & ſulphurei odoris redigitur. Si vero pyritæ integræ igne comburantur & calcinentur, fumum copioſum exhalant cum odore ſulphureo, & calx rubra remanet, quæ nonnihil ferri & cupri continet.

Ea eſt Vitrioli ex pyritis educendi ratio. Pyritæ integræ per ſpatioſam aream ſparguntur, ad trium circiter pedum altitudinem ; ibi ſub dio per triennium exponuntur, & ſingulo ſemeſtri ſubvertuntur, ut facilius ſolaribus radiis calcinentur, & imbrium aqua macerentur : ſic relinquuntur, donec prorſus calcinatæ, in terram vitriolicam redactæ fuerint. Tunc aqua pluvialis quæ hanc terram perluit, per tubulos & canales derivata, in ciſterna recipitur & aſſervatur. Deinde in vaſe plumbeo amplo ad debitam ſpiſſitudinem excoquitur, injectis prius ſcrutis ferreis quæ a lixivio promptiſſime conſumuntur. Tum in aliud vas plumbeum liquor ad refrigerandum effunditur, immiſſis aſſeribus aliquot, quibus adhærens concreſcat in lapillos Vitriolum.

Cum autem pyritæ plurimo ſulphure turgent, ut in iis ex quibus apud Suecos & in agro Leodicenſi Vitriolum conficitur, eo quem dicemus modo, cum de Sulphure agemus, ex pyrite ſulphur per deſcenſum elicitur, quod reliquum eſt, crematur, & ex eo fit lixivium quod percolatum in cortinis ſeu vaſis plumbeis excoquitur, & in loco frigido ad cryſtallizandum reponitur.

Vitrioli ſolutio Heliotropii tincturam leviter purpuream efficit, lac cogit, ſyrupum violaceum colore ſubviridi inficit, ſublimati corroſivi ſolutionem non mutat : cum ſolutione ſalis tartari aut cum aqua calcis confuſa, colore ſubfulvo, vel thalaſſino tingitur : Gallarum infuſioni colorem nigrum ſeu atropurpureum conciliat, quod quidem Vitrioli proprium eſt.

Analyſi chymica, liquor acidus, ſed nonniſi magna ignis vi, ſub ſpiritus vel olei nomine e Vitriolo extrahitur, qui igneo colore Heliotropii tincturam & ſyrupum violaceum tingit, lac & ſanguinem coagulat, & cum alcalino ſale magnam efferveſcentiam cum calore ſuſcipit. Oleum Vitrioli, liquor nempe acidus valentiſſimus, cum aqua communi permixtus vehementer incaleſcit ; cum ſale ammoniaco multum efferveſcit cum inſigni refrigeratione, dum fumus qui inde exhalat, tactu calidus percipitur.

pitur. Poſt Vitrioli diſtillationem, in retorta remanet terra ſubnigra vel rubra, quæ Colcothar dicitur; & prout ex cœruleo vel viridi Vitriolo oritur, cupri aut ferri Calx eſt, vel, ut ajunt, Crocus.

Ex his liquet, Vitriolum componi ex ſale acido a partibus metallicis ſubacto: quod quidem facile demonſtratur, tum ex Vitrioli analyſi chymica, tum etiam ex variis Vitrioli arte parandi rationibus. Si enim ſpiritus Vitrioli Limaturæ Martis affundatur, fit optimum Vitriolum viride; vel etiam ſi laminæ cupri cum ſulphure in crubiculo ſtratificentur & calcinentur, aqua in qua maſſa ſuperſtes per aliquod tempus ebullierit, rite exhalata, remanet Vitriolum cœruleum genuinum.

Quæ Vitriolo a Chymicis aſſignatæ ſunt vires, fidem humanam pene ſuperant; licet eventus promiſſis non reſpondeat. Dioſcorides in Chalcantho vim emeticam agnoſcit: contra fungos comeſtos, & contra lumbricos latos in inteſtinis nidulantes, cum aqua potum, medicinam eſſe narrat; & idem aqua dilutum & in vellere naribus immiſſum, caput purgare aſſerit. Præterea Chalcanthum inter adſtringentia calefacientia & cauſtica enumerat. Plinius illud oculorum affectibus, ſanguini ſiſtendo & ulceribus ſanandis aſſignat; & Galenus ad collyria uſurpabat. Hodie in uſum medicum vocatur, tum ad vomitum ciendum, vermes necandos, ſanguinis profluvia ſiſtenda, ulcera detergenda, & inflammationes compeſcendas. Sed interne raro abſque præparatione exhibetur. Externe Vitriolum album potiſſimum uſurpatur in collyriis, quæ ad oculorum inflammationes temperandas, diſcutiendas, & ad fluxionem arcendam ſic præparari poſſunt.

℞. Vitrioli alb. ℈j. Aq. Roſar. vel Plantag. ℥iiij. Vitriolum in aqua calida diſſolvatur. Coletur aqua per linteum, & in oculis inſtilletur. Si acrimonia ſua nimis vellicet, additione ejuſdem aquæ temperabitur. Vel

℞. Rad. Ireos Florent. ℈j. Aquar. Roſar. & Plantag. ana ℥iij. Bulliant lento igne ad tertiæ partis conſumptionem. Colaturæ adde Vitriol. albi gr. viij. Fiat collyrium.

Vitriolum cœruleum pulverizatum ad extrema vaſorum unde ſanguis erumpit, in vulneribus applicatur; vaſaque cauterizando, & ſanguinem in grumos condenſando, hæmorrhagias ſiſtit.

Inter Vitrioli præparationes primum locum obtinet ejus purificatio, quæ Gilla Vitrioli dicitur. Ad hanc præparationem Vitriolum album præſertim eligitur, quod ſolutionibus, percolationibus, & exſiccationibus bis terve repetitis purificatur; & tunc a ℈j. ad ʒj. cum liquore convenienti epotum, vomitum movet.

Paracelſus & cœteri Chymici Gillam Vitrioli tanquam præſtantiſſimum emeticum commendarunt. Non ſolum enim blanda vomitione ventriculum exonerat, ſed poſt vomitum ſua adſtrictione hujus viſceris & inteſtinorum tonum firmat; unde in diarrhæis & dyſenteriis feliciter exhibebatur. Gilla maximi fuit uſus, antequam nota fuiſſent emetica antimoniata & Ipecacuanha: nunc vero fere obſolevit.

Diſtillationis ope, ſpiritus & oleum ex Vitriolo eliciuntur hac ratione.

℞. Vi-

℞. Vitrioli viridis quantumlibet. Calcinetur; ut artis eſt; ad albedinem uſque. Eo tunc adimpleatur retorta figulina; ita ut pars ejus tertia ad minimum vacua remaneat. Inſtituatur diſtillatio in furno reverberii, primo quidem leni igne: ita enim exſudat ros ſeu portio phlegmatica Vitrioli. Ignis ſucceſſive augeatur, donec guttæ prodeant acidæ: tum mutato recipiente, & commiſſuris exacte lutatis, ignis urgeatur per gradus ad extremum, qui per trium quatuorve dierum, & noctium intervallum uno, & eodem tenore fovendus eſt, donec nulli fumi vel vapores albi ex retorta prodeant. Tunc omnibus refrigeratis, liquor exciρulo contentus in retortam vitream infundatur; & vitreo recipiente accomodato, balneo arenæ rurſus diſtilletur. Qui prodit liquor acidus, ſpiritus Vitrioli dicitur; qui vero remanet gravis ac ſumme acidus humor, oleum Vitrioli nuncupatur.

Spiritus, & oleum in eo tantum differunt, quod in ſpiritu ſal acidus majori phlegmatis copia ſit dilutus, minima vero in oleo.

Si dum peragitur diſtillatio, aliquot fiſſuris dividatur retorta, non amplius oleum Vitrioli fixum prodibit; ſed ſpiritus Vitrioli ſulphureus, tenuis, & ſumme volatilis, ut obſervavit clariſſ. D. G. Erneſt. Sthal. Spiritus hic ſulphureus, & volatilis Vitrioli a Chymicis multum expetitur, & commendatur. Ex eo Paracelſus ſuum diaphoreticum in peracutis ſic præparavit.

℞. Spiritus volatil. Vitrioli ℥j. Spiritus Tartari rectif. ℥iij. Aq. Theriacal. ℥v. Fiat mixtura de tribus dicta. Sudores movet, putredini reſiſtit, & in morbis malignis felici cum ſucceſſu a ℈j. ad ʒj. exhibetur.

Spiritus Vitrioli, ſicuti cœteri ſpiritus acidi, humores æſtuantes compeſcit, hæmorrhagias ſiſtit, & urinas movet. Febres intermittentes ſæpius ſedat, ineunte paroxiſmo, in aquæ cyatho ad gratam aciditatem exhibitus. Dulcior fit hic ſpiritus digeſtione cum ſpiritu vini rectificato.

Oleum Vitrioli cauſticum eſt pluribus operationibus chymicis inſerviens. Eædem ſunt ejus cum ſpiritu Vitrioli dotes; ſed minori doſi exhibetur. Ea eſt autem acidorum ſpirituum præſcribendorum ratio, ut liquori convenienti guttatim affundantur, donec illi gratam concilient aciditatem.

Ex oleo Vitrioli cum ſalis Tartari q. ſ. ſaturato, & mitigato paratur Tartarum vitriolatum, cujus vires recenſuimus, cum egimus de Arcano duplicato, & Sale polychreſto, a quibus non diſcrepat. Ex eodem oleo Vitrioli, Sal & Vitriolum Martis conficiuntur, de quibus, cum de ferro agemus.

Maſſa quæ ſuperſtes manet poſt Vitrioli diſtillationem, *Colcothar* dicitur. Terra eſt rubra, Martialis, ſalis vitriolici portione aliqua adhuc fœta. Hæc terra multoties lota, & ſiccata, adſtringens eſt; & externe vulneribus admota, ſanguinem ſiſtit. Ex ejus lotionibus ſal extrahitur, qui ſal fixus Vitrioli, vel ſal Colcotharis dicitur. Dum Colcothar non multum calcinatum fuit, ſal ejus ſubviridis eſt, & vomitum excitat: ſi vero optime calcinatum fuerit, albus erit, & pellucidus, nec vomitum movebit; ſed diureticus fit, & aperiens. Sal ille, utut fixiſſimus, quique vehementi plurium dierum igne elevari non potuit, fit tamen volatilis ope Boracis, & ſub floris ſalini argenteo ſplendore nitentis ſpecie ſublimatur. Ea eſt hujus

ſalis

ſalis conficiendi ratio, quam D. Homberg vir ſane in rebus chymicis ac phyſicis peritiſſimus publicam fecit.

℞. Salis fixi Vitrioli probe calcinati, & Boracis ana ℥ij. Solvantur ſeorſim in aquæ calidiſſimæ lib. iiij. Solutiones confundantur ſimul; liquores mixti turbidi fiunt. Per chartam emporeticam tranſcolentur: & alambicis vitrei ope, diſtillentur ad ſiccitatem. Omni humore exhalato, flores argentei ſalini ex ſalina maſſa ad capitellum elevantur, & ſublimantur; ſeparandi ſunt, & ad uſum ſervandi. Sal fixus in alambicis fundo remanet, cui nova aqua affunditur; & diſtillatione rurſus inſtituta, poſt humorem novi ſublimantur flores denuo ſecernendi. Toties iteratur aquæ affuſio, & diſtillatio, donec ſal omnis in flores elevatus fuerit.

Eadem fieri poteſt præparatio, ſi loco ſalis fixi Vitrioli, ejus oleum adhibeatur, & miſceatur cum Boracis quantitate dupla: tunc nulla fit præcipitatio, & nihilominus flores elevantur prioribus haud abſimiles. Flores illi guſtu fere inſipidi ſunt, & aqua difficile ſolvuntur. Febrilem ſanguinis æſtum compeſcunt, præſertim in febribus ardentibus; delirium ſedant; motus ſpaſmodicos, & hypochondriacos ac hyſtericos paroxiſmos, ſaltem ad tempus, pacare valent: uno verbo anodinum eſt præſtantiſſimum; & quidquid Vitrioli ſulphuri aut Archæ ſedatori tribuerunt Chymici, ſal ille merito ſibi vindicat. Doſis a gr. iij. ad gr. x. in quovis liquore idoneo.

Obſervandum tamen eſt ab hoc ſale volatili Vitrioli abſtinendum eſſe in pulmonum inflammatione, in ſanguinis ſputo, & cœteris pectoris affectionibus inflammatoriis. Licet enim guſtu inſipidus percipiatur, ſpicula tamen acida recondit; quæ paulatim evoluta, pulmonum membranas irritare, & tuſſim excitare valent.

Ex Vitriolo paratur quoque pulvis ille celeberrimus, quem Sympathiæ nominant. Ad eum conficiendum, Vitriolum Romanum diebus canicularibus Solis radiis exponunt, donec in pulverem album vel flaveſcentem redactum fuerit: tunc in vaſe accurate clauſo ſervatur ad uſum. De hoc pulvere Dygbæus, & alii mira prædicaverunt, quæ non ſemper experientia confirmata ſunt. Attamen ſanguinem e vulneribus profluentem ſiſtit, ſi linea penicilla hoc pulvere conſperſa vaſorum extremis apertis admoveantur. Quidam hoc ſolo pulvere vulnera ſanare tentant: nonnunquam tamen gummi Tragacanthum æquali portione illi adjungunt, cum pus e vulneribus manat.

CAPUT QUARTUM.

De Alumine.

QUOD Græci συπτερία & Latini Alumen dixere, ſalis genus eſt, vel nativum, vel arte elaboratum. Alumen naturale, vel liquidum, concretum. Liquidi ſpecies duæ ab antiquis obſervatæ ſunt, purum unum, impurum alterum. Purum, quod etiam Φόριμον a Galeno dicitur, quia

quia vilis pretii erat & ubique reperiebatur, limpidum erat vel lacteum, æquale, & ſemper ſucco madens. Impurum, quod παράφορον nuncupatur, quia ſordibus inquinatum erat, pallidum & ſcabrum. Concretum vero a veteribus figura diſtinguitur: nam aut ſciſſum, quod ex eo σχιστὸν vocant, & eſt cujuſque gleboſi veluti flos; cujus etiam duo modi ſunt. Vel enim glebarum, vel aſſerum inſtar compactum eſt; aut ſigillatim in capillamenta quædam caneſcentia finditur, quod inde τριχῖτις quaſi capillare nominatur. Vel eſt rotundum, & στρογγύλον appellatur; cujus triplex differentia. Vel enim rarius eſt, & bullarum modo intumuit, aut foraminibus fiſtuloſis quamdam ſpongiæ gerit ſpeciem: vel eſt fere rotundum, & aſtragali ſimile, quod ἀστραγαλωτὴ στυπτηρία vocatur; aut lateris; quod πλινθῖτις aut ex cruſtis conſtat, quod πλακῖτις.

Alumen arte factum diſtinguitur tantum ratione regionum; ejuſque plurimæ ſunt ſpecies, cum fere nulla ſit regio, in qua non conficiatur. Dicitur vero rupeum, ſive quod ex ſaxo fiat, ſeu exciſa rupe; ſive quod in moles grandiores, & quaſi ſaxeas afferatur. Glaciale quoque nominatur, quod hæ Aluminis moles glaciei fragmentorum ſpeciem gerant.

Alumen arte elaboratum antiquis prorſus ignotum, apud nos fere ſolum uſitatum eſt; naturale vero veteribus uſitatiſſimum, nobis fere ignotum eſt. Vir clariſſimus D. Tournefort, naturalis Aluminis duo genera, σχιστὸν nempe & τριχῖτες in inſula Milo reperiit & ſecum attulit.

Schiſtum Tournefortii repertum fuit ſub glebarum & aſſularum ſpecie, quæ terreſtres ſunt ſaporis adſtringentis, coloris cinerei, quadam effloreſcentia capillacea tenui & candicante conſperſæ; odorem exhalantes, qualis ex Aqua forti emittitur, ſed debilem, quem πυρώδες dixerunt veteres.

Trichites Tournefortii in fruſtula alba diviſum eſt, digiti circiter craſſitie & longitudine, quæ extremis in tenuia filamenta ſeu capillamenta quædam caneſcentia ſponte diducuntur, unde plumulæ vel penicilli ſpeciem referunt; in aqua ſolubilia, igne liqueſcibilia, & guſtu adſtringenti. Ex plumularum figura quam ſæpius repræſentat, a quibuſdam Alumen plumeum dictum fuit: & jam Dioſcoridis ævo cum lapide Amianto aliquando confuſum fuiſſe videtur; cum Dioſcorides de Alumine ſciſſili mentionem faciens, obſervaverit reperiri lapidem huic Alumini perſimilem, a quo tamen guſtus judicio facile dignoſcatur, quod non adſtringat: & addere potuiſſet, quod igne non liqueſcat, & aqua non ſolvatur. Medicamentorum hiſtoria lapſu temporis ſpiſſo ignorantiæ velo obnubilata. Aluminis plumei nomen ex ſalis ſpecie ad lapidis ſpeciem tranſlatum fuit; unde in Diſpenſatoriis pro Alumine plumeo Amiantus lapis nonnunquam ſed perperam uſurpatur.

Variæ ſunt diverſis in regionibus Aluminis conficiendi rationes. In Italia ad Puteoles in loco intra colles Leucogeos ſito, qui campus Phlegræus olim dictus fuit, hodie *Solfatara*, Alumen e terra ſponte effloreſcit. Salinum hunc florem ſcopis quotidie converrunt, & in foveas quaſdam aqua repletas conjiciunt, donec aqua ſale ſaturata ſit. Solutionem prius percolatam in catinos plumbeos in terra defoſſos effundunt, & ibi relinquunt, donec ſubterranei caloris ope, humiditatis pars maxima exhalata ſit. Effunditur denuo lixivium in vaſa lignea ad refrigerandum & cryſtallizandum.

dum. Tandem qui non concrevit humor educitur, exſiccantur cryſtalli albæ translucidæ, & ſervantur.

Præterea in eodem loco, in collibus Leucogeis exſcinduntur lapides, ex quibus Alumen extrahitur non diſſimili ratione ac in Aluminis fodinis agri Romani prope Centumcellas, trigeſimo lapide a Roma diſtantibus, quæ vulgo, *Allumiere della Tolfa*.

Hoc autem in loco conficitur Alumen ex duriſſimo quodam lapide, qui eodem modo cæditur ac marmor aut lapides ad conſtruenda ædificia. Cæſa, & confracta ſaxa in fornaces calcariis ſimiles transferuntur, ubi tanquam calcarii lapides inuruntur, duodecim aut ad ſummum quatuordecim horarum ſpatio. Poſtquam vero refrixerint, plauſtris in ampliſſimas areas comportantur, ibique in acervos planos componuntur, quos inter foſſæ excavatæ ſunt, & aqua repletæ. Lapidum calcinatorum acervi ter quaterve in die per quadraginta dies aqua foſſis contenta irrorantur, ac tandem quamdam fermentationem concipiunt, & rubente efflorefcentia cooperiuntur. Sic præparatam calcem in caldariam aquam repletam conjiciunt, & per aliquod tempus ebullire ſinunt, continuo agitando, donec ſalina hujus calcis ſubſtantia aqua ſoluta fuerit. Tunc liquorem aluminoſo ſale fœtum a terra inutili ſecernunt, & iterum excoquunt ad certum uſque ſpiſſitudinis gradum. Mox calens lixivium aquæ ductibus ad id paratis in magnas quaſdam capſas ex querno ligno confectas tranſvehunt. Ibi octo dierum intervallo Alumen concreſcit internis parietibus inhærens ad quatuor aut quinque digitorum craſſitiem in cryſtallos pellucidas, ſed pallide rubentes. Porro Alumine ita concreto, lixivii reliquum a fœcibus denuo purgatum, cum novo lixivio iterum excoquunt. Aluminis vero cryſtalli a capſarum parietibus diducuntur, aqua limpida lavantur, & exſiccantur, & hoc Alumen rupeum dicitur, vulgo *de Roche*, Italice *di Rocca*, ex eo quod ex rupibus educatur.

Quod in Angliæ Provinciis Eboracenſi, & Lancaſtrenſi præparatur Alumen, ex lapide quodam ſubcæruleo Ardoſiæ ſimili, & multo ſulphure turgido extrahitur. Pyritæ ſpecies eſt, quæ igne accenditur, quæque aeri libero expoſita ſponte dehiſcit, & pyratarum more ſalina efflorefcentia obtegitur, ex qua Vitriolum elici poſſet.

Hujuſce lapidis fragmenta acervatim diſpoſita aperto cœlo accenduntur, & comburuntur. Cum ſulphur quo turgebant prorſus exhalatum eſt, ignis per ſe extinguitur, & calcinati lapides per viginti quatuor horas in aqua macerantur. Tunc aqua ſale aluminoſo referta educitur, & in caldariis plumbeis cum lixivio ex Algæ marinæ cineribus confecto excoquitur ad certum ſpiſſitudinis gradum. Decocto non mediocrem urinæ copiam affundunt, qua Sulphur, Vitriolum, & terreſtria recrementa ad fundum deprimuntur. Tandem liquorem defœcatum in abiegna labra transferunt, ubi per tempus ad latera vaſorum concreſcunt cryſtalli albæ, pellucidæ, quæ lixivio ſemoto lavantur, & in ferreo caldario liquantur. Alumen fuſum in dolium effunditur, ibique in molem ejuſdem cum dolio amplitudinis concreſcit. Rupeum quoque dicitur hoc Alumen a quibuſdam, tum quod in maſſas grandiores, & quaſi ſaxeas afferatur, tum quod, ſicut Romanum, e montium rupibus extrahatur.

In

In iiſdem Aluminis fodinis Alumen liquidum reperitur ; aqua nempe limpida quæ ex Saxorum aluminoſorum fiſſuris ſtillat , guſtu ſtyptica , cujus evaporatione Alumen genuinum conficitur.

Apud Suecos Alumen , Vitriolum, & Sulphur ex uno & eodem lapide educuntur. Elegans eſt pyritæ genus , grave , duriſſimum , aureo ſplendore nitens , argenteiſque maculis diſtinctum . Hoc igne calefaciunt , & poſtea frigida inſpergunt , ut lapis diſſiliat & in fruſta facilius diſrumpatur . Tum contunditur lapis ; & in vaſis idoneis incluſus , in furno reverberii ad diſtillandum accommodatur . Vi ignis ſulphur in lapidibus contentum liqueſcit , & vaſorum ſitu in excipula aqua repleta facile fluit . Cum ſulphuris nihil amplius ſtillat quod reliquum ſupereſt in vaſis , aeri libero per biennium exponitur , materia vehementer incaleſcit , fumos exhalat , & flammam tenuem , de die vix perceptibilem emittit.

Poſt deflagrationem cinis ſubcæruleus remanet , ex quo ope lotionis , evaporationis , & cryſtallizationis Vitriolum extrahitur . Peracta vero Vitrioli cryſtallizatione , humor pinguis & craſſus ſupereſt, qui cum octava ſui parte urinæ & lixivii ex lignorum cineribus confecti coquitur : ſic ſedimentum craſſum , rubrum & uberrimum e liquore ſecernitur , & in vaſorum fundum dejicitur . Purgatus liquor ad debitam ſpiſſitudinem denuo excoquitur , & ad cryſtallizandum reponitur ; unde Alumen Suecum , cryſtallinum & pellucidum emergit.

His Aluminis præparationibus ſatis patet, Sulphuris, Vitrioli, & Aluminis unum eſſe & idem principium ſalinum. Hæc enim Sueciæ minera ex ſale acido quem Vitriolicum diximus , Bitumine , Ferro , & Bolo ſeu terra tenui & adſtringente componitur. Primo ignis calore Bitumen cum acidi vitriolici portione ſub ſulphuris combuſtibilis ſpecie diffluit ; detracta vero hac bituminoſa & pingui ſubſtantia , qua acida ſalium ſpicula adeo irretiebantur , ut in partes metallicas agere non poſſent , tunc ſales ſui juris facti in metallicas & terreas partes invehuntur cum tanta vehementia , ut tota maſſa incaleſcat , & quidquid in ea ſupereſt ſulphuris accendatur : tandem a metallicis & terreis moleculis ſubactæ ſalinæ particulæ conſtituunt Vitriolum & Alumen , hoc partibus terreis , illud vero metallicis refertum.

Præter varias Aluminis ſpecies jam recenſitas , ſunt & aliæ ſubſtantiæ quibus Aluminis nomen tribuitur , ut Amiantus lapis qui Alumen plumoſum dicitur ; lapis ſpecularis ſeu Gypſum , quod Alumen ſcaliolum ſeu ſquammoſum . Sed hæ duæ ſpecies ab Alumine prorſus diſcrepant , cum neque ſapore adſtringente donentur , nec aqua ſolvantur . Sal alcali ſive Soda a quibuſdam Alumen Catinum nuncupatur ; & ſal ex fœcibus vini combuſtis extractus , & in panes conformatus , nonnunquam etiam Aluminis nomine donatur . Quædam eſt etiam Aluminis præparatio , quæ Aluminis ſacccharini nomine in officinis pharmaceuticis inſignitur , quæ fit ex Alumine , ovorum albumine , & aqua roſarum ſtillatitia.

Apud Arabes Aluminis Jameni fit quoque mentio , quod quidem eſt Alumen ſciſſile , vel Trichites Dioſcoridis, ſic fortaſſe dictum ab Jamnia maritimo Pheniciæ oppidulo & emporio.

Alu-

Alumnen vehementer adſtringit; atque ex eo apud Græcos, συπτηρίας ἀπὸ τοῦ σύφειν adſtringere invenit. Alumen nativum odorem emittit, qualem Aqua fortis ſpirat, ſed levem, quem Dioſcorides πυρῶδες ſeu igneum dixit: factitium vero parum aut nihil olet. In prunas ardentes impoſitum in bullas tumet, aqua vero liqueſcit.

Alumen concreſcit in cryſtallos, quarum figura eſt octaedra ſeu ex octo lateribus compoſita, quæ pyramidem triangularem cujus abſciſſi ſunt anguli repræſentat, ita ut quatuor ſuperficiebus hexagonis & quatuor trigonis circumſcribatur.

Aluminis ſolutio lac coagulat, Heliotropii ſolutionem purpuream efficit, Mercurii ſublimati corroſivi ſolutionem non mutat, Gallarum infuſionem turbidam & exalbidam reddit, cum aqua calcis colore albicante donatur; cum oleo Tartari in coagulum album concreſcit abſque ullo calore vel fumo. Sæpe ex mixtura ſolutionis Aluminis & olei Tartari odor urinoſus exhalat, ſi nempe Alumen cum urina depuratum fuerit, ut Anglicum; quod quidem non contingit, ſi Romanum uſurpetur.

Analyſi chymica, ſpiritum acidum fundit ſpiritui Vitrioli haud multum diſſimilem, ſed non tanta copia ſicut Vitriolum; nec liquorem acidum adeo potentiſſimum, ac oleum Vitrioli, ſuppeditat: quandoquidem terra adſtringens, quæ Aluminis baſis eſt ac fundamentum, ſalem acidum adeo ſtricte retineat, ut maxima vi ignis a ſe invicem ſeparari nequeant. Quod reliquum ſupereſt poſt Aluminis diſtillationem, ſi aqua ſolvatur & leni calore exſiccetur, in Aluminis cryſtallos denuo concreſcit.

Ex his liquet, Alumen conſtare ex ſale acido vitriolico & terra adſtringente bolari vel cretacea, ſtrictiſſime conjunctis.

Alumen vi adſtringendi potentiſſima donatur. A Dioſcoride commendatur ad ſanguinis fluxus cohibendos, ad dentes vacillantes firmandos, ad gingivas humore turgidas comprimendas, ad fluxones aurium, uvarum & tonſillarum coercendas, ad carnis excreſcentias extenuandas, ad expurganda ea quæ caliginem oculorum pupillis offundunt, ad ulcera detergenda & exſiccanda, ad cutis vitia depaſcentia cohibenda, contra grave alarum, inguinumque virus, necnon etiam ad partum propellendum. Græcæ mulieres ad conceptum præpediendum Alumine abutebantur, teſte eodem Dioſcoride. Hodie vero Europææ virgines quædam ad læſam pudicitiam reſarciendam, aut mulieres poſt puerperium ad corporis condecorationem reſtituendam hoc adſtringente medicamento ſolerter uti norunt. Hippocrates alumen Ægyptium & Melinum, ad gingivarum dolores & ad ulcera varia curanda ſæpe probat & uſurpat. Hodie apud Medicos non infrequens eſt Aluminis uſus tum internus, tum externus. In ſanguinis profluviis quibuſcumque interne exhiberi ſolet. Sic autem in potione præſcribi poteſt.

℞. Alumin. rupei ʒj. Aquar. Plantag. & Centinod. ana ℥iij. Solve. Solutioni adde ſyrup. Oxyacanthæ ℥j. Fiat julap. cochleatim exhibendum.

Multum quoque celebrata fuit hec Aluminis ſub forma Pilular. exhibendi ratio.

℞. Alu-

℞. Alumin. rup. optime purgati ℥ij. Igne liqueſcat. Tum adde Sanguinis draconis ſubtiliſſime pulverizati ℥ß. Et ex hac mixtura, antequam indureſcat, formentur pilulæ Piſi magnitudine. Doſis a ℈j. ad ʒj. quatuor horar. intervallo reiteranda, donec ſanguinis profluvium ſiſtatur. Deinde per aliquot dies doſis una vel altera ſingulis diebus exhibeatur. Poſt pilulas aſſumptas hauriat æger unum aut alterum cyathum liquoris convenientis.

Sed cavendum ne incaute ſanguinis profluvia cohibeantur. Quapropter venæ ſectio, & ante Aluminis exhibitionem, & nonnunquam etiam poſt cohibitam hæmorrhagiam celebranda eſt. Præterea cum hujus remedii uſu alvus nimis adſtringatur, enematibus identidem ſollicitanda erit.

In angina ad fluxionem incipientem inhibendam, gargariſmata ex Alumine præparantur, quorum pro exemplo ſit ſequens.

℞. Roſar. rubr. Alumin. ana ʒj. Coque in aq. Plantag. ℥viij. Colatura diſſolve Diamor. ℥j. F. gargariſma.

Collyrium ex Alumine ſic præparatur, quod oculorum inflammationem potenter ſedat, & fluxionem cohibet.

℞. Albumen ovi unius. Agitetur cum fruſto Aluminis in patina ſtannea; & tamdiu moveatur, donec unguenti conſiſtentiam adeptum ſit, quod extendatur ſupra linteum & oculis tepide applicetur.

Poſt duas treſve horas auferendum eſſe remedium monet Riverius, ne longiori mora & adſtringendi vis ſatis inſignis humores in oculis retineat.

Quidam Medici monent ne primis ſtatim diebus collyria repellentia & adſtringentia oculis admoveantur, quia humorem in oculos impetu irruentem in parte affecta retinent, & dolorem atque inflammationem augent. Verumtamen adſtringentia ſtatim ab initio utiliter adhibentur, modo nondum nimius fuerit humorum ad partem affluxus: tunc enim firmato partis tono, affluentibus humoribus potenter reſiſtit; revera eodem tempore adhibenda erunt remedia, quæ humores ad partem affectam affluentes revellere poſſint, aut quocumque modo ſubducere & vacuare, ut venæ ſectio, purgatio, veſicantia, cucurbitulæ, & alia hujuſcemodi. Si enim majori copia humores in parte coacervati eſſent, fruſtra adſtringentia adhiberentur, quibus nempe major fieri humorum condenſatio, & eorumdem reſolutio ſæpe prohiberetur.

In ſcorbuticis gingivarum affectibus felici cum ſucceſſu præſcribitur hæc lotio ad gingivas.

℞. Camphoræ ʒj. Alumin. ℥ij. Sacchar. cand. ℥iiij. Aq. vitæ ℔ij. Macerentur per biduum. Philtretur liquor, & ſervetur ad uſum.

A quibuſdam tanquam ſingulare ſpecificum in febribus intermittentibus Alumen prædicatur. Sic autem præparatur.

Alumen inter prunas calcinatum & adhuc candens in acetum conjiciatur, & ſolvatur. Solutio percolata evaporetur, ita ut in cryſtallos elegantes concreſcat, quarum doſis a ℈j. ad ʒj. ante paroxiſmum in liquore idoneo.

Quæ

Quæ ex Alumine uſitatiores fiunt præparationes, ſunt ejus purgatio; diſtillatio, uſtio vel calcinatio.

Purificatur Alumen ope ſolutionis in aqua ſimplici, percolationis & cryſtallizationis, ſicut cæteri ſales.

Aluminis ſicut & Vitrioli diſtillatio perficitur. Prodit primo phlegma inſipidum; deinde ſpiritus educitur, qui a Vitrioli ſpiritu parum differt. In retorta ſupereſt alba, levis & friabilis ſubſtantia, quæ Alumen uſtum dicitur; & eſt Alumen phlegmate & aliqua acidi ſalis portione orbatum, quodque in cryſtallos aluminoſas ſolutione & cryſtallizatione facile concreſcit.

Phlegma Aluminis inſipidum per ſe inutile foret: verum cum ſæpius aliquam ſpiritus acidi partem contineat, cum aliqua portione Aluminis quæ collo retortæ adhærebat, fit in Chirurgia perutile. Externe partibus admotum inflammationes efficaciter temperat, & ulcera exſiccat. Si in hujus phlegmatis ℥vj. Alumin. ʒj. ſolvatur, fit aqua aluminoſa, qua vulnera & ulcera abſtergi ſolent.

Spiritus Aluminis ad eoſdem uſus, ac ſpiritus Vitrioli, adhiberi poteſt.

Alumen uſtum carnis excreſcentias abſumit, & ad alarum, inguinum, & pedum fœtorem cohibendum linteis conſperſum frequenter uſurpatur.

CAPUT QUINTUM.

De Sale Ammoniaco.

SAl Ammoniacus veterum ab eo ſale qui in officinis ſub Ammoniaci nomine hodie reperitur, multum differt. Cl. Salmaſius *tractatu de homonymis* Ammoniacum veterum ejuſdem generis eſſe cum ſale foſſili aut ſale gemmæ exiſtimat, licet ſua quadam proprietate ex loci natura diſtinctum. Dioſcorides ſalem Ammoniacum inter ſalis comunis ſeu cibarii ſpecies recenſet, quem quidem foſſilem dicit, denſum, pellucidum, candidum, *σχιστὸν* facile ſciſſilem, *καὶ εὐθείας τὰς διαφύσεις ἴσχον*, & rectas fiſſuras habentem: quod quidem ſali gemmeo convenire videtur, cum facile findatur in laminas rectas. Serapio ſcribit, ſalem Ammoniacum fieri ex lapidibus duriſſimis & translucidis, quod de gemmeo dici poteſt. Avicenna ſalem Ammoniacum ſciſſilem, diaphanum & *albeluri*, quod cryſtallinum vel gemmeum ſignificat.

Plinius, præter hunc ſalem Ammoniacum foſſilem & translucidum, de altera ſalis Ammoniaci ſpecie obſcuram mentionem facit: *In Cyrenaicis tractibus ſub arenis invenitur Ammoniacus ſal ſimilis colore Alumini, quod* ſchiſton *vocant, longis glebis, neque pellucidis, ingratus ſapore, ſed Medicinæ utilis*. Hæc deſcriptio ſatis apte noſtro Ammoniaco ſali applicari poſſet, niſi hæc verba textui Pliniano adventitia mihi viderentur, cum hæc verba prioribus contradicentia immediate ſubſequantur: *Probatur quam maxi-*

maxime perſpicuus rectis ſciſſuris. Quidquid ſit, ſal ille Plinii a noſtro adhuc in eo differt quod nativus & foſſilis ſit, noſter vero factitius.

Sal Ammoniacus veterum ſic dicebatur ab Ammoniaca regione, ſeu a Lybiæ parte circa Ammonis templum ſita, in qua inveniebatur. Sed jam ad nos vehi deſiit.

Nunc proſtant in officinis duæ ſalis Ammoniaci ſpecies; nativus unus; factitius alter.

Sal Ammoniacus nativus ex ſulphuratis Puteolanis rupibus depromitur. Eo enim loci ubi ignes ſubterranei flammas vel fumos evomere ſolent, ſupra hiatuum fauces, ſaxorum acervi conſtruuntur, quos ſalini fumi continuo lambunt; & poſt aliquot dierum intervallum fuligo quædam alba vel cruſta ſalinæ ſaxis adhærens reperitur, quæ colligitur, & ſalis Ammoniaci nomen obtinet.

Fuligo illa ſal marinus eſt, vel ſal foſſilis aqua ſolutus, & calore ignis ſubterranei in vapores elevatus: aqueis vero partibus in auras exhalatis, ſalis particulæ denſantur, & in ſaxorum parietes accumulantur ſub floris ſalini ſpecie, qui ſapore ſalſo donatur, aqua facile ſolvitur, & in cryſtallos cubicas concreſcit; nec a ſale marino differre mihi videtur.

Sal Ammoniacus factitius, ſeu ſal Ammoniacus vulgaris *Offic.* & a quibuſdam abuſive ſal Armoniacus, duplex nobis affertur: alter ex India in panes conicos, ſaccharinis ſimiles, & cinereo colore, ſed rariſſime: alter vero vulgatiſſimus ex Ægypto, & Syria per Maſſiliam ad nos devehitur in placentas orbiculares depreſſas, una parte convexas cum quadam umbilici ſpecie, altera vero nonnihil concavas, inæquales, unius, aut alterius palmi latitudine, trium, quatuorve digitorum craſſitie coactus; foras cinereus, intus exalbidus, cryſtallinus, ſtriatus, guſtu ſalſo acri, pungente.

Quidam narrant, ſalem hunc oriri ex urina camelorum in arenis Lybiæ exſiccata, & cujus ſal fixus arenarum calore ad ſuperficiem elevatus, veluti ſublimatus fuit. Verum hæc narratio nullo ab auctore fide digno confirmarur, Alii autumant, illum fieri ex urina camelorum aut jumentorum quæ ignis calore exſiccatur, deinde variis lotionibus purgatus, ac tandem in panes, humore exhalato, concreſcit. Alii vero aſſerunt, ſalem Ammoniacum componi ex quinque partibus urinæ humanæ, parte una ſalis communis, & dimidia fuliginis ſimul coctis ad humiditatis conſumptionem; reliquum vero ſublimari, iterum ſolvi & coagulari. Revera hujuſce ſalis præparandi ratio ignota fuit, donec a R. Patre C. Sicard Societatis Jeſu Miſſionario in Ægypto, in Commentariis vulgo *Nouveaux Memoires des Miſſions de la Compagnie de Jeſus dans le Levant*, *T.* 2. *Paris* 1723. certiores facti fuerimus de hujus ſalis origine & præparatione.

Sal ille in Ægypto, narrante eodem R. Patre, variis in Ægypti locis conficitur, ut *Damaier*, & *Mehallee*. Sed præſtantior in vico *Damaier* in hac Aegypti regione, quæ Delta nuncupatur ſito, non longe ab urbe *Manſoura* loco celebri ob Divi Ludovici Galliarum Regis carcerem, & ipſius exercitus cladem. Ibi vero ſal Ammoniacus ſublimatur ex quadam fuligine, quæ

in ampullas vitreas amplas, ſeſquipedem circiter diametro æquantes; conjicitur cum tantillo ſalis marini in urina jumentorum, aut camelorum diluti. Ampullæ ad duas tertias circiter repletæ, numero viginti vel triginta in furnis ad hunc uſum conſtructis diſponuntur, & lateribus argillaceaque terra ita obteguntur, ut collum ampullarum ſemipedale foras emineat. Tum ignis in furno accenditur, & gradatim augetur, & fortis per tres dies, & totidem noctes fovetur. Sic maſſa ad ſuperiorem ampullarum partem attollitur, ac ſublimatur, maſſa nigra in fundo remanente. Non omnis fuligo ſalem Ammoniacum ſuppeditat, ſed ea tantum, quæ ex animalium, & camelorum præſertim excrementis combuſtis attollitur; & ad hanc ſalis præparationem ſedulo colligitur. Etenim in Ægypto ob ligni raritatem ſtercora animalium paleis admixtis, & in quaſdam maſſas ſeu placentas, *Gellee* vulgo dictas, compacta & exſiccata comburunt.

Salis Ammoniaci ſolutio Heliotropii ſolutionem ſtatim non mutat, ſed poſt aliquot horas colore ex fuſco rubro tingit, lac non coagulat, nec ſublimati corroſivi ſolutioni ullam mutationem affert, cum oleo tartari vel aqua calcis odorem penetrantem exhalat. Sal Ammoniacus cum oleo Vitrioli vehementem efferveſcentiam ſuſcitat, cum inſigni frigore. Salis Ammoniaci ſolutio, exhalato aqueo humore ſuperfluo, concreſcit in cryſtallos albas, quæ plumulas, aut filicis ramuſculos figura quodammodo repræſentant.

Analyſi Chymica ex Sale Ammoniaco ſalis volatilis urinoſi trientes duo eliciuntur, & modica portio ſalis acidi, qui ſpiritui ſalis marini prorſus ſimilis eſt.

Sal urinoſus, ſolutus, ſublimati corroſivi ſolutionem cogit, & albo colore tingit, Violarum tincturam viridem efficit, & cum acidis liquoribus cum calore tumultuatur. Econtra vero idem ſal non ſolutus, frigidas excitat fermentationes cum aceti ſpiritu, & vulgaribus Nitri, & Vitrioli ſpiritibus.

Ex his patet, Salem Ammoniacum compoſitum eſſe ex ſale acido cum ſale alcali urinoſo: volatili conjuncto. Veram hujus ſalis vis præcipua pendet ab urinoſo ſale qui acidum quantitate longe ſuperat.

Sal Ammoniacus apud Medicos, & Chymiſtas uſitatiſſimus eſt. Interne lentos ac viſcidos humores incipit, & attenuat, & per diaphoreſim, ſudores, vel urinæ vias pellit. Commendatur in febribus intermittentibus tanquam febrifugum eximium. Exhibetur ad ʒß. ocul. Cancror. gr. xx. ante paroxiſmum. In pleuritide ad ſudorem promovendum, aut expectorationem excitandam Salis Ammoniaci ℈j. vel ʒß. cum extracto Papaveris rhæados feliciter præſcribitur. Externe Sal Ammoniacus acutis ſuis particulis fibras vellicat, ad validam oſcillationem concitat, poros aperit, & craſſos, ac viſcidos humores incidit; unde in tonſillarum, & columellæ intumeſcentia, & in linguæ paralyſi, quæ a pituitoſis, ac viſcidis humoribus oritur, uſupatur ſub apophlegmatiſmi vel gargariſmatis forma. Exempli gratia.

℞. Rad. Iridis Florentinæ, Piperis, Zingiber. ana ʒß. Salis Ammon. ʒj. M. F. pulvis pro apophlegmatiſmo. Vel

℞. Aq. flor. Sambuci ℥vj. Spiritus Cochleariæ ℥j. Salis Ammon. ʒj. M. F. gargariſma.

Ad

Ad albuginem oculorum tollendam aqua ophtalmica cærula ſic præparatur. Calcis aqua in pelvim aheneam infunditur, qua poſtea Sal Ammoniacus diſſolvitur, liquorem agitando, donec color cæruleus elegantiſſimus evadat. Ex eodem ſale parantur lotiones, & fotus ad tumores œdematoſos, aut arthriticos reſolvendos, & ad putridam gangrænæ carnem abſumendam.

Sal Ammoniacus eligitur candidus, ac purus. Purificatur ſolutione, percolatione, & exſiccatione ſicut cœteri ſales. Purgatur etiam ope ſublimationis, hoc modo.

℞. Salis Ammoniaci, & ſalis communis fuſi ana part. æq. Fiat ex arte ſublimatio, quæ flores albos ſuppeditabit. Flores ſalis Ammoniaci dicuntur

Sal volatilis, & ſpiritus urinoſus odoris acutiſſimi, & pungentis, ſpiritusque acidus ex Sale Ammoniaco ſic eliciuntur.

℞. Salis Tartari, & Salis Ammoniaci ana. Inſtituatur ex atte ſublimatio, & diſtillatio in alambice vitreo. Elevabitur primo ſal volatilis urinoſus albus; deinde ſpiritus, ſeu ejuſdem ſalis portio, phlegmate dilutus. Quæ in fundo remanet maſſa ſalina, aqua ſoluta, & in cryſtallos exſiccata, ſalis febrifugi Sylvii nomine inſignitur, & ex ſale tartari, ac marino conſtat. Ad doſim ʒij. exhibitus, ineunte paroxiſmo, febres intermittentes nonnumquam ſedare valet. Ex hoc ſale cum triplo boli permixto, ſpiritus acidus diſtillationis ope elicitur, ejuſdem cum ſalis marini ſpiritu naturæ, ac indolis.

Spiritus urinoſus ſubtiliſſimus, & acutiſſimus præparari poteſt, ſi calcis per ſe extinctæ partes tres cum Salis Ammoniaci parte una ſimul miſceantur, & levi calore diſtillentur. Hic ſpiritus cum ſpiritu vini ractificato concreſcit in coagulum album, quod *Offa* Helmontii dicitur, quod a ſpiritu cum ſale tartari diſtillato non producitur.

Sal oleoſus aromaticus Sylvii magnopere prædicatus, ex Sale Ammoniaco, & aromatis quibuſdam ſic conficitur.

℞. Cardamomi ℥j. Cinnamomi ℥jß. Nuc. muſch. ʒvj. Caryophyllor. Cubebar. ana ℥ij. Sal. Tartar. ℥vj. Sal. Ammon. ℥iiij. Sp. vini ℔ij. Macerentur in vitro probe clauſo per diem integrum; poſtea debite fiat diſtillatio per alambicem vitreum.

Vel ſic extemporaneus conficitur.

℞. Sp. volatil. ſalis Ammoniaci, & ſpiritus vini ractificati ana ℥iiij. Oleorum corticum Citri Macis ana ʒj. Cinnamomi ʒß. Miſce.

Sales oleoſi varii cum oleis cephalicis, hiſtericis, & aliis præparantur; ſuas enim vires ſpecificas ab oleis deſumunt.

Sal, & ſpiritus ſalis Ammoniaci propter odorem acutiſſimum, in lethargo, in apoplexia, in ſyncope, in vertigine, in hyſtericis inſultibus, ad conſopitos ſenſus excitandos, ad nervoſas membranas irritandas, & ſpiritus animales concitandos, præſtant naribus admoti. Valet etiam ſpiritus ſalis Ammoniaci ad rheumaticos dolores diſſipandos, & paralyſim curandam, ſi pars affecta inungatur linimento ex hoc ſpiritu cum oleo lumbricorum, aut ſimili præparato. Interne diapho-

reſim, ſudorem, & diureſim promovent, acidos ſuccos in corpore latitantes mitigant, & infringunt, circulationem ſanguinis adjuvant; ſpiritus recreant, nervorum oſcillationes excitant, & obſtructiones tollunt. Unde in apoplexia, epilepſia, lethargo, & ſoporoſis affectibus, in hyſterica paſſione, in febribus malignis, Spiritus volatilis Ammoniaci ſalis, & ſal oleoſus aromaticus a guttis vj. ad ℨj. in liquore convenienti frequenter uſurpantur.

Cavendum tamen ne ſpiritus volatilis ſalis Ammoniaci, & ſimiles liquores ſubtiles, & acuti ſoli, & majori copia propinentur; tunc enim œſophagi, & ventriculi membranas inflammant, & cauſticorum modo urunt. Itaque nonniſi copioſo liquore diluti exhibendi ſunt.

Chymicis utiliſſimus eſt ſal Ammoniacus, tum ad fixa quævis corpora volatilia efficienda, tum ad ſulphura ex metallis vel mineralibus extrahenda, tum etiam ad Mercurium ex metallis eliciendum: unde multis nominibus, & titulis ab iiſdem donatur; hinc *Aquila cœleſtis* dicitur: *Avicula volans*, *Sal ſolaris*, *Mercurialis fuligo*, *Sal mercurialis philoſophorum*, *Dapis Adir*, *Sal mirabilis*, *Clavis metallorum*, &c.

Plurimi, ac diverſi flores metallici cum Sale Ammoniaco præparantur: Martis nempe, Veneris, Hæmatitæ, de quibus ſuo loco. Aqua Regia ad Auri ſolutionem ex ſalis Ammoniaci, & ſpiritus Nitri mixtura conficitur. Nec vulgari ſale Ammoniaco contenti Chymici diverſos Ammoniacales ſales præparant ex ſale volatili urinæ cum ſpiritibus nitri, vitrioli, vel aceti permixto. Unde ſales ſalſi Ammoniacales, ſeu qui facile in flores elevantur, exſurgunt, ad metallicarum partium attenuationem, & volatilizationem felicius promovendam.

CAPUT SEXTUM.

De Chryſocolla, & Borace.

NItrum, Baurach, Boracium, Borax, Tincar, Chryſocolla, ſunt voces ſynonimæ. Quod Græci veteres Νίτρον dixere, Arabes Baurach nuncuparunt, & Græci juniores Arabes imitati Βοράχ, & Βοράχιον. Latini vero barbari Borax, at eſt Nitrum Ægyptiacum vel Africanum de quo mentionem jam fecimus. Tincar vero vox eſt Arabica, quæ quamdam Nitri ſpeciem denotat, qua Aurum ferruminatur, unde a Græcis junioribus, χρυσόκολλα ſeu Auri glutinum traductum fuit, licet a veteribus Græci Chryſocollæ nomen cuidam materiæ prorſus diverſæ jam inditum fuerit. Serapio enim ſcribit Tincar eſſe de genere ſalium, & habere in ſapore ſuo quadantenus guſtum Baurach, id eſt, Nitri Ægyptiaci, & alibi dicit, genus quoddam Nitri ſeu Aphronitri haberi, ex quo eſt Tincar. Non igitur exiſtimandum eſt Boracem ſeu Chyſocollam recentiorum idem eſſe cum Græcorum veterum, Dioſcoridis nempe & Galeni, Chryſocolla; quin imo res prorſus diverſæ ſunt.

Chry-

Chryſocolla Græcorum veterum genus eſt medicamenti metallici. Eſt autem duplex, naturalis & factitia. Naturalis gignitur in venis ærariis; & ſi quando in aliorum metallorum fodinis reperiatur, omnino & in illis æs eſt. Invenitur autem aut ſola arenæ ſimilis, aut metallicæ alicui materiæ adhærens, a qua ubi abraſa ſecretaque fuerit, arenæ ſimiliter aut pulveris ſpeciem habet. Eſt autem omnis nativa viridi colore; ſed eo quidem alia ſaturo, qui ad Porri vel Smaragdi viriditatem accedit, quam longe optimam cenſent; alia vero valde diluto, quam viliſſimam; alia vero medio, quæ medium locum tenet. Variis lotionibus ſic purgatur. Tunditur primo in mortario, infuſa aqua; & ſtatim atque conſedit, colatur: altera infuſa aqua iterum conteritur, & hæ lotiones & trituræ iterantur, quouſque pura, ſinceraque videatur: dein ſiccatur in ſole, & ad uſum reconditur. Si ſubtilior adhuc deſideretur, contuſa ſupra carbones apponitur, & poſt calcinationem lavatur iterum ut diximus.

Factitia autem duplex eſt; unam herbaceam, alteram ſanternam appellant. Herbaceæ conficiendæ rationem exponit Plinius. Chryſocolla nativa contuſa, uſta, & in tenuiſſimum pulverem redacta, ex aceto maceratur, rurſus tunditur, lavatur in conchis, ſiccaturque: tunc tingitur Alumine ſchiſto & herba lutea, unde herbaceæ nomen accepit. A pictoribus, qui ea utuntur, ὀροβίτις vocatur, vel quod Ervi colore ſit, vel quod in grana efformaretur Ervi granorum ſimilia. Altera autem factitia Chryſocollæ differentia, quam Plinius Santernam vocari ſcribit, temperatur, ut ait, ex Cypria ærugine & pueri impubis urina, addito Nitro, teriturque in Cypriis mortariis. Galenus Dioſcoridem ſecutus Nitri non meminit, monuit tantum eam præparari tempore æſtivo, aut certe aere prorſus calido, urinam in mortario terendo per plures dies, donec urina mellis craſſitiem adepta ſit. Ea reponitur a Dioſcoride in æruginum numero: & quia Medicinæ inſervit, a Medicis ἀκεσὶς nominatur, ut ait Plinius, quamquam & Aurifices eamdem ſibi vindicare agglutinando auro Galenus aſſerat.

Hæc ſunt quæ Dioſcorides, Galenus, & Plinius de Chryſocolla retulere. His poſitis, nunc quærendum eſt num Borax noſtra ſit aliqua ex his Chryſocollæ ſpeciebus ſupra recenſitis.

Borax in officinis duplex reperitur, una quæ nativa dicitur, altera quæ arte purgata.

Borax nativa nobis affertur ſub lapillorum forma, avellanæ aut nucis juglandis craſſitie, colore obſcuro viridi, rudis, craſſa, terreſtris, & quaſi pinguedine obducta. Variis in locis effoditur, ſed major pars ex Mogolum Imperio & ex Perſia advehitur. Ibi in quibuſdam metalli fodinis & præſertim cupreis ſtillat aqua ſalina, turbida, ſubviridis, quæ ſedulo colligitur: ad debidum ſpiſſitudinis gradum evaporatur, & poſtea in foveas quaſdam in terra excavatas & paſta ex horum fontium limo & animalium pinguedine præparata circumobductas infunditur, & eadem paſta tegitur; tandem poſt aliquot menſes aperta fovea, aqua in lapillos concreta reperitur. Effodiuntur lapilli ſimul cum terra adipoſa, & eſt Borax nativa.

Borax purgata in lapillos affertur nitidos, candidos, ac pellucidos, Aluminis cryſtallis ſimiles, ſapore ſalſo cum levi quadam acredine li-

xiviofa, in aqua ſolubiles. Eadem eſt ſubſtantia cum nativa, quæ quidem per calcis vivæ lixivium purgata fuit. Olim a Venetiis afferebatur, unde Veneta dicta fuit; nunc vero fere ſoli Batavi Boracem purgant, ac vendunt. Conſtat igitur Boracem officinarum diverſam eſſe a Chryſocolla veterum Græcorum; hæc enim æruginis naturalis ſpecies erat aqua non ſolubilis, quæ ex Dioſcoride vomitiones concitabat, & quandoque necem inferre poterat. Borax vero noſtra ſalis ſpecies eſt, aqua ſolubilis, nec letifera. Utrum vero diverſa ſit ab Arabum Borace vel Tincar, affirmare non poſſumus, cum Arabica apud nos deſideretur. Saltem patria diverſas eſſe liquet.

Borax *Offic.* igne intumeſcit in bullas, Aluminis inſtar: deinde vero placide funditur in maſſam duram, pellucidam, vitro ſimilem, quæ tamen aqua ſolvitur; aut ſi aeri libero exponatur, quodammodo calcinatur, opaca fit & alba: diſtillatione nihil præter phlegma inſipidum ſuppeditat: neque cum acidis ſalibus, neque cum alcalibus tumultuatur, ſed cum acido vitriolico placide ſe conſociat; & ambo, licet fixiora, in ſalem fere inſipidum & plane volatilem convertuntur. Boracis ſolutio Heliotropii tincturam non mutat, Violarum ſyrupum viridi colore inficit, ſublimati corroſivi ſolutionem croceo-rubentem efficit, cum ſalis Ammoniaci ſolutione permixta odorem emittit urinoſum. Unde liquet, Boracem ſalem eſſe alcalinum fixum, ad ſalis Tartari indolem accedentem; qui tamen ab eo differt in hoc, quod acidos ſales ſine tumultu ſibi conſociare valeat.

Boracis uſus duplex, Mechanicus & Medicus. Eo utuntur Aurifabri ad aurum ferruminandum, & ad metallorum fuſionem citius promovendam; tinctores ad nitorem ſericis pannis conciliandum. Eo tanquam medicamento utuntur Medici ad partum juvandum, fœtum mortuum expellendum, ſecundinas ejiciendas, & menſes ſuppreſſos provocandos. Doſis a ℈ß. ad ʒj.

℞. Boracis gr. xx. Myrrhæ gr. xij. Croci gr. iij. Olei Cinnamomi gutt. j. M. F. pulvis. Poteſt ex vino ſumi, vel cum ſyr. de Artemiſia q. ſ. eo tempore quo ſolent fluere menſes.

℞. Boracis & Myrrhæ ana gr. xv. Radicis Ariſtolochiæ, Croci ana gr. iij. Olei Sabinæ gutt. ij. Syr. de 5. Radicibus q. ſ. M. F. bolus ad ſecundinas aut lochia retenta.

Cum animadverterent mulieres Boracem pannis ſericis ſplendorem conciliare, exiſtimaverunt etiam ab ejuſdem ſolutionibus cuti ſuæ nitorem inducere poſſe: unde in aquis coſmeticis, & pomatis frequenter adhibetur.

Uſurpatur Borax in Unguento citrino, in Pulvere ad difficilem partum *D. Charas*, in Balſamo egregio pro manibus, & in aqua columbarum coſmetica, *Ejuſdem*.

SE-

SECTIO QUINTA.

De Succis bituminoſis.

SUccos bituminoſos dicimus corpora mineralia quæ ignem concipiunt & oleo ſolvuntur, eidemque miſcentur. Eos dividimus in Bitumen proprie dictum, quod quidem liquidum eſt vel concretum, in Sulphur & Arſenicum.

CAPUT PRIMUM.

De Bituminibus liquidis.

BItumen liquidum eſt liquamen minerale, pingue, inflammabile; conſiſtentia vel tenuiori & olei ſimile, & Naphtha vel Petroleum dicitur; vel craſſiori picis inſtar, & Piſſaſphaltum ſeu Pix mineralis nuncupatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Naphtha ſeu Petroleo.

NAphtha *Dioſcoridis*, Petroleum *Offic.* eſt oleum minerale, ſubtile, inflammabile, odore fragranti, bituminoſo; colore diverſo, candido, flavo, rufo, vel nigricante. Varia apud auctores nomina ſortitur. Apud Babylonios Naphtha dicebatur oleum candidum & nigrum quod ex quibuſdam fontibus circa Babyloniam ſcaturiebat. Idem ἔλαιον μηδείας oleum Medeæ nuncupatum fuit; quod olim, ut ajunt, Medea hoc bituminoſo liquore coronam & peplum Creontis filiæ inunxerit, atque hac arte combuſſerit. A Græcis quibuſdam ἔλαιον oleum ſimpliciter & per excellentiam, πετρέλαιον oleum petræ, & per ſyncopen Petroleum a Latinis, quod e ſaxis ſtillet, a Nicolao Myrepſo μυρον τοῦ ἁγίου Βαρά ρου oleum Sancti Barbari, ab aliis oleum Sanctæ Catharinæ, oleum Sanctum, & a nonnullis νάπθα & ἄπθα απὸ τοῦ ἅπτεσθαι, quod accendi ſignificat, nominatum fuit.

Nulla non eſt regio hujus bituminis ferax. In inſula Sumatra nobilis hujus ſpecies colligitur, quæ ab incolis *Miniac Tannah* vocatur, quod oleum terræ ſignificat, & apud Indos magno habetur pretio. Apud Italos multum commendatur Petroleum quod in agro Mutinenſi variis in fontibus, ac puteis hauritur. Tota enim hujus Ducatus terra hoc oleo bituminoſo turgere videtur: ſed præcipue circa caſtellum Montis Baranzonis, in loco dicto *Il Fiumetto*. Putei ad ulnarum triginta vel quadraginta altitudinem effodiuntur, donec ſcaturigo reperiatur aquæ cum oleo permixtæ. Qui in collis infima parte excavantur putei, oleum rufum

uberrimum ſuppeditant ; qui vero in parte ſuperiore , album , ſed minori copia. Inſignis eſt præterea rupes in eodem territorio , duodecimo lapide verſus Apenninum a Mutina diſtans prope montem Gibbium, ex qua perpetuus ſcaturit fons aquæ cui oleum flavum innatat. Tantus eſt hujus olei proventus, ut bis in hebdomade ſex circiter libræ ſingulis vicibus colligantur. Nec Gallia noſtra Petroleo caret. In Aquitania non longe a Bliteris vulgo *Beziers*, prope vicum Gabianum, oleum rufum cum aqua ex ſaxorum quorumdam rimis effluit, quod ſedulo colligitur, nec virtute cœteris inferius eſt. Alius eſt hujus olei fons ad Claromontium in Arvernia.

Petroleum flammam facile concipit, unde vetus eſt & multis in locis uſitatum eo uti ad lucernarum lumina olei vice. Partibus refertum eſt tenuibus & volatilibus quæ facile in auras avolant, & ignis rapaciſſimæ ſunt : unde ſi forte fax accenſa aut flamma quæcumque puteis vel fontibus Petrolei admoveantur, halitus ex bitumine exhalantes ſæpius accenduntur. Petroleum cum ſpiritu vini difficile conjungitur & miſcetur ; pinguior enim eſt Petrolei conſiſtentia. Diſtillatione liquorem oleoſum ſuppeditat, qui paulo pellucidior eſt, ſed non parum nativi odoris ſubtilis perdidit, quique accenſus flammam minus fuliginoſam, ſed magis languidam edere viſus eſt. In alambicis fundo exiguum magma flavum remanet. Unde patet Petroleo nihil perfectionis per diſtillationem accedere.

Laudatur Petroleum recens hauſtum, odore bituminoſo ſubtili, album, pellucidum, deinde flavum, poſtea rufum : craſſius cenſetur nigricans.

Dioſcorides Naphtham Babylonicam ad oculorum ſuffuſiones & albugines utilem prædicat. Petroleum ex fonte ad Gabianum vicum extractum, in uteri ſuffocatione egregio cum ſucceſſu ad guttas aliquot intus aſſumitur, & infantibus ad vermes enecandos propinatur. In menſium ſuppreſſione prodeſt, ſi aſſumantur guttæ x. vel xv. in vino ; ideoque eo magis, ſi pubis mulierum hoc oleo illiniatur. In paralyſi & partium nervoſarum doloribus frigidis pars affecta cum ſucceſſu inungitur. Ad ſchitri exquiſiti augmentum impediendum Carolus Muſitanus Petroleum commendat, & ex eo ſequens parat linimentum.

℞. Olei Myrtillor. ℥ij. Olei Nucis muſchatæ ℥ß. Axungiæ jumenti ℥ij. Olei Petrolei ad pondus omnium. Miſce.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Piſſalſphalto.

Pittaſphaltum, *Dioſcoridis* ; Piſſaſphaltum & Pix mineralis *Off.* Maltha *Quorumdam*. Eſt bituminis ſpecies rufa vel nigra, odoris fragrantis, bituminoſi, non ingrati, tenax, mediæ conſiſtentiæ inter Petroleum & bitumen, pici vulgari ſimilis, quæ calore liqueſcit, frigore denſatur, & flamma admota facile accenditur. Pittaſphaltum & Piſſaſphaltum dicitur a πίττα vel πίσσα & ἄσφαλτος bitumen, quaſi diceretur Pix bitumen ſeu Pix bituminoſa, quod ut vult Dioſcorides, odorem picis

bitu-

bitumini mixtæ redoleat, non vero quod ſit mixtura arte facta ex bitumine, & pice, ut quidam volunt.

E rupibus ſtillat, vel e terra ſcaturit plurimis in locis. A Dioſcoride commendatur quæ in Apolloniatarum agro circa Epidaurum colligebatur. In Italia in uſu eſt pix mineralis quæ in Agro Romano prope vicum *Caſtro* dictum, ſexaginta paſſuum millibus ab urbe Roma diſtantem, colligitur; per rimas ſaxorum cujuſdam montis æſtivo tempore exſudat, mellea conſiſtentia, colore nigro, & odore ſubtiliſſimo, *Pece di caſtro* vulgo dicitur. In Arvernia quoque Galliæ Provincia, uberrima eſt hujus bituminis liquidi ſcaturigo, quæ ab incolis Piceus fons, vulgo *le Puits de Pege*. Molle eſt picis inſtar, nigrum, odoris bituminoſi. Si per longum temporis intervallum ſervetur, indureſcit, ſed tamen nonnihil pinguedinis retinet, nec unquam ad bituminum duritiem exſiccatur.

Piſſaſphaltum recens e terra eductum digerit, maturat, reſolvit: ad anthraces & bubones maturandos, tumores reſolvendos, dolorem iſchiadicum, & catharrales affectus diſcutiendos uſurpatur, nec non etiam ad luxatas partes poſt earum reſtitutionem roborandas, earumque tonum firmandum inſuper applicatur.

Hoc bituminis genus cum limo argilloſo mixtum Maltham conſtituit; quæ in jungendis murorum lapidibus calcis uſum præſtat. Eam ad Babylonios muros conſtruendos adhibitam fuiſſe Vitruvius narrat.

CAPUT SECUNDUM.

De ſolidis Bituminibus.

BITUMEN ſolidum eſt ſubſtantia dura, friabilis, quæ calore liqueſcit, flammæ admota accenditur, frigore denſatur, & exſiccatur, oleo non aqua ſolubilis, colore diverſo.

In terræ viſceribus generatur; & inde, dum adhuc molle eſt, cum aquis effluit, vel in fontes, vel in mare, ubi paulo poſt indureſcit; vel etiam durum ac ſolidum e terra effoditur. Itaque vel ex aquis colligitur Bitumen, ut Bitumen Judaicum, & Ambarum cinericium: vel e terræ ſinu eruitur, ut Succinum, Cagates, & Carbo foſſilis.

Obſervandum vero hæc omnia Bituminum genera initio fuiſſe mollia, & fluida, & per tempus induruiſſe.

ARTICULUS PRIMUS.

De Bitumine Judaico.

ASPHALTUM, *Dioſcoridis*; Bitumen Judaicum, *Off.* Karabe Sodomæ, *Serapionis*; Gummi funerum, *Ejuſdem*; Mumia, *Quorumdam*. Eſt ſubſtantia ſolida, fragilis, ponderoſa, rufa, admodum obſcura vel nigra, ſplendens, inflammabilis, odore valido, bituminoſo, præſertim dum incaleſcit, quæ igne liqueſcit, & admota flamma accenditur:

Variis

Variis in locis deprehenditur, ſed cœteris anteponitur quod ex Judæa affertur, unde Judaicum dicitur. Ibi ſuper Mare mortuum quod ex eo lacus Aſphaltites dicitur, colligitur. Veriſimile eſt ex hujus lacus fundo magnam hujus bituminis copiam ſcaturire, quod elevatur ad ſuperficiem aquæ cui innatat. Primo quidem molle eſt, lentum, & adeo ſequax ut vix avelli queat; ſed per tempus ſpiſſatur, fitque etiam pice ſicca durius.

Dicitur Karabæ Sodomæ: *Karabe* enim apud Arabes ſæpe pro bitumine ſumitur; *Sodomæ* vero, ex eo quod ex lacu Sodomitico originem trahat, Gummi funerum, & Mumia, quia bitumine Judaico, ſicut & Piſſaſphalto Ægyptiorum vulgus cadavera ſua conſervanda condire ſolebant.

Legitimum Judaicum bitumen ad nos raro advehitur. Illud enim Dioſcorides ſcribit eligendum eſſe quod purpuræ modo ſplendeat, nigrum vero, & ſordidum rejiciendum: at vero quodcumque nobis affertur, nigrum eſt; attamen ſi in fruſtula tenuia diſſiliat, nitor quidam croceus percipitur adverſo lumine, quem fortaſſe Dioſcorides deſignare voluit. Quidam pro genuino bitumine Judaico Piſſaſphaltum in cacabis aheneis vel ferreis excoctum, & induratum nobis mittunt.

Bitumini Judaico vis diſcutiendi, emolliendi, glutinandi, ſanguinem coagulatum reſolvendi, & menſes ciendi tribuitur. Uſurpatur in compoſitione Theriacæ, *Andromachi ſenioris*, & Pulveris ad implendas cadaverum cavitates, *D. Charas*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ambaro Cineraceo.

AMbar vel Ampar, *Aetii;* Ambarum cineraceum ſeu griſeum, Ambra griſea, *Off.* Eſt ſubſtantia ſebacea, pinguis, ſolida, levis, cinerei coloris, marmoris inſtar variegata, albis ſubinde exiguis maculis aſperſa, quæ bituminis inſtar e terræ viſceribus emanat, in maris ſinu condenſatur, & in ejuſdem ſuperficie fluctuans, vel in littus ejecta deprehenditur.

Ambarum veteribus Græcis incognitum fuit, cum de illo nulla facta fuerit mentio ante Aetium. Nec vox illa Ambar vel Ambarum a recentioribus Græcis, neque ab Arabibus pro Succino uſurpata fuit ante Avicennam, & Simeonem Sethi, qui primi Ambari nomen Succino tribuiſſe videntur: unde poſtea apud auctores confuſio multa.

Hujus duæ ſunt ſpecies, cineracea ſcilicet, & nigra. Optima cenſetur cineracea, a ſordibus purgata, odorata, levis, quæque acu calida perfoſſa ſuccum pinguem, & odoratum refundit. Nigra improbatur, utpote terra vel limo conſpurcata, vel adulterata, ut quidam exiſtimant.

Quid ſit Ambarum cineraceum inter auctores controvertitur. Alii avium fimum vel ſtercus eſſe tradunt; alii Balenæ recrementum: quidam arborum reſinam aut Camphoræ ſpeciem; nonnulli ſpumam maris concretam, ceram, & mel a Sole, & ſale maris digeſta, & cocta fuiſſe afferunt. Verum nullus eſt nunc dubitationi locus quin bituminis quodfdam

dam genus ſit e terræ ſinu in fundo maris emanans, primo quidem molle, & liquidum quod poſtea concreſcit, & denſatur. Mediis enim in Ambari glebis varia reperiuntur, ſcilicet lapilli, conchylia, animalium oſſa, avium roſtra, & ungues, apum favi cerei adhuc melle repleti, & alia hujuſcemodi, quæ in hac materia ſepeliri non potuiſſent, niſi per aliquod tempus mollis fuiſſet, & tenax, bituminum more.

Ambari glebæ tantæ molis quandoque deprehenduntur, ut centenas vel ducentenas libras pondere ſuperent.

In mari Indico circa Moluccanas inſulas magna ejus copia colligitur: reperitur quoque frequenter ad littus maris in India Orientali, & Africa; nonnumquam etiam Ambari fragmenta circa maritimas regionum ſeptemtrionalium Angliæ, Scotiæ, Norvegiæ oris a mari ejecta inveniuntur.

Ambarum igne liqueſcit in reſinam auream vel flavam; flamma admota, accenditur, & ardet. Non tota ejus ſubſtantia in ſpiritu vini ſolvitur, ſed nigra piceaque materia ab eo intacta remanet. Solutio vero ſedimentum quoddam album, & nebuloſum poſt aliquod temporis intervallum deponit, quod quidem paulatim magis magiſque coagulatur, & inſpiſſatur, nimirum tenujorum ſpiritus vini partium exhalatione. Hoc coagulum exſiccatum in terram foliatam ſplendentem, ſpermati ceti haud abſimilem, convertitur.

Diſtillatione ex Ambaro prodit primo phlegma inſipidum, deinde liquor ſeu ſpiritus acidus, & oleum flavum odoratiſſimum cum portione aliqua ſalis ſalſo-acidi, volatilis, qualis e Succino educitur. Tandem in retortæ fundo remanet materia nigra ſplendens, & bituminoſa. Ex his liquet, Ambarum cineraceum conſtare ex particulis oleoſis, tenuiſſimis & volatilibus ab aliis craſſioribus, tum ſalinis, tum bituminoſis irretitis.

Maximus eſt Ambari uſus apud Aromatarios ad odoramenta, & ſuffimenta præparanda. Apud Medicos commendatur ad ſpiritus languentes ſuſcitandos, ad eorumdem penuriam reſarciendam, tardioremque ipſorum motum promovendum, & accelerandum. Unde cerebro, & cordi conducit, ſenſus omnes vegetiores reddit, & in lypothymiis, in affectibus cephalicis, & nervinis utiliſſimum cenſetur: ſed in primis genitricem facultatem juvare creditur; necnon etiam ad vitam producendam multum conferre apud Orientales populos vulgaris opinio eſt. Tum interne, tum externe uſurpatur. Doſis, ſi in ſubſtantia exhibeatur, inſtar Piſi minoris, vel a grano uno ad octo per ſe in ovo ſorbili aut in vino, vel cum Saccharo, & pulveribus aromaticis: vel ejus tinctura cum ſpiritu vini extracta, a gutta una ad x.

Ex Ambaro paratur tinctura ſimplex, vel compoſita. Simplex præparatur, ſi ſolvatur in ſpiritu vini, & tinctura a fœcibus ſeparetur. Compoſita vero quæ fragrantiſſima eſt, ſic conficitur.

℞. Ambari cineracei, Sacchar. cand. ana ʒij. Moſchi gr. xij. Zibeth gr. ij. Sp. vini ℥iiij. Digerantur ſimul in vaſe vitreo per aliquot dies. Liquor decantetur, & ſervetur ad uſum. Doſis a gutt. j. ad viij. vel x. in vino Hiſpanico, aqua Cinnamomi, vel quovis alio liquore.

Rive-

Riverius Ambarum commendat ad ventriculum roborandum, & tamquam ſpecificum in fame canina. Idem remedium in melancholia hypochondriaca poſt debitam purgantium, & diluentium remediorum adhibitionem proponit, ad ſpiritus, & calorem nativum vivificandum, & cor exhilarandum. Obſervandum tamen odoramenta quæcumque ſuavia, & fragrantia puerperis, & mulieribus hyſtericis noxia prorſus eſſe, & ideo caute vitanda. Quidam quoque ſunt viri affectibus hypochondriacis vexati, qui ab iiſdem fragrantibus odoribus male ſe habent. Generatim hujus ævi homines hæc odoramentorum genera difficilius ferunt; unde tot obſoleverunt compoſitiones apud veteres Medicos uſitatæ, in quibus Ambarum, vel ſolum, vel Moſcho conſociatum uſurpabatur.

Quæ hyſtericas mulieres odore ſuo lædunt ſuaveolentia, eaſdem utero admota juvant.

Ambarum uſurpatur in pulvere Diambra, *Meſues*; pulvere aromatico roſato, *Gabrielis*; in pulvere lætificante, *Nicolai Præpoſiti*; pulvere contra peſtem ſeu Bezoardico, *Renaudæi*; in Electuario Diaſatyrio, *D. Charas*; Tabellis magnanimitatis, & Balſamo apoplectico, *Ejuſdem*; in confectione Alkermes & confectione de Hyacinthis, dum perfectæ ac completæ deſiderantur. Sæpius enim, & caute Ambarum, & Moſchus in his confectionibus omittuntur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Succino.

Ἤλεκτρον πτερυγόφορον & χρυσοφόρον, *Dioſcoridis*: Λυγγούριον ὕαλος & ἅρπαξ, *quorumdam veterum Græcorum*: Βερενίκη, *recentiorum*: Karabe *Arabum*: Succinum, *Latinorum*: Hambarum, *Barbarorum*: Ambarum citrinum, *Off.* Eſt ſubſtantia bituminoſa, dura, arida, fragilis, pellucida, nunc flava vel citrina, nunc albicans, nunc fuſca; ſaporis ſubacris, bituminoſi, aliquantulum adſtringentis; odoris, dum incaleſcit, fragrantis, & bituminoſi; inflammabilis, quæ attritu calefacta paleas, & feſtucas ad ſe trahit.

Dioſcorides de duplici Electri genere mentionem facit: Pterugophorum unum dicit, ex eo quod plumulas ad ſe trahat: idem & Lyncurium quoque dicitur, quaſi urina lyncis, quia ejus urinam glaciatam, & concretam in calcali duritiem eſſe vulgo credebatur. Alterum ab aureo colore Chryſophorum nominat. Hoc eſſe Populi nigræ arboris lachrymam ex aliorum relatione narrat, non vero aſſerit. Alteram vero Electri originem ex urina lyncis tanquam futilem ac vanam rejicit. Unde concludere licet Succini originem Dioſcoridi prorſus ignotam fuiſſe.

Ὕαλος quoque a quibuſdam vocatur, ob vitri ſplendorem & pelluciditatem qua donatur, Ἅρπαξ quia feſtucas, & minuta ac levia quæcumque corpora ad ſe trahit. Succinum a Latinis dictum fuiſſe creditur, ex eo quod arborum ſuccum eſſe cenſerent. Ambari vero nomen barbarum derivant ex illis dua-

bus

bus Arabicis vocibus, *Haur Rumi*, Populus Romana; ex quibus per corruptionem facta ſunt Haurum, Habrum, Hambrum & Ambarum. Karabe nominatur, vel ex voce Perſica quæ palearum raptorem ſignificat, vel ex Arabica voce *Kar*, quæ quoddam bituminis genus denotat.

De Succini origine variæ fuerunt ſententiæ. De ea Dioſcorides nihil aſſerit. Plinius ſcribit lacrymam eſſe ſtillantem ex pinei generis arboribus in Inſulis Oceani ſeptemtrionalis naſcentibus, frigore denſatam, & in mare deciduam, quæ poſtea in proxima terræ continentis tunc temporis Auſtraviæ dictæ littora expellitur, ubi colligi ſolet. Nunc vero nullus dubitare poteſt, quin ſit ſuccus bituminoſus & foſſilis, in terræ viſceribus natus, primo liquidus, deinde concreſcens in ſubſtantiam ſolidam & duram. In Gallo-Provincia e montibus eruitur prope Segeſteronem civitatem, ad Turrim Bevontiam, & haud procul a vico Salignaco dicto. Effoditur quoque in agro Picœno non longe ab Ancona urbe, necnon in Spoletano Ducatu, Umbria dicto, in Sicilia, in agro Cataneo & Agrigentino. Sed illud omne fuſcum eſt, & minus purum. Præſtantius in Pruſſia reperitur. Ibi duplex Succinum; unum, quod e terræ fodinis educitur; alterum vero, quod in littore maris colligitur, licet non ſpecie diverſa ſint.

Philippus Jacobus Hartmannus, qui Succini hiſtoriam accuratiſſime deſcripſit, totum Pruſſiæ & Pomeraniæ fundum ſuccineum eſſe affirmare non dubitat, cum ſæpe in harum Provinciarum locis a mari longe diſſitis, dum aratro ſulci ducuntur, vel dum ſcrobes aut foſſæ varios in uſus excavantur, magna Succini copia ſeſe offerat: ſed præcipuæ Electri fodinæ in ea parte maritimi Pruſſiæ littoris, quæ littus Sudavicum dicitur, ſitæ ſunt. Ex littore aſſurgunt colles ex terra quadam corticoſa efformati, ita ut arboreorum corticum acervi videantur. Cortices exteriores exſiccati & cinerei ſunt, interiores vero molles, nigri, & bituminoſi. Sub his corticibus ſternitur ſubſtantia quædam lignea, aut potius ligni ſpeciem ferens, non ſicut lignum vegetabile, ex variis fibrarum diverſimode contortarum & intertextarum ordinibus, ſed ex diverſis laminis planis ac rectis ſibi invicem ſuperimpoſitis conſtans, quæ lignum foſſile dicitur. Hæc pro Succini matrice a clariſſimo Hartmanno habetur, cum uberrimam Succini copiam intra ſuas venas complectatur, & rariſſime Succinum abſque ligno foſſili reperiatur. Hic obiter notandum eſt, plurimis in locis ubi Succinum eruitur, ibi reperiri quoque & lingum foſſile, & lapidem lyncurium, & vitriolica mineralia.

Succinum quod in littore maris colligitur, ex collibus ſucciniferis a mari procelloſo deſtructis & erutis cum terra abripitur, ac tandem in littus huc & illuc a fluctibus propellitur.

Succinum triplex; citrinum vel flavum, albicans, & fuſcum. De ea ſpecie quæ ad uſum Medicum eligenda ſit, non conveniunt inter ſe auctores. Alii citrinum probant, album alii. Citrinum plus olei continet, & attritu odorem bituminoſum non injucundum emittit. Album minus olei, & plus ſalis volatilis recondit. In fuſco vero terra uberior eſt. Quapropter ſi ſale volatili opus ſit, album eligendum erit; ſi oleo, citrinum; fuſcum vero rejiciendum eſt.

Suc-

Succinum ſpiritu vini diſſolvitur, ſolvitur quoque in oleo ſpicæ, lavandulæ, & in oleo lini, licet difficilius.

Analyſi chymica Succinum phlegma non inſipidum, ſed leviter acidum & ætherea quadam olei portione fœtum prodit, deinde oleum flaveſcens cum ſale volatili, ac tandem oleum craſſum & fuſcum. Major extrahitur ſalis volatilis copia ex albo, quam ex flavo; cum Succini albi ℔j. ſal. volatilis ʒiiij. flavum vero eadem quantitate vix drachmam unam præbeat. Peracta diſtillatione, remanet capitis mortui nigri & ſplendentis uncia una pro ſingula Succini ſemilibra.

Sal volatilis aqua calida ſolutus, poſt humoris ſuperflui exhalationem concreſcit, non in cryſtallos, ſed in granula miliaria aut grandinoſa. Si vero in vitro oblongioris colli leni calori exponatur ad ſublimationem peragendam, ad ſuperiorem vaſis partem in floccos niveos ſpiculis brevibus & tenuibus coagmentatos elevabitur. Saporis eſt leviter acidi non ingrati. Affuſo ſpiritu Vitrioli, non effervescit. A ſpiritu ſalis Ammoniaci, aut ab oleo Tartari, bullulis cum ſtridore excitatis abſorbetur.

Ex his concludere licet, Succinum conſtare ex bituminoſa quadam pinguedine craſſiori, & altera portione oleoſa tenui ac ſubtili cum ſale acido volatili, qualis e ſulphure accenſo exhalat, conjunctis ac inſpiſſatis.

Succino multæ & egregiæ tribuuntur virtutes; ſed præſertim in frigida cerebri intemperie & in catarrhis tanquam ſpecificum interne commendatur: præſtat quoque in capitis doloribus, morbis ſoporoſis & convulſivis, in menſium ſuppreſſione, in affectionibus hyſtericis & hypochondriacis, in gonorrhæa, & albo mulierum fluxu, in hæmorrhagiis. Doſis a ℈j. ad ʒj. in ovo ſorbili, vel in alio vehiculo idoneo.

℞. Succini citrini ſubtiliſſime pulverizati aut in alcohol ſupra porphyritem redacti, Conſervæ Roſar. rubr. & Conſevæ flor. Anthos ana ʒß. Syr. Stæchad. q. ſ. Fiat bolus mane & ſero devorandus, ad caput roborandum, fluxionem cohibendam, & lymphæ acrimoniam demulcendam, in frigida cerebri intemperie, in catarrho & coryza.

℞. Succini præparati, Camphoræ & Sanguinis Draconis ana ʒj. Syr. Roſar. ſiccar. q. ſ. Fiat opiata cujus doſis ʒj. quotidie mane adverſus gonorrhæam exhibenda, præmiſſis præmittendis.

℞. Succini præparati, Millepedum præparator. ana ʒij. Myrrhæ ʒß. Conſervæ flor. Lamii albi ℥jß. Syr. Millefol. q. ſ. F. opiata cujus doſis ʒij. bis in die in albo mulierum fluxu.

℞. Succini pp. ℈j. Spermatis ceti, Terræ cathecu ana gr. xv. Syr. Hederæ terreſtris vel Diacodii q. ſ. Fiat bolus in ſanguinis ſputo, vel in tuſſi diuturniori & vehementiori ab acriori pituita.

℞. Succini ʒß. Caſtorei, Myrrhæ ana gr. xij. Croci gr. vj. Conſervæ Abſynthii, vel Extracti Rutæ q. ſ. Fiat bolus in ſuffocatione hyſterica & in menſium ſuppreſſione.

Externe Succinum in ſuffitu, in cataplaſmatis & cucuphis adhibetur ad cerebri affectus ſanandos. Ejuſdem fumus ore exceptus in angina incipiente, in prolapſu uvulæ & tonſillarum, tumorem ex catarrho ſæpe conducit.

Præ-

Præparata e Succino ſunt. 1. Ejus præparatio proprie dicta, quæ eſt ejus lævigatio, vel reductio in alcohol tenuiſſimum ſuper porphyritem, quæ quidem magiſteriis longe præſtat.

2. Tinctura cum ſpiritu vini tartarizato, cujus doſis ab aliquot guttis ad ℈j. Ex ea paratur ſal oleoſus aromaticus ſuccinatus. Hujus tincturæ & ſalis aromatici oleoſi partes æquales miſcentur, ac leni calore digeruntur. Unde oritur tinctura cardiaca & diaphoretica miræ efficaciæ in affectibus ſoporoſis, catarrhis, hyſtericis affectibus, cordis palpitatione, lypothymiis, menſium obſtructione, & paralyſi. Doſis a guttis aliquot ad ℈j. in potu Theæ, in vino, aut in alio liquore convenienti. Externe inungantur ſuturæ cranii in catarrhis, nares, tempora & ſcrobiculum cordis in lypothymiis & cordis palpitatione, regio umbilicalis in hyſtericis affectibus.

3. E Succino arte chymica extrahuntur ſal volatilis acidus, oleum flavum, & oleum fœtidum nigrum.

Sal volatilis diureticus eſt, & ſpecificum habetur in morbis hyſtericis & convulſivis; ſpaſmodicos enim motus pacare valet. Doſis a gr. x. ad ℈ß. Ex eo ſale liquor Cornu Cervi ſuccinatus Michaelis, in epilepſia infantum magnopere commendatur, fit ex ſpiritu volatili Cornu Cervi, in quo ſalis volatilis C. C. & ſalis volatilis Succi partes æquales ſolvuntur, quantum ex his ſolvere valet; & liquor ſervatur ad uſum.

Oleum antihyſtericum eſt, cephalicum, & nervinum: intus ſumptum a gutt. ij. ad xx. externe prodeſt in arthritide, paralyſi & catarrho, partibus afflictis illitum. Ex eodem paratur Balſamum ſulphuris ſuccinatum, & in compoſitione emplaſtri magnetici Angeli Salæ adhibetur.

Uſurpatur Succinum in Throchiſcis de Karabe, Pilulis de Succino, *Cratonis*, Emplaſtro ſtomachico, *D. Charas*, Emplaſtro diaphoretico, & Emplaſtro ſtyptico, *Ejuſdem*.

ARTICULUS QUARTUS.

De Gagate, & Carbone foſſilii.

ΛΊθος γαφάτη, Dioſcoridis Ἐγγάτγις πέτρη, *Nicandri*: Gangitis, *Strabonis*: Gagates & Succinum nigrum, *Officinar.* Eſt ſubſtantia bituminoſa, ſicca, dura, nigra, lævis, ſplendens, quæ accenſa Picis fere modo flagrat, nigrum, ac denſum emittit fumum, odoremque bituminis exhibet.

Nomen obtinuit ab urbe Lyciæ Gage vel Gagas dicta. Hodie plurimis in Europæ locis, ſcilicet Gallia Narbonenſi, Germania, Suecia, Irlandia, inter rupes reperitur.

A Carbone foſſili differre mihi videtur puritate ac partium tenuitate: craſſior enim eſt Carbo foſſilis, & terrearum particularum majorem copiam poſt calcinationem relinquit. A bitumine vero diſcrepat, quod Bitumen igne liqueſcat, non vero Gagates. Sæpius Gagates flore ſeu pulvere quodam vitriolico conſperſus colligitur.

Gaga-

Gagates diſtillatus ſpiritum ſeu phlegma albicans, acre & ſubacidum ſuppeditat, deinde oleum nigrum, ac tandem butyroſam ſubſtantiam, ſeu oleum ſpiſſum & craſſum. Caput mortuum nigerrimum naturæ rarioris in fundo relinquit.

Dioſcorides Gagati vim molliendi & diſcutiendi tribuit. Ejus ſuffitus in uteri ſuffocatione utilis eſt. Aetius ſcribit vinum in quo accenſus Gagates extinctus fuit, cardiacis potu exhibitum, eos confeſtim levare, repreſſo ſudore, excitatoque arteriarum pulſu. Ejus oleum arte Chymica extractum, naribus admotum hyſtericis confert.

Ad Gagatis genus referri poteſt Carbo foſſilis, ſeu lapis Thracius Dioſcoridis: de quo ex aliorum relatione narrat auctor aqua accendi, oleo vero reſtingui; quod quidem in fabrorum officinis quotidie obſervare licet, qui aquam in accenſos carbones ſpargunt, ut nimis expanſum calorem reprimant, ac in centro vividiorem focum efficiant.

Nullus eſt Carbonis foſſilis uſus in Medicina: ex ea tamen oleum natura & viribus Gagatino non diſſimile extrahi poteſt.

CAPUT TERTIUM.

De Sulphure.

SUlphur, *Officinar.* quod Græci θεῖον vocant, quaſi rem ſacram, utpote quo ad expiationes omnes uterentur, & Arabes *Kabrie* vel *Chibur*, eſt ſuccus mineralis concretus, ſolidus, ſiccus, friabilis, qui igne liqueſcit, flammam vel ſolo prunarum ardentium tactu facillime concipit, & accenſus flamma micat cærulea, odoremque gravem, ſubtilem ac acidum emittit naribus, & pulmonibus infeſtum.

Variæ ſunt Sulphuris ſpecies. Ratione originis, dividitur in ἄπυρον ſeu nativum, quod ignem non fuit expertum; & πεπυρωμένον ſeu factitium, vel igne depuratum. Ratione coloris, aliud eſt citrinum, aliud luteum, aliud rubrum, aliud cinereum, aliud albicans. Ratione ſubſtantiæ, aliud purum, aliud impurum.

Sulphur nativum quod etiam vivum in officinis dicitur, duplex adhuc: vel pellucidum eſt, vel opacum. Pellucidum gemmæ inſtar aureum eſt, citrinum aut ſubviride quod variis in locis colligitur, in Peruvianis aurifodinis præſertim in Quito Provincia, in Inſula Milo, in Helvetia prope Bactiacum, vulgo *Bex*, in Præfectura Aquilegiæ ditionis Bernenſis. Opacum vero aut in maſſulas duras ac ſolidas, citrinas aut ſubvirides ſplendentes reperitur, aut ſub glebarum argillacearum ſpecie coloris cinerei albicantis vel flavi effoditur; quod quidem variis in locis occurrit, in ſulphuratis Puteolanis, ad radices montium ignivomorum, Veſuvii, Ætnę, Heclæ, & cœterorum, necnon etiam in quibuſdam Europæ & Americæ terris aut fontibus ſulphureis.

Sulphur factitium, ſeu quod ignem expertum eſt, variis modis preparari ſolet,

let. Quibuſdam in locis ex aquis decoquitur, ut ad Budam Pannoniæ, teſtes Agricola. Ex thermis Aquiſgranenſibus, in balneorum Cæſareorum ſcaturigine. Sulphur cum aqueis vaporibus elevatur, & in putei collo ac teſtudine in duriuſcula fruſtula ſub floris ſulphurei ſpecie concreſcit, & magna quotannis colligitur. Nonnumquam ex terra argilloſa alba cinerea extrahitur: ſic in agro Romano, non procul a Caſtello Bracciano Sulphuris eſt fodina, ex qua Sulphur educitur ſub terræ pinguis, argilloſæ, & albæ forma, cum venis quibuſdam nigricantibus. Effoſſa Sulphuris vena magis quibuſdam vaſis fictilibus ſtillatoriis imponitur, & vi ignis diſtillatur. Sulphur fuſum per roſtrum fluit in ſubjectum vas recipiens, ibique brevi concreſcit in maſſas grandiores: peracta diſtillatione, in vaſis ſtillatoriis terra quædam rubra remanet, quæ tanquam inutilis rejicitur. Sæpius ex Pyritis quibuſdam elicitur, ut in agro Laodicenſi, ubi Pyrites quædam plumbi mineræ ſimilis effoditur; & in fruſtula tenuja diſrumpitur: deinde crucibulis ſeu potius cucurbitis fictilibus grandioribus formæ quadratæ, & anguſtioris orificii imponitur. Hæc fictilia vaſa in furna inclinata ſic diſponuntur, ut igne ſubtus accenſo, mineræ pars ſulphurea liquata e vaſis fluat in aquam frigidam plumbeis receptaculis contentam, ubi ſtatim concreſcit. Quæ poſt Sulphuris ſeparationem materia in crucibulo non liquata remanet, Vitrioli plurimum continet, quod eo, quem diximus modo, extrahitur. Sulphur e minera extractum, ſi nondum rite purgatum ſit, funditur denuo in vaſis ferreis, & adjecto olei lini aliquantulum, decoquitur. Deinde vel in maſſas grandiores coagulatur, & vulgo: *Soufre en maſſe*; vel in tubos ferreos oleo illitos infunditur, ex quibus extractum baculorum formam retinet, & *Soufre en canons* vulgo dicitur.

Sulphur ſic purgatum, Sulphur commune nuncupatur, quod adhuc duplex eſt; vel flavum, vel ſubviride. Ad medicum uſum, & præſertim internum, flavum eligitur, aurei coloris, quod facile frangitur, & digitorum attritu, quaſi crepitando friabile eſt: repudiatur quod ſordide flaveſcit. Ad extractionem olei vel ſpiritus Sulphuris viride flavo anteponitur, utpote majori ſalis vitriolici copia turgens.

Sulpur commune igne liqueſcit; flamma vel prunis ardentibus admotis, ſtatim accenditur, & flammam tenuem ac cæruleam emittit cum ſubtiliſſimo halitu acido, quo nares feriuntur, & pulmones ad tuſſim provocantur. Vis electrica in eo deprehenditur: Sulphur ab acidis non diſſolvitur; ab alcalibus vel ſalibus, aut ab oleis facillime reſolvitur. Aperto aere accenſum fere totum in auras exhalat, exigua admodum terræ metallicæ portione reſidua. Si vero vapor aere aperto e Sulphure dimanans, ſedulo colligatur, in liquorem acidum ſpiritui Vitrioli æmulum diffluit, nullo olei aut bituminis veſtigio remanente. Si vero in vaſe clauſo, in alambice v. g. ſulphuris diſtillatio inſtituatur, qui ex fundo vaſis ad ſuperiora evehitur ſulphuris vapor, non in diverſa principia reſolvitur; ſed ſub fuliginis flave pulverulentæ forma concreſcit, quæ flos ſulphuris dicitur, ejus priſtina forma nullo modo mutata. Cum igitur in vaſis clauſis ſulphur in ſua principia reſolvi nequeat, difficilis hacte-

nus, & imperfecta fuerat ejus analyſis chymica, antequam a D. Homberg abſoluta fuerit illius ſolutio, cujus methodum vir ille ſagaciſſimus, ac peritiſſimus in actis Regiæ ſcientiarum Academiæ anni 1703. aperuit, & ſic expoſuit.

℞. Flor. Sulphuris ℥iiij. Olei Terebenthinæ ℔j. Digerantur ſimul in matracio in balneo arenæ per 8. dies, donec totum in Sulphur diſſolutum fuerit, & liquor obſcure rubicundus appareat. Solutio in loco frigido reponatur; vaſe refrigerato, Sulphuris tres circiter partes in cryſtallos citrinas concreſcent, quarta portione in liquore ſoluta remanente. Tinctura ſeparetur a cryſtallis, quibus affundatur denuo Olei Terebinthinæ ℔j. Digerantur, & tinctura ſecernantur, & Olei Terebinthinæ affuſiones reiteretur donec flores Sulphuris prorſus diſſoluti fuerint. Omnes tincturæ confundantur, & ex ampla retorta vitrea levi ignis calore diſtillentur. Olei Terebinthinæ pars maxima limpida prodibit, cum aliqua portione liquoris albicantis, & ſumme acidi. Cum vero guttæ liquoris ex retortæ collo ſtillantes rubræ apparebunt, mutetur excipulum, & ignis per gradus augeatur, donec nihil amplius ſtillet. Sub finem operationis prodit oleum craſſum, & fuſcum, cum aliqua adhuc portione liquoris albicantis, & acidi. Peracta diſtillatione, in retortæ fundo remanet caput mortuum ſeu terra nigra, rara, ſpongioſa, quaſi foliacea, ſplendens, inſipida, & in igne vehementiſſimo fixa. Oleum craſſum rufum, & bituminoſum in novam retortam vitream denuo immittatur; & ſi quid ſit adhuc Olei Terebinthinæ, & liquoris acidi albicantis, per diſtillationem leniſſimo calore extrahatur. Cum vero guttæ rubræ prodire incipient, ignis removeatur, & materiæ bituminoſæ in retorta ſuperſtiti affundatur ſpiritus vini ractificatiſſimus, qui poſtea levi ignis colore extrahatur admodum fœtens. Novi ſpiritus affuſio, & diſtillatio iteretur, donec ſpiritus non amplius ingratus odore prodeat. Tunc in retortæ fundo remanebit materia bituminoſa nigricans, odoris non injucundi, quæ pars eſt Sulphuris bituminoſa, & inflammabili.

Obſervandum eſt, quamdam tantum hujus bituminoſæ ſubſtantiæ portionem a ſpiritu vini diſſolvi, remanente aliqua portione, quæ nec ab illo ſpiritu nec a lixiviis liquoribus diſſolvitur, ſed a ſolis plantarum oleis eſſentialibus ſtillatitijs. Hæc ſubſtantia fere indiſſolubilis alvum potenter ſubducit ad grana duo vel tria. Quæ vero in ſpiritu vini ſolubilis eſt, egregium pulmonum balſamum eſt.

Per hanc analyſim tres ſubſtantiæ natura prorſus diverſæ, ex Sulphure æquali circiter proportione extrahuntur; acida una, bituminoſa altera, tertia vero terrea, & fixa. Acidus liquor a ſpiritu Vitrioli non diſcrepat, & ſale Tartari ſaturatus in cryſtallos Tartari vitriolati cryſtallis prorſus ſimiles concreſcit. Unde concludere licet, Sulphur commune conſtare ex æquali portione ſalis acidi vitriolici, olei bituminoſi, & terræ ſubtilis. Quod adhuc probatur artificiali Sulphuris productione, tum ex nova conjunctione ſubſtantiarum e Sulphure elicitarum, tum etiam ex mixtura ſubſtantiarum, quæ cum his ſub-

ſtan-

ſtantiis ſunt prorſus analogæ. Si enim aqua acida, & albicans e Sulphure extracta, vel ſpiritus Sulphuris, vel oleum Vitrioli, cum bituminoſa Sulphuris ſubſtantia, vel cum alio quocumque bitumine, oleo, vel pinguedine miſceantur, & mediante ſale Tartari diſtillentur, in retortæ fundo remanet maſſa ſalina, partim flava, partim rubra, ex qua Sulphur commune ſeparari poteſt. Faciliori adhuc methodo Sulphur artificiale conficitur, ſi Vitriolum, ſal fixum Vitrioli, Tartarum vitriolatum, ſal mirabilis Glauberi, Alumen, aut alius quicumque ſal vitriolicus in crucibulo fuſus oleo quocumque ſtillato vel expreſſo e vegetabilibus, animalium pinguedine, bitumine minerali, vel etiam ſpiritu vini ſatietur; nam brevi poſt horum liquorum inflammabilium affuſionem flamma cærulea apparet, & odor Sulphureus e crucibulo exhalatur. Si vero tunc temporis extracto crucibulo maſſa ſalina deſumatur, & aqua ſolvatur, huic ſolutioni affuſo aceto diſtillato, liquor albeſcit ad inſtar lactis Sulphuris: & ſenſum in liquoris imo pulvis ſubſidet cinereus vel flavus, verum ac genuinum Sulphur.

Dioſcorides ſcribit Sulphur prodeſſe tuſſibus, ſuſpirioſis, purulenta extuſſientibus, in ovo ſumptum vel ſuffitum. Hippocrates uſurpabat Sulphur ad affectus hyſtericos: *Ubi ſimul cum tuſſi*, (inquit Lib. 2. de morbis) *ſtrangularint uteri, Sandarachæ oboli pondus, Sulphuris ignem non experti tantumdem, & Amygdalas repurgatas tres vel quatuor commiſceto, & ex vino odoro exhibeto.* Et Lib. de natura mulierum: *In uteri ſtrangulatione Sulphur in ſuffitu exhibeto.*

Sulphuris uſus internus apud Medicos hodie commendatur adverſus morbos pulmonum, quorum Balſamum dicitur. Expectorationem enim promovet, pulmones expurgat & roborat: quare in phtyſi, aſthmate, & catharro valde prodeſt. Præterea ab omni ævo ad cutaneos affectus tanquam efficaciſſimum remedium, comprobatum fuit. Scabiem enim, pſoram, lichenes, tum intus exhibitum, tum extus adhibitum ſanat. Externe applicatum tumores duros diſcutit, bubones maturat ac digerit. Gravidis tamen mulieribus medicamenta ex Sulphure parata non conveniunt, ne iis abortum inferant.

Sulphur intus ſumptum alvum laxat, & inſenſibilem perſpirationem promovet. Hæc Sulphuris per cutis poros tranſpiratio facile percipitur ex odore ſulphureo quem exhalant corpora eorum, qui Sulphur intus ſumpſerunt, & ex colore fuſco vel nigro, quo inquinatur argentum vel aurum quod geſtant. Cum igitur Sulphur per totum corpus citiſſime diffundatur, partibus ſuis balſamicis ſales acres quibus humores his in morbis coinquinantur, irretire valet, eorum acredinem demulcere, & humorum indolem benignam, mollem, & quaſi oleoſam reſtituere; quo fit, ut cutis & pulmonum ulcuſcula facillime ſanentur.

Licet Sulphur purum exacte pulverizatum exhiberi poſſit, raro tamen abſque præparatione præſcribitur. Variæ Sulphuris purgationes ab auctoribus proponuntur. Alii Sulphur una cum cera liquefactum in aquam effundunt, cera innatat, & Sulphur ſubſidet, quod identidem repetunt, & Sulphur rubro tandem colore tinctum, magis defœcatum exiſtimant. Alii Sulphur in aqua per aliquot horas decoquunt, aquam identidem mutando:

deinde in furno calenti ponunt, & ibi per duas horas relinquunt, ut quoſdam fumos exhalet. Quod ſupereſt Sulphuris, ex flavo pallidum eſt, & ab iis puriſſimum exiſtimatur. Alii Sulphuris lac, & magiſteria conficiunt, quæ Sulphure ſincero longe præſtantiora putant. Sed hæ Sulphuris præparationes, vel Sulphuris indolem ac virtutem deſtruunt, vel ſaltem inutiles ſunt. Omnium autem præſtantior ejus præparatio eſt ſublimatio, ſeu reductio in flores ab omnibus ſatis nota, qua nempe Sulphur a partibus metallicis, & terreſtribus, ſi quæ ſint, ſeparatur.

℞. Florum Sulph. ℥iiij. Sacchar. roſati ℥j. Syr. Capillor. vener. q. ſ. Miſce. Fiat opiata mollis, cujus ʒiij. vel iiij. pro doſi mane jejuno ventriculo, & ſero quinque horis poſt prandium, per longum tempus capiat æger ad ſcabiem, vel aſthma perſanandum.

℞. Florum Sulph. ℥j. Sacchari albi ℥iv. aq. Roſar. q. ſ. Coque: & fiant ſecundum artem rotulæ ſeu tabellæ, in tuſſi, phtyſi, & aſthmate identidem ſumendæ longe a paſtu.

℞. Flor. Sulph. ʒij. Miſce in ovo ſorbili, & vora mane jejunio ventriculo. Eamdem doſim ſume horis veſpertinis, corpus inungendo unguento ſequenti ad ſcabiem.

℞. Pulpæ radicum Lapathi acuti ſive Sylveſtris, & Enulæ campanæ ana ℥ij. Butyri recentis ℥iiij. Flor. Sulph. ℥jß. M. F. unguentum ad ſcabiem.

Cum ſal acidus acutiſſimus in Sulphure contineatur pectori admodum infenſus, Chymici ad efficacius medicamentum pulmonare præparandum, acidum ejus ſalem demulcere aut irretire tentarunt in præparatione balſami Sulphuris, quod ſic conficitur.

℞. Floribus Sulphuris affundatur olei cujuſcumque q. ſ. ad eminentiam 3. vel 4. digitorum. Digerantur in arena leni calore, quouſque oleum rubro vel fuſco colore tinctum ſit. Liquor refrigeratus a fœcibus ſeparetur, & ſervetur ad uſum.

Sic varia Sulphuris balſama præparantur, ſcilicet anizatum, fœniculatum, terebenthinatum, juniperizatum, ſuccinatum, &c. pro variis oleis aſſumptis Doſis a guttis x. ad xxx. in aſthmate, tuſſi immodera, pulmonum ulcere, nephritide, & ulcere renum ac veſicæ. Ex hoc balſamo præparantur Pilulæ balſamicæ *Ricardi Morton*, quæ in ſcorbuticorum & ſcrofuloſorum lenta phtyſi (quæ quidem ſunt frequentiſſimæ phtyſes,) ubi febris (ſi ulla eſt) eſt admodum mitis, & ſputum quandatenus glutinoſum, aſthmaticorum ritu, curationem non tantum in principio morbi, verum etiam in ejus progreſſu inſigniter promovent.

℞. Pulver. Milleped. ʒiij. Gumm. Amm. optime depurati ʒjß. Flor. Benzoin ℈ij. Extracti Croci, Balſm. Peruv. ana ℈ß. Balſam. Sulph. Terebinth. q. ſ. Miſce. Fiant pilulæ deaurandæ, vel pulver. Glycyrrhizæ involvendæ. Doſis ad gr. xv. vel xx. ter in die horis medicis.

Verum omnibus Balſami Sulphuris præparationibus longe anteponendum eſt Balſamum Sulphuris Hombergianum, quod præparare ſolet celeberrimus ille Medicus, tincturam cum ſpiritu vini extrahendo ex bituminoſa Sul-

Sulphuris parte ab omni acida & terrea portione liberata, de qua mentionem fecimus in analyſi Sulphuris. Hanc tincturam inſpiſſat leni calore ad ſyrupi conſiſtentiam: & eſt Balſamum Sulphuris genuinum, ac præſtantiſſimum, non ſolum in pulmonum affectibus, ſed etiam in omnibus morbis in quibus acres ſanguinis ſales nimis evecti œconomiam animalem perturbant. Doſis, guttarum aliquot, cum ſyrupo convenienti, vel lambenda ſolum ex vola manus.

Chymici ſalem Sulphuris acidum extrahunt a parte bituminoſa prorſus expeditum ſub liquoris forma: hunc ſpiritum Sulphuris dicunt. Inter plurimas illius extrahendi rationes, quæ a D. Homberg in actis R. S. Academiæ anni 1703. proponuntur, hæc cœteris præſtat.

℞. Sulphuris citrini vel ſubviridis ℔. x. vel xij. Liquefiant in amplo crucibulo, vel in olla terrea ſatis capaci, donec ſponte incendatur; deinde in vaſe fictili latiori, vulgo *une terrine*, ſuppoſito prius alio crucibulo inverſo, accommodetur. Tandem amplum excipulum vitreum, vulgo *un balon*, cujus collum late reſectum fuerit, ita ut apertura ſit ſex circiter digitorum lata, ſic ſuſpendatur ut ſuo orificio crucibuli Sulphuris pleni orificium recipiat. Sulphuris halitus acidus aeris humiditati conſociatur, & ad internam excipuli vitrei ſuperficiem in guttas colligitur, ac tandem ſtillat per orificii limbum in vas fictile ſuppoſitum: & eſt ſpiritus vel oleum Sulphuris.

Obſervandum eſt primo, crucibula duo in promptu eſſe debere, ut Sulphure in uno extincto, recens liquefactum & ardens in altero ſubſtitui poſſit. Secundo, cruſtam, qua ſuperficies Sulphuris fuſi ſuperinducitur, detrahendam eſſe, ne flamma citius ſuffocetur. Tertio, majorem ſpiritus Sulphuris copiam tempore nebuloſo, frigido & pluvio obtineri. Quarto denique hac operandi ratione, majorem ſpiritus copiam & breviori tempore quam cœteris omnibus obtineri; cum ſæpe ex ℔j. Sulphuris, ℥j. vel una cum ſemiſſe ſpiritus extrahatur.

Spiritus Sulphuris in febribus ardentibus, malignis & peſtilentialibus prodeſt, ſitim extinguit, humorum putredini reſiſtit, ſanguinis & bilis efferveſcentiam ſedat, non totam ſanguineam molem, ut cœteri acidi liquores minerales, coagulando, ſed ſolas ſulphureas partes irretiendo. Nam ex Borelli obſervatione oleum Sulphuris in jugularem canis vivi venam injectum fuit ad drachmam unam aut alteram, ſalva ipſius vita; cum alter ab aquæ fortis, licet aqua temperatæ, ac debilitatæ infuſione, miras convulſiones & ſpaſmos paſſus, vehementiſſime ſe contorquendo, mortuus fuerit, in cujus venis & corde ſanguis in grumos condenſatus repertus fuit. Præterea ſpiritus Sulphuris craſſos & viſcidos humores incidit, & ſæpe obſtructiones tollit; unde in aſthmate commendatur. Phtyſicis tamen noxium exiſtimatur; cum, ſicut alii acidi liquores, tuſſim excitet. Doſis ejus eſt guttarum aliquot ad gratam aciditatem in quovis liquore convenienti. Febres intermittentes ſæpius curantur, potione ſequente ſumpta, ineunte paroxiſmo, ſtatim atque horror incipit.

℞. Aq. ſtillatitiæ Chamæmeli ℥vj. ſyr. Caryophyllor. hortenſ. ℥j. ſpiritus Sulphur. ℈j. vel q. ſ. ad gratam aciditatem. Miſce. Fiat

julap. ineunte paroxiſmo ſumendum, & iterandum initio omnium paroxiſmorum, donec febris prorſus extincta fuerit.

Spiritus Sulphuris, aut ſolus, aut cum melle roſaceo aphthas ſimplices cito ſanat, ſi goſſypium aut ex linteo penicillum hoc ſpiritu imbibitum, ulceri leviter & frequenter admoveatur, modo nulla ſit inflammatio.

De ſpiritu Sulphuris obſervat Riverius in febribus putridis præſtantiſſimum eſſe illius uſum, & in eo inſignem agnoſcit vim refrigerandi, aperiendi, putredini reſiſtendi, inflammabilitatem humorum prohibendi, & ſitim ſedandi; attamen in pleuritide, peripneumonia, hæmoptoe, phtyſi, cœteriſque pulmonis affectibus, (niſi a craſſa pituita vaſa illius obſtruente ortum habeant) ventriculi inflammatione, dyſenteria, cruento mictu, renum & veſicæ ulceribus plurimum nocere, & ab eo abſtinendum eſſe.

Sulphur commune uſurpatur in emplaſtro ad ganglia. *D. Charas*, in cerato diaſulphur. *Ejuſdem*, in compoſitione Magnetis arſenicalis, & pulver. Æthiopis mineralis. Uſurpatur quoque ad compoſitionem pulveris pyrii, & pulveris tonitruantis Chymicorum.

CAPUT QUARTUM.

De Succis Arſenicalibus.

SUlphuri finitimæ ſunt arſenicales ſubſtantiæ, quæ quidem cum metallis quamdam etiam habent affinitatem. Cum ſulphure in eo conveniunt, quod oleis diſſolvantur, quod ignem concipiant & inflammentur; quod odorem, dum incenduntur, emittant ſulphureum, ſed graviorem, & ad Allii odorem accedentem; & ſæpe nocivum; quod in fumum tenuem, aut, ut Chymici vocant, in florem volatilem, ab ignis calore ex toto eleventur, nihil aut perparum metallicæ portionis remanente. De metallis vero, vel potius de Mercurio participant, cum ſplendorem metallicum habeant vel facile recipiant, nonnihil metallici poſt ſui evaporationem ſæpius relinquant, & ab earum halitibus cuprum, ſicut ex halitibus mercurialibus, dealbetur.

Vox Arſenici ab antiquis latius ſumitur, a neotericis vero ſtrictius. Dioſcorides Arſenici nomen duplici ſubſtantiæ tribuit; uni, quæ noſtrum eſt Auripigmentum vel Arſenicum citrinum; alteri, quæ Arſenicum rubrum erat ad Sandaracham accedens, quæ nunc nobis ignota eſt. Præterea Sandaracham ab illis Arſenici ſpeciebus diſtinguit, licet finitimam; nec ab iis niſi colore ſaturato rubro rutilante, aut Cinnabarino diſcrepantem.

Arabes duas tantum Arſenici ſpecies agnoſcunt; Arſenicum nempe luteum, quod *Zarnich asfar* dixere, & idem eſt, ac noſtrum Auripigmentum; & Arſenicum rubrum, *Zarnich ahmer*, cui etiam nomen *Realgar* indi-

indiderant, quod Toxicum ſignificat. Verum Arſenicum rubrum Dioſcoridis cum Sandaracha ejuſdem confuderunt.

Obſervandum eſt autem magnum eſſe diſcrimen inter Sandaracham Græcorum & Sandaracham Arabum. Græci enim per Sandaracham intelligunt ſubſtantiam arſenicalem & venenoſam, de qua nunc agitur.

Apud Arabes vero Sandaracha eſt gummi juniperinum, quod etiam Vernicem vulgo vocant: ad quod quidem diligenter advertendum in medicamentorum compoſitione.

Recentiores Arſenici nomen ſtricte ſumentes, ſolo Arſenico albo factitio & veteribus ignoto concesſerunt, & Arſenico Græcorum Auripigmenti nomen a Latinis impertitum reliquerunt: nonnunquam etiam *Realgar* dixere, modo Arſenicum album, modo Arſenicum rubrum, quod & Sandaracham quoque vocaverunt.

Nos vero Arſenicalium Succorum tres claſſes conſtituemus, Auripigmentum nempe, Realgar, & Arſenicum proprie dictum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Auripigmento.

AUripigmentum *Off.* Ἀρσενικόν *Dioſcoridis*: Ἀῤῥενικὴ & ἀῤῥενικόν *Galeni*: Narneth *Serapionis*: Zarnich asfar *Arabum*: Gallice *Orpiment*, vel *Orpin*. Eſt ſuccus Arſenicalis in glebas compactus, conſtans ex tenuibus ſquammis vel foliis, Lapidis ſpecularis inſtar, quæ facile a ſe invicem diducuntur.

Tres ſunt ejus ſpecies; una colore aureo micat; altera colore rubro donatur, aut Cinnabarino, cum citrino permixto; tertia ſubviridis eſt, lutea, gleboſa, & terræ permixta, quæ vilior cenſetur. Hæ ſpecies in auri, argenti, & cupri venis reperiuntur. Quid ſit Auripigmentum alterum Dioſcoridis, balanoides pallidum, colore Sandaracham imitans, & globoſum, ignoramus.

Auripigmentum ſaporis eſt acris, in oleo diſſolvitur, igne accenditur & flammam emittit tenuem cum fumo copioſo, odorem exhalat ſulphureum ad Allii odorem accedentem. Ignis calore in fumos effunditur uberrimos, qui, ſi colligantur, in flores concreſcunt flaveſcentes ſulphuris inſtar; & in fundo remanet maſſa fuſa rubra vel ſanguineo colore tincta, quæ frigefacta concreſcit in regulum denſum, ac ſolidum Cinnabari ſimilem: Auripigmentum rubrum vel *Realgar* a quibuſdam dicitur. Tandem ſi in vaſe ſublimatorio diutius ſuper ignem detineatur, tota maſſa ad ſuperiorem vaſis partem elevatur, ibique concreſcit in ſubſtantiam pellucidam, rubram, elegantem, rubinorum ad inſtar, nonnihil terræ metallicæ in fundo vaſis remanente. Halitibus, qui ex hoc regulo ultimo erumpunt, cuprum dealbatur, & fragile fit.

Auripigmentum igitur ex eiſdem conſtat principiis, ac ſulphur vulgare, quibus inſuper admixtæ ſunt quædam mercuriales particulæ: vel componitur ex ſale acido partibus mercurialibus & bituminoſa ſubſtantia implicito. Corroſivum eſt, ob acida ſpicula mercurialibus particulis admixta: minus tamen corrodit quam Mercurius ſublimatus corroſivus, ob bitumi-

 noſam

noſam ſubſtantiam. Minus inflammabile eſt quam ſulphur vulgare, ob mercuriales particulas quæ acidorum in ſulphura vim & energiam imminuunt.

Auripigmentum vi donatur erodente, & eam ob rem inter toxica merito annumeratur. Externe ab antiquis Medicis ad carnem ſuperfluam conſumendam frequenter adhibebatur, nunc vero rariſſime; cum ars Chymica alia cathæretica medicamenta præſtantiora ſuppeditet. A Barbitonſoribus ſolummodo adhiberi ſolet in pſilothris cum calce viva ad cutim pilis denudandam. Verum ſi diutius cuti adhæſerit, eam erodit.

A Medicis quibuſdam in phtyſi, in purulenta expuitione, in aſthmate commendatur Auripigmentum in ſubſtantia, vel ejus fumus ore exceptus. Quin etiam apud Sinenſes inter purgantia medicamenta adſcribitur: ſed minus tutum hujus medicamenti uſum cenſemus. Nam venenum eſt potentiſſimum, nervis prorſus infeſtum, quod intus ſumptum horrenda inducit ſymptomata, ſpaſmos, manuum, ac pedum ſtupores & contractiones, ſudores frigidos, cordis palpitationes, animi deliquia, ſitim & æſtum internum, vomitiones, ventris tormina, corroſiones, ac immanes dolores, pro varia hujuſce toxici doſi; quæ quidem ſyptomata mors brevi ſequitur. In defunctorum ex hoc veneno cadaveribus, gula, ventriculus, inteſtina variis in locis inflammata, necnon eroſa & perforata deprehenduntur.

Auripigmenti, ſicut & cœterarum arſenicalium ſubſtantiarum remedia ſunt quæcumque horum corroſivorum venenorum acredinem retundere valent; qualia ſunt lac & oleum affatim epota, jura pinguia, ſuccus Ibiſci, Malvæ, decoctum ſeminum Pſyllii, Lini, radicum Biſmalvæ, & cœtera hujuſcemodi.

Auripigmentum aut Arſenicum collo appenſum, ad inſtar amuleti, noxium eſſe, ut quidam exiſtimant, non credimus; nec quoque tantæ eſſe virtutis & energiæ, ut peſtem & peſtilentiales morbos avertere poſſit, arbitramur.

Ex lixivio Auripigmenti & Calcis vivæ fit atramentum ſympathicum dictum, cujus odore ſolo litteræ cum aceto Saturni exaratæ, ſtatim conſpicuæ fiunt.

Colorem aureum ex eo mutuantur Pictores, unde nomen accepit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Realgar.

Realgar, & Riſagallum *Officinar.* *Σανδαράχη Græcorum*: Realgar & Reſegal *Arabum*: Zarnich ahmer *Eorumdem*: Gallice *Orpiment rouge* vel *Realgal.* Eſt ſuccus arſenicalis ejuſdem naturæ cum Auripigmento, a quo nonniſi colore differt. Duplex eſt, nativus & factitius.

Nativus cum Auripigmento e fodinis metallicis eruitur, colore Cinnabarino, Sulphuris & Allii ſimul odorem, dum comburitur, ſpirans, & in glebas denſas, friabiles tamen, compactus.

Factitius vero fit ex Auripigmento in vaſis ſublimatoriis per aliquod tempus fuſo & cocto: flores enim flavi in ſuperiorem vaſorum partem ele-

vantur, & in fundo remanet maſſa, quæ frigore denſata rubra eſt Cinnabaris inſtar, & Realgar dicitur. Si diutius aeri libero exponatur, ſalina efflorescentia obtegitur. Non confundendum eſt Realgar cum Arſenico rubro factitio, de quo capite ſequenti mentionem faciemus.

Realgar ad nos ex Sinarum imperio advehitur ſub diverſis figuris, modo paterarum, modo homuncionum, quos *Pagod* dicunt; quæ quidem figuræ non ſculptiles, ſed fuſiles mihi videntur.

Realgar non minus venenoſum eſt, quam Auripigmentum. Ex Dioſcoride Sandaracha vim habet ſepticam, & erodentem. Mirum tamen quod eam commendet, non ſolum in ſuffitu ad veterem tuſſim, ſed etiam in ſubſtantia intus ſumptam aſthmaticis cum reſina in catapotio; ad raucedinem, cum melle linctam; cum mulſo iis qui purulenta ſputa rejiciunt. Ipſe Hippocrates, *libro ſecundo de morbis*, in uteri ſuffocatione cum tuſſi eam proponit. „ Sandarachæ oboli pondus, „ Sulphuris ignem non experti tantumdem, & Amygdalas repur„ gatas tres vel quatuor commiſceto, & ex vino odoro exhibeto. „ Quæ quidem Sandarachæ doſis magna eſt, cum duodecim granorum pondus æquet. Præterea Indiæ populi aquam vel vinum in arſenicalibus pateris infuſum ad ægritudines quamplurimas exhibere ſolent tanquam præſtantiſſimum remedium, quod quidem nobis valde nocivum experientia compertum eſt. Fatendum eſt igitur alia eſſe populorum calidioribus in regionibus degentium corpora, alia noſtra. Cum enim uberrima ſit illis in regionibus corporum perſpiratio, partium corporis fibræ magis exſiccantur, & ineptiores fiunt ad motum; quapropter nonniſi vehementiſſima irritatione ad contractiones ſollicitantur: deinde qui intra corpus coacervantur humores, fluidiori eorum portione per cutis poros exhalata, craſſiores ſunt ac tenaciores, adeo ut nonniſi medicamentis valentioribus, & ſumma acredine præditis incidi poſſint, & attenuari. Eas ob cauſas, quæ nobis præſentanea ſunt venena, ipſis ſalutares ſunt medicinæ: & purgantia medicamenta quæ apud nos uſurpari ſolent, apud eos irrita ſunt, & inefficacia, niſi doſi dupla vel tripla exhibeantur: quod quidem a Medicis quamplurimis huc uſque obſervatum fuit.

His igitur in regionibus hujuſcemodi remedia intus ſumpta reformidanda ſunt. Fateor illa variis modis præparari, corrigi, & temperari poſſe; ſed quocumque modo corrigantur, ſua deleteria qualitate non adeo ſpolientur, ut in debilioribus viſcerum conſtitutionibus nonnunquam graviſſime noceant. Ab iis igitur abſtinere ſapientius eſt.

Nec externus quoque eorum uſus multo tutior quibuſdam Medicis videtur. Obſervat enim Fernelius, *libro ſexto de Methodo medendi*, *cap.* 18. *De ſepticis Medicamenſis*, arſenicalia majori copia mammæ cancro adhibita mulierem ſex diebus ſubtuliſſe. „ Horis, inquit, circiter tribus ab inſperſo pulvere vehementi rigore „ concuſſa, vomitione mox tentari cœpit, & crebris animi defe„ ctionibus corripi, cum pulſu languido: quæ dein ſenſim aucta „ ſyptomata, oborto extremarum partium frigore, & facie, reli„ quoque corpore ſupra modum intumeſcente, miſere illam jugula„ runt.

Quo-

Quocirca Fernelius hæc medicamenta nonniſi repreſſa præparationibus, parva copia, & in parte quæ a principibus procul abſit, ulli ulceri adhibenda eſſe putat. Cum ea tamen a plurimis peritiſſimis Medicis in ulcerum cacoethum, phagædenum, & carcinomatum curatione, ſumma vi & efficacia prædita cenſeantur; hanc Realgar præparationem, & correctionem ab Helmontio propoſitam, & poſtea a clariſſ. viro D. Alliot S. Lotharingæ Ducis Archiatro promulgatam, & multoties feliciter adhibitam exponemus.

Realgar tenuiſſime tritum indatur in matracium vitreum. Huic affundatur lixivii fortis ex Nitro, & Tartaro præparati q. ſ. ut liquor tranſverſorum quatuor digitorum altitudine pulverem ſupereminеat. Digerantur ſimul in balneo arenæ per 24. horas, identidem agitando. Deinde tinctura ſenſim effundatur, & ſervetur. Novum lixivium pulveri reſiduo affundatur, digeratur, & a maſſa reſidua ſecernatur: quod toties reiterandum eſt, donec Realgar fere totum diſſolutum fuerit; (nam quædam portio metallica indiſſolubilis remanet.) Liquores omnes tincti, confundantur, & per chartam bibulam tranſcolentur. His acetum Saturni ſenſim, & per vices inſtilletur, donec nihil amplius ex liquore ſecernatur, & præcipitetur. Liquore limpido, & præcipitato pulvere per lentam vaſorum inclinationem detracto, pulvis multoties abluatur aqua calida, donec fere inſipida deprehendatur. Supra pulverem reſiduum probe ſiccatum ſpiritus vini rectificatus comburatur, & ultima tandem fiat calcinatio cum tinctura opii in ſpiritu vini. Servetur pulvis ad uſum. Mite admodum eſt eſcharroticum, & adverſus carcinomata efficaciſſimum.

ARTICULUS TERTIUS.

De Arſenico proprie dicto.

ARSENICUM proprie dictum eſt ſubſtantia, quæ ex quadam Saxoniæ, & Bohemiæ minera, quam Cobaltum vocant, extrahitur. Triplex eſt Arſenicum, nempe cryſtallinum, flavum, & rubrum. At vero, cum hæc Arſenici origo, & ejus conficiendi modus paucis adhuc nota ſint; non alienum eſſe videtur, quid ſit Cobaltum, quanam ratione Arſenicum, & cœteræ ſubſtantiæ quæ cum Arſenico in hac minera deliteſcunt, ex ea eliciantur, & quænam ſint Arſenici arte facti ſpecies, hic loci exponere.

COBALTUM *Germanic. Officinar.* Cadmia metallica *Agricolæ*: forte Lapis æroſus *Plinii*: Germanice *Cobolt*. Eſt corpus foſſile, ponderoſum, durum, colore fere nigrum, Antimonio vel quibuſdam Pyritis haud abſimile; odorem ſulphureum, graveolentem, dum inter carbones accenditur, exhalans; ſæpius æris, nonnunquam argenti particeps.

In Saxonia haud procul Goſlaria, & in Schnabergis fodinis, in Bohemia in vallis Joachimicæ mineris, & apud Anglos in montibus Mendipenſibus copioſe effoditur. Vi erodente tanta pollet, ut ſæpe nudas foſſorum manus, & pedes exceret. Omni animantium generi venenum eſt letale.

Ex Cobalto Arſenicum cryſtallinum, flavum, & rubrum, extrahuntur.

Ex

Ex eo quoque conficiuntur Zaffera, quæ figulis ad figulina vaſa cœruleo colore pingenda inſervit; & Encauſtum cœruleum, quod Smaltum vocant, Gallice *Email bleu*; quodque pictoribus, & mulieribus noſtris ad linteamina cum amylo præparanda, uſitatiſſimum eſt. Horum conficiendorum ratio a Kunkelio, *Tractatu de arte vitraria*, ſic exponitur.

Cobaltum in calcinatorio reverberii furno huic uſui deſtinato ita diſponitur, ut flamma mineram lambere queat, & accendere. Ex minera accenſa flamma cœrulea emergit, cum fumo albo copioſo, qui camini teſtudine excipitur, & in latum, ac amplum fumiductum, ligneis tabulis coagmentatum, & ulnarum centum & amplius longum tranſmittitur, per cujus extremum tandem foras amandatur. Hujuſce fumi pars maxima ductus parietibus ſub albæ fuliginis ſpecie adhæret: & ſingulo ſemeſtri operarii fumiductum ingreſſi, eum ſcopis converrunt, & fuliginem colligunt; ex qua poſtea Arſenicum cryſtallinum, luteum, & rubrum conficiunt.

Arſenicum cryſtallinum fit ex ſola fuligine, quæ in vaſis ferreis ſublimatur, modo in ſubſtantiam cryſtallinam & pellucidam, modo in ſubſtantiam albam, opacam, ſed nitentem, Encauſti albi inſtar, nonnunquam etiam venis pallide rubris & alis cryſtallinis diſtinctam, pro vario ignis gradu.

Arſenicum luteum fit ex eadem fuligine arſenicali cum ſulphure vulgari ſublimata, ita ut cum fuliginis libris centum, ſulphuris vulgaris decem libræ miſceantur. In maſſulas concreſcit luteas, ſulphuris inſtar, denſas, nitentes, non prorſus opacas, fragiles, non vero friabiles. Ab Auripigmento facile diſtinguitur, quod hoc in maſſulas aureas, nitentes, ſciſſiles, Talci inſtar, facile friabiles compactum ſit. Præterea Auripigmentum ſuper prunas candentes accenditur, & flammam concipit; non item Arſenicum luteum.

Arſenicum rubrum fit ex eadem ſulphuris & fuliginis mixtura, quæ cum exigua cujuſdam mineralis cuprei, quod cupri ſpuma dicitur, portione una ſublimatur. In maſſas Cinnabarino colore, denſas, nitentes, ſeopacas, compingitur.

Cobaltum toſtum, ex quo fuligo arſenicalis exhalata eſt, teritur & rurſus calcinatur: contunditur iterum & calcinatur; quod toties reiteratur, donec perfecte calcinatum fuerit. Tunc in tenuiſſimum pulverem redactum cum duplo vel triplo ſilicum alborum tenuiſſime pulveratorum admiſcetur, & aqua paululum humectatum in doliis coacervatur, in quibus intra breve temporis ſpatium in molem denſam indureſcit, & *Zaffera* dicitur. Ea utuntur figuli, vitrarii, & encauſtæ.

Ex Cobalti calcinati partibus duabus, cinerum clavellatorum parte una, & arenæ partibus tribus vel quatuor, ſimul fuſis, maſſa producitur vitrea, opaca, obſcure cœrulea, quæ molarum ope in tenuiſſimum pollen cœruleum redigitur. Smaltum dicitur vel Encauſtum cœruleum: pictoribus inſervit, & mulieribus ad linteamina cum amylo præparanda.

Et hæ ſunt Cobalti variæ præparandi rationes.

Arſenicum conſtat ex ſale acido, ſubſtantia quadam mercuriali vel me-

cal-

tallica, & exigua ſulphuris portione. Sal acidus ſapore corroſivo ſatis evincitur, & quod ejus portio aqua ſolvatur. Subſtantia metallica in Arſenico ſoluta, & recondita, manifeſta fit, ſi ſmegma, ſebum, oleum, aut quodcumque pingue Arſenico miſceatur, & per retortam diſtilletur. Arſenicum, urgente igne in collum retortæ, Antimonii inſtar ſublimabitur metallica forma indutum. Sulphurea portio adeo exigua eſt, ut ſuper candentibus prunis non inflammetur, licet Cobaltum multum ſulphuris contineat; ſed in ejus deflagratione, & calcinatione ſulphur a partibus arſenicalibus ſegregatum fuit, & in auras fere totum evanuit. Solo tantum odore aliquid ſulphuris in Arſenico ineſſe conjicitur.

Arſenicum ſumme volatile eſt, ita ut hujus mineralis fruſtulum in crucibulo prunis impoſito, in fumum album promptiſſime reſolvatur, nihil prorſus remanente. Cum cupro fuſum vel ſtratificatum, & cœmentatum, illud argenteo colore tingit, illud quoque minus ductile efficit; unde hæc tinctura, quæ cœteroquin fugax eſt, inutilis fit.

Arſenicum potentiſſime corrodit, & inter valentiora toxica recenſetur. Intus ſumptum varia ſuſcitat ſymptomata, tum cœteris corroſivis venenis communia, ut anxietates circa præcordia, lypothymiam, cordis palpitationem, virium ſummam ac præcipitem dejectionem, mentis ſtuporem, & delirium, convulſivos membrorum motus, paralyſim, ardorem, & eroſionem faucium, ſitim, febrim, vomitum, ventris tormina, ſudores frigidos, tum huic veneno peculiaria, ut ventriculi non tam inſignem eroſionem, quam extenuationem quamdam; ita ut ejus membranæ folium Papaveris craſſitie vix ſuperare pluribus in locis videantur, licet inteſtina tenuja, eroſa, & perforata reperiantur: ſubitam corporis intumeſcentiam, & ſphacelationem, & poſt mortem repentinam putredinem, præſertim in virorum genitalibus. Si vero mors non derepente ſubſequatur, oriuntur febres hecticæ, tabes, membrorum reſolutio, tremor, nonnunquam mentis alienatio.

Quidam cryſtallum montanam pulveratam, & in alcohol redactam tanquam ſpecificum Arſenici antidotum commendant; ſed tutior mihi videtur larga, & frequens lactis, olei, & jurum pinguium potatio, dum venenum in primis viis adhuc continetur: ſi vero jam intra vaſa irrepſerit, tunc theriaca, orvietanum, lapis Bezoardicus, pulvis viperarum, radix Contrayervæ, cœtera medicamenta alexiteria, & corroborantia, ac tandem diæta lactea adhibenda ſunt.

Licet Arſenicum præſentaneum ſit hominum, & brutorum deleterium, a quibuſdam tamen prædicatur ad febres intermittentes fugandas; ſed quocumque modo præparetur, virtus ejus nociva minuitur tantum, non vero prorſus extinguitur: ex præſentaneo remedio lentum fit toxicum, cujus uſum funeſta fere ſemper ſymptomata ſubſequuntur. Arſenicum igitur pharmacum ipſa febre intermittente pejus cenſemus.

Ex tot decantatis Arſenici præparationibus, quæ apud auctores reperiuntur, unicam tantum utilem agnoſcimus, quam ad externum uſum hic proponimus: Magnes arſenicalis dicitur.

℞. Antimonii crudi, Sulphuris flavi, & Arſenici cryſtallini ana ℥ij. Pulvera-

verata & mixta omnia cucurbitula vitrea excipiantur, & igne arenæ moderato colliqueſcant, Picis inſtar: tunc igne ſemoto refrigerata, in maſſam obſcure rubram concreſcunt. Servatur ad uſum.

Externe tantum adhibetur hoc medicamentum; cauſticum eſt mite. Virus e centro ad circumferentiam attrahendi, inſtar Magnetis, & maturandi virtute præditum exiſtimatur. Bubonibus venereis cum emplaſtro Diachylo magno adhibetur. Uſurpatur in emplaſtro magnetico *Angeli Salæ*, & commendatur ad bubones peſtilentiales maturandos & rumpendos; virus peſtilentiale ex imo attrahere creditur. Ad ſcrophulas etiam plurimum valet, eas aperit, mundificat, & conſolidat, nullo alio adhibito unguento.

SECTIO SEXTA.

De Foſſilibus Metallicis.

Foſſilium Metallicorum nomine intelligimus corpora mineralia, quæ magnam habent cum veris metallis affinitatem. Ab iis tamen in eo diſcrepant, quod nec ductilia ſint, nec malleabilia, ſed frangibilia, friabilia aut fluida.

Horum quædam aliquam veri metalli portionem continent, ut Hæmatites, Smyris, Magnes, Manganeſia, Lapis Calaminaris, quæ ferri mineræ ſunt, Chalcitis in qua nonnihil cupri reconditum creditur. Quædam tandem foſſilia metallica nullum ad metallum referri poſſunt, ſed mineralia peculiaris naturæ ac indolis eſſe videntur, & metalla ſpuria aut ſemimetalla a quibuſdam nuncupantur, ut Stibium, Biſmuthum ſeu Marchaſſita, Zinchum, & liquor metallicus qui a colore Hydrargyrum & Argentum vivum nuncupatur. Erit itaque

CAPUT PRIMUM.

De Foſſilibus Metallicis, quæ veri metalli partem aliquam continent.

ARTICULUS PRIMUS.

De Hæmatite.

Lapis Hæmatites *Offic.* λίθος αἱματίτης *Græcorum*; Scedenegi & Sadenegi *Arabum*: Gallice, *Pierre Hematite*. Subſtantia eſt metallica, ferruginea, dura, ponderoſa, gleboſa, colore obſcure rubente, modo ferrugìnoſo & nigrante, modo flaveſcente, ſapore terreo adſtringente, quæ fracta fibras inſtar ligni longas, tenues, & acuum modum acutas habet.

A Græ-

A Græcis Hæmatites dictus fuit, vel quod ſanguinei coloris ſit, vel quod attritus cotibus aquariis ſuccum fundat ſanguineum, vel quod vi ſanguinem ſiſtendi polleat.

Plinius ex Sotaco quinque illius genera enumerat ratione regionum e quibus afferuntur, coloris vel duritiei inter ſe diverſa. Nonnulli exteriori forma Hæmatitarum genera diſtinguunt. Modo enim hujus lapidis gleba ſuperficiem habet anguloſam ſicut in Hiſpanico obſervatur; modo uvarum in modum concreta videtur, unde Hæmatites Botryites nuncupatur, qualis in Hercynia Germaniæ ſylva effoditur; nonnumquam inteſtinorum diverſimode contortorum circumvolutiones, vel cerebri detecti exteriorem formam refert, cujus figura ab Aldrovando & Ferrante Imperato eleganter adumbratur.

In ferri fodinis, ſæpius autem in propriis mineris Hæmatites invenitur. In quocumque autem loco naſcatur, ibidem quoque ſaxa rubra & terra ejuſdem coloris obſervantur. Natales quoque loci Magnetis Hæmatitem habent, & inter hos duos lapides maxima eſt affinitas, quippe qui ambo inter ferri mineras recenſeantur. Frequentes ſunt hujus lapidis fodinæ in Germania, nonnullæ in agro Brixienſi & in Ilva inſula, necnon in Gallæcia Hiſpaniæ provincia prope Compoſtellam. Hiſpanus præ cæteris commendatur. Optimus habetur qui per ſe durus eſt, æqualis, nulla ſorde admixta, nullis venis intermediis.

Nec pro Hæmatite indiſcriminatim uſurpandus eſt lapis Hæmatitæ ſpeciem colore referens, ſed mollior, quo pictores & lignarii fabri utuntur, quique a quibuſdam Hæmatites perperam dicitur; ſed rectius Rubrica fabrilis, Galice *Sanguine*, nuncupatur.

Hæmatites ferri quædam minera eſt, ex qua ferrum excoqui poteſt. In valle Joachimica Regni Bohemiæ hujus lapidis fodinæ ſunt adeo divites, ut ex eo optimum ferrum conficiant, referente Agricola. Hæmatites ab acidis ſicut ferrum diſſolvitur, & acido vitriolico in Vitriolum viride ſeu martiale convertitur. Si ſolarium radiorum foco ſupra carbones exponatur, citiſſime in ferrum convertitur.

Dioſcorides & Galenus Hæmatitem ad oculorum cicatrices & palpebrarum ſcabrities, ſeu aſperitates quas τραχώματα vocant, cote tritum cum aqua ſimplici, vel Fœnugræci decocto aut ovi albumine commendant: eo quoque lacte mulieri diluto ad oculorum ſuffuſiones utebantur.

Ab omnis ævi Medicis Hæmatites tenuiſſime tritus a ℈j. ad iiij. in quovis vehiculo conveniente frequenter nec infelici ſucceſſu uſurpatus fuit in hæmorrhagiis quibuſcumque, in cruenta expuitione & in ulcere pulmonum: ulcus enim exſiccat & ſanat. Præterea in albo mulierum fluore, in alvi fluxibus, necnon in cachexia & menſtruorum ſuppreſſione tantum habet virtutis & efficacitatis, quantum in Croco Martis aperiente deprehenditur.

Nec ſpernendæ ſunt præparationes, quas Chymici ex lapide Hæmatite conficere ſolent, quales ſunt ejus flores ammoniacales, ſpiritus urinoſus, tinctura aperiens, liquor ſtypticus, ſpiritus acidus & crocus, quorum hæc eſt conficiendorum ratio.

℞. Lapid. Hæmatitæ ſubtiliſſime triti ℔ij. Salis ammon. pulverati ℔j. Exacte miſceantur; committantur cucurbitæ fictili, cui alambix vitreus

treus cum excipulo adaptetur; & inſtituatur ſublimatio igne nudo, ſucceſſive gradus augendo. Sic aſcendit primo ſpiritus ammoniacalis nonnulla flavedine tinctus; hunc ſubſequuntur flores citrini, deinde crocei. Tunc maſſa in cucurbita reſidua in retortam transfuſa igne vehementi diſtilletur, & ſpiritus acidus ſpiritui acido ſalis non diſſimilis prodibit.

Quod in retorta ſupereſt, aeri humido exponatur; & reſolvetur in liquorem ſtypticum præſtantiſſimum, aurei coloris. Tandem reſiduum forti igne reverberii calcinetur, & obtinebitur Crocus Hæmatitæ iiſdem donatus virtutibus, quas Crocus Martis adſtringens poſſidet.

Ex floribus croceis ſupradictis, ope ſpiritus vini extrahitur tinctura elegans aurei coloris, quam Chymiatrorum nonnulli auri tincturæ longe anteponunt, & idcirco Elixir arboris vitæ dixere.

Spiritus volatilis ammoniacalis ex Hæmatite extractus, eaſdem cum ſalis ammoniaci ſpiritu volatili vires obtinet; præterea ob admixtas martiales particulas ad obſtructiones reſolvendas magis convenit.

Flores quoque citrinum, & croceum colorem a tenuioribus, & magis volatilibus Hæmatitæ particulis martialibus, ope ſalis ammoniaci elevatis, mutuantur. Crocei utpote majori harumce particularum copia referti, citrinis præferuntur: odorem ſuaveolentem exhalant, qualem Crocus emittit; unde a Paracelſo *Aroph* nuncupantur, hoc eſt Aroma Philoſophorum. Potenter obſtructiones reſolvunt, humores craſſos ac viſcidos non tantum incidunt, ſed ſæpius per ſeceſſum aut per urinæ vias educunt. Doſis a gran. iij. ad ℈j. quandoque, ſi majori doſi exhibeantur, vomitum excitant. In menſium ſuppreſſione, in cachexiis & viſcerum obſtructionibus, & in febribus contumacibus, & quartanis, felici cum ſucceſſu præſcribuntur. Floribus martialibus præſtantiores a quibuſdam exiſtimantur, ex eo quod in hac martis minera metallicæ partes rariores ſint, earumque principia minus ſtricte coaleſcant, quam in ipſo ferro; unde facilius a ſale ammoniaco reſolvuntur.

℞. Flor. Hæmatitæ gr. xij. Croci & Myrrhæ ana gr. xv. cum q. ſ. Extracti abſinthii. Fiat bolus mane devorandus ad ſuppreſſa menſtrua provocanda.

℞. Rad. Ari, Agarici albi ana ℥j. Gumm. Ammon. ℥ß. Flor. Hæmatitæ ʒj. Extracti Aloes, Cinnamomi, Croci ana ℥ij. Syr. Fumar. q. ſ. M. Fiat opiata, cujus doſis a ℈j. ad ʒj. in viſcerum obſtructionibus, ictero, ſchirro, hydrope, & cœteris affectibus cachecticis.

℞. Corticis Peruv. ℥j. Flor. Hæmatitæ ʒj. Syr. de Abſinthio q. ſ. ad opiatæ mollis conſiſtentiam, cujus doſis ad ʒij. quarta quaque hora reiteranda eſt in febribus quartanis & intermittentibus contumacibus.

In florum locum ſubſtitui poteſt eorum tinctura cum ſpiritu vini parata, quæ iiſdem viribus pollet: inſuper in hæmorrhagiis quibuſcumque tutius exhibetur. A gutt. x. ad xxx. in vehiculo conveuienti præſcribitur.

Liquor ſtypticus poſt diſtillationem e maſſa reſidua per deliquium elicitur

tur. Summæ eſt efficaciæ ad hæmorragias quaſcumque ſiſtendas, tum externe, tum interne exhibitus, a gutt. v. ad xx.

Quin etiam fluorem album, gonorrhæas, & alvi fluxus cruentos & non cruentos, præmiſſis præmittendis, ſanat.

Tandem quidquid a Crocon Martis adſtringente efficitur, illud idem a capite mortuo Hæmatitæ calcinato obtinetur.

Hæmatites uſurpatur in pulvere dyſenterico *D. Charas*, pulvere contra hæmorrhagiam, emplaſtro ad herniam, & emplaſtro Styptico *Ejuſdem*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Smyride, Magnete, Magneſia, & Lapide Petracorio.

SMyris & Smerillus *Officinar.* Σμύρις *Dioſcoridis* Smergium *Serapionis*: Sambadegi *Arebum*: Gallice, *Emeril.* Subſtantia eſt metallica, ferruginea, ponderoſa, colore ad nigredinem tendente, adeo dura, ut ea gemmarii ad gemmas ſcalpendas, & fabri ferrarii ad ferrea chalybeataque opera expolienda utantur.

Triplex eſt Smyris, vulgaris nempe qui nigricans & valde uſitatus; in mineris ferreis ſæpius foditur: in Britanniæ inſula Sarnia, vulgo *Garneſey* dicta, uberrime provenit, necnon in Ilva Hetruriæ inſula reperitur. Alter durus eſt, æqualis, ſubruber, Hæmatitem vel Rubricam colore referens, licet manus non inficiat: unde a nonnullis inter Hæmatitæ genera recenſetur. Tertius vero ex rubro nigricans & venulis aureis diſtinctus, in mineris aureis Peruvianis colligitur, & revera nonnihil auri continet. Chymici auri mineram eſſe, vel potius aurum imperfectum & immaturum opinantur; quapropter hunc lapidem multi faciunt. Ex eo, ſpiritus ſalis ope, tincturam extrahunt, qua Mercurium quaſi in inſtanti figunt, huncque fixatum Mercurium Præcipitati miraculoſi nomine inſigniunt; quod eo mediante, Chryſopœjam obtineri poſſe ſibi animo fingant.

Smyris a Dioſcoride & Galeno ad dentifricium commendatur, ſed dentes minis erodit ac ſenſim deterit. Nullius nunc eſt uſus in Medicina.

Magnes *Offic.* Ἡράκλεια λίθος & Ἡρακλεῶτις, lapis Heraclius ab Heraclea Lydiæ urbe dicitur; Λυδία λίθος, lapis Lydius a Lydia provincia, in qua effodiebatur; Μάγνης & Μαγνῆτις λίθος, lapis Magneticus a Magneſia ejuſdem Lydiæ urbe; Σιδηρίτης, ex eo quod ferrum trahat: Magnathis *Avicennæ*: Calamita *Rhaſis*, & *Italorum*: Gallice *Aiman.* Eſt ſubſtantia foſſilis, ferruginea, denſa, nigricans, ſubcærulea, aut ſubrufa, ferrum aut alium Magnetem ad ſe trahens vel rejiciens, quæque, ſi libere moveri poſſit, polos ſuos ad mundi cardines dirigit.

Magnes lapis ferrum trahens, a Magnete *Theophraſti* diſtinguendus eſt. Μαγνῆτις enim Theophraſti argentum colore & nitore mentiebatur; minime durus erat, ſed facile in vaſcula tornabatur, nec ferrum trahebat. Sic dictus quoque fuit a Magneſia patria. Nec etiam Magnes qui, ut jam diximus, lapis

pis Lydius dictus fuit, indiſcriminatim uſurpandus eſt pro illo Lydio lapide, quem Coticulam appellant, vulgo *Pierre de touche*, quo aurum, & argentum probatur: longe enim inter ſe differunt, licet a communi patria commune nomen acceperint. Quidam ex Græcis veteribus vim ferrum repellendi in Magnete deprehenderunt; nec eamdem eſſe Magnetis ſpeciem arbitrati, duas hujus lapidis ſpecies, conſtituere: unam nempe, quæ ferrum trahebat, quem Magnetem dixere: alteram, quæ ferrum propellebat, quam Theamedem nuncupaverunt.

Magnes variis in locis reperitur, & plerumque in fodinis ferri, in Arvernia Galliæ provincia, in Cantabria Hiſpaniæ, in Italia ad montes Viterbi, & in Ilva inſula, in Germania prope vallem Joachimicam, Sneebergum, Svvartzburgum, &c. in inſulis Britannicis, in Norvegia; ſed præſtantiſſimus eſt Indicus, & Æthiopicus.

Hic lapis ferri quædam minera eſt: in quibuſdam Germaniæ locis in optimum ferrum excoquitur, & radiis ſolaribus in foco vitreæ lentis majoris coadunatis expoſitus ferri indicia exhibet.

Mirabiles ſunt Magnetis virtutes, tum in ferro attrahendo vel repellendo, tum in ſemetipſo, dum liber eſt, ad certas mundi plagas convertendo; tum etiam in eo, quod eaſdem vires ferro communicet; de quibus effectibus eorumque cauſis fuſe tractarunt Philoſophi.

Internus Magnetis uſus in Medicina nullus eſt: licet Galenus, *libro de ſimplicium Medicamentorum facultatibus*, eaſdem in illo, ac in Hæmatite vires agnoſcat; & *libro de ſimplici Medicina*, purgativam ejus vim, præſertim in hydrope ad humores aqueos educendos, commendaverit; necnon etiam Dioſcorides illum trium obolorum pondere ad craſſos, & melancolichos humores evacuandos propoſuerit. Quidam in Magnete vim deleteriam ineſſe afferunt, cœteris diſſentientibus. Verum hanc venenatam qualitatem forte de altera Magnetis ſpecie argentea, quæ mihi lythargyri nativi ſpecies videtur, potius intelligendam cenſeo, quam de Magnete ferrum trahente.

Ad Magnetem quidam referunt lapidem album, quem Calamitam albam ſeu Magnetem carneum Itali vocant; quia ut ille ferrum, ita hunc ad ſe trahere carnem putant.

Lapis eſt albus, maculis nigris inſperſus, qui linguæ admotus tenaciter ei adhæreſcit: cujuſdam margæ ſaxatilis ſpecies eſt, quæ cum Magnete nonnumquam in fodinis reperitur. Miræ prorſus virtutes præſertim ad amatoria ipſi tribuuntur, ſed prorſus futiles, ac ſuperſtitioſæ.

Magnes externe exſiccat, adſtringit & conſolidat. In emplaſtri Manus Dei dicti, emplaſtri nigri, emplaſtri divini, emplaſtri ſtyptici, *D. Charas*, compoſitione uſurpantur.

Magneſia, & Manganeſia vitriariorum: ſapo vitri: *D. Merret*: vulgo *Manganeſe*. Subſtantia eſt foſſilis, metallica, ferruginoſa, Antimonium minerale colore & nitore referens, friabilis. Duæ Magneſiæ ſpecies a Petro Pomet, *in univerſali Medicamentorum ſimplicium hiſtoria*, conſtituuntur: cineracea una, rarior & parum uſitata; nigra altera, communis, & uſitatiſſima.

Ad vitri confectionem, aut purgationem a vitrariis uſurpari ſolet. Si

enim modicum ejus vitro fuſo admiſceatur, illud ab alienis coloribus, viridi nempe vel cæruleo purgat, & clarius redit: unde a Chriſtophoro Merret, *in doctiſſimis ejus Commentariis in Antonii Nery artem Vitrariam*, ſapo vitri dicitur. Si vero majori copia cum vitro permiſceatur, illud purpureo colore tingit. Eo quoque figuli utuntur ad figulina vaſa nigro colore inficienda haud aliter atque Zaffera ad cæruleum. Idem Merret optimam dicit eam quæ micantibus ſcintillis caret; dura eſt, gravis, ſubnigra, aut quæ in pulverem redacta atrum plumbi colorem reddit.

Foditur in germania, in Italia, in montibus Viterbi, in Pedemontio, in Anglia circa Mendippi colles, celeberrimo ob plumbi mineras in Comitatu Smerſetenſi loco. Ubicumque foſſores metallici, inquit Merrettus, eam inveniunt, firmiter concludunt ſubeſſe plumbi mineram. Num quid plumbi continet, adhuc incertum eſt. In Medicina nullus eſt uſus.

Lapis Petracorius, *Petri Pomet*, vulgo *Perigueux*, ſubſtantia eſt foſſilis, ferruginea, nigra, dura, gravis. Nonnihil ferri continere videtur. In Delphinatus montibus effoditur. Encauſtæ, & figuli ad opera ſua pingenda eo utuntur. Ad uſum medicum non adhibetur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Cadmia, Lapide calaminari, Tuthia, Pompholyge, & Spodio.

CAdmia vox eſt, quæ variis rebus impoſita fuit. Dioſcorides Καδμείαν nominat recrementa quædam ærea, quæ ex ære in fornacibus candente oriuntur. Galenus hac voce duplicem ſubſtantiam deſignat: unam, quæ fit ex ære, eamdemque cum Cadmia *Dioſcoridis*; alteram nativam e Cypro inſula oriundam, quam λιθώδης, lapidoſam dicit. Plinius eamdem Cadmiam ex ære factitiam cum Dioſcoride, & Galeno agnoſcit; ſed inſuper alteram recenſet nativam, quam Æroſam nominat, ex eo quod æris minera ſit, ex qua cuprum excoquatur. Eadem eſt fortaſſe cum Cadmia lapidoſa *Galeni*.

Metallurgi Cadmiam dixere Lapidem calaminarem, quo ad aurichalcum ex ære conficiendum utuntur. Tandem Germani Cadmiæ nomen Cobalto tribuere. Eam ob rem Agricola cum recentioribus triplicem Cadmiæ ſpeciem conſtituit; metallicam unam, foſſilem alteram, tertiam fornaceam: quam diviſionem retinebimus.

Cadmia metallica eſt igitur corpus foſſile, quod æris, vel argenti, vel urriuſque nonnihil continet; & duplex eſt.

Prima, Cadmia nativa, Cypria, Καδμία λιθώδης, *Galeni*: Lapis æroſus: *Plinii*. Subſtantia foſſilis eſt, ſeu potius quædam cupri minera, ex qua Plinius narrat cuprum fuſione extrahi variis in Aſiæ, & Italiæ locis. Eadem eſt fortaſſe quam Galenus in Cypro reperiſſe narrat, licet tamen non dixerit cuprum ex ea confici poſſe.

Hodie

Hodie nobis ignota eſt, aut ſaltem cum cœteris cupri mineris confunditur.

Secunda, Cadmia metallica: *Agricolæ*: Cobaltum: *Germanorum*: Foſſile eſt metallicum, ex quo Arſenicum, Zaffera, & Encauſtum cæruleum arte eliciuntur, de quo jam ſupra egimus.

Cadmia foſſilis: *Agricolæ*: Cadmia lapidoſa: *Schroderi*: Lapis calaminaris: *Off.* Subſtantia eſt foſſilis, mediæ conſiſtentiæ inter lapidem, & terram, colore diverſo, modo cinereo ſeu ex albo pallente, modo ſubluteo, modo ex nigro rubente. Hæc ſphærulis ferrugineis granorum Piperis figura, & craſſitie tota conſperſa eſt, & venulis albis diſtincta. Uberrime foditur in agro Bituricenſi, & apud Andegavenſes prope Salmurium. Illa vero in Germania, & præſertim in agro Aquiſgranenſi reperitur.

Lapis Calaminaris ferri minera mihi videtur eſſe, cum pro majori ſui parte a Magnete attrahatur.

Hæc Cadmia veteribus Græcis ignota fuiſſe videtur; ſaltem ad uſum medicum non adhibebatur, cum a Dioſcoride, & Galeno nulla ejus facta fuerit mentio. Hodie a Medicis nonnumquam præſcribitur, ad ulcera humida exſiccanda, & ſananda, ad infantum excoriaticnes percurandas, vel ſub pulveris tenuiſſimi forma, vel unguentis admixta.

Uſurpatur in unguento ophtalmico *Renodæi*, in unguento deſiccativo rubro *D. Charas*, in emplaſtro Manus Dei dicto, & in emplaſtro ſtyptico *Ejuſdem*.

Maxima Lapidis calaminaris copia Aurichalci confectioni impenditur, cujus duplicem conficiendi rationem ſic exponit Agricola.

Parva æris optimi fragmenta, & Cadmiæ foſſilis uſtæ, & molitæ farinam ſeu pollinem, artifices alternatim imponunt in ollas, quarum ſingulæ libras circiter quinquaginta capiunt. Sunt qui ad æs, & Cadmiam adjiciunt vitrum, ut illud facilius liqueſcat. Quidam etiam in Cadmiæ foſſilis locum Cadmiam fornacum ſubſtituunt. Ollas autem ſic ære, & Cadmia repletas in fornaces concameratas demittunt, in ferrea bacilla, quæ in cujuſque fornacis fere medio ſunt; igniſque accenditur in brevibus quibuſdam quaſi cuniculis infra diſpoſitis. Cuique vero fornaci, parte ſuprema rotundum foramen eſt, & ſaxeum operculum, quo moderantur ignem. Itaque cum hæc ad horas octo vel novem ſimul in vehementi igne cocta, & liquefacta fuerint, æs quamquam auri colore nondum videatur tinctum, tamen in Aurichalcum mutatum multo gravius factum eſt. Ollas, poſtquam idipſum fuerit refrigeratum, ex fornace eximunt; & Aurichalcum favillæ modo candicans, & pumicis inſtar cavernulis refertum, denuo liquatum infundunt in receptaculum, quod eſt inter duas latas cruſtas ſaxeas medium. Cruſtæ enim ſic committuntur, ut ex Aurichalco, cui jam auri color, & ſplendor eſt, laminæ craſſæ vel tenues effici poſſint, quas poſtea incudi impoſitas, & malleo percuſſas perficiunt.

Alia autem ratione ſic præparatur. Catinum ſumunt in quo argentum liquari ſolet, ejuſque exteriorem partem oblinunt argilla, cum qua mixta ſit ferri ſquama, interiorem vero melle mundiſſimo. Similiter

tenues æris bracteolas circiter digitum latas oblinunt melle, eiſque inſpergunt pulverem ſubtiliſſimum, qui fit ex Cadmiæ foſſilis, Tartari crudi, carbonum Tiliæ æquis portionibus, eaſque in catinum injiciunt: hunc tegunt operculo fictili, & argilla ſupradicta circumobliniunt. Operculo foramen eſt, in quod immittitur ſtylus, quo liquefactum æs commovetur. Catinus imponitur in fornacem talem quali utuntur monetarii fabri. Cum igitur Cadmia commiſcetur cum ære, primo emittitur ruber fumus, deinde partim ruber, partim cæruleus, poſtremo luteus, qui ſignificat mixtionem eſſe factam; atque tum catinus e fornace eximitur, & æs aureo fulgore ſplendens reperitur.

Hac in operatione cuprum fere tertiam, vel ad minimum quartam ſui partem Cadmiæ retinet, nec ideo minus ductile eſt; imo in filum tenuiſſimum, & in laminas, foliolave ſubtiliſſima deduci poteſt.

Cadmia fornacum, ſeu factitia, duplex eſt: Cadmia factitia *Veterum*, & Cadmia factitia *Recentiorum*, ſeu Tuthia *Officinarum*.

Diſcorides, Galenus, & Plinius per Cadmiam factitiam nihil aliud intellexerunt præter recrementum, quod ex æris minera, dum in cuprum funditur, follium flatu avolat, & fornacis parietibus cameriſque adhæret; cujus variæ ſunt ſpecies pro diverſis ejus concretionis figuris, pro ejus tenujtate vel craſſitie, & colorum varietate.

Tenujſſima, inquit Plinius, in ipſo fornacum ore, qua flammæ eructantur, appellata Καπνῖτις fumoſa, & nimia levitate ſimilis favillæ. Interior optima, cameris dependens, & ab eo argumento Βοτρυΐτις, hoc eſt, racemoſa, cognominata: ponderoſior hæc priore, levior porro ſecuturis; duo ejus colores: deterior cinereus, puniceus melior; friabilis, oculorumque medicamentis utiliſſima. Tertia eſt in lateribus fornacum, quæ propter gravitatem ad cameras pervenire non potuit: hæc dicitur πλακῖτις, & a Dioſcoride πλακώδης quaſi cruſtoſa, & ipſa ab argumento; cruſta verius quam pumex, intus varia, ad pſoras utilior & ad cicatrices delendas. Fluunt ex ea duo alia genera: Ονυχῖτις, extra pene cærulea, intus Onychitæ maculis ſimilis: Οϛρακῖτις, tota nigra, & e cœteris ſordidiſſima, vulneribus maxime utilis. Omnis autem Cadmia in Cypri fornacibus optima. Idem auctor narrat Cadmiam fieri quoque in argenti fornacibus candidiorem, ac minus ponderoſam, ſed nequaquam comparandam ærariæ. Quin etiam ex Pyrite quodam lapide Cadmiam fieri ſcribit Galenus.

Verum hæ omnes Cadmiæ ſpecies nunc in Officinis ignotæ ſunt. Nec Arabes eas norunt; imo parum ſolliciti de ſubſtantiis, quæ ſub Cadmiæ nomine a Dioſcoride, Galeno, & Plinio deſcriptæ fuerant, & quæ in Cypri tantum officinis fuſoriis reperiri poterant, eadem nomina alii rebus aſſignavere: unde orta eſt confuſio multa. Quandoquidem Arabes Climia dixerunt recrementum quodcumque metallicum, non ſolum Cadmiam veterum, ex ære, aut Pyrite confectam, ſed & Lithargyron auri, & argenti: & Avicenna Climiæ auri ſeu Lithargyri auri notas cum Cadmiæ veræ notis a Dioſcoride recenſitis confundit, ut obſervavit doctiſſim. Salmaſius: quin etiam ejuſdem Cadmiæ deſcriptionem a Dioſcoride traditam Lithargyro argenteo aſſignat.

Cad-

Cadmia *Recentiorum* : Cadmia fornacum *Agricolæ* : Tuthia vulgaris *Offic.* non cupri , ſed Aurichalci recrementum eſt ; ſeu potius eſt recrementum Lapidis calaminaris cum cupro fuſi , cum veterum Cadmia ex ſolo cupro oriebatur . Tuthia itaque officinarum eſt Lapis calaminaris ex ære fuſo ſublimatus ad ſuperiorem fornacis partem , ubi ad ferreas haſtas concreſcit in cruſtam denſam , quæ poſtea excutitur in fruſtula ſemitubulata , arborum corticibus ſimilia , ſonora , intus lævia , ſublutea , externe granulis admodum minutis conſperſa , colore cinereo aliquantum ad cœruleum vergente.

Eadem eſt fortaſſe hæc Tuthia noſtra cum Tuthia Arabum , cum Serapio Tuthiæ genus deſcribat , quæ fit & colligitur in fornacibus in quibus æs citrinatur : niſi Tuthiæ nomine Lapidem ipſum calaminarem intelligant ; de quibus in eorum libris non ſatis liquet.

Tuthia inter ophtalmica remedia præſtantiora recenſetur ; abſtergit enim, & exſiccat ſine morſu. Unde in ulceribus corneæ adnatæ & palpebrarum feliciter præſcribitur , in oculorum pruritu , in ophtalmiis inveteratis , & ad lachrymantes vel fiſtuloſos oculos ſiſtendos.

Tuthia raro adhibetur niſi præparata . Hæc autem præparatio fit , igniendo & extinguendo ter quaterve in aqua Roſarum , lævigandoque ſupra marmor ſecundum artem.

℞. Tuthiæ præparatæ ʒß. aquar. Piloſellæ , Roſar. & Euphraſiæ ana ℥j. Miſc. Fiat collyrium . Vel

℞. Aloes Soccotrin. & Tuth. PP. ana ʒvj. Sacchar. albi ʒj. aq. Roſar. & vini albi non acidi ana ℥vj. Infundantur in ampulla vitrea bene clauſa ad ſolem per 40. dies . Hujus aquæ non colatæ inſtillentur guttæ aliquot in oculum. Vel

℞. Tuthiæ præparatæ ʒj. Butyri recentis ʒiiij. Miſc. Fiat unguentum , cujus tantillum ad oculorum angulos & palpebrarum oras adhibeatur.

Uſurpatur in unguento ophtalmico *D. Charas*.

Pompholyx & Spodos , vel Spodium *Dioſcoridis & Galeni* in officinis nunc ignota ſunt. Dioſcorides & Galenus narrant Pompholygen duplici ratione confici poſſe : vel fit ex æris materia in fornacibus fuſa , cujus favilla in candidiſſimum & leviſſimum pollinem concreſcit ; vel conficitur ex Cadmia ſola eximie follibus proflata.

Pompholygos duo genera conſtituit Dioſcorides : unum ad æris colorem vergens , ſubpingue ; alterum candidiſſimum , ſummamque levitatem nactum.

Candida Pompholyx fit , inquit Dioſcorides , quoties in perficiendo ære , fabri præſtantiorem facere volentes , detritam Cadmiam cumulatius inſperſerint ; (ſive per hanc Cadmiam auctor intelligat novam mineram , ſive factitiam Cadmiam , nempe metalli fuliginem :) nam tenuiſſima favilla quæ copioſe effertur , in Pompholygen coit . At vero conficiebatur quoque ex ſola Cadmia in fornacibus combuſta , nempe minutis Cadmiæ fragmentis in ignem conjectis qui ante ærarium jacebat follem . Egeſta enim ſuffitu tenuis materiæ pars & levis , camera ad hoc parata excipitur . At vero quod reflectens in pavimentum recidebat , Spodos eſt ſeu Spodium . Nigricat & plerumque ponderoſius eſt , terra & ſpurcitie in acervatione refertum . Et revera erat quaſi purgamentum quoddam , quod ab ærariarum officinarum pavimentis &

fornacibus everritur ; unde Spodos Pompholyge longe deterior cenſebatur.

Hæ ſubſtantiæ in ærariis officinis quærendæ forent, ubi æris Cyprii vel rubri minera copioſe funditur. Nunc vero non amplius ad nos devehuntur.

Pompholyx *Off.* Nihil album *Quorumdam*. Flos eſt ſeu fuligo alba ; tenuis, Lapidis calaminaris cum ære fuſi, fornacis teſtudini & crucibulorum operculis adhærens. Munda eligitur, nullis ſordibus inquinata.

Eiſdem virtutibus cum Tuthia pollet. Exſiccat ſine morſu, & leviter adſtringit, corrodentem humorum acrimoniam abſorbet, ac mitigat : unde etiam refrigerare dicitur. Ad ulcera vetuſtiora, cancroſa & maligna exſiccanda feliciter adhibetur ; necnon etiam ad oculorum fluxiones ſanandas efficaciſſima eſt. Ex ea paratur unguentum Diapompholygos.

Spodos & Spodium Græcorum quid ſit ex ſupradictis patet, nempe cinis vel potius flos metallicus impurus qui in officinis ærariis colligebatur. A Pompholyge parum diſcrepat. Plinius tamen ejus plura genera conſtituit : Spodon nempe ærariam, quæ præſtantiſſima eſt ; argentariam, quam Lauriotin vocari dicit a Laurio Atticæ monte, in quo argenti erant fodinæ ; aurariam, quæ in auri purgatione colligitur ; & plumbariam ; quam poſt Cypriam ærariam commendat Dioſcorides.

Spodium Græcorum intus nocivum erat ; quapropter externe tantum adhibebatur.

Arabes præter hæc Spodii metallici genera, Spodii nomine, quod cinerem ſignificat, abutentes, alia adhuc conſtituere aut ſubſtituere ; cineres nempe plantarum, vel animalium quorumdam. Hæc ſuccedanea a Græcis Antiſpoda vocata fuerunt.

Quædam a Dioſcoride referuntur, ut folia Myrti cum floribus & baccis immaturis calcinata & lota, Oleaſtri folia, Taurinum gluten, lana ſuccida & aſpera pice aut melle irrigata & combuſta, & cœtera hujuſcemodi.

Avicenna *Tabaxir* nomine deſignat cinerem radicum Cannarum exuſtarum ; quam vocem *Tabaxir* interpretes Spodium verterunt. Verum & illud Spodium quod ex Orientalibus regionibus parce quidem afferebatur, Sacchari adhuc impuri & nondum defœcati ſpeciem fuiſſe arbitramur ; & a doctiſſimo Salmaſio *tractatu de Saccharo* validis argumentis probatur. Unde non mirum ſi ab Arabibus, & illis qui eos ſecuti ſunt ; Spodium ad uſum internum cum tot encomiis adhibitum fuerit. Colore nempe cinereo decepti fuerant Arabes mercatorum relationibus, qui hunc pulverem cineraceum ex arundinibus extractum eſſe referebant ; & ideo arundinum cinerem eſſe exiſtimaverunt : hodie vero in officinis pharmaceuticis Ebur uſtum pro Spodio accipiendi invaluit conſuetudo.

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

De Chalcitide, Miſy, Sory, & Melanteria.

CHalcitis, Miſy & Sory corpora foſſilia ſunt inter ſe origine & viribus conjunctiſſima, quæ potiſſimum in Cypriis ærifodinis in montibus Solorum reperiebantur. Galenus, *lib. de ſimplicium Medicamentorum facultatibus*, narrat ſe his in fodinis vidiſſe quaſdam in longiſſimum porrectas veluti zonas, alias ſuper alias numero tres: quarum infima erat ipſius Soreos, ſuper quam altera erat Chalciteos, ſuprema Miſyos.

Præterea idem Galenus obſervat Chalcitin per tempus in Miſy tranſmutari. Fruſtum enim Chalciteos quod ipſe in Cypriis fodinis collegerat, poſt annos circiter triginta in Miſy quoad extimam ſuperficiem converſum reperit, dum quod in medio erat, perfecta erat Chalcitis nullamdum alterationem experta. At vero ex levi quadam mutatione quam in Sory, quod ab eodem tempore ſervabat, deprehendit, idipſum forte longe tempore in Chalcitin mutari poſſe ſuſpicatur.

Chalcitis *Græcorum* χαλκῖτις *Dioſcoridis*. Eſt ſubſtantia foſſilis, æri ſimilis, friabilis, nec lapidoſa, intercurſantibus oblongis venis ſplendentibuſque, Miſy tenujor, Sory vero craſſior, quæ in igne ſanguineum vel miniatum colorem contrahit.

Miſy *Græcorum*: Μίσυ *Dioſcoridis*. Eſt ſubſtantia foſſilis, lutea, aureiſque ſcintillis, dum frangitur, ſplendens, nata ſuper Chalcitin, & ex Chalciti, non ſecus ac ærugo, naſcitur ſuper æs & ex ære. Effloreſcentia Chalciteos eſſe videtur.

Sory *Græcorum*: Σῶρυ *Dioſcoridis*. Subſtantia eſt foſſilis, craſſior & magis compacta quam Chalcitis & Miſy; fricata, ſcintillas Miſeos emittens, ſpongioſa, ſeu in multa foramina dehiſcens, ſubpinguis, colore nigricante, ſapore adſtringente nauſeabundo, & odore gravi ſummeque virulento.

Hæc deſcriptio ſatis apte convenit foſſili cuidam ſubſtantiæ cauſticæ, quam Turcicæ mulieres ad cutem pilis denudandam adhibere ſolent, & *Ruſma* nuncupant. Unde facile crederem illud Ruſma idem eſſe cum Sory Græcorum.

Ruſma, referente Bellonio, foſſile eſt ferri excremento ſimile, ſed levius, nigrum, aduſtumque quidpiam referens. Ejus fodinam in Galatia ſeu Gallogræcia, haud procul ab oppido Conteio, nunc *Cute* dicto, inviſit. Ea eſt ejus utendi ratio.

Ruſmati in tenujſſimum pollinem contuſo Calcis vivæ dimidiam partem adjiciunt, unaque in fictili vaſe aqua macerari ſinunt. Fœminæ balnea ingreſſuræ, partes quas glabras efficere cupiunt, eo inungunt, atque inhærere ſinunt, quanto tempore ad coquendum ovum requiritur, deinde explorant an pili decidant: tunc parte abluta aqua calida & cum paſta, pilos lotione auferunt. Idem cum Auripigmento & Calce viva Barbitonſores noſtri hodie efficiunt.

Melanteria *Græcorum*: Μελαντηρία *Dioſcoridis*. Duplicis originis pro-

 ditur

ditur a Dioſcoride : quædam in faucibus cuniculorum , e quibus æs ernitur , ſalis modo concreſcit ; alia vero in eorum locorum ſuperficie , quæ terrena eſt . Præſtat quæ ſulphuris colorem trahit , lævis , pura , æqualis , & quæ contactu aquæ confeſtim nigreſcit .

Hæc foſſilia hodie in officinis pharmaceuticis rariſſime reperiuntur ; & ſane in Cypro, in Aſia minori, vel in Ægypto quærenda forent.

Adurunt, & eſcharas efficiunt, nonnihil quoque adſtringunt.

Sola Chalcitis nunc uſurpatur in Theriacæ *Andromachi ſenioris* compoſitione : verum cum in officinis rariſſime occurrat , Vitriolum ad rubedinem calcinatum, ſeu Colcothar, ei ſubſtituere ſolent.

CAPUT SECUNDUM.

De Foſſilibus Metallicis , quæ ſunt peculiaris naturæ , & metalla ſpuria , vel ſemi-metalla a quibuſdam dicuntur .

ARTICULUS PRIMUS.

De Stibio ſeu Antimonio .

STibium & Antimonium, *Offi.* *στιμμι Dioſcoridis*; *στίβι* , *πλατυόφθαλμον*, *λάρβασον* , *γυναικεῖον* , *ὀμματόγραφον ἀλάβαστρον Græcorum quorumdam* : forte *τετράγωνον Hippocratis* : Lapis ſpumæ candidæ nitentiſque , non tamen tranſlucentis *Plinii* : Aitmad , ſeu Atemed *Arabum* . Eſt ſubſtantia metallica , ſolida , ponderoſa , fragilis , plumbeo colore , cum ſtiriis longis ſplendentibus , igne fuſilis , non vero ductilis .

Diverſæ ſunt Stibii nativi ſpecies . Aliud enim effoditur ferro polito vel plumbo ſimile , ſed friabile , & ſaxo aut lapidi candido aut cryſtallino intermixtum . Aliud ex tenuibus lineis ſplendentibus , quaſi aciculis nunc ordinatim , nunc indiſcriminatim diſpoſitis coacervatum , quod mas . Aliud ex lamellis latioribus & ſplendentibus compoſitum , quod fœmina a Plinio dicitur . Aliud congeries eſt virgularum tenuium plumbei coloris ex lapide tenero , candido naſcentium , quod facillime ſulphuris inſtar igne liqueſcit , ob maximam ſulphuris copiam ; quale in Comitatu ſanctæ Floræ prope Maſſam & Selvenam agri Romani oppida eruitur. Aliud maculis ſubcroceis vel ſubrubris hinc inde diſtinguitur , quale in Hungariæ aurifodinis reperitur . Quod quidem Chymiſtæ multi faciunt propter ſulphur quoddam aureum , quo illud Antimonium turgere ſibi fingunt . Vel in propria minera reperitur ; vel , & quidem ſæpius , cum cœteris metallis admixtum : unde Ἀντιμόνον ſeu Ἀντιμόνιν ; quaſi nunquam ſolum ſeu abſque alterius metalli conſortio reperiretur .

Antimonii mineræ ubique occurrunt : in Gallia vero plures ſunt , ac fœcundæ ejus fodinæ apud Arvernos, Pictones, & Armoricos.

Anti-

Antimonii glebæ cum lapidoſa materia permixtæ e terra eruuntur, a qua metallum ſeu minerale ſic ſeparari ſolet. Gleba antimonialis in fruſta mediocria contrita ollæ imponitur aliquot foraminibus in fundo pertuſæ, juris orificium operculo cum luto accurate clauditur. Huic ſubtus accommodatur aliud vas fictile coniforme: & igne vaſi ſuperiori admoto, Antimonium liquatur, & per foramina in vas inferius fluit, ſcoriis in ſuperiore vaſe remanentibus.

Vana eſt Stibii diſtinctio in marem, & fœminam, cum in metallis nullus ſexus diſtinguatur. Rectius dividitur in foſſile ſeu nativum, & fuſum. Foſſile illud eſt, quod ignem nondum expertum fuit, & cum terra vel lapidea ſubſtantia permixtum eſt; fuſum vero illud eſt quod in maſſas pyramidales fuſum, & a lapideis recrementis purgatum nobis advehitur. Probatur durum, grave, coloris plumbei, cum ſtiriis radiatim diſpoſitis ac ſplendentibus ad inſtar ferri politi. Nec pro uſu medico Hungaricum Gallico præſtat. Repudiatur illud quod totum pene ex ſcoriis compingitur.

Antimonium Gallicum conſtat ex partibus fere æqualibus ſulphuris inflammabilis communi ſimilis, & ſubſtantiæ regulinæ. Sulphur in Antimonio patet ex odore, & flamma cœrulea quam dum calcinatur, emittit; quæ quidem non percipitur, niſi in obſcuro loco calcinatio peragatur. Præterea cum Nitro in crucibulum candens projectum, fulgurat eodem plane modo ac ſulphur. Si Antimonium cum Mercurio ſublimato corroſivo diſtilletur, Cinnabaris Antimonii paratur, nempe ex ſulphure Antimonii, & Mercurio ſublimati corroſivi. Tandem ſulphur ex Antimonio educitur, ſi Antimonium cum calcis vivæ aut cinerum clavellatorum quadruplo igne fuſum in aqua communi ebulliat: ſulphur enim Antimonii, mediantibus alcalinis ſalibus, aqua ſolutum, aceti vel alterius acidi ope præcipitatur.

Subſtantia regulina fuſilis eſt, non vero ductilis, ſplendens ferri politi ad inſtar, & ex laminis latioribus conſtare videtur; quæ, cum regulus rite funditur ac refrigeratur, radiatim ita diſponuntur, ut in ejus ſuperficie ſtellæ figuram exhibeant.

Regulina hæc materies, ſi levi calcinatione a ſulphure omnino fere liberetur, in calcem cineream vitreſcibilem convertitur, quæ deinde igne vehementiori fuſa in vitrum hyacinthinum concreſcit. Si huic vitro fuſo ſulphurea vel inflammabilis quædam ſubſtantia affundatur, ſtatim priſtinam reguli formam priſcumque ſplendorem recuperat.

Ob uberiorem ſulphuris copiam, qua turget Antimonium, ex eo liquor acidus a ſpiritu ſulphuris vulgari non diſcrepans extrahi poteſt. Unde liquet Antimonium conſtare ex acido ſulphureo ſeu vitriolico, ex ſubſtantia bituminoſa, qualis e ſulphure vulgari extrahitur, & ex vitreſcibili terra metallica.

Regulus Antimonii ab Aqua regia diſſolvitur, ab aliis acidis vero calcinatur tantum. Antimonium omnia metalla, vel etiam argentum, excepto tantum auro, fuſione diſſolvit ac deſtruit. Unde a Chymicis Lupus vorax dicitur, vel etiam Saturnus, qui filios ſuos comedit, Plumbum ſapientum, Magneſia Saturnina. Dicitur quoque Lavacrum ſolis, ex eo quod aurum cœteris metallis commixtum, & cum Antimonio fuſum,

ab

ab iis expurgetur, & inde magis rutilans puriuſque emergat. Sulphur ſolare, ſed immaturum, in Antimonio contineri vulgo exiſtimatur: unde Solis leproſi, vel Entis primi ſolaris nomina obtinuit. Verum ſulphur metallicum a ſulphureo principio, quod in regno animali aut vegetabili obſervatur, non diſcrepare alibi demonſtravimus.

Apud veteres Stibium fucus fuit uſitatiſſimus præſertim ad oculorum cilia nigro colore pingenda. Sic in ſacris Codicibus *Reg. lib.* 4. *cap.* 9. legitur impiam Reginam Jezabel, cum Regis Jehu iram vellet demulcere, ſibi oculos Stibio depinxiſſe. In iiſdem libris a Prophetis notantur mulieres, quæ Stibio oculos circumlinebant. Eam ob rem, quia ad formæ lenocinium Stibium uſurpabatur, γυναικεῖον Græcis dicebatur; & πλατυόφθαλμον quod oculos mulierum dilatare videbatur. Stibium adſtringit, inquit Dioſcorides, meatus obſtruit, refrigerat, excreſcentias in carne cohibet, ulcera ad cicatricem perducit, ſanguinem ſiſtit, ſordes, & ulcera oculorum expurgat. Galenus vim exſiccantem, & adſtringentem in eo agnoſcit; & ideo medicinis ocularibus, quæ collyria ſicca dicebantur, commiſceri narrat. Ab antiquis comburebatur, & lacte muliebri vel vino extinctum conterebatur, aqua pluvia admixta, ac tandem in paſtillos efformabatur forte quadratæ figuræ: unde ab Hyppocrate tetragonum pharmacum nuncupatum fuit. Ejus vis emetica ipſis ignota fuiſſe videtur, aut ſaltem illud medicamen rariſſime ad purgandum uſurpabatur, cum inter tot auctores ſolus Dioſcorides unica tantum vice mentionem faciat in compoſitione cujuſdam medicaminis purgantis ex Elaterio, Sale, & Stibio; ubi tamen Stibium minus adjectum fuiſſe videtur ad vim catharticam augendam, quam ad medicamen Stibii colore tingendum.

Stibii vis cathartica præſertim invaluit ſæculo circiter duodecimo, quo Monachus quidam ordinis Sancti Benedicti, natione Germanus, nomine Baſilius Valentinus, librum edidit ſub titulo *Currus triumphalis Antimonii*, in quo Antimonii vires ad innumeros fere morbos miris laudibus effert. Sæculo tandem decimo-quinto Paracelſus Valentini opinionem ſecutus, Antimonii famam longius latiuſque fudit: nihilominus tamen de Stibii qualitate ſalutari vel deleteria Medici diu, & acriter inter ſe contenderunt. Hodie tandem fere omnes de ſalutiferis ejus dotibus conveniunt, & duplicem in eo virtutem pro diverſis ejus præparationibus agnoſcunt; emeticam unam, diaphoreticam alteram. Quæcumque enim medicamenta ex Antimonio parari poſſunt fere innumera, vel purgantia ſunt per ſuperiora, & inferiora, vel diaphoretica ſunt, & ſudorifera.

Antimonii, ut vocant, crudi, ſeu non præparati, rarior eſt uſus in Medicina, licet nulla ei vis inſit noxia; cum ad drachmam unam aut alteram abſque ulla nauſea intus exhiberi poſſit. Sæpe etiam in ptiſanis ſudoriferis, & exſiccantibus decoquitur, quibus nulla vis emetica vel quocumque modo noxia impertitur. Illa tamen Antimonii decoctio prorſus inutilis eſt; aqua enim coctione, vel diuturniore, nihil de Stibio diſſolvit aut retinet.

Conſtat igitur, Stibium per ſe innoxium eſſe, neque vomitum excitare, niſi quodam modo præparetur, aut niſi ab acida colluvie in ven-

tri-

triculo deliteſcente vis ejus emetica evolvatur. Antimonium crudum intus ſumptum a ℈j. ad ʒij. viſcidam humorum craſim diſſolvit, & attenuat, obſtructiones aperit, & tanquam tutum remedium ad cutaneos affectus, ad tabem, & epilepſiam a quibuſdam prædicatur. Ad bruta pinguefacienda plurimum valet. Ad uſus externos etiam commendatur Antimonium crudum ad ulcera exſiccanda, ad ſcabiem, & effectus cutaneos ſanandos in unguentis permixtum: in emplaſtris ad tumores reſolvendos, collyriſque utiliter admiſcetur ad curandas oculorum inflammationes.

Magis uſitata medicamenta e Stibio præparata, ſunt Hepar Antimonii, Crocus metallorum, Vinum ſtibiatum, Tartarum emeticum, Vitrum, Regulus, Sulphur auratum, Flores, Butyrum, Cinnabaris, Pulvis Algaroth, Panacea univerſalis, Bezoar-minerale, Calx diaphoretica, & Tincturæ.

Hepar Antimonii, & Crocus metallorum ſic vulgo parantur.

℞. Antimon. crudi & Nitri tenuiſſime contritor. partes æquales. Miſceantur exacte, & inſtituatur hujus materiæ detonatio in mortario, prunæ candentis ope. Tota maſſa ſubito deflagratur, & in maſſam reducitur ſemi-vitrificatam, quæ ratione coloris vocatur Hepar Antimonii.

Redigatur hæc maſſa in pulverem ſubtiliſſimum, & aqua pura ter quaterve abluatur, donec edulcorata ſit. Exſiccetur pulvis, qui Crocus metallorum vulgo dicitur, & Terra Sancta *Rullandi*. In ſubſtantia exhibitus vomitum potenter movet a gr. ij. ad vj.

Ex eo vinum emeticum fit infundendo Croci metallor. ℥iij. in vini ℔iij. per dies duos, treſve, lagenam identidem agitando. Tandem vinum ſupernatans limpidum exhibeatur ad vomitum promovendum ab ℥j. ad ℥iij. In enemate vero nonnumquam turbatur, & præſcribitur ab ℥ij. ad iiij.

Tartarum emeticum ex Hepate Antimonii ſic conficitur.

℞. Hepatis Antimonii cum ſcoriis ℥ij. Cremor. Tartari ℥viij. aq. communis q. ſ. Bulliant in vaſe fictili per horas 8. vel 9. Coletur liquor, & ad ſiccitatem evaporetur; & erit Tartarum emeticum ſolubile, vomitorium egregium a gr. ij. ad viij.

Cœteris Stibii præparationibus emeticis longe præſtat. Facile enim ſub quacumque forma exhiberi poteſt; & inſuper, cum ejus vis ac doſis facile dignoſcantur, rectius ad Medici nutum pro ægrotantis viribus aut morbi urgentia augeri vel minui poteſt, cum econtra vinum majori vel minori vi emetica donetur inæqualiter, pro majori vel minori aciditate ſua vel maturitate.

In Hepate Antimonii conficiendo quidam Antimonio, & Nitro ſal marinum decrepitatum, ut vocant, addunt; & ſic conficiunt Magneſiam opalinam vel rubinam Antimonii a rubro colore ſic dictam, vi emetica longe debiliore, quam Hepar Antimonii, donatam.

Hepar Antimonii equis, & cœteris quadrupedibus exhibitum, vomitum non excitat, ſed ſudorem aut diaphoreſim. Ad ℥ij. quotidie ingeritur per plures ſeptimanas ad ea pinguefacienda, & ad eorum ſcabiem ſanandam.

Me-

Medici Croco metallorum utuntur ad oculorum maculas, & ſuggillationes delendas, corneæ adnatæ, & palpebrarum ulcera, aut earumdem partium pruriginem, & pſoram curanda.

Vitri Antimonii ea eſt conficiendi ratio.

℞. Antimonii crudi, & ſubtiliſſime pulverati q. placuerit. Calcinetur in patella terrea, lata, & plana, non vitreata, ſuper carbonibus moderate accenſis, ſpatula non metallica, ſed lapidea ſeu potius fiſtula tabacali aſſidue agitando, ne materia fundo adhæreat. Sic calefiat, ut fumum emittat diligenter vitandum. Peracta eſt calcinatio, cum materia cinereum colorem obtinet, & fumum exhalare ceſſat. Cavendum eſt interea ne concreſcat in grumos iterum pulverizandos, ſi forte fiant. Et hæc eſt Calx Antimonii, cujus ℥ij. vel iij. liquentur igne vehementi in crucibulo, & liquatæ effundantur in lapidem marmoreum: fuſa materia inibi refrigerando concreſcit in vitrum coloris haycinthini. Idem candidum, citrinum, rubrum, aut nigrum evadit, addendo Boracem, Sulphur, Salem gemmeum, Auripgmentum, &c.

Vitrum Antimonii potenter vomitum excitat a gr. j. ad iiij. Sed obtunditur ejus vis, ſi ter quaterve ſpiritus vini in illud comburatur, vitrum ſingulis vicibus ſupra marmor ſubtiliſſime conterendo. Tum a gr. x. ad xx. aut xxx. exhiberi poteſt. Blande purgat per ſuperiora, & inferiora, & nonnumquam ſudores movet.

Vitrum Antimonii vomitum non promovet; ſed mere catharticum evadit, ſi vitrum Antimonii in alcohol ſubtiliſſimum redactum digeratur per duos treſve dies in ſpiritu vini, in quo Maſtiches ℥ß. diſſoluta fuerit, identidem agitando; ac tandem leni calore ſpiritus vini evaporetur, remanentibus Maſtiche, & vitro Antimonii exacte permixtis. Doſis hujus pulveris ad gr. vj.

Regulus Antimonii ſic præparatur.

℞. Antimonii ℥xvj. Tartar. crud. ℥xij. Nitri ℥v. Pulverizata probe commiſceantur, & per vices injiciantur in crucibulum ardens. Deflagrationibus peractis, ſuperinjicitur Nitri ℥j. Ignis vehementior excitatur, ut materia probe liqueſcat. Tunc effunditur in vas aheneum coniforme, calidum, ſebo illitum, malleo tantiſper excutiendum, ut regulus a ſcoriis facilius ſeparetur, & fundum petat. Eximatur regulus a ſcoriis ſeparandus. Si magis adhuc purgatus deſideratur, liquetur in crucibulo; & affuſa modica Nitri portione, ut bene fluat, effundatur in conum fuſorium: & regulus obtinebitur purus, candidus, nitens, ſtella ut plurimum in ſuperficie ſignatus.

Ex regulo Antimonii pocula fiunt, quibus virtus ineſt eximia, & diuturna ad vomitum excitandum; vinum enim quod per noctem in illis fuerit infuſum, emeticum evadit. Imo globuli ex eo funduntur, qui millies vorati vi emetica, qua maxime pollent, non deſtituuntur.

Reguli metallici diverſi præparantur, regulum Antimonii cum ferro, cupro, ſtanno, plumbo, argento vel auro fundendo.

Sco-

Scoriæ quæ ſupra regulum reperiuntur in cono fuſorio, flavæ ſunt vel croceæ, & ſulphure antimoniali turgent. Hoc autem ſulphur ſic extrahi poteſt.

Scoriæ recentes & adhuc calidæ a regulo ſeparatæ in pulverem redigantur. Coquantur cum aqua ſimplici, quouſque aqua inſtar ſanguinis colorata appareat. Percoletur liquor, & cum aceto ſtillatitio vel cum phlegmate Vitrioli aut ſimilibus acidis præcipetur. Sic enim ad vaſi fundum dimittetur pulvis croceus vel fuſcus, qui educatus, & ab omni fœtore ac ſale liberatus & exſiccatus ſervatur; & eſt ſulphur auratum Antimonii, quod primum Ens auri a quibuſdam creditur. Vehementer purgat per ſuperiora & inferiora. Doſis a gr. j. ad iiij.

Sulphur auratum Antimonii diverſis modis præparari poteſt, & ob inſignes ejus dotes diverſis nominibus inſignitur. Sulphur dicitur, ex eo quod ſulphuris vulgaris ad inſtar accendatur cum odore fœtido: ab eo tantum differt quod regulinas Antimonii partes ſemper retineat, quibus pondere gravius fit & magis fuſcum. Auratum dicitur, tum ex eo quod Chymici hoc ſulphur ad auri ſulphur proxime accedens ſibi finxerunt, tum etiam quod argento impoſitum ſuper prunas aureum colorem ipſi conciliet. Dicitur ſulphur embryonatum, ex Magneſia Saturnina eductum: Chymici etiam ſibi fingunt hoc Antimonii ſulphur aliqua ſolaris ſulphuris portione impraegnatum eſſe; & Magneſiæ Saturninæ nomine Antimonium deſignant. A Glaubero Panacea & ſulphur univerſaliter purgans ab ejus præſtantiſſimis viribus dicitur. Et a Cardiluccio Chymico inſigni diu in Germania exhibitum fuit ſulphur illud, & abſconditum ſub nomine Centaurii mineralis, ſicut hiſce temporibus a quodam dicto *Laligerie* Chirurgo, & a fratre Carthuſiano ſub nominibus Kermes aut Alkermes mineralis, aut pulveris fratris Carthuſiani. Apud Anglos in uſu fuit idem ſub nomine Ruſſelliani pulveris, ut videre licet *in Pharmacopea Batheana* a Villielmo Salmon cum notis Anglice edita ann. 1698. Londini.

Omnes ſulphuris aurati præparationes ad duas reducuntur. Prima & vulgatior fit, ſulphur Antimonii ab aliquo ſale alcali ſolutum præcipitando per acetum diſtillatum vel alium liquorem acidum, altera fit, illud ſulphur ſolutum præcipitando per ſe abſque acido.

Primum Sulphur auratum fit ex ſcoriis Reguli Antimonii cum Antimonio, Nitro, & Tartaro præparati hac ratione. Sumuntur ſcoriæ ſalino-ſulphureæ a Regulo ſeparatæ. Coquuntur in aq. comm. q. ſ. Decoctum per chartam bibulam colatur, & colaturæ affunditur acetum diſtillatum, donec affuſione acidi humoris liquor non amplius turbetur. In vaſis fundo fit ſubſidentia pulveris tenuiſſimi, a quo per vaſis inclinationem limpidus liquor ſenſim ſeparandus. Pulvis reſiduus croceus, repetita aquæ affuſione, multoties eluendus, ac tandem exſiccandus.

Secundum Sulphur auratum quod hodie uſitatiſſimum eſt ſub nomine Kermes mineralis aut Pulveris fratris Carthuſiani, fit decoquendo Antimonii in minuta fruſtula contuſi ℔iiij. liquaminis Nitri fixi ℔j. aq. pluvialis ℔viij. Bulliant per horas duas. Decoctum adhuc bul-

liens

liens per chartam bibulam tranſcoletur, & in loco remoto reponatur per 24. horas, donec pulvis croceus ſubſidens vaſis fundum petierit, & liquor limpidus appareat. Inclinato vaſe, hic liquor ſenſim effundatur; & pulvis ſubſidens in charta bibula repoſitus, pluribus aquæ tepentis affuſionibus, ab omni ſale ſpolietur. Tandem ſuper exſiccatum pulverem ſpiritus ardens vini bis terve accenditur, ad ℥iiij. Et pulvis demum rite exſiccatur, & ſervatur ad uſum.

Hic pulvis veluti Panacea ſeu remedium univerſale habetur. Vomitum nonnumquam excitat, præſertim dum in ventriculo acida ſaburra reconditur. Alvum ſæpe & blande movet, ſi in inteſtinis humorum congeries ſit: urinam provocat, vel diaphoreſim aut ſudorem excitat, dum in ſanguine homores pravi permiſcentur. Uno verbo operationem ſuam exerit, prout natura vergit ad hos vel illos humores per hæc vel illa emunctoria excernendos. Ad evacuandum exhibetur, & tunc a gr. j. ad iiij. vel ad humores incidendos, dividendos, immutandos, & tunc ad gr. ß. vel gr. j. tantummodo exhibetur, ſed vicibus repetitis, tertia, quarta, vel ſexta quaque hora, in febribus acutis ubi nimia eſt humorum cruditas & ſpiſſitudo. Hic pulvis, vel ſolus, vel cum Sacchari tantillo mixtus, exhibetur aqua vel vino dilutus, vel alio vehiculo idoneo. Nonnumquam cum oleo Amygdalarum dulcium diluitur: vel etiam in conſervis Violar. Boraginis, Enulæ campanæ, aut aliis involvitur, & ſub forma boli deglutitur.

Identidem & doſi refracta exhibitus ſeroſas & crudas evacuationes alvinas ſenſim mutat, & bilioſas reddit ac ſpiſſiores, humoreſque ſic ad purgationem diſponit, bilem nempe nimis viſcidam incidendo & fluidiorem efficiendo.

Inter initia morborum malignorum, variolarum & morbillorum utiliter exhibetur parva doſi cum pulveribus Bezoardicis, terreis & abſorbentibus, velut Oculis Cancror. Corallo rubro, Margaritis, teſtis ovorum, Chelis cancror. & cæteris hujuſcemodi. Sic lenem ſalivationem cum diaphoreſi excitat, præcordiorum anxietates tollit, mucum primarum viarum corrigit, lymphæ vitia & ſeri coagulum emendat, ſanguinis effervescentiam defœcantem ſuſcitat. Glauberus præſervativum illud dicit a variolis; quod confirmat experientia ſeptem infantum. Fredericus Hoffmannus *in notis in Poterium* hujus pulveris uſum commendat in febribus intermittentibus, contumacibus, chronicis, & autumnalibus. Obſtructiones enim harum febrium genitrices potenter reſerat. In infantium febribus intermittentibus hujus ſemi-granum vel gr. j. bis, ter, quaterve die cum felici ſucceſſu præſcripſit. Unum granum ejus pro doſi conſociat cum ſalibus abſterſivis & præcipitantibus, antifebrilibus; ſalibus nempe Abſinthii, ſale febrifugo *Sylvii*, Tartaro vitriolato, &c. & repetitis vicibus exhibet. Schroderus, *in diſſertatione de Medicamentorum Galenicor. & Chymicor. neceſſitate*, ſulphuris Glauberiani aurati vim in acrimonia ſeri deliniendа, lacrymarum mordacitate oculos infeſtante, lippitudines moleſtiſſimas & ophthalmias producente corrigenda, mire prædicat. Idem annotavit in muliere laborante artuum ſcorbutico dolore & defluxionibus ad pectus tam acribus, ut eroſionem pulmonis & ſanguinis ſputum inducerent, tantil-

tantillum hujus ſulphuris Antimonii, tenuis & acris ſeri motum ſedaſſe & periculoſis morbis incrementa impediviſſe. Eſt remedium (inquit Fred. Hoffmannus) in chronicis morbis, & qui ex diuturnioribus viſcerum obſtructionibus naſcuntur, efficaciſſimum. In hydrope commodiſſime miſcetur cum limatura Martis & Nitro; in epilepſia cum Cinnabarinis, in ſcorbuto cum Arcano duplicato, in hydrope cum Nitro defœcato utiliter exhibetur, aquam vel ſuccum aut decoctum Parietariæ ſuperbibendo. In alvi fluxu dyſenterico, in confectione de Hyacint. ſuperbibendo decoctum vel ſuccum Plantaginis, adverſus dyſuriam & calculum in aqua Urticæ albæ ſeu non urentis ſumitur.

In pleuritide & peripneumonia, univerſalibus remediis adminiſtratis, hauriat æger grana tria hujus pulveris in hauſtu vini generoſi vel Hiſpanici, vel aqua Card. benedict. vel infuſi Flor. Papav. rhæad.

Joannes Junckerus *in ſuo conſpectu Medicinæ* obſervat hunc pulverem mirifice & momentanee catharrum ſuffocativum ſuſpendere. Quod quidem non in uno obſervatum fuit; ſed in pluribus ejuſmodi patientibus, in quibus pro diverſarum circumſtantiarum ratione poſt catharri ſuſpenſionem, modo lenem vomitum, modo ſudorem, modo nullam conſpicuam excretionem produxit.

Doſim gr. vj. cum ſale quodam digeſtivo miſcendam exhibet.

In contumacibus virginum cachexiis utiliter exhibetur hujus pulver. gr. j. cum Croci Martis aper. gr. x. & Arcani duplicati tantumdem bis in die.

Obſervandum tamen non exhibendum eſſe hunc pulverem, niſi prius imminuta fuerit debitis venæ ſectionibus ſanguinea moles, niſi diluentibus medicamentis ſufficienter diluatur. Cum enim hoc pulvere ſulphurea pars ſanguinis dividatur, effervefcentiam & rarefactionem ſubito concipit; vaſa jam repleta magis adhuc diſtenduntur: unde major æſtus in ſanguine & humoribus, & congeſtiones in viſceribus novæ.

Non igitur exhibendus eſt, niſi imminuta fuerit plethora, niſi aptis & uberrimis diluentibus fluidiores fiant humores.

Aqua per chartam bibulam trajectam a nonnullis commendatur ad ſcabiem, impetigines, & alia cutis vitia ſananda.

Fumus qui ex Antimonio ignito emittitur, in flores albos, flavos, & rubros colligi poteſt, modo convenientibus ollis excipiantur, addendo ſabulum, vitrum pulveratum, ſalem Ammoniacum, aut Nitrum, ut copioſius aſcendant, pluribus deinde lotionibus edulcandi. Vomitum, ſeceſſum & nonnunquam etiam ſudores promovent a gr. ij. ad xij.

Ex Regulo martiali Antimonii flores argentei ſub Nivis antimonialis nomine ſic præparantur.

℞. Reguli martialis ℔j. Indatur ollæ fictili ſatis capaci inter prunas ardentes collocatæ. Operculum in medio perforatum in olla ita collocetur, ut illud inter & pulverem Regulinum duorum tranſverſor, digitorum ſpatium vacuum remaneat. Altero operculo orificium ollæ claudatur. Urgeatur ignis per unius horæ intervallum, ut Regulus per-

perfecte liqueſcat. Igne ſemoto & vaſis refrigeratis, flores nivei ſplendentes ſub ſpiculorum forma reperiuntur in intervallo vacuo a Reguli ſuperficie ad proximum operculum. Diaphoreſim & ſudores movent: quapropter in febribus malignis aliiſque ægritudinibus in quibus diaphoreſis utilis eſt, felici cum ſucceſſu præſcribuntur. Febres intermittentes ſanant exhibiti paulo ante paroxiſmum. Doſis a gr. x. ad xl.

Butyrum Antimonii, quod & Spuma venenata duorum Draconum nuncupatur, & cinnabaris Antimonii ſic conficiuntur.

℞. Antimonii crudi & Mercurii corroſivi ana q. placuerit. Pulverata & mixta digerantur in cella per noctem, deinde diſtillentur per retortam colli latioris & brevioris. Primo ignis lenti ope liquor ſtillat albidus & gravis; deinde ignem augendo, nunc fluit, nunc in cryſtallos ſeu butyrum glaciale concreſcit. Si collum retortæ hoc butyro coagulato obſtruatur, carbone admoto facile liqueſcit. Statim atque fuligo ſubrufa collo retortæ adhærere incipit, excipulum cum Butyro Antimonii removeatur, & novum ſubſtituatur. Poſtea ignis urgeatur vehementior, tunc Mercurius vivus in excipulum cadet, deinde Cinnabaris ad collum retortæ elevabitur & adhærebit.

Butyrum per novam retortam vitream diſtillatione ex balneo arenæ rectificatur. Cauſticum eſt inſigne, carnis excreſcentias abſumit, & ſphacelum ſiſtit. Cinnabaris quæ collo retortæ adhæret, in pulverem redigitur, cum capite mortuo proprio commiſcetur, deinde ſublimatur igne mediocri. Ejus color ex fuſco rubicundus eſt. Commendatur ad omnes capitis ægritudines, præſertim ad epilepſiam, necnon etiam ad luem veneream. Per ſudores humores pellit. Doſis a gr. vj. ad xv.

Pulvis Algaroth, ſeu Mercurius vitæ ex Butyro Antimonii paratur, aquam tepidam ei uberrime affundendo. Antimonium enim in Butyro ſolutum præcipitatur ſub ſpecie pulveris albi multis lotionibus edulcorandi & poſtea exſiccandi. Efficaciter purgat per vomitum & ſeceſſum. Doſis a gr. ij. ad vj. Mercurius vitæ dicitur, ſed improprie, cum nihil de Mercurio retineat, ſed totus ſit Antimonialis.

Ex Butyro Antimonii paratur Panacea univerſalis ſeu Antimonialis hac ratione.

℞. Butyri Antim. ℔ß. cryſtall. Tartar. ſubtiliter triti ℔j. Quibus affundantur in matracio amplo aq. communis ℔vj. Miſceantur & bulliant igne arenæ per 7. vel 8. horas. Liquori adhuc calenti ſenſim inſtilletur olei Tartari per deliquium facti ℔j. Tumultuabitur mixtura. Ceſſante efferveſcentia, liquor per chartam bibulam tranſcoletur, & in vaſe vitreo igne lento ad ſiccitatem evaporetur. Sal in fundo remanebit, qui in cella collocari debet, donec in liquorem limpidum reſolvatur, a fœcibus poſtea ſecernendum. Blande purgat per ſuperiora & inferiora. Doſis a gutt. viij. ad xx. in vehiculo idoneo. A Tartaro emetico nonniſi colliquatione diſcrepat.

Stibium vi emetica & purgante omnino deſtituitur, & ſudores tantum mo-

movet vel inſenſibilem tranſpirationem promovet, ſi ejus ſulphur acidis mineralibus figatur. Sic fit primo Bezoardicum minerale.

℞. Butyri Antim. q. l. Cui guttatim inſtilletur in retorta vitrea ſp. Nitri q. ſ. donec effervescentia ceſſet. Digerantur per horas xij. deinde diſtilletur ſpiritus igne arenæ ad ſiccitatem uſque Maſſæ reſiduæ affunde novi ſpiritus Nitri tantumdem, & nova inſtituatur diſtillatio ad ſiccitatem uſque. Tandem maſſa ſuperſtes in crucibulo, donec nullos fumos emittat, calcinetur; aqua tepida eluatur pulvis, & exſiccetur. Ab Helmontio in peſte, morbis malignis, & contagioſis commendatum tanquam præſtantiſſimum remedium diaphoreticum, Doſis a ℈ß. ad ʒß.

Compendioſior fieri poteſt Berzoardici mineralis præparatio, Reguli Antimonii ℥j. affundendo Aq. regiæ ℥iiij. Digerantur per aliquot dies leni calore, identidem agitando, donec omnis Regulus in pulverem albiſſimum convertatur. Huic poſtea ſuperaffundatur aquæ communis magna copia; lavetur pulvis, donec perfecte ſit edulcatus.

Secundo: Calx Antimonii diaphoretica, Diaphoreticum minerale, vel Antimonium diaphoreticum fit deflagrando per vices Antimonium crudum aut Regulum Antimonii cum triplici quantitate Nitri commixtum. Sic enim omne ſulphur Antimonii a ſale acido Nitri figitur. Calx quæ poſt deflagrationem remanet alba, pluries abluenda eſt aqua calida, & exſiccanda. A gr. x. ad ʒß. vel ʒj. exhiberi poteſt. Diaphoreticum eſt egregium, modo ſufficienti doſi intus ſumatur.

Obſtructiones reſolvit, humores craſſos ac lentos attenuat & dividit, & per cutis poros ſenſibiliter vel inſenſibiliter pellit. In omnibus morbis malignis, in pleuritide, in rheumatiſmo, in eryſipelatoſis & cutaneis affectibus convenit, & feliciter præſcribitur.

Uſurpatur in pulvere Cornachini, & in pulvere febrifugo *Richard Morton.*

Variæ Antimonii tincturæ extrahuntur, de quibus multa prædicantur. Hæ ſint pro exemplo; una ſimplex, altera magis compoſita.

℞. Salis Tartari ℥viij. Fundantur in crucibulo inter prunas ignito. Liquato ſali affundantur cochleatim & identidem Antimonii crudi ℥vj. Cooperto crucibulo, calcinentur ſimul igne vehementiori per ſemi horam, deinde maſſa fuſa in mortarium aheneum conjiciatur; & ſtatim atque concreſcit, contundatur & pulverizetur. Pulveri matracio capaci indito affundatur ſp. vini rectificati q. ſ. ad quatuor digitor. ſupereminentiam. Vaſe exacte obturato, digerantur per aliquot dies, donec ſpiritus colore intenſe rubro tingatur. Tinctura philtretur, & ſervetur ad uſum. Sudores movet: rariſſime nauſeas excitat, nonnumquam alvum ſubducit, & urinas pellit. Commendatur in hyſtericis & melancholicis affectibus, ad viſcerum obſtructiones reſerandas, & in febribus malignis. Doſis a gutt. iiij. ad xx. in vehiculo idoneo.

Altera tinctura magis compoſita nunc tantopere celebrata, quæ Li-

lium ſeu tinctura Lilii *Paracelſi* dicitur, fit ex Regulis metallicis hac ratione.

℞. Cupri in tenues lamina diviſi ℥j. Candeſcat in crucibulo ignito. Tunc in crucibulum conjice Reguli Antimonii Martialis pulverati ℥iji. & illico liqueſcent Venus, & Regulus Martialis. Deinde Stanni ℥iiij. per vices injiciantur, aliquando materiam ferro movendo. Omnibus perfecte liquatis, materia in conum fuſorium ſebo illitum projiciatur, quæ in maſſam Regulinam concreſcit.

Maſſa Regulina metallica in pulverem redacta miſceatur cum Nitri ℔jß. pulveris carbon. ℥ß. Mixtura in crucibulo candente cochleatim projiciatur; & qualibet projectione cooperiatur crucibulum, donec omnis compeſcatur fulminatio. Igne intenſo calcinetur materia per duas treſve horas, cum ſpatula ferrea identidem agitando. Materia in mortarium aheneum vel ferreum effundatur; & dum coaleſcit, citiſſime contundatur. Pulverata maſſa adhuc calens e mortario in matracium defundatur, huic ſtatim affundendo ſp. vini q. ſ. ad 4. digitor. tranſverſor. ſupereminentiam. Digerantur igne arenæ per 15. dies; & erit tinctura Lilii, ſeu potius tinctura metallor. quæ ſudorifera eſt, & diuretica. Doſis a gutt. xx. ad c. in vehiculo convenienti: in febribus malignis, apoplexia, paralyſi, rheumatiſmo, ſcabie, ſcorbuto, hydrope, menſium ſuppreſſione commendatur.

Recenſitis, quæ confici ſolent e Stibio præparationibus, tum emeticis, tum diaphoreticis; non abs re erit inquirere, unde vires Antimonii pendeant: quod quidem reſolvere difficillimum eſt. Corpus enim illud minerale per ſe vomitum nullo modo provocat. Si cum acidis e vegetabilium familia oriundis conſocietur, emeticum evadit: ſi econtra acidis conjungatur mineralibus quantitate ſufficiente, vomitorium non eſt, ſed ſudoriferum aut diaphoreticum: & quæcumque ejus præparatio emetica, horumce acidorum conſortio ſtatim vim ſuam vomitoriam deponit. Si calcinatione ſulphuris ſui combuſtibilis portione majori deſtituatur, ſtomachum vehementer movet, ut videre eſt in Hepate Antimonii, Croco Metallorum, Calce, & Vitro Antimonii. Calcis & Vitri vis emetica vino intenditur, & ſpiritu vini minuitur aut prorſus extinguitur; & diaphoretica evadunt.

Quæ mihi hæc ſuper re veritati magis conſentanea videntur, breviter exponam.

Stibii vis emetica a certo quodam ſalium & ſulphurum conſortio, & quadam eorum proportione pendet; ita ut ſulphura a ſalium particulis non nimis irretiantur, facile rareſcere & expandi poſſint, necnon etiam ut ſalina ſpicula non craſſiora, non fixiora, non majori copia ſint, & tamen ſulphureis partibus adhærentia facile ab illis abripiantur & eleventur.

Vis diaphoretica aut ſudorifera pendet quoque ab iiſdem ſulphuribus, quorum expanſio fieri non debet, priuſquam Antimoniales moleculæ in maſſam ſanguineam intruſæ fuerint.

Cum itaque ea eſt ſulphurum & ſalium tenuitas ac proportio, ut eorum

eorum moleculæ ſtatim in ventriculo expandantur antequam ad inteſtina propellantur, ſua volatilitate e ventriculi fundo ad ejus tunicam ſuperiorem elevantur, eam leviter proritant, convellunt, & per conſenſum convelluntur diaphragma, & abdominis muſculi, unde ſequitur vomitus.

Si vero ſpiculorum ſalinorum craſſitie vel copia nimia, vel alia quacumque cauſa rarefieri non poſſint ſulphura, antequam in inteſtina deveniant, Stibium ſolam vim catharticam exercet.

Si tandem ſui juris non fiant in ventriculo nec in inteſtinis, nec prius evolvantur, quam ad maſſam ſanguineam pervenerint, ibi expanſione ſua ſanguinem rarefaciunt, attenuant, ejuſque partes ſuperfluas per cutis poros propellunt; unde diaphoreſis aut ſudor.

At vero in Antimonio crudo ſulphureæ partes majori acidi vitriolici copia irretiuntur, ac figuntur, quam ut in ventriculo vel in inteſtinis expandi poſſint. Unde nec emeticum eſt, nec catharticum, ſed diaphoreticum.

Si vero calcinatione vel ſola, vel mediante Nitri portione mediocri, acidum vitriolicum pro majori parte avolet; quæ ſuperſunt ſulphureæ partes jam expeditæ, tantum ſalinorum ſpiculorum retinent, quantum ſufficit ad vehementiorem ventriculi irritationem excitandam.

Acida e vegetabilium familia educta, utpote tenuia & jam ſulphuri rariori conjuncta, ſulphureas Antimonii partes facillime rarefaciunt, ab acido vitriolico ſegregant, & ſibi conſociant; unde compoſitum emergit emeticum.

Acida vero e mineralibus extracta, qualia ſunt Nitrum, ſal marinus, Vitriolum, ſulphureas Antimonii moleculas, vel rariores jam factas irretiunt & figunt; ita ut ventriculum & inteſtina ultra progrediantur, & ad maſſam ſanguineam deveniant, antequam ſui juris fieri poſſint.

Spiritu vini minuitur aut extinguitur vis emetica propter nimiam ſulphurearum particularum copiam, quibus ſalinæ partes obruuntur & involvuntur; ita ut Antimonii moleculæ, licet expanſæ, ſpiculorum acidorum defectu, ventriculi membranas pungere, ac irritare nullo modo queant.

Stibium omnium emeticorum præſtantiſſimum, & in morbis quamplurimis remedium anteſignanum; modo rite exhibeatur. In emeticorum igitur exhibitione tria conſideranda ſunt: æger, morbus, & medicamentum.

Inquirendum 1. num æger facile vomat? Quidam enim a ſtibiati medicamenti doſi vel maxima nunquam vomunt: quidam etiam adeo teneræ ſunt conſtitutionis, ut vomitum difficillime ferant; ita ut a vomitorio vires fatiſcant & ſpiritus reſolvantur. An ægrotantes cruentæ ſanguinis expuitioni ſint obnoxii? Quibus ſi valentius emeticum propinetur, letalis ſæpe hæmorrhagia vomitui ſuperveniet. Num gravis adſit hernia? quæ vomitioni ſuccuſſibus adeo augeri poteſt, ut ægrum in vitæ periculum adducat. Num nimia ſit vaſorum plenitudo, ita ut eorum ruptura metuenda ſit? An mulier ægrotans prægnans ſit? Si quid enim ex his occurrat, rariſſime exhibendum erit emeticum, nec niſi ſumma cautione, ac prudentia.

2. Attendendum ad morbum ipſum. Num morbum ab humorum mole

ortum ducat? Num morbi fomes adhuc in primis viis contineatur? quod ex oris amaritie, nauſeabundis ructibus, bilioſis vel acidis vomitionibus, &c. dijudicari poteſt. Quidam enim emeticorum exhibitionem inutilem putant, cum morbi fomes maſſæ ſanguineæ admixtus eſt, vel cum a ſpirituum ataxia ſeu depravatione pendet ægritudo, ut in ſpaſmodicis, hyſtericis, & hypochondriacis affectibus. Verumtamen illis in affectionibus ſæpe felici cum ſucceſſu emeticum ſtibiatum præſcribitur, non tam ad humores primis viis contentos ſubducendos utpote pauciores, quam ad æſtuantem humorem & turgentem vaſis contentum & parti principali, pulmoni v. g. aut pleuræ imminentem in abdomen attrahendum, ejuſque evacuationem per latiores vias ac patentes tentandam: quod quidem, monente divo ſene, ſtatim fieri debet in primo morbi inſultu. In ſpaſmodicis vero affectibus, ubi membranaceæ fibræ erethiſmo laborant, emeticum hujus erethiſmi rhythmum alia levi, ſed plane contraria, irritatione invertit, & ſæpius extinguit. Sic etiam in alvi profluviis Hippocrates excitabat vomitum, quo confeſtim infernus ſeceſſus ſurſum revelleretur & ſolveretur. Præterea in affectibus comatoſis ea eſt emeticorum vis, ut vividos in viſceribus ſuccuſſus excitent, fibrarum nervearum oſcillationem ubique adaugeant, ac tandem liquorum curſum aut tardiorem, aut repreſſum ita exſtimulent, ut per anguſtos canalium meatus foras propellantur. Hinc copioſæ illæ evacuationes per vomitum, per alvum & per ſudores ſæpe ſimul concitæ; unica tantum Stibii velut atomo exhibita. Cavendum eſt, ne adſit in abdomine viſcerum inflammatio, quæ quidem vehementioribus vomitus ſuccuſſibus ingraveſceret. Nec Medicus decipiatur ab irrito vomendi conatu, qui a fibrarum ventriculi convulſione ſymptomatica ſæpe progreditur. Tunc enim vel inutilis foret vomitio, vel periculoſa: ventriculi enim motus convulſivus augeri poſſet, vel etiam illud viſcus inflammaretur.

3. Ex parte medicamenti eligenda eſt Stibii præparatio quæ tuto exhiberi poſſit, aut cujus doſis ægri viribus & morbi urgentiæ a Medico accommodari poſſit. Stibium ſub pulveris forma ſæpe Medicos fallit, modo nimiam vomitionem excitando, modo nullam. Vini ſtibiati nimis incerta eſt vis, diverſa pro diverſa vini indole. Omnium Antimonialium præparationum præſtantior eſt, quæ Tartarum emeticum dicitur; quæ quidem ſemper liquore ſoluta exhiberi debet. Nec minori doſi præſcribatur: ſi enim ad vomitum excitandum doſis non ſit ſufficiens, nauſeis irritis ægrotantem fatigat abſque levamine. Nec exiſtimandum eſt Stibii nimiam doſim innocuam eſſe: ſæpe enim ex nimia doſi vehementiores fiunt ventriculi contractiones, aut partium ſuccuſſus, quibus ſanguinis expuitio, vel vomitio, vel diuturniores & irriti vomendi conatus, ac tandem convulſiones, aut viſcerum inflammatio ſuccedunt.

Si vero ex quacumque Stibii præparati doſi vomitus vehementior ſit aut diuturnior, ſpiritus ſulphuris vel Vitrioli guttæ aliquot in aquæ vel ptiſanæ cyatho ad gratam aciditatem exhibeantur, ſtatim Stibii vis emetica infringitur, & vomitus ab hocce remedio tutius quam ab Opio ſedatur.

Dum vomunt ægrotantes, ad humorum ſaburram in ventriculo contentam diluendam, & eorum ejectionem faciliorem efficiendam, affatim bibant

aquæ

aquæ tepidæ, vel ſeri lactis, vel decocti carnis vitulinæ, vel pulli magnam copiam; ſic facilior erit humorum ejectio, & minores erunt ad vomendum conatus. Tunc oleum & pinguia emetici vim citius infringunt, & viſcidæ ventriculi colluviei diſſolutioni obſtant.

Præter uſum Medicum, Stibium apud varios opifices uſitatiſſimum eſt. Stannarii ad nitorem & ſonum argenteum Stanno conciliandum; fuſores ad campanas, ſpecula metallica, & typographicarum litterarum typos fundendos eo utuntur. Ab aurifabris etiam ad purgationem auri adhibetur. Stibium enim cum auro fuſum omnia metalla ei admixta, ne argento quidem excepto, corrodit, ac in ſcorias convertit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Biſmutho.

BIſmuthum *Offic.* Plumbum cinereum *Agricolæ* : Marchaſita argentea *Quorumdam* : Gallice *Etain de glace* vel *Biſmuth* : Eſt ſubſtantia metallica, fuſilis, non ductilis, ponderoſa, fragilis, a plumbo & ſtanno colore & duritie diſcrepans, nitens quandoque argenti colore, interdum dilute purpureo, Regulum Antimonii referens, ex laminis tamen latioribus conſtans.

Ejus minera Galenæ ſimilis eſt, ſed manus inficit; non item Galena.

Eam torrere ſolent metallici opifices, & poſtea in Regulum fundunt. In venis argenteis ſæpius occurrit, & quo effoditur loco, argentum eſſe plerumque ſignificat; unde a foſſoribus argenti tectum dicitur. In Miſnia & Bohemia tantummodo Biſmuthi fodinæ reperiuntur.

Quidam narrant etiam ex Cobalto certa quadam ratione fuſo Regulum extrahi, quem Biſmuthum eſſe aſſerunt. Sed de hac origine non plane conſtat.

Biſmuthum Græcis & Arabibus ignotum fuiſſe videtur. Arabum enim Marcaſita eſt lapis Pyrites.

Rarioris eſt uſus in Medicina. Quidam tamen ex eo parant flores, quos diaphoreticos aſſerunt. Sed plurimi hujus mineralis uſum internum reformidant, ob arſenicales quaſdam partes in eo contentas. Magiſterium ejus paratur, illud cum ſpiritu Nitri ſolvendo & poſtea aqua ſale communi impregnata præcipitando. Edulcoratus pulvis albiſſimus eſt, & præſtantiſſimus fucus a mulieribus multum expetitus ad cutim dealbandam. Eo quoque tonſores ad comarum aſcititiarum capillamenta cinereo colore pingenda ſæpius utuntur.

Stanni fuſores Biſmuthum Stanno admiſcent, ut majorem ſplendorem & duritiem ei concilient, & ut liquefactum melius decurrat.

ARTICULUS TERTIUS.

De Zincho.

Zinchum *Offic.* Zinethum ſeu Marcaſſita pallida *Schroderi* . Eſt ſubſtantia metallica , ſulphurea , ponderoſa , plumbum colore referens, fuſilis , aliquantiſper ductilis , cum difficile frangatur , inflammabilis , & volatilis . Veteribus prorſus ignota videtur fuiſſe ; recentioribus vero ejus origo atque natura antea parum notæ , *in Diſſertatione G. Erneſti Stahl Medicinæ Profeſſoris Hallenſis de metallurgia* , accurate exponuntur & aperiuntur .

Ex quadam minera plumbi Goslarienſi extrahitur : quæ quidem difficile admodum funditur , licet aſpectui faciem neque ſaxeam , neque ſterilem , ſed nitidam prorſus , brevium tamen & veluti interruptorum foliorum ſpeciem exhibeat . Triplex ſubſtantia ex hac minera extrahitur ; Plumbum , Zinchum , & quædam Cadmiæ fornaceæ ſpecies , quæ cum cupro fuſa aurichalcum conſtituit .

Furnus in quo Zinchi minera funditur , ſic diſponitur , ut parietes laterales & poſterior ex latere cocto conſtruantur ; anterior vero pars furni occluditur laminis ſeu tabulis ſaxeis , lapide nempe fiſſili , griſeo , ignis vim tolerante , & tranſverſo digito craſſo . Ita fit ut fuſionis tempore hic furni paries propter parvam ſui craſſitiem propemodum perpetuo ab ambientis aeris allapſu paulo frigidior maneat : imo vero eumdem refrigerant repetitis aquæ aſperſionibus . In furno ſic diſpoſito funditur minera : & duodecim horas ſingulis operationibus ſeu fuſionibus impendunt . Fuſa minera urgente follium flatu , Zinchum cum plumbo fuſum in flores ſeu halitum reſolvitur , cujus pars non exigua ad utrumque latus parietibus furni ex cocto latere extructis affigitur , ibique ad calami ſcriptorii craſſitiem adhæreſcit , tenuiſſimi limi valde indurati & ſeminitreſcentis conſiſtentia . Hæc quidem accretio , ſingulis fuſionis periodis , priori ita ſuperinducta , imminueret tandem debitam furni fuſorii capacitatem , niſi convenienti tempore , aperto furno excuſſa tolleretur .

In anteriore vero furni parte , parieti ſaxeo adhæreſcit non modo hæc materia ſupradicta , ſub lapideſcentis ſubſtantiæ fuſæ ſpecie , ſed etiam altera inſtar metalli cujuſdam aut plumbi fuſi , intercurrentibus tamen ſemiuſtis, & quaſi in cinerem redactis partibus . Sub finem itaque periodi iſtius fuſionis , remotis ab ima anterioris hujus parietis parte prunis candentibus , ibi ſubſternunt carbones comminutos non ignitos , & tunc levibus mallei ictibus parietem concutiunt . Ita effluit Zinchum illi parieti hactenus adhærens ; & inter ſemiuſtam reliquam ſubſtantiam , quaſi favis quibuſdam inſidens , defluit ſub ſtanni liquati ſpecie , ardentis tamen , & lucida alba flamma coruſcantis : & intra pauca momenta prorſus conflagraret , & in levem albidum cinerem promptiſſime abiret , niſi a carbonum pulvere exciperetur & extingueretur . Statim

atque

atque in illum pulverem demerſum eſt, extinguitur, & in metallum concreſcit. Refrigeratum illinc aufertur, a carbonibus ſeparatur; & denuo leni calore, ſtanni inſtar, colliquatum in maſſas ſeu placentas funditur.

Proventus hujus materiæ plurimum variat, adeo ut interdum nihil prorſus inveniant, ſive propter intenſiorem ignis calorem, ſive propter vehementiorem follium flatum.

Cæterum illa hujus concreti pars quæ lateritiis furni parietibus affixa per vices effringitur, Cadmiam conſtituit, quæ cum cupro fuſa aurichalcum vulgare efficit. Sed priuſquam huic operationi adhibeatur, per longum tempus in acervos cum metalli ſcoriis atque quiſquiliis aeri aperto expoſita relinquitur. Ibi ab aere penetrata nonnihil rareſcit, & laxioris fit conſiſtentiæ. Tunc apta eſt & idonea ad cuprum flavo colore tingendum.

Hæc ſubſtantia a D. Stahl Cadmia fornacum dicitur, nec immerito. Licet enim a Tuthia, quæ eſt Cadmia fornacee Agricolæ, origine differat, non tamen natura & effectibus ab illa multum diverſa videtur. Utraque enim cuprum flavo colore tingit.

Plumbum in ima fornacis parte fuſum reperitur. Hujus materiæ nihil penitus retinere exiſtimant operarii, perſuaſi nimirum quod illo igne qui plumbum in furno ſubſidens adhuc comitatur, univerſim Zinchum combuſtum in auras pellatur.

Zinchum eſt ſubſtantia metallica, ſulphurea tamen & plane volatilis. Obſervavit enim D. Homberg hoc foſſile corpus in crucibulo ignito fuſum, multos fumos emittere. Si vero baculo ferreo agitetur, ſtatim ardet, flammam emittit albam, fulgidam, qualis ex Nitri & Sulphuris mixtura oritur; & eodem inſtanti tota crucibuli cavitas tenuiſſimis filamentis albis, leviſſimis, & copioſiſſimis, goſſypio vel aranearum telis ſimilibus adimpletur, quæ colliguntur; ita ut iteratis agitationibus & florum collectionibus, Zinchi ſubſtantia fere tota in hos flores filamentoſos abeat. Ex his floribus D. Homberg oleum inflammabile ſubtiliſſimum extraxit.

Zinchi flores albi intus ſumpti ſudoriferi ſunt, & nonnunquam per ſuperiora & inferiora purgant, a gr. iv. ad xij. Extus vero adhibiti a Pompholige aut Nihilo albo officinarum, reipſa non diſcrepant: potenter ſiccant, ſine morſu leviter adſtringunt, & conſolidant. In ophtalmia ex lympha ſalſa & acriore, a Paulo Barbette tanquam expertum remedium, cum aqua Roſarum ſoluti prædicantur: in papillarum fiſſuris a Franciſco Deckers, linteolo excepti, & aſperſi exulcerationibus ægrotantinm a diuturno decubitu, ab Emmanuele Konig commendantur. Valent etiam ad ulcera humida exſiccanda.

Ex cupro & Zincho ſimul fuſis fit elegantiſſimum aurichalcum, auri colorem æmulans, quod Principis Metallum, vulgo *Metal de Prince*, dicitur a Principe Roberto Anglo qui hujus inventor cenſetur. Sic autem conficitur.

♃. Cupri ℥iij. Fundatur in crucibulo, Fuſo adde Zinchi ℥ß. Fluant ſimul. Maſſa metallica refrigerata aureo colore elegantiſſimo tincta & malleo ductilis deprehenditur.

Stanni fuſores eo utuntur pro dealbando & purificando ſtanno, non ſe-

cus, ac aurifabri plumbum ad aurum purgandum vel argentum. Eapropter dum ſexcentas ex gr. libras ſtanni fundunt, Zinchi libram unam admiſcent.

ARTICULUS QUARTUS.

De Cinnabari & Hydrargyro.

CInnabaris vox multiplex, quæ jam Dioſcoridis tempore diverſis rebus tribuebatur. Tunc temporis Cinnabaris nomine proprie deſignabatur ſubſtantia quædam intenſe rubra ex Africa delata, vi adſtringente prædita quam quidam, referente eodem Dioſcoride, Draconis cruorem eſſe exiſtimaverunt: nec a ſucco gummoſo, Sanguine Draconis in officinis dicto, diſcrepantem eſſe Matthiolus multa cum ratione ſuſpicatur. Abuſive tamen idem nomen Minio veterum tribuebatur, ſubſtantiæ nempe minerali coloris rubri rutilantis, ex qua Hydrargyrus extrahebatur; ita ut hæ voces, Cinnabaris & Minium, indiſcriminatim poſtea uſurparentur. Tandem uſus invaluit; quandoquidem rarius eſſet Minium verum ac genujnum: nonnunquam enim adulterabatur quibuſdam plumbeis mineris ad rubedinem calcinatis: & adhuc plumbi Calx rubra Minii nomen retinet in officinis, dum Hydrargyri minera rubra nunc non aliter quam Cinnabaris dicitur.

Vulgatioribus igitur officinarum vocibus & uſitatioribus ſervatis, Cinnabarim officinarum in nativam & factitiam diſtinguimus.

Cinnabaris nativa ſeu foſſilis *Offic.* Ἄμμιον & Μίλτον *veterum Græcorum*: Ἄνθραξ *Vitruvii*. Eſt ſubſtantia foſſilis, metallica, gravis, non admodum dura, quæ vel pura vel lapidibus permixta reperitur. Puræ plures ſunt ſpecies: una colore purpureo ad rubedinem inclinante, quæ trita colorem rubicundum elegantiſſimum exhibet; altera ſubnigra vel jecoris colore, Hæmatitidem lapidem referens; altera vero ſubflava. Tanto Hydrargyro plerumque turget hæc minera, ut metallicus ille liquor per ſe guttatim ex ea ſtillet. Quæ lapidibus permiſcetur Cinnabaris ſpecies, ſæpe in lapide ſciſſili cinereo, bractearum modo concreta invenitur, quandoque in lapide metallico candidiſſimo: nonnunquam etiam ſub forma Pyritis aurei vel argentei coloris occurrit, qualis in Normannia e terra rubra paucis abhinc annis effodiebatur. Variis in locis reperitur, in Hungaria, in Carinthia, in Bohemia, in Italia, in Hiſpania, & in Gallia.

Ex quibus principiis conſtet Cinnabaris nativa, nullus non novit. Hydrargyrus ex eo, diſtillationis ope, mediante calce viva vel limatura ferri, elicitur. Sulphur ardens ex ea extrahitur, ſed parva quantitate, ſi cum lixiviis fortioribus ebulliat, & decoctioni ab Hydrargyro ſeparatæ acetum ſtillatitium affundatur. Præterea Cinnabaris arte conficitur a nativa non diſſimilis, Hydrargyrum & Sulphur commune ſimul mixta ſublimando, ut infra dicemus.

Cinnabaris nativa olim a pictoribus ſæpius expetita, rarius nunc venit in uſum; cum factitia non minus elegans ſit, & minori pretio obtineatur.

Ex

Ex ea olim veteres Hydrargyrum extrahebant, hodieque ad illius extractionem e terra effoditur. A quibuſdam tamen Medicis commendatur ad uſum internum, adverſus epilepſim, vertiginem, maniam, & affectus cephalicos. Tunc eligitur Hungarica colore rubro rutilante, pura, nullis heterogeneis partibus permixta; rejicitur fuſca aut ſubflava, & impura.

Accidit tamen nonnunquam quod Cinnabaris nativa, ratione vitriolicarum quarumdam particularum, vel etiam fortaſſe arſenicalium, nauſeas, & vomitiones excitet, necnon etiam anxietates circa præcordia: quod & ipſe bis terve obſervavi, licet Cinnabaris plurimis lotionibus purgata fuiſſet. Quapropter aut Cinnabarim factitiam aut Cinnabarim Antimonii nativæ ſemper anteponendam cenſeo.

Cinnabaris factitia *Off.* Gallice *Cinabre* vel *Vermillon*, eſt compages quædam rubra, ponderoſa, denſa ſed friabilis, ſtriis argenteis vel fulgentibus diſtincta, ex ſulphure & Hydrargyro arte Chymica conjunctis conſtans, ut infra dicemus. Sed prius quid ſit Hydrargyrus conſiderandum eſt.

Hydrargyrus ſeu Argentum vivum *Officinarum*: Ὑδράργυρος *Græcor.* Mercurius Chymicorum: Ἄργυρον χυτὸν *Theophraſti* ſeu argentum fuſum: Ἄργυρον κινητὸν *Ariſtotelis*, argentum mobile: Vomica liquoris æterni *Plinii*: Zaibar vel Zabach *Arabum*. Eſt ſubſtantia metallica, fluida, tactu frigida, argenteo ſplendore nitens, gravis, ſumme volatilis, ſola corpora metallica madefaciens, & in primis aurum, cui avide conjungitur.

Hydrargyrus vel fluidus in terræ viſceribus occurrit, & in lacunis in quas ex fodinarum venis fibriſque confluxit, colligitur. Aqua copioſa lavatur ad terram ſeparandam: nonnunquam aceto, & ſale purgatur, ad metallicas particulas, ſi quæ ſint, abſumendas; tandem per pannum xylinum vel per alutam tranſcolatur, & Mercurius virgineus dicitur. Vel in glebis effoditur, ſeu ſub mineræ ſulphureæ mercurialis rubræ ſpecie quæ Cinnabarina nuncupatur; vel ſub forma glebæ limoſæ, vel ſaxeæ, colore diverſo, modo rubro, modo ſubflavo, modo fuſco, modo plumbeo. Ex hac poſteriore Hydrargyrus ſimplici diſtillatione, nulla re addita, educitur, vel per aſcenſum, dum minera retortis immiſſa igne ſufficienti urgetur; ſic e minera elevatur Hydrargyrus, ſub fumi ſpecie, qui in collo retortæ partim in guttas concreſcit ac diſtillat, partim in aqua excipuli ſuppoſiti coaleſcit in liquorem argenteum, qui Mercurius vivus vel currens nuncupatur: vel per deſcenſum diſtillatur hac ratione, utpote expeditiori, ſi uberrima ſit, & dives Hydrargyri minera. Effoſſam mineram conterunt, in fictilia quædam anguſti orificii conjiciunt, & recenti arborum muſco obturant: deinde fictile alterum huic ſimile latioris tamen oris in terram ſepeliunt, & alterius pleni inverſum orificium in illud inſerunt: argilla circumquaque muniunt, & obturant oſcula, vaſaque ſimul connectunt & firmant; adeo ut vacuum fictile totum ſub terra recondatur, plenum vero totum ſupereminseat. Itaque in aperta area quamplurima ſeriatim collocant fictilia, & deinde ignem in ambitu ſuccendunt, cujus vi calefacta vena Argentum vivum guttatim diſtillat per muſcum in ſubſtratum fictile. Hinc ſuo tempore eximunt, & in utriculos quoſdam reponunt.

In

In Hungaria, in Carinthia, Carniola, & in agro Forojulienſi divites ſunt Argenti vivi fodinæ. Nec deſunt in Gallia circa Monſpelium, & in Normania non longe a Carentano oppido, ubi minera rubra Cinnabarina occurrebat adeo dives, ut ex ea Mercurius currens virgineus non parva copia extraheretur.

Ex Mercuriali vero minera quæ copioſo ſulphure turget, Hydrargyri extractio fieri non poteſt abſque additamentis, quæ ſulphuream ſubſtantiam abſorbendo, Mecurium liberent ac fluidum reddant. Talia ſunt cineres lignorum, calx viva, ſcobis ferrea, & cœtera hujuſcemodi, quibuſcum permixta minera diſtillatur.

Hydrargyrus metalla omnia, auro excepto, gravitate ſuperat. Aurum enim in eo immergitur, cœtera ſupernatant. Auri gravitas ad illius gravitatem paulo major eſt, quam 4. ad 3. Hydrargyrus cum omnibus metallis, & metallicis permiſcetur, & ut ajunt, amalgamatur; licet antimonio, ferro, & æri difficilius adhæreat. Metalla penetrat, diſſolvit, & friabilia reddit: unde a quibuſdam prima metallorum materia exiſtimatur. Sed hæc opinio experimentis aut argumentis ſat validis non firmatur. Itaque eſt corpus metallicum ſui generis, fluidum, ponderoſum, & ſumme diviſibile ac volatile. Hydrargyrus enim igne in partes tenuiſſimas ſub halitus forma dividitur, & diſſipatur: hinc Servi fugitivi nomine a Chymicis donatus fuit. Sub ſpeciebus fere innumeris larvari poteſt, & poteſt ad priſtinam formam reduci: unde Protheus dicitur. Cum ſale marino facillime conſociatur, & ſimul conjuncta facillime levi calore in maſſam candidam, ſalinam, cryſtallinam, ſublimantur ſub nomine Mercurii ſublimati corroſivi, non itidem cum Nitro vel Vitriolo. A ſpiritu acido Nitri facile diſſolvitur, ſed difficillime admodum ab oleo Vitrioli. A ſalibus alcalinis nullo modo mutatur: a ſalino-ſulphureis corporibus quodam modo figitur, & extinguitur: cum ſulphure diu tritus in pulverem nigerrimum convertitur, & ignis ope ſublimatur in maſſam, intenſe rubram, radiatim diſpoſitam, & nitentem. Hydrargyrus cum ſpiritu Nitri ſolutus, acido ſpiritu ignis ope exhalato, ſub pulveris rubri ſpecie remanet: ſi vero ejuſdem ſolutio cum ſale Tartari præcipitetur, ſubſidet ſub pulveris crocei ſpecie: cum ſale marino Præcipitatum album exhibet; cum aqua calcis Præcipitatum flavum.

Hydrargyri analyſis perdifficilis eſt: nam ſtatim atque igne urgetur, in auras avolat; ita ut artificis induſtriam fuga eludat, antequam in ſua principia reduci poſſit. Verumtamen ſi diuturno ignis calori expoſitus diutius detineatur in vaſe vitreo oblongioris colli, in pulverem griſeum paulatim convertitur, qui diuturniori digeſtione flaveſcit, ac tandem ruber evadit. Hydrargyrus ſic in calcem redactus paulo ponderoſior fit, quam dum fluidus erat: paulo fixior etiam eſt in igne. Verumtamen ſi igne vehementiori propellatur, in auras avolat, remanente tantillo terræ fuſcæ, & levis. Si cum carbonum pulvere Calx Mercurialis leviter comburatur, in Mercurium currentem diffluit. Hydrargyrus tritura diuturniori in pulverem cinereum reducitur, interpoſitis nempe aliquot terentis corporis moleculis, quæ Mercurialium globulorum intimum contactum impediant.

Mer-

Mercurius vivus lentis majoris foco ſub ſole expoſitus, in ubertimos fumorum rivos ſtatim diffunditur, nihil prorſus remanente. At vero Mercurii per ſe calcinati calx ſolis foco ſupra tegulam expoſita, in materiam vitreſcentem colliqueſcit, quæ in fumos citiſſime evaporatur; tandem pulviſculus ſubfucus ſuperſtes remanet, qui in vitrum fuſcum tandem convertitur. Si eadem Mercurii calx ſuper carbones in ejuſdem lentis vitreæ foco detineatur, dum liqueſcit in vitrum & ſuper carbones diffluit; vitrum priuſquam ſub fumi ſpecie in auras diſſipetur, in argenteas Mercurii currentis guttulas convertitur. Hinc patet Hydrargyrum componi ex terra vitreſcibili volatili, quæ metallicum ſplendorem & ſuam fluiditatem a ſulphureis partibus mutuatur. Dum enim Argentum vivum calcinatione ſulphureis ſuis partibus ſpoliatur, & fluiditatem & ſplendorem argenteum amittit: ſi vero ſulphureæ particulæ ipſi reſtituantur, priſtinum ſplendorem & fluiditatem ſtatim recuperat.

Hydrargyrus ab antiquis inter venena annumerabatur. Ipſi enim vim pernicialem tribuit Dioſcorides, cujus auctoritate dubio procul ductus Galenus illum inter erodentia numeravit; ejus enim virium nullum periculum feciſſe fatetur. Hydrargyri nomen apud Hippocratem non legitur; unde ſuſpicari licet illius ævo uſitatum non fuiſſe. Ad uſus externos uſurpabatur Avicenæ temporibus, raro ad uſum internum; & tunc temporis a Medicis quampluribus adhuc inter venena habebatur, ut videre eſt apud Actuarium qui illum inter medicamenta exitialia recenſet, & Meſuem qui eo tantum utebatur ad cutis affectiones curandas. Obſervat tamen idem Avicenna plurimos Hydrargyrum abſque ulla noxa potaviſſe, & per alvum nullo modo mutatum ejeciſſe.

Ducentis circiter abhinc annis, licet pro veneno a quibuſdam adhuc haberetur, non pauci ad uſus internos eum tranſtulerunt. Ex quo enim obſervatum fuit illum innoxie pecoribus, ab eorum ſcilicet lumbricos enecandos, a ſuis paſtoribus exhiberi, teſte Fallopio, abunde compertum eſſe putaverunt, tuto etiam ægris hominibus offerri poſſe. Itaque Hydrargyrus crudus inter venena non adſcribendus eſt. Braſſavolus enim & Carolus Muſitanus eum infantibus pueris ſæpius a granis duobus ad ℈j. exhibuiſſe aſſerunt, ad vermes necandos, & ſemper cum levamine. Quædam obſtetrices ad difficilem partum juvandum ejuſdem ſcrupulum unum parturientibus propinant, ſi non ſemper cum ſucceſſu, ſaltem ſine noxa. Matthiolus quaſdam gravidas mulieres abortum ſibi machinantes Hydrargyri libram unam abſque nocumento hauſiſſe narrat. Et vulgo notum eſt foſſores Hydrargyri heris ſuis hunc liquorem metallicum clanculum ſubripere, nec parva quantitate deglutire, quem poſtea per alvum dejectum a fœcibus lotione purgant, ac vendunt.

Fatendum eſt tamen non omni noxa vacuum eſſe diuturniorem ejus uſum, tum internum, tum externum. Foſſores enim & hujus materiæ artifices, licet robuſtiſſimi fuerint temperamenti, in hoc opere vix quadriennium vivunt incolumes; ſed membrorum tremore & paralyſi afficiuntur, & miſelli moriuntur. Ab incauto quoque illius uſu, tum interno, tum externo, nervi læduntur, debilitantur, corrugantur & contra-

trahuntur; unde membrorum tremores, contractio, paralyſis. Humores nimis colliquantur; unde ptyaliſmus ſæpe diuturnior & letalis, ulcera oris & gulæ, uberiores alvi dejectiones. At vero Hydrargyrum medicamentum abuſu tantum pravum cenſemus, ſed rite adminiſtratum ſaluberrimum exiſtimamus.

Hydrargyrus itaque virtute inſigni donatur aperiendi, ſeu poros tubuloſque glandularum quocumque in loco infarctos & obſtructos reſerandi, humores ſpiſſos ac lentos, præſertim lympham viſcidam attenuandi & reſolvendi, vel in anguſtiſſimis & longe remotis corporis meatibus; unde in tumoribus & glandularum infarctu, in ſchirroſo liene, meſenterio, hepate, &c. in gangliis, ſtrumis, & aliis affectibus hujuſcemodi valde commendatur. Præterea humorum acrimoniam temperare valet ac lenire; unde in tumoribus, bubonibus, & ulceribus venereis, in puſtulis cutaneis, ſcabie qualicumque & cœteris cutis affectibus mire conferunt mercurialia medicamenta; modo univerſalia remedia præparantia & evacuantia præmittantur, & identidem exhibeantur. Cum enim hi omnes affectus oriantur a ſtagnante ſeroſa colluvie viſcida, quæ mora diuturniori cauſtica fit; ſi Hydrargyri ope citius dividatur & tenuior fiat, antequam liber ipſi pateat exitus, tunc ſane in propriam partem vim ſuam exeret, vel in internas partes irruens atrociſſima gignet ſymptomata, & malum priori pejus excitabit. Igitur ante Hydrargyri exhibitionem corpus caute præparandum eſt, tum venæ ſectione qua vaſorum plenitudo minuitur, tum balneis & diluentibus medicamentis quibus humores fluxiliores fiunt & fibræ molliores, tum purgantibus quibus viæ ad humorum exitum præparantur. Purgantia quoque medicamenta identidem exhibeantur, ad ſolutos humores per patentiores vias abſque noxa ſubducendos. Tandem æger in loco calido verſetur, ne inſenſibilis perſpiratio frigore externo intercludatur; eamdemque blandis exercitationibus provocet ac foveat.

Hydrargyrus non intra corpus modo aſſumptus, ſed etiam extrinſecus inunctus, per alvum, per ſudores, per inſenſibilem perſpirationem humores evacuat, quos tamen ſæpius ſuprapurgare ſolet, non quidem vomitione, ſed continua mucoſi ſputi profuſione. Unde & ſalivatio vulgo dicta, nova & veteribus intentata purgationis forma. Hæc purgandi ratio luis venereæ Medicina tuta ac præſtantiſſima cenſetur, qua primus uſus fuit Jacobus Carpenſis Medicus Bononienſis.

Hydrargyrus, ex quacumque regione afferatur, optimus cenſetur purus, argenteo ſplendore nitens, ſumme fluidus, qui in argenteo cochleari igni expoſitus in auras prorſus avolat, nihil remanente: rejicitur colore livido infectus, qui in guttas exacte rotundas non dividitur, ſed vermiculorum aut lacrymularum ſpecies effingit; quod quidem cum plumbo vel Biſmutho adulteratum fuiſſe denotat. Utut purus eſſe poſſit Hydrargyrus nativus ſeu virgineus, internum tamen ad uſum ſemper purgari debet: ſæpe enim vel partibus quibuſdam metallicis, vel ſulphureis, vel etiam arſenicalibus permixtus eſt.

Simplicior Mercurii purgatio fit eum per alutam trajiciendo, qua a ſordibus craſſioribus purgatur. Quidam eum ſale & aceto bis terve lavant; ſed

tutior

tutior eſt ejus diſtillatio per retortam, cum calce viva, vel cineribus clavellatis, aut limatura chalybis. Sic enim puriſſimus extrahitur Mercurius.

Hydrargyrus vel crudus, ut ajunt, id eſt abſque ulla præparatione, ſed purgatus tantum, ad uſum medicum adhibetur, vel diverſimode præparatur.

Mercurius crudus ad vermes enecandos in ſubſtantia exhibetur a ℈j. ad ʒj. Teritur in mortario vitreo cum Saccharo, ut in partes inviſibiles diſſolvatur, addendo olei Amygdalarum dulcium guttam unam aut alteram, ne in priſtinam formam iterum redeat. Uſitatiſſimum eſt Hydrargyri decoctum, quod fit Hydrargyri ℔j. in aq. puræ ℔vj. per horam decoquendo. Liquor limpidus pueris & infantibus pro potu ſolito exhibetur. Hydrargyrus vermium quorumcumque, & pediculorum ſive majorum, ſive minorum, hoſtis eſt infenſiſſimus, eoſque extrinſecus adhibitus citiſſime fugat aut interimit. Unguentis quibuſdam permiſcetur, quibus inunguntur loci, ubi tales nidulantur hoſpites.

Mercurius crudus exhibetur quoque ſat magna copia in oleo, ad ℔ij. vel iij. & ſæpe obſtructionem tollit & fœces propellit. Sed ſi fortior ſit obſtructio, ita ut in inteſtinis diutius moretur, ſalivationem promovebit. Metuendum eſt inſuper ne ſuo pondere inteſtina gravet ac lædat.

Pro ſcabiei curatione cingula Mercurialia uſurpantur felici cum ſucceſſu, ſervatis ſervandis, ut diximus. Argentum vivum cum albumine ovi diutius agitatur, donec ambo in ſpumam convertantur. Hac ſpuma imbibuntur cingula e panno xylino præparata, quæ exſiccata ſupra lumbos geſtiuntur. Unctiones Mercuriales ſcabiem & cœteros cutaneos affectus curare valent.

Mercurius crudus uſurpatur in pilulis Mercurialibus, in emplaſtro de ranis cum Mercurio *Joannis de Vigo*, in unguento Neapolitano.

Hæc ſit formula pilularum Mercurialium præſtantiſſima.

♃. Rhei El. Trochiſcor. alhandal. Trochiſcor. Agarici ana ʒj. Scammon. Aloes ana ʒjß. Hydrargyri Terebenthina extincti ℥ß. Syr. Flor. Perſicor. q. ſ. F. pil. ſec. artem. Doſis a ℈j. a ʒjß. in morbis venereis, rheumatiſmo, meſenterii, & viſcerum obſtructionibus. A quibuſdam quotidie vel alternis diebus exhibentur.

Nulla eſt materia a Chymicis tam varie, tam diverſimode tractata, non ſolum ad medicum uſum, ſed etiam ad alchymiſticum. Cum enim Hydrargyrum, ſeu ut vocant Mercurium, primam omnium metallorum materiam eſſe exiſtimarent, ad illum fixum efficiendum, nihil intentatum reliquerunt. At vero poſt tot exantlatos labores, ſi propoſitum finem aſſequi non potuerint, ſaltem medicaminibus plurimis armamentarium medicum locupletarunt.

Obſervandum eſt autem, quaſdam apud Chymicos Mercurii præparationes Olei vel Salis nomine inſigniri: quæ quidem non ſunt principia ſeu ſubſtantiæ ex Hydrargyro extractæ, ſed ſalina vel oleoſa corpora Hydrargyro permixta. Hactenus enim nulla ratione Hydrargyrus in ſua principia reduci potuit; adeo enim volatilis eſt, ut citius ex Chymicorum manibus avolet, quam ut ejus texturam diſſuere queant.

Uſitatiores Hydrargyri præparationes ſunt Mercurius præcipitatus per ſe ; Mercurii Præcipitatum rubrum , Præcipitatum album , Præcipitatum flavum ſeu Turbith minerale , Præcipitatum viride , Præcipitatum violaceum vel nigrum ; Aethiops mineralis , Cinnabaris factitia , Sublimatum corroſivum , Sublimatum dulce ſeu Aquila alba , & Panacea Mercurialis.

Mercurius præcipitatus per ſe , ſeu Calx Mercurii, ſic conficitur.

Hydrargyrus in vas vitreum , infernale , ut ajunt immittatur. In arena digeratur , igne gradatim aucto. In pulverem cineraceum primo convertitur , qui paulatim rubicundiſſimus evadit. Vomitum , ſeceſſum , & ſudores movet , Doſis a gr. iij. ad vj.

Præcipitatum rubrum conficitur , ſolvendo Mercurii vivi ℥iiij. in ſp. Nitri q. ſ. ſeu ℥v. Solutio in arena evaporetur ad ſiccitatem uſque , & remanebit maſſa pallide flaveſcens. Ignis ad tertium gradum urgeatur , donec tota maſſa rubra vel corallina evadat. Servetur pulvis ad uſum. Externi uſus ſolet eſſe excreſcentiis carnoſis exedendis , in auriferendis puſtulis : nam blande & abſque dolore corrodit , ſi alicui emplaſtro inſpergatur , vel unguento miſceatur.

Quidam ſuper hoc Præcipitato rubro ſpiritum vini rectificatum aliquoties diſtillant , pulveremque reſiduum , Arcanum corallinum nuncupant , ſeu Præcipitatum rubrum dulcificatum : intus enim exhiberi poteſt. Si purgantibus medicamenti miſceatur , eorum vim purgantem adjuvat ; ſi vero cum ſudoriferis , ſudorificum fit. Doſis a gr. ij. ad vj.

Præcipitatum album ſic præparatur.

Solvantur Mercurii vivi ℥ij. in ſp. Nitri ℥iij. in vaſe vitreo , igne arenæ. Seorſim ſolvatur Salis communis ℥ß. in aq. calidæ ℥vj. Limpidæ ſolutiones confundantur. Statim turbida fit mixtura , & Mercurius ſub pulveris albi ſpecie vaſis fundum petit. Liquor limpidus factus ſenſim evacuatur : multis lotionibus edulcatur pulvis , & exſiccatur. Interne ſumptus humores per ſeceſſum evacuat , nonnumquam vomitum excitat : aſſiduo uſu ſalivationem provocat. Doſis a gr. iiij. ad xv. Extrinſecus cum unguentis & pomatis adhibitus omnes cutaneos affectus ſanat.

℞. Præcipitati albi ʒj. Unguenti rofati ℥j. Miſce. Fiat unguentum , ad pſoram , ſcabiem , impetigines , &c.

Præcipitatum flavum , ſeu Turbith minerale , fit ſolvendo Mercurii optime purgati ℥iiij. in olei vitrioli ℥xvj. Solutio ex retorta diſtilletur , donec maſſa alba remaneat. Pulverizata plurimis aquæ calidæ lotionibus edulcoretur ; flaveſcit. Exſiccata ſervetur ad uſum. Per ſuperiora & inferiora potenter purgat. In morbis venereis potiſſimum exhibetur. Doſis a gr. ij. ad vj.

Præcipitatum viride , ſeu Lacerta viridis , ſic præparatur.

℞. Mercurii purificati ℥iiij. Cupri lamellatim conciſi ℥j. Solvantur ſeparatim in ſpiritu Nitri. Solutiones confundantur , deinde ad ſiccitatem evaporentur. Maſſa ſuperſtes pulverata cum aceto diſtillato ad ſex tranſverſorum digitorum eminentiam in arena digeratur. Acetum tin-

ctura

ctura viridi vel ſubcærulea ſaturatum exrtahatur, & novum ſuperaffundatur. Tandem tincturæ omnes leni calore evaporentur ad melleam conſiſtentiam. Igne ſemoto, indureſcit materia, quæ pulverata viridis eſt, & ſervatur ad uſum. Purgat per ſuperiora & inferiora. A quibuſdam ſpecifica habetur in gonorrhæa virulenta. Doſis a gr. ij. ad viij. quotidie vel alternis diebus ſumenda, donec fluxus penitus ſedatus fuerit. Illius tamen uſus minus tutus a quibuſdam exiſtimatur, ob Cupri venenatam qualitatem.

Præcipitatum violaceum vel nigrum, Mercurius diaphoreticus, & mercurialis Panacea quorumdam, hac ratione confici ſolet.

℞. Sulphuris citrini ℥iv. In vaſe terreo inter prunas candentes fundantur. Sulphuri fuſo diligenter admiſceantur Hydrargyri purgati ℥vi. cum virga ferrea aſſidue movendo. His optime unitis Salis ammoniaci ℥iiij. adjiciantur. Sublimetur maſſa in vaſe vitreo. Sublimatum cum fœcibus permixtum iterum ſublimetur. Sic quatuor inſtituantur ſublimationes: quarta peracta, ſeparetur maſſa nigra vel ſubcærulea, ponderoſa, quæ in vaſis fundo reperitur, a materia tenui, levi, ſubflava rejicienda. Diaphoretica eſt, commendatur in rheumatiſmo, ſcrophulis, morbis venereis, in aſthmate, epilepſia, ad obſtructiones reſerandas & ad vermes necandos. Doſis a gr. xij. ad ʒß.

Aethiops mineralis præparatur ex Mercurii purgati p. iiij. florum Sulphuris p. iij. Agitantur ſimul in mortario vitreo, donec omnes globuli mercuriales penitus evaneſcant, & maſſa in pulverem fuſcum tenuiſſimum redigatur, qui paululum aſſervatus maxime nigreſcit. Valet contra vermes, adverſus luem veneream, ſcabiem, impetigines, ſcrophulas. Commendatur quoque ad hæmorrhoidales cruciatus, podagram & rheumatiſmum. Doſis a gr. xv. ad ℈ij. & quandoque iteratur mane & ſero, purgando quarto quoque die. Raro ſalivationem excitat. Diaphoreſim promovet, & nonnumquam purgat per ſeceſſum.

Quidam ad eamdem præparationem conficiendam Mercurium & Sulphur partibus æqualibus commixta incendunt, ſed inutilis eſt hæc combuſtio.

Cinnabaris factitia fit paulatim miſcendo Argenti vivi partes tres cum Sulphuris igne liquati parte una, & aſſidue agitando, donec omnis Mercurius evaneſcat. Maſſa refrigerata pulverizatur, & in vas ſublimatorium immittitur. Igne ſenſim aucto, ſublimatur in Maſſam rubram ſtriatam & ſplendentem. Eaſdem virtutes obtinet ac Aethiops mineralis. Nonnumquam in ſuffitu præſcribitur ad ſalivationem movendam in lue venerea.

Sublimatum corroſivum hac ratione cito præparatur.

℞. Mercurii purgati q. pl. Diſſolvatur in aquæ fortis q. ſ. Solutio ad ſiccitatem diſtilletur. Maſſæ ſalinæ reſiduæ permiſceantur ſalis communis decrepitati p. iiij. In matracio vitreo colli brevioris inſtituatur ſublimatio. Elevabitur maſſa ſalina cryſtallina alba, quæ Sublimatum corroſivum, vel Mercurius ſublimatus corroſivus, vel Draco venenatus

tus dicitur. Inter venena corrodentia recenſetur. Intus ſumptum eadem, quæ Arſenicum, ſed vehementiora & promptiora excitat ſymptomata: gulam enim, ventriculum, & inteſtina celerrime corrodit ac dilacerat. Ejus vis cauſtica iiſdem remediis infringitur, quæ propoſuimus, cum de Arſenico egimus.

Externe uſurpatur ad carnes ſuperfluas conſumendas, & ad ulcera antiqua detergenda. Ex eo paratur Aqua phagædenica, ſolvendo nempe Sublimati corroſivi ℥ß. in aq. Calcis ℔j. Flaveſcit liquor, qui ſervatur ad uſum.

Ex Sublimato corroſivo conficitur Sublimatum dulce, quod etiam Mercurius dulcis, Aquila alba, Draco mitigatus, & Calomelas a quibuſdam nominatur.

℞. Sublimati corroſivi ℥xvj. In mortario vitreo vel marmoreo diligenter teratur, ſenſim affundendo Mercurii vivi optime purgati ℥xij. Continuetur tritura, donec Mercurius vivus non amplius appareat. Pulvis fiat plumbei coloris, qui in ampullis vitreis reponitur ad altitudinem unius vel alterius unciæ. Tum igne lento per gradus aucto, ſublimatur pulvis. Maſſa ſublimata alba ſeparatur a fœcibus rejiciendis; pulveratur, & iterum ſublimatur.

Sublimatum dulce Blande purgat, pituitam tenacem incidit & expellit, & in morbis venereis medicamentum purgans eximium cenſetur. Vermes necat. Doſis a gr. vj. ad xxx. ſub forma pilularum vel boli. Quod ſi doſis per aliquot dies continuetur, ſalivationem movet. Ut plurimum cum aliis purgantibus medicamentis mixtum exhibetur. Quidam alternis diebus Aquilam albam & medicamentum purgans præſcribunt, ad luem veneream ſine ptyaliſmo curandam.

Uſurpatur in pilulis mercurialibus *D. Charas*, & in Electuario aperiente cathartico *Ejuſdem*.

Ultimo venit Panacea mercuralis, ſic dicta ob eximias ejus dotes, quæque merito Panacea Ludoviciana nuncupari poteſt; cum Chriſtianiſſimi Regis Ludovici decimi-quarti liberalitate ac munificentia præſtantiſſimum illud arcanum viribus ejus ad luem veneream debellandam variis tentaminibus exploratis vulgatum ſit, & publici juris factum. Ea eſt hujus Panaceæ præparandæ ratio.

Purgatur I. Mercurius vivus cum ſulphure Cinnabarim conficiendo ut docuimus, & Mercurium currentem inde extrahendo. Sic obtinetur Mercurius e Cinnabari redivivus.

II. Ex hoc Mercurio præparatur Sublimatum corroſivum, quod quidem octies ſublimandum eſt; ſcilicet bis cum Sale marino & Vitriolo, quinquies cum Sale marino ſolo, & ſemel abſque ullo intermedio.

III. Portio quædam hujus Sublimati corroſivi cum regulo Antimonii, diſtillationis ope, in Mercurium currentem reducitur.

IV. Ex hoc Mercurio reſuſcitato & ex Sublimato corroſivo ſimul mixtis fit ex arte Mercurius dulcis novies ſublimandus.

V. Tandem Mercurius dulcis cum ſpiritu vini aromatico digeritur per tres hebdomadas; deinde ſemoto liquore exſiccatur, & ſervatur ad uſum.

Exi-

Eximium eſt medicamentum ad morbos omnes venereos profligandos. Commendatur etiam in rheumatiſmo; obſtructionibus glandularum, meſenterii ſcrophulis. Valet ad ſcabiem, impetiginem, & lumbricos quoſcumque. A quibuſdam etiam adverſus ſcorbutum proponitur, ſed noxius eſt hoc in affectu Hydrargyri uſus. Panacea mercurialis ſalivationem facilius promovet, quam Aquila alba, quæ ſæpius per ſeceſſum humores evacuat.

℞. Æthiopis mineral. ʒjß. Corallin. pulver. ʒj. Olei Tanaceti gutt. iij. Miſce. Fiat pulvis, cujus doſis a gr. xv. ad ʒß. Mane & veſperi exhibeatur ſub forma pilularum vel boli, cum Syr. de abſynth. q. ſ. ad vermes in corpore nidulantes enecandos. Poſt tres quatuorve dies ſumatur bolus purgans ſequens.

℞. Aquilæ albæ, Rhei pulv. & pulver. Cornachini ana, partes æquales. Miſce. Fiat pulvis, cujus doſis a gr. xx. ad ℈ij. & ʒj. cum Syrupo, vel Conſerva de abſynthio.

℞. Æthiop. miner. ℈ß. pulver. Milleped. Gumm. ammon. ana gr. xx. Conſerv. Flor. Calendulæ q. ſ. Fiat bolus ſingulis diebus exhibendus ad ſcrophulas, purgando quarto quoque die cum bolo ſequenti.

℞. Aquilæ albæ, Gumm. ammon. ana gr. xv. Trochiſcor. alhandal gr. x. Syr. Flor. Perſicor. q. ſ. Fiat bolus.

℞. Panaceæ mercurial. ʒj. Rhei pulver. ʒiij. Balſam. Copaiv. ℥ß. Miſce. Fiat opiata, cujus doſis ʒj. quotidie mane ad gonorrhæam curandam. Purgetur æger tertio vel quarto quoque die cum pilulis mercurialibus ſupra præſcriptis, vel cum ſequentibus.

℞. Calomelanos & Diacrydii ana ʒj. Trochiſcor. alhandal ℈j. Pulverata miſceantur cum q. ſ. Terebenthinæ. Fiant pilulæ pro doſibus quinque.

Inter cœteras Mercurii dotes commendatur potiſſimum ea vis, qua pollet virus venereum expugnandi. Hujus veneni proprium & unicum habetur alexipharmacum, quatenus ſcilicet virus illud cum uberrimo lymphæ tenacis & viſcidæ profluvio foras expellit. Nunquam enim venerea lues niſi uberrima ſalivatione aut copioſo alvi fluxu tuto ſanatur.

Ad ſalivationem excitandam alii mercurialibus ſuffimentis utuntur, alii emplaſtra vel unguenta mercurialia adhibent, alii vero Mercurium diverſimode præparatum intus ſumendum præbent.

Ad ſalivationem ſuffitu promovendam æger rite præparatus in hypocauſto ſeu cellula ad hoc parata nudus collocatus. Tunc prunis candentibus paulatim jnjiciuntur Cinnabaris fruſtula ad ʒij. vel iij. quorum halitus cutis poros penetrat: hoc ſuffitu incaleſcit æger mirum in modum, ac ſudat plus minuſve pro viribus. Singulis vel alternis diebus iteratur ſuffumigatio, donec gingivæ tumeſcere, & os ulceribus affici incipiant, ac tandem ſaliva ad debitam quantitatem fluat.

Inunctiones vero ſic inſtituuntur. Præmiſſis præmittendis, primo ad focum ægrotantis decentibus huic morbo veſtibus induti, partes inungendæ per aliquod tempus fricantur, donec incaleſcant & rubeſcant. Tunc unguento mercuriali inunguntur, prima quidem die pedes, genua, & in-

& inguina ; altera , nates , carpi , cubiti , & humeri . Inunctiones vel ſingulis diebus vel alternis , pro ægrotantis conſtitutione , iterantur , donec uberrimum ſalivæ profluvium appareat , quod ſingulis diebus librar. iij. vel iv. eſſe debet . In loco calido , ab igne tamen paululum remoto , inunctiones peragendæ ſunt ; ne unguentum vi caloris citius diffluat. Unguenti mercurialis ℥ij. pro ſingula vice ſufficiunt . Quidam ex prima frictione uberrimam & ſufficientem ſalivationem experiuntur , alii poſt tertiam ; rariſſime pluribus opus eſt : quocirca quotidie os & fauces ægrotantis explorandæ ſunt , antequam altera frictio iteretur . Superveniente enim ſalivatione os incaleſcit & exſiccatur , gingivæ & glandulæ ſalivales intumeſcunt , frequens eſt expuitio , vaſorum ſalivalium orificia inflammantur , ulcera apparent quæ ampliantur , ac tandem laudabilis ſuccedit ſalivatio . Verum ſalivatio nimia admodum pertimeſcenda eſt : quapropter ſi vehementior ſit , ad purgationem illico confugiendum; eaque iteranda , ſi neceſſarium videatur , & veſtes unguenti imbutæ deponendæ.

Quidam emplaſtra unguentis anteponunt , & illorum ſane tardior eſt , ac mitior effectus. Iiſdem locis , ac unguenta applicantur , & iiſdem ſervatis cautionibus.

Alii tandem ſalivationem tutius excitari , & felicius , pro ægri viribus , ad Medici nutum foveri , ac dirigi Panaceæ mercurialis ope exiſtimant ; & revera fumigationes & inunctiones incertæ ſunt & parum fide . Fumigationes enim mercuriales caput aliquando feriunt , funeſtaque inducunt ſymptomata ; Inunctiones vero nonnumquam vel nimiam ſalivationem excitant , vel etiam quandoque nullam . Nam prout corporis ægrotantis pori cutanei patentiores ſunt , vel anguſtiores , major vel minor Hydrargyri copia corpus penetrat ; quod quidem nonniſi eventu dignoſci poteſt . At vero ea eſt Panaceæ mercurialis utilitas , ac præſtantia , quod exigua doſi primo exhibeatur , & ſenſim augeatur , donec procedat debita ſalivatio & ad quantitatem requiſitam , quæ quidem augetur vel minuitur , vel in eodem ſtatu ſuſtinetur , ac fovetur ad Medici arbitrium abſque ullius periculi metu . Attamen non prorſus rejiciendæ ſunt aliæ ſalivationem excitandi rationes , quæ quidem nonnunquam intermiſcendæ ſunt , prout res poſtulat . Sæpe enim tardior eſt Panacea , ita ut una aut altera levi inunctione opus ſit ad promptiorem & debitam ſalivationem promovendam . Itaque in robuſtiſſimi temperamenti viris inunctiones promptiorem & uberiorem ſalivationem excitant , quæ poſtea Panaceæ mercurialis ope fovetur . In delicatioribus ſola Panacea exhibetur , vel ad ſummum aliquot emplaſtris mercurialibus ſtimulatur . In luis venereæ curatione , ubi adſunt dolores acerbi & permanentes , nodi & exoſtoſes ; ibi quæque emplaſtra feliciter applicantur . Iis quibus ſcabies, herpetes , cruſtoſa ulcuſcula , & puſtulæ veriolicæ per totum corpus diffunduntur, unctiones mercuriales conveniunt. Tandem ſuffumigationes utiliter unctionibus vel uſui Panaceæ intermiſcentur , ubi adſunt ulcera , verrucæ, condylomata , aut alia hujuſcemodi in ano vel pudendis. Ea eſt autem ſalivationis excitandæ methodus, Panaceæ mercurialis ope.

Una aut altera venæ ſectio celebretur pro ægrotantis plethora & viri-

viribus. Altero poſt ultimam venæ ſectionem die potione cathartica corpus evacuetur, & juſculo duabus abhinc horis exhibendo infundantur Tartari ſtib. gr. vj. vel Panaceæ antimonialis guttæ xv. Poſtridie ingrediatur balneum aquæ tepidæ ſemel aut bis in die pro viribus. Tandem poſt ſex ſeptemve balnea Panacea mercurialis exhibeatur.

Sic præparatur corpus ægrotantis: humorum craſſamenta primis viis contenta evacuantur, vaſa laxantur, liberius fluit ſanguis, fluidiores fiunt ſucci, fibræ vero minus rigidæ.

Cavendum tamen ne ſanguinis miſſione aut nimio balneorum uſu corpus nimis debilitetur, ita ut ſalivationem debitam perferre nequeat. Nec pluries iteranda eſt catharſis, minuit enim ſalivationem & alvi fluxum provocat. At vero licet alvi fluxu ſanetur quoque lues venerea, tutior tamen eſt per ſalivationem hujus morbi curatio.

Ægrotanti ſic præparato, poſtero ab ultimo balneo die, Panaceæ mercurialis grana x. mane, veſperi vero gr. v. exhibeantur. Altero die mane gr. xv. & veſperi gr. viij. 3. die mane gr. xx. veſperi gr. x. 4. die mane gr. xxv. veſperi gr. xv. Et ſic in dies augeri poteſt Panaceæ doſis a gr. v. ad x. ſingulis diebus, ad libitum, donec ſalivæ fluxus ad 3. vel 4. librarum menſuram devenerit, aut alvi profluvium eidem quantitati reſpondeat. Tum a Panaceæ exhibitione abſtinendum, donec evacuationes minuantur. Quod ſi minuantur priuſquam luis venereæ ſymptomata evanuerint, Panaceæ uſus repetatur incipiendo a doſi præcedenti ægroto nuperrime exhibita, eamque continuando, donec de perfecta curatione plane conſtet.

Si vero, interrupta Panaceæ exhibitione, ſalivatio augeatur & nimis urgeat, medicamentum purgans pro re nata præſcriptum exhibeatur & ſæpius iteretur. Si vero in Panaceæ uſu alvi fluxus ſuperveniat vehementior cum torminibus, & dyſenteria immineat: clyſteres detergentes, lenientes, & roborantes identidem injiciendi ſunt.

Per totum curationis tempus ſatius eſt ægrotantem juſculis & ovis ſorbilibus aut panatellis uti quam alimentis ſolidis.

Panacea ſub pulveris forma ingeratur cum aliqua confectione permixta. Poſt unamquamque Panaceæ doſim ſuperbibat æger exiguum juſculi cyathum, & per tres aut quatuor horas ab omni alimento abſtineat.

Expedito tandem Panaceæ uſu, bis terve purgetur æger, cibis euchymis reficiatur, & ad diætam lacteam confugiat.

De humoris per ſalivationem evacuandi quantitate nihil certi ſtatui poteſt. Quidam enim poſt uberrimam ſalivationem vix ſanati ſunt, alii vero poſt levem prorſus reſtituti fuere. De ſalivationis igitur duratione prudens & peritus judicet Medicus.

Medici quoque prudentis eſt decernere, num ægrotans ſalivationem ferre poſſit, ubi venerea lues aliis affectibus implicatur. Sic enim in conſtitutione ad hecticam febrim vergente, in qua ſanguis nimis ſolutus per cutis poros ſub ſudoris forma magna copia diffunditur, maxima tandem fiet humorum diſſolutio ab Hydrargyro, & vita cum ſuccorum reliquiis per omnia corporis emunctoria fugiet.

In ſcorbuticis affectibus, in quibus humores lentoris ac ſpiſſitudinis accuſan-

cuſantur, infeſta tamen eſt & ſæpe letalis Hydrargyri exhibitio. Cum enim his in affectibus ſalium in humoribus redundantium major ſit copia, majorque cauſticitas quam in lue venerea, eorum energia admodum debilis eſt, dum ſuccis ſpiſſioribus, & fere coagulatis innatant: verum ſi Hydrargyri ope, fluidiores fiant ſucci, tunc non tardiori greſſu, ſed magno impetu abrepti ſalium aculei, in membranas irruunt, eas dire lancinant ac dilacerant. Hinc ſcorbuticorum diri cruciatus, hæmorrhagiæ, inflammationes, & ulcerationes, quæ ex mercurialium remediorum exhibitione oriri ſolent.

Nervis prorſus infenſus dicitur Hydrargyrus: membrorum debilitatem, tremorem, paralyſim inferre vulgo exiſtimatur; ſed non tam Hydrargyro quam pravo aut minus cauto illius uſui tribuenda ſunt hæc incommoda. Nam ab exigua ejus doſi, incaute exhibita, humores coagulati inæqualiter ſolvuntur, ita ut grumi ſuperſtites a ſoluta ſuccorum portione abrepti in tenuiſſimos corporis meatus protrudantur, ibi inhæreant, fortioreſque pariant obſtructiones, quæ per tempus magis ac magis firmantur & inſuperabiles fiunt, vel quibus partium tonus prorſus debilitatur aut deſtruitur.

Quæritur unde pendeat illa Mercurii virtus ſalivam movendi & ſyphilidem curandi. Fruſtra nonnulli ad hanc virtutem explicandam ad acidum aut ad alcali confugiunt. Quandoquidem in hujus morbi curatione, nec acidorum, nec alcalium inſtar, operatur illud medicamentum: eoſdem enim producit effectus, ſive accidis ſalibus ſaturatum exhibeatur, ſive cum alcalibus permixtum ingeratur, ſive abſque mixtura per cutis poros frictionibus aut ſuffumigationibus intromittatur. Nec veriſimilis eſt opinio eorum qui acidum eſſe virus venereum autumant, cum ægrotantium lue venerea infectorum ſaliva copioſe effluens nullum aciditatis argumentum præbeat, quinimo alcali potentiſſimum ſe præbet: ſyrupum enim violaceum viridem efficit, cum acidis liquoribus efferveſcit, & lixiviorum inſtar cuprum corrodit. Non igitur exiſtimandum eſt, Hydrargyrum tunc abſorbentis vel alcalici medicamenti vices gerere, acidum nempe venereum virus abſorbendo, quod quidem æque pariter & rectius alia abſorbentia medicamenta efficere poſſent. Sed veritati magis conſentaneum eſt omnem Hydrargyri vim & energiam a duabus potiſſimum ejus qualitatibus pendere; ſcilicet ſumma diviſibilitate, & figura ſphærica, quæ tenujoribus ejus moleculis denegari non poteſt.

Ex Hydrargyri ſumma diviſibilitate & figura ſphærica ſequitur, quod ad extremos uſque corporis receſſus tranſvehi poſſit, ſanguinis & lymphæ maſſam pervadere, & intra horumce liquorum moleculas vel arctius condenſatas penetrare, eaſque proinde dividere. Cum enim tenuiſſimi mercuriales globuli moleculas lymphæ craſſiores ſubierint, non ſolum earum contactum immediatum præpedient, ſed etiam earum fluxum expeditiorem efficient, interpoſitis nempe inter craſſiores & latiores lymphæ moleculas ſphærulis tenujſſimis & ſolidis. Inſuper eædem craſſiores lymphæ moleculæ, vaſculorum orificiis aliquantiſper hæſitantes, & mercurialibus globulis intermixtæ, valida vaſorum contractione & aſſiduo liquoris motu protruſivo conteruntur, dividuntur, ac tan-

tandem ſatis fluiditatis adipiſcuntur, ut tenujora corporis vaſa permeare valeant. His poſitis, attende ad corporis emunctoria, quæ lympham viſcidiorem & craſſiorem percolare poſſunt. Duo tantum occurrunt, inteſtinales ſcilicet, & ſalivales glandulæ. Renum & cutis colatoria tenujorem tantum lympham elabi ſinunt, ob vaſculorum exilitatem: quapropter hoc in affectu ſudorifera medicamenta minus proficiunt, cum tenujorem & fluidiorem tantum lympham per cutis poros propellant, nec craſſiorem nimiſque denſatam diſſolvere valeant.

Verum ſalivales aut inteſtinales glandulæ craſſum hunc ſuccum ambæ ſecernere valent. Sic adhibito Hydrargyro, emunctorium utrumque ſimul, vel alterutrum tantum, hanc lympham viſcidam excernit, prout ſoluta lympha majori vel minori copia per corpus diffunditur. Ut plurimum ſalivales glandulæ hanc lympham fundunt; quia cum ſint magis acuti & exquiſiti ſenſus quam inteſtinales, acrioris hujus lymphæ vellicationibus vehementius convelluntur & contrahuntur, ita ut ſuccos contentos exprimant, novoſque continuo alliciant.

Pro diverſo irritationis gradu, hujus lymphæ evacuationem per ſalivales vel inteſtinales glandulas promoveri facile colligitur, ex eo quod vehementiori in glandulis inteſtinalibus medicamenti purgantis ope excitata irritatione, ſalivatio ſiſtitur, & humor per inteſtina foras elicitur.

Ex Mercurio varia fiunt linimenta & emplaſtra, ad ſequentium inſtar.

℞. Hydrargyri e Cinnabari revivificati ℥ij. Terebinthinæ Venetæ ℥ß. Simul agitentur in mortario, donec Hydrargyrus extinctus ſit. Tum paulatim adjiciantur axungiæ ſuillæ inſulſæ ℥iij. Miſceantur exacte; & erit unguentum ad inunctiones in lue venerea.

℞. Maſſæ emplaſtri Dyachylonis ſimplicis ℥xij. Liquato miſceantur Hydrargyri puri Terebinthina extincti ℥iiij. Fiat emplaſtrum rite partibus applicandum, ad ſalivationem promovendam.

Præter Argenti vivi uſum medicum, eo utuntur quoque artifices, tum ad vaſa deauranda, tum ad aurum molendum, & ad ſpeculorum confectionem. Sed major ejus copia ad aurum & argentum e ſuis mineris ſeparanda abſumitur.

SECTIO SEPTIMA.

De Metallis.

Metallum dicitur corpus minerale, durum, ſplendens, ignis calore liquabile, frigore concreſcibile, malleo in incude in longum & latum ductile, cuique Hydrargyrus facile conſociatur intimeque permiſcetur, vel ut ajunt, amalgamatur.

Metalla dividuntur in imperfecta ſeu ignobilia, & perfecta ſeu nobilia.

Imperfecta habentur, quibus in ignis examine multum decedit, qualia ſunt Plumbum, Stannum, Ferrum, Cuprum; eademque ignobilia dicuntur, ex

eo quod inter homines minoris ſint pretii. Perfecta vero dicuntur, quæ ignis examen abſque detrimento ſuſtinere poſſunt, ut Argentum & Aurum; quæ quidem cum ab omnibus hominibus multi æſtimentur avideque appetantur, nobiliſſima prædicantur.

CAPUT PRIMUM.

De Metallis imperfectis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Plumbo, & ejus recrementis.

PLumbum *Offic.* Μόλυβδος *Græcorum*: Plumbum nigrum *Plinii*: Raſas *Arabum*: Saturnus *Chimicorum*. Eſt metallum viliſſimum, molle, ponderoſum, lividum, quod manus nigredine inficit, obtuſiorem reddit ſonum, & in igne cito liqueſcit, antequam igneſcat.

Græci, Latini, Arabes, Plumbum & Stannum deſignantes vocabula ſæpe confundunt, & indifferenter uſurpant. Quamplurimi Κασσίτερον Græcorum Stannum interpretantur: Plinius tamen Κασσίτερον de Plumbo albo docet accipiendum, quod etiam a Stanno diverſum facit. Quinimo Stannum facit genus Plumbi nigri, & ex eadem vena Stannum illud, Argentum, & Plumbum fluere ſcribit. Verum aut vana eſt hæc differentia inter Plumbum album & Stannum a Plinio conſtituta: aut Stannum veterum nihil aliud erat quam Plumbi pars purior & nitidior, vel etiam mixtura Plumbi albi & nigri, aut Plumbi nigri & Argenti.

Agricola, *de natura foſſilium*, tria Plumbi conſtituit genera: unum candidum, quod Stannum nunc vocamus; alterum cinereum, quod Biſmuthum; tertium nigrum, quod Plumbum eſt proprie dictum.

Plumbum purum in fodinis rariſſime reperitur. Excoquitur ex plumbaria vena, quæ diverſa eſt: modo enim terra eſt nigra, cœrulea, flava, aut cineracea, ſcintillis quandoque minutis ſplendentibus conſperſa; modo lapis ſplendore plumbeo ex quadratis veluti teſſelis conſtans inhærentibus ſaxo candido aut rufo: nonnunquam etiam fluoribus albis, flavis, aut viridibus admiſcetur.

Plumbi minera nonnihil Argenti fere ſemper continet; & quibuſdam in regionibus, ut in Angliæ Provincia quæ *Cardigan* dicitur, plumbaria vena argenti adeo ferax eſt, ut ex mineræ libris duobus millibus, decem, quindecim, & nonnunquam viginti argenti libræ extrahantur.

Plures ſunt Plumbi mineræ in Hiſpania, Italia, & Germania. In Gallia quoque non deſunt, ſed ex his metallum difficillime extrahitur. Frequentiores & divites ſunt in Anglia hujus fodinæ.

Plumbi vena in fornacibus inter diverſa carbonum ſtrata diſponitur, & igne accenſo metallum fluit. Vel ligna fruſtulatim conciſa carbonum

num vice uſurpantur, vel eiſdem intermiſcentur, prout vis ignis major vel minor requiritur: vehementior enim eſt ignis carbonum, lignorum vero minor.

Verum ex pyritis plumbariis, quæ nonnihil argenti quoque continent, metallum quoddam candidum primo effluere narrat Agricola, quod quidem argento inimicum, ac ſumme nocivum dicit, cum illud comburat. Deinde diffluit Plumbum nigrum cum argento mixtum; & hæc mixtura Stannum a metallariis dicitur, referente eodem. Hocce ſtannum vehementiori igne urgetur, ita ut Plumbum partim in ſpumam ſeu lithargyrum, & partim in molybdænam convertatur, argentum fuſum ſincerum in catino remanet. Lithargyrus vero & molybdæna poſtea cum carbonibus funduntur, & ſub Plumbi fuſi forma ſtatim diffluunt.

Plumbi gravitas comparata cum auri gravitate, eſt ut 3. ad 5. Hoc metallum facillime comburitur, & in calcem cineream redigitur, quæ vehementiori igne flaveſcit, ac tandem rubra evadit, & Minium dicitur. Si vero ignis intendatur, liqueſcit in liquorem oleaginoſum, qui refrigeratus in maſſam ſubrubram flaveſcentem concreſcit, variis laminis tenuibus, ac translucidis compactam, & tactu mollem, quæ Lithargyrus dicitur. Si tandem intenſiori igne diutius urgeatur, totum in fumos diffunditur, & evaneſcit.

Calx Plumbi, Minium, aut Lithargyrus, ſi cum carbonibus, ligni fruſtulis, aut quacumque materia combuſtibili fundantur, ſtatim in Plumbum reducuntur.

Plumbum cum Nitro in crucibulo fuſum levem emittit fulgurationem. Plumbi limatura in candelæ flammam injecta incenditur, flammamque cœruleo colore tingit. Unde patet, ſulphureum principium combuſtibile in Plumbo reperiri, licet exigua admodum quantitate. Illud quoque principium cœteris hujus metalli principiis non tenaciter inhæret, cum citiſſime ab illis vel levi igne ſecernatur.

Cum Plumbum in tigillo lentis vitreæ majoris foco exponitur, ſtatim copioſum fumum emittit, in cinerem ſeu calcem cineream paulatim convertitur, quæ eodem fere tempore flaveſcit, rubeſcit, ac funditur in liquorem croceum ſumme fluidum, olei inſtar, qui per tempus ſub fumi ſpecie evaneſcit. Si vero liquor, priuſquam totus diſſipatus fuerit, a foco extrahatur, dum refrigeſcit, in maſſam concreſcit rubram aut ex rubro flaveſcentem, Auripigmenti inſtar, ex tenuibus lamellis compactam, quæ quidem lamellæ translucidæ ſunt, ita ut Talcum apprime referat.

Si vero talcoſum illud Plumbi vitrum ejuſdem lentis majoris foco ſupra carbones exponatur, ſtatim liqueſcit & Plumbi formam recuperat.

Verum ſi Plumbi fruſtulum ad ejuſdem focum ſupra carbonem admoveatur, liqueſcit, & ſenſim in fumos totum diſſipatur, nulla vitreſcente materia relicta.

Qui ex Plumbo elevatur fumus, nihil aliud eſt quam ejuſce metalli flos ſeu cinis ſulphureo principio ſpoliatus: ſi enim colligatur, & ſupra carbones liquetur, ſulphureo principio ex carbonibus aſſumpto, ſtatim in Plumbum reducitur.

Ex his liquet, Plumbum conflari ex terra quadam vitreſcibili, talcoſa

K 4 ſeu

ſeu foliacea, & ex ſulphureo principio quod in omni combuſtili materia continetur; quod quidem principium inflammabile, nec magna copia, nec intime cum terra permiſcetur.

Plumbum cœtera metalla, auro & argento exceptis, diſſolvit & ſecum abripit, ſive in Lithargyrum reducatur, ſive in fumos convertatur. Unde ad aurum aut argentum a cœteris metallis purgandum per catinum probatorium ſæpiſſime uſurpatur.

Ex aqua rubiginem non contrahit, ut ferrum & cuprum, ſed ab acidis liquoribus corroditur. Solvitur hoc metallum ab aceto, & a ſpiritu Vitrioli & ſpiritu Nitri; & ſal qui ex his ſolutionibus exhalatis ſuperſtes eſt, dulcem præbet ſaporem. Solvitur quoque ab oleis & pinguibus ſubſtantiis quibuſcumque.

Dum in calcem redigitur Plumbum, licet copioſum fumum emittat, & multum de ſua ſubſtantia deperdat, augetur tamen pondere, ita ut centum Plumbi libræ decem inſuper librarum pondere creſcant, dum in Minium convertuntur. Si vero poſtea Minium in Plumbum reducatur, non mediocris erit metalli infra centum libras diminutio.

Minium cum arena fuſum, in vitrum flavum Succino ſimile reducitur.

Ob eximias hujus metalli dotes, Paracelſus illud quartam Medicinæ columnam nuncupavit. Per ſe refrigerat, incraſſat, repellit, abſorbet, humorum acrimoniam demulcet. Veneream libidinem arcere creditur, ſanguinis phlogoſes, partiumque inflammationes compeſcere. Verum nervis prorſus inimicum eſt & noxium. Intus ſumptum ſtomachi gravitatem cum torminibus diris invehit, alvum & urinam ſupprimit, membrorum tremorem & ſpaſmum excitat, difficilem reſpirationem affert, ac tandem ſuffocationem. Quod quidem a quamplurimis, triſti quidem experientia, comprobatum fuit, qui noxas graviſſimas & ſæpe immedicabiles perpeſſi ſunt a potu vinorum, quæ acidiora vel aceſcentia per Lithargyrum immiſſum nefando mangonio edulcata fuerunt. Plumbum itaque & omnia ejus præparata uſui potius externo quam interno deſtinanda eſſe procul dubio cenſemus.

Inter Plumbi præparata recenſenda ſunt primo ea quæ recrementa dicuntur; Calx nempe ſeu Cinis, Minium, Lithargyrus, Plumbum uſtum, & Ceruſa: deinde chymicæ præparationes, quæ uſu Medico inſerviunt, ſcilicet Acetum Saturni, Sal ſeu Saccharum Saturni, Balſamum, & ejuſdem Spiritus ardens, ac Oleum.

Calx vel Cinis Plumbi & Minium ſic præparantur. Plumbum in patella terrea lata non vitriata, ſuper carbones diſpoſita, funditur. Metallum fuſum ſpatula ferrea tamdiu agitetur, donec totum abeat in pulverem ſubnigrum vel cinereum, qui Calx vel Cinis Plumbi dicitur. Si paulo diutius continuetur ignis, pulvis flavus evadit, & a Pictoribus Gallico idiomate *Maſſicot* nuncupatur. Tandem in furno reverberii calcinatus fit rubicundiſſimus, & in officinis Minium dicitur.

Hæ Plumbi præparationes humorum acrimoniam obtundunt, inflammationem ſedant, ulcera maligna corrigunt, expurgant & ad cicatricem ducunt. Minium uſurpatur in unguento rubro ſeu de Minio, in emplaſtro pro fracturis *D. Charas*, in emplaſtro ſtyptico, & emplaſtro matricali roborante *Ejuſdem*.

Jam

Jam alibi obſervavimus, Minium veterum diverſum eſſe ab officinarum Minio.

Illud enim idem erat ac Cinnabaris noſtra, ſeu rubra, & rutilans Hydrargyri minera: hoc vero nihil aliud eſt niſi Plumbum vehementi igne calcinatum.

Lithargyrus, & Spuma argenti *Offic.* Λιθάργυρος *Græcorum*: Martech, & Merdaſengi *Arabum*. Duplex fuit apud Græcos coloris tantum ratione, ſicut & apud nos: Lythargyrus auri, qui Cryſitis, quia flavo colore ſplendet; & Lithargyrus argenti, qui Argyritis qui albicante aut argenteo.

Lithargyrus plerumque conficitur in metallorum fornacibus, ubi Plumbum ab argento ſeparatur, vel ubi argentum Plumbi ope repurgatur ab aliis metallis ipſi commixtis. Siquidem cum artifices argenti mineram a commixtis metallis, nempe Plumbo & ære, repurgare volunt, in alveum ex oſſium cineribus ſuo more paratum Plumbi multum conjiciunt, adeo ut vi ignis colliquatum balnei ſpeciem referat. In hoc demum argentum, quod Plumbum aut æs admixtum habet, repurgandum immittunt. Tum ignium vi follium flatu continue excitata, Plumbum in liqueſcentium metallorum ſuperficie, olei modo, ſupernatans apparet; quod tandem, poſtquam æs aut Plumbum quod prius argento mixtum fuerat, in ſe contraxit, eorumdem follium flatu ad cinerei alvei oras ſenſim expellitur. Hoc cum vident artifices, alveum in latus ſecant, Plumbumque vitrificatum labi ſinunt in humum; fitque hoc modo Lithargyrus. Huic poſtquam refrixit, quandoque aureus, quandoque argenteus emicat ſplendor; quo factum eſt ut hunc argenteum, illum aureum paſſim ſeplaſiarii dicant, exiſtimantes alterum ex auro, alterum ex argento conflari. Cœterum coloris hujuſce varietatem Lithargyrus haudquaquam ex argenti vel auri ſpuma contrahit; ſed quod plus minuſve excoctus fuerit ab igne, vel etiam quod plus minuſve ærei metalli ab argento receperit. Lithargyrus igitur nihil aliud eſt quam Plumbum vitrificatum, vel ſolum, vel æri permixtum.

Frequens eſt Lithargyri externe adhibiti uſus in Medicina. In omnibus fere emplaſtris uſurpatur, quorum corpus ſeu baſim cum oleis conſtituit. Lithargyrus enim, ſicut & cœtera Plumbi recrementa ab oleis, & pinguibus ſubſtantiis ſolvuntur, & ſimul emplaſticam conſiſtentiam ſumunt. Exſiccat moderatiſſime, & abſtergit cum modica adſtrictione, cava explet, ulcera ad cicatricem ducit, & ad fœmorum intertrigines valet.

Præparatur tenuiſſime lævigando in mortario, aquam deſuper limpidiſſimam affundendo, & agitando, dein in aliud vas aquam turbidam conjiciendo, aliamque de novo affundendo, & agitando; quod toties iteratur, donec Plumbum non accurate calcinatum, & fœces metallicæ, ſi quæ ſint, in mortario ſubſidant, & omnis ſubſtantia tenuior cum aqua fuerit educta, quæ quieſcere permittitur, ut in fundo remaneat Lithargyrus ſolus, & ſincerus, aqua prius effuſa colligendus, & exſiccandus.

Uſurpatur in unguento nutrito, deſiccativo rubro, Apoſtolorum *D. Charas*, in emplaſtro palmeo, diachylo ſimplici, & compoſito, emplaſtro polychreſto *D. Charas*, & aliis quamplurimis.

Plum-

Plumbum uſtum *Offic.* Μόλυβδος κεκαυμένος *Græcorum*. Eſt pulvis gravis, fuſcus, factus ex Plumbi laminis tenuiſſimis cum ſulphure pulverato ſtratum ſuper ſtratum alternatim diſpoſitis in olla vitrea, & vi ignis continuo agitando calcinatis, donec in pulverem tenuiſſimum prorſus redigantur. Aqua limpida pluries abluitur hic pulvis, & exſiccatur. Utile eſt medicamentum ad ulcera maligna blande corrigenda, expurganda, & ad cicatricem perducenda.

Uſurpatur in unguento Diapompholigos *Nicolai Alexandrini*.

Ceruſa *Offic.* Ψιμμίθιον *Græcorum*: Affidhegi vel Affidagi *Arabum*. Eſt Plumbi rubigo quædam alba, cujus hæc eſt conficiendæ ratio. Infunditur acetum acerrimum æſtivo tempore in urceum oris lati, aut in aliud fictile vas idoneum, ſuperimponitur lamina plumbea; ac ita operitur vas ut nihil exſpiret. Ubi lamina fuerit reſoluta, decimo ſcilicet circiter die, & deciderit craſſamentum in fundum vaſis, colligendum erit, & ſiccandum, mox mola terendum, deinde in maſſam cogendum, & ſervandum.

Fit quoque ex ſcobe Plumbi in acetum perquam acerrimum decem dies immerſa, & reſoluta. Aliquando etiam ex laminis ejuſdem infuſis, & deraſis, iterumque maceratis, & adhuc deraſis, donec laminæ ſint prorſus reſolutæ. Tum colligitur raſura, teritur, & in maſſulas cum aceto cogitur.

Verum antequam Ceruſa in emplaſtrorum, unguentorum, & collyriorum compoſitionem veniat, præparari debet, hoc eſt, ablui. Cavendum eſt ne Creta adulterata ſit.

Refrigerat, ſiccat, & aſtringit magis quam cœteræ Plumbi præparationes. In inflammationibus, doloribus, & exulcerationibus proficue adhibetur.

Uſurpatur in Trochiſcis albis *Rhaſis*, unguento albo ſive de Ceruſa *D. Charas*, unguento Pompholigos, deſiccativo rubro *Ejuſdem*, in emplaſtro albo ſive de Ceruſa, emplaſtro polychreſto, emplaſtro nigro, & emplaſtro de linamento *Ejuſdem*.

Plumbi præparationes uſitatiores ſunt Acetum Saturni, Sal, ſive Saccharum Saturni, Balſamum Saturni, Mumia mineralis.

Acetum Saturni ſic conficitur.

℞. Ceruſæ optime, & tenuiſſime tritæ q. pl. Huic ſuperaffundatur acetum diſtillatum ad quatuor digitorum eminentiam. Digerantur ſimul in vaſe vitreo leni calore, identidem agitando, donec acetum diſtillatum plane dulceſcat. Liquor effundatur, & recens acetum diſtillatum ſuperaffundatur, eodem modo procedendo ut antea. Solutiones per chartam colentur, & ſerventur ad uſum.

Ex eo aceto Saturnino cum oleo roſato vel alio quovis oleo diu in mortario plumbeo agitatis fit linimentum quod Nutritum dicitur aut Butyrum Saturni. Valet ad cutis pruriginem, impetigines, & eryſipelata, ſi eo pars affecta inungatur.

Sal vel ſaccharum Saturni fit acetum Saturni ad pelliculæ apparentiam lento igne evaporando, & liquorem reſiduum in cella reponendo, donec in cryſtallos albas, ſplendentes, ſapore dulces ſacchari inſtar, & in unam maſſam compactas concreſcat. Saccharina hæc maſſa, liquore ſuperfluo ſenſim effuſo, in umbra exſiccetur.

Li-

Licet ſaccharum Saturni a quibuſdam ad uſum internum commendetur in pulmonis affectibus, ſanguinis ſputo, dyſenteria, &c. tamen ob rationes jam allatas externe tantum adhibendum eſt. Uſus eſt frequentiſſimi apud Chirurgos. Omnibus inflammationibus medetur, ſicut & acetum Saturni, oculorum affectibus, & eryſipelati. Humores acres, & erodentes obtundit, ulcera detergit, exſiccat, & cicatrizat. In aquis, unguentis, & emplaſtris permiſcetur. In gonorrhæa ubi ſumma eſt acrimonia, injectio aquæ roſarum, vel lactis tepidi cum ſacchari Saturni granis aliquot, felici cum ſucceſſu præſcribitur.

Balſamum Saturni præparatur ex ſalis Saturni parte una, & olei Terebenthinæ partibus duabus; quæ ſimul mixta digeruntur in balneo arenæ, donec oleum rubicundiſſimo colore tingatur, & ſaccharum omnino ſolutum ſit.

Ulceribus malignis medetur, humorum acrimoniam demulcet, arcetque putredinem.

Spiritus ardens, & oleum Saturni ex ſale Saturni per diſtillationem eliciuntur. Sed non aliæ ſunt in hoc inflammabili ſpiritu dotes quam in ſpiritu vini, quidquid dixerint Chymici. Eſt enim vini ſpiritus in aceto concentratus, & hac præparatione evolutus. Oleum vero rubrum eſt oleum etiam ex aceto extractum, in quo nihil Plumbi prorſus continetur.

Mumia mineralis Poterii eſt calx Plumbi, & Hydrargyri ſimul mixtorum, &, ut ajunt, amalgamatorum, quæ ſic conficitur.

℞. Hydrargyri e Cinnabari diſtillati p. ij Plumbi puri p. j. Fiat amalgama, quod in ampulla fictili ſupra carbones continuis ſucceſſibus fortiter agitetur, donec totum in pulverem nigrum fuerit redactum. Pulvis matracio vitreo incluſus digeratur in balneo arenæ, quouſque flaveſcat, & ſervetur ad uſum.

Hæc Mumia ſcabiem, impetigines, & cœteros cutaneos affectus citiſſime ſanat, ulcera calloſa mundificat, callumque reſolvit. Strumas, & mammarum glandulas diſſipat in unguento vel emplaſtro quovis admixta. Cancris quoque medetur, modo ad ultimum gradum nondum pervenerint. Caute tamen, & parciori manu adhibenda eſt, præſertim in exulceratis carcinomatibus, ne uberior nimis fiat ſuppuratio. Si nondum exulceratum ſit carcinoma, Mumiæ mineralis ʒj. cum emplaſtri magnetici Angeli Salæ ℥j. accurate miſceatur, & tumori admota illum ſenſim reſolvit. Si vero exulcerari incipiat, tenue penicillum e linamento paratum, & hac Mumia, vel ſola, vel myrrhæ admixta conſperſum, in ulcus immittatur, ſuperimpoſito emplaſtro magnetico ſupradicto. Tumor durus ſenſim leni ſuppuratione diſſolvitur, & tandem cœteris præſidiis internis adhibitis, carcinoma ſanatur.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Stanno.

HÆC vox Stannum multis rebus conceſſa fuit, ut capite ſuperiori diximus: at vero quod hodie Stannum vulgo dicitur, idem mihi videtur ac Κασσίτερον *Græcorum*, Plumbum candidum *Plinii*, Alanoc vel Alaſerub *Arabum*, & Jupiter *Chymicorum*. Alterum eſt ex metallis mollioribus, & ignobilioribus, candidum, ſplendens cum livore quodam, fragile, ſonorum, & dum varie complicatur, ſtridens.

Plurimis in regionibus effoditur. Sed ditiores ſunt hujus metalli fodinæ in Angliæ provinciis Cornubia, & Devonia.

Quamquam ſui coloris in fodinis non reperiatur, purum tamen excoquitur ex lapillis quibuſdam, modo nigris, modo flavis, modo candidis, quandoque pellucidis; ſed raro admodum. Impurum ſæpius occurrit, & mixtum quandoque lapidi candidiſſimo, permixtis fluoribus coloris argentei, quandoque lapidi nigro. Lapis vero cui adhæret, aliquando mollior eſt, & friabilior, aliquando adeo durus ut igne exſcindendus ſit.

Stannum in Cornubia e ſua minera ſic extrahitur. Vena metallica a ſaxo ſterili ſeparata, contunditur in pilis ferreis, quas aqua continuo alluit; ita ut terreæ partes ab aqua indeſinenter præterlabente abripiantur, & metallicæ particulæ, utpote graviores, in fundo ſubſidant. Pulvis adhuc craſſior exſiccatur, & ſub molis ſaxeis teritur, & aqua iterum lavatur. Tum metallum ab omni terra heterogenea purgatum, & probe ſiccatum, in furnum conjicitur, intermixtis carbonibus ligneis: igne ſat vehementi follibus excitato, funditur, & liquatum in furni parte infima colligitur; unde fuſores, aperto furni oſtiolo, metallum in formas quaſdam ex arena paratas diffluere ſinunt, ibique in maſſas grandiores concreſcit. Superior ſtanneæ maſſæ pars adeo mollis eſt, & flexilis, ut ſola elaborari nequeat ſine Cupri miſcela, trium ſcilicet librarum ſuper Stanni libras centum. Maſſæ pars media binas tantum Cupri libras recipit. Infima vero adeo fragilis eſt, & intractabilis, ut cum hujus metalli centum libris Plumbi libras octodecim conſociare oporteat.

Variæ ſubſtantiæ cum minera Stanni permixtæ reperiuntur. Modo ſubſtantia quædam arſenicalis, quæ *Mondick* dicitur, fuſca, ſplendens tamen, & manus fuſco colore inficiens, quæ quidem ab igne in fumum redigitur. Modo alia ſubſtantia alba, ſaponacea, mollis, quæ aqua recens ſolvitur, ſed paulo poſt admodum indureſcit: margæ ſpecies eſt. Hæc terra lapides pellucidos, modo cryſtallinos, modo rubros, quos corneos Adamantes vocant, ſæpe continet.

Stannum omnium metallorum leviſſimum eſt. Ejus gravitas eſt ad auri gravitatem paulo major quam 3. ad 8. Igne facillime funditur, & in calcem albeſcentem cito redigitur.

Si Stanni portio ſupra teſtam lentis vitreæ majoris foco ſub radiis ſolaribus

ribus exponatur, ſummum uberrimum ſpiſſum & quaſi filamentoſum effundit, & in albam, raram, & tenuiſſimam reducitur calcem, quæ paulo poſt diuturniori ac vehementi ſolis ardore, in tenuiſſimas cryſtallos ſeu filamenta tenuia cryſtallina & hiſpida concreſcit. Cryſtallina hæc ſubſtantia non amplius funditur, niſi miſceatur cum materia pingui vel carbonum pulvere: tunc enim in Stannum promptiſſime convertitur.

Stanni limatura flammæ candelæ inſperſa accenditur, flammam candelæ cæruleam reddit, & fumum emittit cum odore ſulphureo Allium leviter redolente. Stannum cum Nitro in crucibulo fuſum fulgurationem levem excitat. Unde patet hocce metallum componi ex terra quadam cryſtallina, quæ ſola difficillime funditur, & principio ſulphureo inflammabili, cui fortaſſe nonnihil arſenicalis ſalis permiſcetur.

Stannum cœteris metallis citius funditur: illis facillime adhæreſcit: hinc cuprea vaſa & ferreæ laminæ, ne rubiginem contrahant, Stanno illinuntur. Ea quoque intime penetrat, duriora efficit & fragiliora, nec niſi ſummo labore ab iis ſeparatur, unde dicitur metallorum Diabolus.

Non ſolvitur Stannum niſi ab Aqua regia. Ejus ſolutio auri ſolutionem eleganti purpureo colore tingit.

Quidam liquor perpetuo fumans, ſeu, ut ajunt, Spiritus cum aere fermentans, ex Stanno ſic paratur.

♃. Stann. puriſs. p. j. Hydrargyri p. iij. Fiat amalgama, cui adde Mercurii ſublimati corroſivi p. iiij. Hæc prompte & accurate mixta in retortam vitream conjiciantur. Ejus collo applicetur excipulum, cujus fundo ſupponatur patina aqua frigida repleta, & diſtillatio igne arenæ inſtituatur. Primo prodit liquor pellucidus; deinde ſpiritus impetuoſe erumpentes, ac tandem flores albi ad collum & partem ſuperiorem retortæ elevantur. Tunc ceſſata diſtillatione, ſeparetur liquor turbidus in phiala exacte obturata ſervandus: nam ſtatim atque aeri libero exponitur, in fumos ſpiſſos & uberrimos effunditur.

Internus Stanni uſus rarus eſt: ejus vires adverſus uteri & pulmonum affectus a quibuſdam prædicantur. Præſcribitur ejus limatura a ℈j. ad ʒj. per plures dies. Chymicæ Stanni præparationes præcipuæ ſunt Sal Jovis, Antihecticum Poterii ſeu Diaphoreticum Joviale, & Aurum muſivum.

Sal Jovis ex hujus metalli calce igni reverberii per duas treſve horas expoſita præparatur cum aceto diſtillato potentiſſimo, non diſſimili ratione ac ſal Saturni. In uteri ſuffocationibus & affectibus hyſtericis commendatur a granis ij. ad vj. repetitis vicibus.

Diaphoreticum Joviale, quod & Antihecticum Poterii, ſic conficitur.

♃. Reguli Martialis ſtella inſigniti, & Jovis puriſſimi ana p. æquales. Fluant in crucibulo, poſtea in conicum vas aheneum calefactum & ſebo intus illitum conjiciantur. Scoriis rejectis, reperitur in fundo regulus Jovialis. Hujus reguli pars una, & tres partes Nitri puri (quod Poterius Aquam ſuam hermaphroditicam vocat,) contuſæ accurate

curate miſceantur, & in crucibulum candens cochleatim injiciantur: calcinentur ſimul. Tandem maſſa in pultem redacta, in catinum aqua calida plenum projiciatur, edulcoretur aqua calida pluries affuſa, & exſiccetur. Remanebit pulvis albus ad cæruleum vergens, cujus doſis a ℈ß. ad ʒj. in febribus hecticis, tabe, phtyſi, & ſanguinis exputione. Salſam ſanguinis & humorum craſim corrigit ac demulcet.

Aurum muſivum vel muſicum quorumdam ſic conficitur.

℞. Stanni Anglici puriſſimi ℥j. Mercurii ex Cinnabari revivificati ʒx. Fiat amalgma, quod quidem miſceatur cum ſulphuris communis ʒx. Salis ammon. ℥j. Omnia tenuiſſime trita & accurate mixta igne vehementi ſublimentur per quatuor horas. Quædam Cinnabarina ſubſtantia ad vaſorum partem ſuperiorem elevabitur. In ima vero parte ſpongioſa ſubſtantia aurei coloris remanebit, quæ plurimis aquis lota Aurum muſivum dicitur. Pictoribus inſervit & Medicis. Diaphoreticum exiſtimatur a gr. x. ad xxx. in hyſtericis affectibus, morbis hypochondriacis, & febribus malignis.

ARTICULUS TERTIUS.

De Ferro.

FErrum vulgare, Σίδηρος *Græcorum*, Mars *Chymicorum*. Metallum eſt ignobile, duritie inſigne, ſonorum; colore albo ſplendente cum quodam livore, ſi expolitum ſit; nigricante vero, ſi rude ſit & impolitum.

Duplex eſt, Ferrum non purgatum ſeu vulgare, & purgatum quod a Græcis Στόμωμα, a Latinis Acies, Chalybs a quibuſdam nuncupatur.

Uti nullum metallum adeo humanis uſibus neceſſarium eſt quam Ferrum, ita quoque nullum eſt quod ubique fere locorum majori ubertate proveniat; ita ut vix in orbe regio comperiatur, ubi id non præſto ſit. Plurimæ ſunt hujus fodinæ in Gallia noſtra: licet præſtantiora ſint Ferrum & Acies, quæ in Germania effodiuntur.

Ferrum variis ſub ſpeciebus e terra eruitur: modo ſincerum in fodinis reperitur, vel granorum vel maſſæ inſtar: modo ex lapidibus ferreis ponderoſis, diverſi coloris, fuſcis, flavis, vel rubris: modo ex arena tenui, ponderoſa, flava vel rubra. Nec ſimiles ſunt ferri venæ: aliæ enim metallum facile fundunt; aliæ vero illud diffluere vix ſinunt, nec niſi magno labore. Quædam enim venæ in tenuja fragmenta conquaſſatæ, & cum ligneis carbonibus intermixtæ, intra paucas horas in metallum diffluunt: aliæ vero difficile liquefcunt, nec niſi calx viva, marga, aut lapides fuſiles iis admiſceantur ad fuſionem promovendam & juvandam.

Metallum probe liquatum in formas prægrandes infunditur, ubi in maſſas concreſcit, vulgo *les Gueuſes*, longiores & craſſiores. Singula maſſa denuo igne liquatur, & fuſa fortiter & aſſidue haſta ferrea hinc inde agitatur, ut malleo tractabilior fiat. Tandem concretum metallum adhuc

ignitum

ignitum malleis ſubjicitur, & heterogeneæ partes aduſtæ vel vitrificatæ repetitis ictibus exprimuntur, & foras amandantur.

Sic paratum Ferrum in fornace, follium flatu, & igne carbonum excandeſcit, ignitumque ſuper incudem malleis extenditur, & varias formas recipit ad arbitrium.

Ferrum tamen unum ab altero multum differt. Etenim unum eſt tenax, quod optimum; mediocre quoddam, quod medium bonitatis locum ſolet tenere; quoddam rude, inæquale, & fragile, quod deterrimum. Quod quidem vitium non ex Ferri natura, & indole procedit, cum ubique terrarum unum & idem ſit; ſed ex eo quod terreſtrium, vitriolicarum, & ſulphurearum particularum majori vel minori copia inquinatum ſit.

Ex ferro ſæpius liquefacto, & a recrementis purgato Acies oritur, Gallice *Acier*. Quibuſdam in locis Ferri vena ſtatim in Aciem abit, alibi vero difficilius. Variæ ſunt Ferrum in Aciem convertendi rationes. Si Ferrum ſit optimum, liquatur in fornacibus, & liquato affunditur per vices mixtura ex æquis partibus ſalis tartari, ſalis alcali, plumbeæ ſcobis, & raſuræ cornu bovini, metallum fuſum identidem agitando, ac tandem maſſa incudi appoſita malleorum ictibus in baccillos extenditur.

Si vero Ferrum novam fuſionem ferre nequeat, hæc operatio alio modo perficitur. Ferreas virgas digiti craſſitie accipiunt, & in vaſe terreo idoneo alternatim per ſtrata diſponunt cum mixtura ex partibus æquis fuliginis, pulveris carbonum, raſuræ cornu bovini, vel pili vaccini. Vas repletum operculo tegitur, luto diligenter oblinitur, & in furno reverberii collocatur. Tunc ignis accenditur & gradatim augetur, donec vas excandeſcat. Poſt horas ſeptem vel octo igne per ſe extincto, ferreæ virgæ ex vaſe extrahuntur in Aciem tranſmutatæ; quod quidem dignoſcitur virgas diſrumpendo. Si enim micæ metallicæ ſplendentes, tenuiſſimæ ac denſiſſimæ appareant, optima eſt; ſi vero rariores ſint & latioribus poris interſperſæ, minus bona. Nonnumquam micæ exteriores denſiores ſunt, interiores vero raræ: quod ſignificat Aciem non ſufficienter calcinatam fuiſſe. Tum iteranda eſt ſtratificatio & calcinatio, ut Ferri in Aciem converſio perficiatur.

Ferrum omnium metallorum duriſſimum eſt. Sed Acies majorem adhuc duritiem & rigiditatem acquirit, ſi ignita aqua frigida ſubito extinguatur. Ferri gravitas eſt ad auri gravitatem fere, 3. ut ad 7. Ferrum aqua maceratum ferrugineum ſaporem ipſi conciliat; ab ea enim ſolvitur, & in rubiginem ſeu calcem flavam convertitur; quod quidem intra paucum tempus peragitur, ſi alternatim Ferrum aqua humectetur, & poſtea exſiccetur. Ferrum enim aqua immerſum, nonniſi poſt longum temporis ſpatium eroditur. Nec a rubigine præſervari poteſt, niſi pinguibus illitum. Scobs ferrea in acervum congeſta & aqua humectata adeo incaleſcit, ut, ſi ſulphur admoveatur, flammam concipiat, modo magna ſit limaturæ congeſtæ copia. Ferrum igne reverberii diutius calcinatum, in calcem obſcure rubram vel purpuream reducitur. Igne vehementi excandeſcens, ita ut liqueſcere incipiat, ſub malleis in ſquamas diſſilit, quæ nihil aliud ſunt, quam Ferrum ſemi-vitrificatum.

catum. Quædam vero Ferri portio in fornacibus cum cineribus carbonum aut terreſtribus partibus in ſpumam vitreſcentem abit, quæ Ferri ſcoria dicitur.

Hoc Metallum ab acidis quibuſcumque diſſolvitur; intactum vero relinquitur a ſalibus alcalicis.

Limatura Ferri in flammam injecta accenditur, & ſcintillas vividas ac rutilantes excitat. Æquales ſcobis ferreæ ac Nitri portione in crucibulum candens conjectæ, mox quidem ebulliunt, & fumum copioſum ac fœtidum emittunt: tandem deflagrant cum fulguratione. Scobs ferrea in ſpiritum Salis vel Vitrioli injecta vehementem excitat efferveſcentiam cum copioſo fumo prorſus ſulphureo, cui ſi candela accenſa admoveatur, ſtatim flammam concipit ſæpe cum fragore & vaſorum diſruptione.

Ferrum foco lentis vitreæ majoris, ſub radiis ſolaribus admotum ſupra tegulam, ſtatim liqueſcit, fumos emittit copioſos, ac tandem in materiam friabilem, & ſubnigram convertitur, non amplius ductilem & ſemi-vitrificatam. At vero Ferrum eidem foco ſuper carbones expoſitum liqueſcit, & paulo poſt in ſcintillas totum diffunditur, & evaneſcit. Idem accidit Ferro in tegula ſemivitrificato, dummodo ſub radiis ſolaribus e tegula in carbones transferatur. Nam priſtinam metalli formam, ſplendorem nempe & ductilitatem recuperat, & poſtea totum in ſcintillas diſſipatur.

Ex his liquet Ferrum bituminoſæ ſubſtantiæ portionem non mediocrem continere; quæ cum ſale vitriolico conſociata, tanta terræ metallicæ vitreſcibilis copia implicatur & irretitur, ut nonniſi difficillime cum Nitro deflagrationem & fulgurationem ſuſcipiat. Nec parvam eſſe ſalis vitriolici copiam intelligitur ex Ferri ſolubilitate in aqua ſimplici, ex hujus aquæ ſapore, & ex ferreæ ſcobis aqua madefactæ incaleſcentia, quæ quidem a ſalium in terram metallicam actione oritur. Quoddam tamen intercedit diſcrimen inter ſulphuream carbonum ſubſtantiam, & Ferri ſulphur; quandoquidem Ferrum ſulphure carbonum imbutum ſolarium radiorum in foco totum in ſcintillas diſſiliat.

Ferrum itaque ex ſubſtantia bituminoſa, ſeu principio inflammabili, ſale vitriolico & terra quadam vitreſcibili, conjunctis quidem, ſed non intime unitis, componitur. Et revera ſi argilla, terra nempe vitreſcibilis & vitriolica cum ſubſtantia quacumque inflammabili ignis ope conſocietur, fit Ferrum; quod etiam fieri ſolet in deflagratione quorumcumque corporum inflammabilium, & in eorum cineribus Magnetis ope detegitur, licet ante deflagrationem in hiſce ſubſtantiis vel tenuiſſime tritis nulla Ferri portiuncula deprehenderetur.

Utiliſſimum metallum Ferrum eſt, quo vita humana carere vix poteſt. Nam præter tot ac tanta inſtrumenta quæ ex hoc metallo conficiuntur, præſtantiſſima ſuppeditat remedia adverſus morbos quamplurimos. Antiquis Græcis ſalutares Ferri intus ſumpti virtutes non ignotæ fuerunt. Ferri rubigini a Dioſcoride vis reſtrictoria tribuitur, & præſertim ad ſiſtenda uterina ſanguinis profluvia. Ab eodem commendatur vinum vel aqua in qua

Fer-

Ferrum ignitum extinctum fuit, ad cæliacos, dyſentericos, lienoſos, cholera laborantes, & diſſolutos ſtomacho ſanandos.

Duplex in Ferro virtus a Medicis agnoſcitur, aperiendi nempe, & adſtringendi. Menſtrua enim ſuppreſſa promovet; hepatis, lienis, & viſcerum obſtructiones reſolvit, hæmorrhagias ſiſtit, & diarrhæas, laxatas viſcerum fibras adſtringendo, ſanat. Dicitur præterea Alexipharmacum mali hypochondriaci, & Panacea cachexiarum. Quidam vim aperiendi quibuſdam Martis præparationibus tribuunt, vim adſtringendi vero alii: ſed omnes Ferri præparationes adſtringunt ſimul & aperiunt, licet aliæ longe efficacius, aliæ vero debilius.

Ad uſum medicum Ferrum Chalybe longe præſtat; & limatura Ferri ſincera, tenuiſſima, & velut in alcohol redacta, omni præparationi a multis anteponitur ad menſes promovendos, & ad viſcerum obſtructiones reſerandas. Doſis a gr. xij. ad ʒß. ſemel vel bis in die ſub pilularum, tabellarum, vel boli forma.

℞. Limaturæ Martis tenuiſſimæ & per ſetaceum trajectæ ʒiiij. Cinnamomi acuti pulverati ʒß. Mucilaginis gumm. tragacanthi q. ſ. Fiant pilulæ ex arte. Doſis ℈j. mane jejuno ventriculo, & quatuor horis poſt prandium, hauſtum vini aqua diluti ſuperbibendo. Vel

℞. Limaturæ Martis alcoholizatæ ℥j. Cinnamomi ʒj. Caryophyllor. ℈j. Sacchar. albi in aqua Artemiſiæ ſoluti, & in electuarium ſolidum cocti ℥vj. Fiant tabellæ ſecundum artem, quarum doſis ʒij. mane & ſero. Vel

℞. Limaturæ Martis ſubtiliſſimæ ʒij. Radicum Ari exſiccatarum & pulveratarum ʒiij. Cryſtallor. Tartari ʒvj. Gumm. ammoniaci, Myrrhæ, Cinnamomi, Nucis moſchatæ ana ʒj. Croci pulver. ʒß. Syr. de Abſynthio q. ſ. Miſce. Fiat opiata, cujus doſis ʒij. mane & ſero ad cachexias virginum.

In infuſione etiam præſcribitur Ferri limatura nodulo incluſa in apozematibus aperientibus, & in juſculis alterantibus. Ex ea quoque paratur vinum chalybeatum.

℞. Limaturæ Martis puræ & ſinceræ ℥j. vini generoſi ℔j. Digerantur in loco tepido per 12. horas, identidem agitando. Doſis ℥iiij. bis in die. Vel miſceatur in apozematibus & ptiſanis cochlear unum aut alterum pro ſingulo cyatho.

Ex limatura Ferri cum Tartaro parantur aquæ Martiales artificiales, ut Capite *de Aquis mineralibus* diximus.

Medicamenta ex Marte præparata, vel aperientia exiſtimantur vel adſtringentia. Inter aperientia numerantur Crocus Martis aperiens, ſal ſeu vitriolum Martis, ſal Martis Riverii, Tartarum Martiale ſolubile, Tinctura Martis aperiens, flores Martiales. Inter adſtringentia recenſentur Crocus Martis adſtringens, Tinctura Martis adſtringens ſeu antiphtiſica.

Crocus Martis aperiens ſimplicior & præſtantior eſt Ferri rubigo, quæ fit dum Ferri limatura verno tempore ſub dio exponitur, donec rore & pluviis vernis identidem madefacta tota in rubiginem convertatur. Tunc rubigo tenuiſſime contrita ſervatur ad uſum. Doſis a gr. x. ad ℈ij.

Alius præparatur Crocus Martis cum Sulphure, hac ratione.

℞. Limaturæ Martis & Sulphuris pulverati partes æquales. Miſceantur, aqua communi humectentur, & in paſtam non molliorem redigantur. Reponantur ad fermentationem ſuper patinam fictilem in loco moderate calido per horas quatuor aut quinque. Senſim incaleſcit paſta, intumeſcit, rimas agit, fumos emittit, exſiccatur, & per ſe calcinatur. Tunc patina prunis ardentibus imponatur, maſſam identidem agitando cum ſpatula ferrea, donec omne ſulphur deflagratum ſit. Remanebit pulvis purpureus, ſcilicet Crocus Martis aperiens cum ſulphure paratus. Doſis a gr. xv. ad ʒj.

Sal ſeu Vitriolum Martis ſic præparatur.

℞. Limaturæ Martis ab omni ſorde purgatæ ℔ß. Huic affunde aquæ tepidæ ℔ij. Adde paulatim olei Vitrioli ℔ß. Digerantur ſimul, donec peracta ſit diſſolutio. Tum liquor a fœcibus per inclinationem ſeparatus evaporetur ad pelliculam, deinde in loco frigido reponatur ad cryſtallizandum. Cryſtalli virides concreſcent; quibus ſemotis, denuo evaporetur liquor, & ad cryſtallizationem reponatur. Cryſtalli optime exſiccatæ ſerventur ad uſum. Doſis a gr. ij. ad ℈j. in vehiculo convenienti. Vomitum excitat, ſi nimia doſi exhibeatur. Non ſolum ad obſtructiones reſerandas commendatur, ſed etiam ad vermes necandos.

Sal Martis Riverii fit infundendo in ſartaginem ferream ſpiritus vini & olei vitrioli partes æquales. Sartago affere contegatur, & ſoli exponatur vel in hypocauſto reponatur per aliquot dies. Fiet ſalina concretio probe exſiccanda & ſervanda. Doſis a gr. ij. ad xx. Obſtructiones aperit, viſcera roborat. In malo hypochondriaco, in cachexiis, in obſtructionibus hepatis & lienis diuturnus illius uſus a Riverio commendatur.

Tinctura Martis aperiens ſic conficitur.

℞. Limaturæ Ferri rubiginoſæ ℥xij. Tartari albi ℔ij. Bulliant in cacabo ferreo cum aq. pluvial. q. ſ. per 12. vel 15. horas, identidem cum ſpatula ferrea agitando. Percoletur liquor, & ad Syrupi conſiſtentiam inſpiſſetur. Obſtructiones aperit, in menſtruum ſuppreſſione, in cachexiis, hydrope, & morbis ab obſtructionibus feliciter præſcribitur. Doſis a ʒj. ad ℥ß. in juſculo alterante, aut alio quovis liquore conveniente.

Tartarum chalybeatum ſolubile fit ſolvendo in ſupradictæ Tincturæ ℔j. Tartari ſolubilis ℥iiij. & ſolutionem ad ſiccitatem uſque evaporando. Remanet pulvis ſalinus fuſcus, accurate ab humiditate ſervandus. Doſis a gr. x. ad ʒj. in vehiculo idoneo.

Flores Martis, ſeu Mars diaphoreticus, & flores ſalis ammoniaci Martiales ſic præparantur.

℞. Ferruginis ℥xij. Salis ammoniaci pulverati ℥viij. Miſceantur; & ex cucurbita terrea, in igne aperto, applicato capitello vitreo, ſublimentur. Elevantur flores flavi ſalini. Doſis a gran. vj. ad xx. Potenter attenuant, incidunt, aperiunt. Sudores & urinas promovent, alvum ſtimulant; & ſæpe, ſi majori doſi exhibeantur, nauſeas excitant. Utiliter exhibentur in febribus con-

tumacibus, in aſthmate & malo hypochondriaco, & aliis morbis chronicis.

Crocus Martis adſtringens fit limaturam Martis aceto ſæpius irrorando, donec in rubiginem prorſus convertatur: deinde igne reverberii hæc rubigo calcinatur, & in tenuiſſimum pulverem rubicundum redigitur. In diarrhæis, dyſenteriis, & hæmorrhagiis quibuſcumque utiliter præſcribitur. Doſis a gr. xv. ad ℈j. ſub forma boli, tabellarum, vel pilularum.

Tinctura Martis adſtringens, vel Tinctura antiphtiſica, hac ratione præparatur.

℞. Vitrioli Martis ℥j. Terræ foliatæ Tartari ℥ij. Separatim pulverentur: poſtea fiat mixtura aſſidue in mortario vitreo terendo, donec pulveres inſtar paſtæ mollioris liqueſcant, & rubrum colorem adipiſcantur. Senſim affundantur ſpiritus vini rectificati ℥iiij. & ſpiritus ſtatim colore rubro tingitur per inclinationem ſeparandus a fœcibus. Doſis a gutt. x. ad xxx. Hæmorrhagias ſiſtit, gonorrhæas, & album mulierum fluorem; pulmonum ulcera detergit, & exſiccat, unde ſæpe in phtiſi utiliter exhibetur: cum Balſami Copaivæ parte æquali conſociatur, & permiſcetur. Hac in præparatione ſalem Saturni qui vulgo uſurpatur, rejeci, & in ejus locum terram foliatam ſubſtitui, quæ Tincturam pariter extrahit; & præterea immunis eſt ab omnibus noxis, quas Plumbi præparationes intus ſumptæ inferre ſolent.

Uſitatioribus Ferri præparationibus enarratis, quænam ſint hujus metalli virtutes, & quæ cautiones in Martialium remediorum uſu obſervandæ, paucis inquiramus.

Proprietates duæ a Medicis deteguntur in Ferro: alia aperiens eſt, adſtringens alia. Inde Chymici Martem variis modis contorquent, crocos, tincturas, ſalia conficiendo, quibus vis aperiens adſtringenſve hujus metalli eliciatur. At notatu dignum eſt adſtringentes Ferri præparationes quandoque urinas & alvum movere, aperientes vero ſæpe ſanare alvi profluvia diuturniora, & quamlibet Martis præparationem menſtrua provocare ſuppreſſa, & eorum fluxum immoderatum compeſcere.

Horumce phænomenon cauſam quærenti ſola Ferri ſtypticitas occurrit. Quæ quidem cauſa unica pro varia corporum diſpoſitione, diverſos, & prorſus contrarios producit effectus. Licet igitur aperiens videatur Ferrum, conſtat tamen adſtrictione ſola ſuam adimplere virtutem; quæ quidem agendi ratio ſic concipi poteſt.

Sanguinis ſtatus morboſus triplex eſt. Vel enim glutinoſus eſt, qui nempe ſpiritibus depauperatus in tenaciori lympha natat: tunc omnibus in vaſis hæret, & obſtructiones vulgo cachecticas procreat. Vel craſſus eſt ſufficientique orbatus quantitate lymphæ ſanguis, unde aduſtus dicitur, & melancholicus: facile tenujoribus, ſiſtitur in vaſis, & ſchirroſas ſcorbuticaſque producit obſtructiones. Vel nimia ſeri copia turgens ſanguis, undequaque diffunditur, viaſque inſolitas ſibi aperit.

Hæc omnia fiunt, quod liquores corporis manare nequeant niſi vaſo-

 rum

rum contractione. Sic ubi ſpiſſior eſt lympha, fibrarum elater vaſorum ad ſanguinis propulſionem eſt impar: unde leucophlegmatia, chloroſis virginum, fluxus muliebris ſuppreſſio, chachexiæ & aliæ hujuſmodi affectiones. Ubi lympha orbatus eſt purpureus latex, ſoliditatem, ſi fas ſit dicere, adipiſcitur, & fibrarum elaterem eludit. Hinc naſcitur obſtructio pertinax, ut ſcirrhus; quas quidem obſtructiones hæmorragiæ ſubſequuntur curatu difficillimæ, ut hydropicis ſæpiſſime accidit. Ubi tandem canales tenujori & uberiori lympha madent, elaterem amittunt. Sic ſanguis nimis dilutus lympha partium texturam laxando, & debilitando, inſolitas petit vias; & diarrhææ, diabetes, hæmorrhagiæ, hydrops prodeunt.

Quiſnam ſit Ferri effectus his in ægritudinibus, ex hujuſce metalli ſapore ſatis patet. Ferri ejuſque præparationum ſapor ſtipticus eſt; linguæ, palati, totiuſque oris fibras potenter adſtringit: inde copioſior ſolito fluit ſaliva, frequentius ſputum. Ex his dijudicare poſſumus Martis agendi rationem in corpore. Martialibus nempe intus ſumptis fibræ conſtringuntur, earum elater reſtituitur vel augetur. Humor in fibrarum interſtitiis ſtagnans expellitur, vaſa validius contracta inſpiſſatos ſuccos conterunt, ac fluidiores efficiunt, omniumque corporis ſuccorum motum accelerant.

Quod in ſolidis, illud idem in fluidis Mars operatur. Fibroſam ſanguinis partem conſtringit, fluidiuſque ſerum ex parte fibroſa elicit; idque bonis vel magis ægri rebus, pro opportuna vel minus opportuna occaſione. Quare judicio opus eſt, ut dignoſcatur quo caſu conveniant, necne, Ferrum & ejus præparationes.

Cachecticis in affectibus ut leucophlegmatia, coloroſi, menſium ſuppreſſione, aut alia qualibet affectione in qua ſanguis tenax, & viſcidus hæret, Ferrum ejuſque præparationes ſaluberrimæ ſunt. Martis enim vi adſtringente ad ſe invicem approximantur partium ſolidarum fibræ, & lympha in earum interſtitiis ſtagnans exprimitur, intra vaſa recipitur, ibique ſanguinis ſolutionem promovet. Sic exſiccatis, & firmatis fibris, earum priſtinus redit elater, ſucci ſpiſſiores vividius commoliuntur, circuituſque liquorum, ut par eſt, reſtituitur.

Non eadem Mars præſtat commoda in ſcirrhoſis, ſcorbuticis aut melancholicis affectibus, quod ſanguis lympha privetur. Fibræ enim jam criſpatæ a Ferro magis adhuc corrugantur, nec amplius oſcillatorio motu moveri poſſunt. Lentus jam ſanguis tardiori fluit motu, quod ſanguinis portio fibroſa magis ac magis coarctetur, & ſero ſuperſtite ſpolietur. Nocet ergo his in affectibus Ferrum; & licet aperiens proclametur, obſtructionibus iſtis ſolvendis, aut hæmorrhagiis quæ eas ſubſequuntur ſiſtendis omnino impar eſt.

Nec minorem expoſtulant conſiderationem evacuationes nimiæ. In hæmorrhagiis, v. g. alvi fluxu, continuis ſudoribus, hydrope; aliiſque a copioſiori ſero affectibus, Ferrum ſaluberrimum eſt; quod fibras firmiores efficiat, ſerum amandet, & amiſſum fibrarum elaterem reſtituat. Verum ſi ab obſtructionibus pertinacioribus oriantur illæ evacuationes, ut in febribus hecticis evenire ſolet, Martis præparationes maxime nocent: quippe quæ ſeroſam

roſam ſanguinis portionem a fibroſa ſeparando, eam foras amandent, evacuationeſque uberiores efficiant; ac præterea fibrarum rigiditatem intra ſolidas partes adaugeant, & majores adhuc pariant obſtructiones. Licet quoque incipienti conferat hydropi Ferrum, non idcirco inveterato pariter convenit. Lympha enim quæ vias ſibi aperuit in abdominis cavitatem, fibroſam ſanguinis partem relinquit fere exſiccatam: Mars vero jam fere orbatum humore ſanguineum laticem lympha reſidua brevi ſpoliaret, & ægrotans cum artuum ſupernorum marcore brevi fieret infauſti Martis hoſtia. Ergo a ſtipticitate Ferri quicumque boni malive effectus pendent, quæ ſtringit aut reſerat. Stiptica quæque non eoſdem, quos Mars, præſtare valent effectus. Hoc Ferro peculiare eſt, quod ſuam vehat ſtipticitatem vix alteratam per omne corpus; quod quidem ſtipticis e vegetabilium familia deſumptis non ſuccedit. Horum enim ſtipticitas in primis viis ita alteratur, ut ea ſanguis vix afficiatur: verum Mars ventriculi inteſtinorumque ſuccis ſolutus, in actum erumpit, & ſanguineo latici permixtus per totum corporis habitum diffunditur, & vim ſuam adſtringentem exerit.

Obſervandum eſt Ferri ſubſtantiam ſolam felicius præſcribi quam ſalibus imprægnatam. Mars enim ſalibus ſatiatus non ita facile a ventriculi ſuccis penetrari, nec diſſolvi poteſt.

Nec omittendum eſt exercitationem per Martialium uſum admodum neceſſariam eſſe, tum ad faciliorem Martialium particularum diſtributionem, tum etiam ad fibrarum oſcillationes reſtituendas, & ſuccorum circularem motum accelerandum.

ARTICULUS QUARTUS.

De Ære.

ÆS vel Cuprum vulgare: Χαλκός *Græcorum*: Venus *Chymicorum*. Unum eſt ex ignobilioribus metallis duris, ferro mollius, ſonorum, colore rubro nitente, dum expolitum eſt, fuſile, & adeo ductile, ut in tenuiſſimas bracteolas duci queat.

Æs in venis purum quandoque reperitur, & varia figura, bracteolarum ſcilicet, ſtiriarum, virgularum, ramuſculorum, globulorum, vel maſſularum: ſed ſæpius in Pyrite aut in peculiari minera reconditur. Pyrites ærosa aureo nitore & quidem elegantiſſimo nonnunquam diſtinguitur, licet hæc minera eo metalli feracior non fit; quandoquidem a ſulphure combuſtibili color ille pendeat.

Æris vena non ubique eadem eſt. Alia enim flaveſcens: alia purpurea, ſeu violacea: alia cinerea: alia nigra; ſæpe cum ſcintillis aut venis aureis, & tinctura virideſcente permixta.

Æs raro ſolum in ſua minera continetur, ſed alia metalla habet adjuncta, argentum, ferrum, plumbum; & magna ſulphuris combuſtibilis copia ſeparatu difficili ut plurimum involvitur. Pro diverſis rebus quæ cum Cupro permiſcentur, ejus minera diverſimode tractatur.

Vena quæ plurimo ſulphure turget, comburitur iteratis calcinationibus; donec totum ſulphur exhalatum fuerit. Torrere id vocant artifices.

Goslarienſis minera Cupri in fragmenta pugni craſſitie contuſa, igne aperto, cœſis lignis & nonnullis carbonibus admixtis, comburitur. Deinde torrefacta minera in fruſtula minutiora contuſa iterum calcinatur: tandem minutiſſime contuſa tertiam ſubit torrefactionem; poſtea funditur in lapideſcentem materiam rubram, quæ Cupri Lapis dicitur. Tum quater iterum torrefit, iterumque liquatur; & Æs nigrum præbet: deinde torrendi vices iterum octo ſuſtinet. Tunc quidem Æs ab omni ſulphure purgatum eſt; ſed argentum continet, quod ſic extrahitur.

Æri argentifero quatuor circiter plumbi partes admiſcentur, plus minuſve, prout plumbum quod adhibetur purius eſt, vel argenti ferax. Hæc intenſo calore ſimul liquantur, & in formas effunduntur ad panes conficiendos. Panes metallici in fornace ſeparatoria duobus lapidibus dimidio digito a ſe invicem ſejunctis imponuntur, & ſuperimpoſitis carbonibus igne mediocri candefiunt; ita ut plumbum argento conſociatum colliquetur, & ex Ære in catinum ſubjectum defluat, Ære tantum in fornace remanente, non liquato, ſed ſpongioſam maſſam referente. Ærea hæc maſſa argento carens, Æs pauper dicitur: & excoquitur ac funditur, donec Æs malleabile, & uſibus aptum fiat.

Hoc in ultimo labore ſcoriæ quædam inſtar Lythargyri ſe produnt; Ære, argento, plumboque gravidæ; quæ deinde, admixto Lythargyro, funduntur ad metallorum ſeparationem perficiendam.

Quidam reperiuntur fontes aquarum æroſarum, e quibus Vitriolum coctione conficitur, aut Cuprum præcipitatione extrahitur mediante ferro; quæ quidem præcipitatio pro ferri in Cuprum tranſmutatione a nonnullis habita fuit. Ejuſmodi eſt fons percelebris ad oppidum Smolnicium in Provincia Zepuſienſi, non procul a monte Carpatho: cujus aqua ferri fragmenta injecta corrodit, eorumque loco Æs ſubſtituit, priſtina ferri figura ſervata. Sic ſolea equi ferrea poſt aliquot dies cuprea educitur ex aqua: ſic Quercus folia in hunc fontem forte delapſa poſt aliquod temporis ſpatium ærea extrahuntur.

Æris fodinæ pluribus in locis reperiuntur: ſed præſtantiores & ditiores ſunt in Suecia & in Germania.

Æs ferro mollius eſt, plumbo & ſtanno firmius. Igne excandeſcit, antequam liquetur. Ejus gravitas ad auri gravitatem paulo pluris eſt quam 4. ad 9. Æri humido expoſitum æruginem contrahit viridem: manibus tractatum ingratum odorem exhalat, & ſaporem præbet auſterum, acrem, nauſeabundum: ab aqua per tempus diſſolvitur, ſicut & ab oleis: a ſalibus quibuſcumque corroditur. Cupri ſolutio ab acidis ſalibus & ab alcalinis fixis viridis eſt; verum ab urinoſis cœruleo colore elegantiſſimo inficitur.

Æris limatura in candelæ flammam injecta excandeſcit, non vero ſcintillat, & flammam virideſcentem efficit: cum Nitro fuſa levem fulgurationem excitat. Ex limaturæ Cupri p. j. & Sublimati corroſivi p. ij. ſimul mixtis, & ex retorta vitrea diſtillatis, Hydrargyrus a ſalibus ſeparatus ſub Mercurii currentis forma foras per retortæ roſtrum prodit:

dit: in fundo vero remanet Cuprum cum ſalibus intime mixtum ſub reſinæ citrinæ vel rubræ ſpecie nunc diaphanæ, nunc opacæ; quæ ad candelæ flammam admota liqueſcit, accenditur, & flammam viridem emittit.

Æs vehementi diuturniorique igne calcinatum, & ſuo ſulphure orbatum, in cinerem ſubrubrum redigitur; qui lentis vitreæ majoris foco ſolari expoſitus ſupra tigillum, in vitrum intenſe rubrum & fere opacum convertitur. Hoc vitrum eidem foco ſuper carbones fuſum, novum ſulphur recuperando, priſtinam Cupri formam recipit.

Ex his concludere poſſumus, Cuprum non mediocrem ſulphuris combuſtibilis portionem continere, licet non tantam, quanta in ferro continetur; metallicam vero ſubſtantiam eſſe terram rubram ſeu vitreſcibilem.

Cuprum ab Hydrargyri vel Arſenici halitu argenteum colorem accipit, ſed non permanentem. Cum Lapide calaminari vel Zincho fuſum, flavo vel aureo colore tingitur, & Aurichalcum dicitur; cujus diverſas præparandi rationes, articulis *de Cadmia & de Zincho*, enarravimus.

Æs propter ſummam ductilitatem & nitorem frequentioris eſt uſus domeſtici. Verum ad uſum medicum rariſſime adhibetur, ſaltem interne. Hocce enim metallum inter venena recenſetur, præſertim ærugo. Edulia enim, vel etiam aqua aliquamdiu in cupreis vaſis ſervata, admodum noxia evadunt. Ventriculi & inteſtinorum dolores & tormina, vomitiones enormes, frequentes & inanes dejiciendi conatus, inteſtinorum exulcerationes, interdum anhelitus difficultatem, & ſpaſmodicas membrorum contractiones, ac triſte letum pro majori vel minori hujus veneni quantitate producunt.

Eadem eſt huic veneno medendi ratio, quæ Arſenico aut Sublimato corroſivo intus ſumptis convenit: lac nempe, oleum, butyrum inſulſum liquatum, primo affatim epota; deinde vomitus largo aquæ tepidæ potu excitatus, enemata cum oleo, butyro aut pinguibus carnium juſculis: tum cardiaca, & corroborantia, ac tandem diæta lactea præſcribatur.

Varia Cupri recrementa a veteribus præparata & in medicamentis uſurpata fuerunt, qualia ſunt ærugo, flos Æris, Æs uſtum, & ſquama Æris: ex his ærugo fere ſola in uſum venit.

Ærugo ſeu Viride Æris *Offic.* Ἰὸς ξυστὸς *Græcorum*: Ziniar *Arabum*: Gallicet *Verdet*, vel *Vert de gris*. Eſt rubigo quædam viridis ex laminis cupreis abraſa. Hæc eſt illius apud Occitanos præparandæ ratio excerpta *ex actis philoſophicis Regiæ Societatis Monſpelienſis*.

Vinacea exſiccata vinoque generoſo irrorata, per novem vel decem dies in vaſis ligneis vel terreis reponuntur ad levem fermentationem concipiendam: deinde manibus contrita in globos congeruntur, & in vaſe terreo huic uſui deſtinato accommodantur, vinique optimi quantitas ſufficiens in illud infunditur, donec globi pars circiter dimidia in vino immerſa ſit. Vas ſtramineo operculo obturatur, & in cella vinaria relinquitur ad macerandum per horas 12. vel 15. globulum quarta quaque hora invertendo, ut vino undequaque penetretur. Poſtea globus digiti unius

 lati-

latitudine a vini ſuperficie elevatur, ſupra teſſellas ligneas adaptatur; & vaſe clauſo relinquitur per 10. vel 12. dies. Tunc vinaceorum globus odorem fortem, ac ſubtilem exhalat, & ad Cupri ſolutionem perficiendam aptus eſt. Globus ille manibus conteritur; ut exterior ejus pars, utpote ſiccior, cum interiori parte adhuc vino madida exacte permiſceatur. Vinacea ſic præparata, in ſupradicto vaſe in quo vinum aceſcens relictum fuit, cum laminis cupreis ſupra teſſellas ligneas ſtratum ſuper ſtratum alternatim diſponuntur: ſtratum inferius ex laminis æreis, ſuperius vero & ultimum ex vinaceis ſemper conficitur. Laminæ ſunt quatuor unciarum longitudine, & trium latitudine. Si Cuprum novum ſit, antequam in uſum veniant laminæ, per viginti quatuor horas in ærugine ſepeliuntur, & poſtea igne paululum calefiunt.

Stratis ſic diſpoſitis & vaſe adimpleto obturatoque, omnia relinquuntur, donec Viride Æris confectum ſit, & in lanuginem ex viridi albeſcentem convertatur: quod quidem pro varia Cupri indole citius vel tardius perficitur. Aliud enim Cuprum æruginem intra ſex ſeptemve dies ſuppeditat, aliud intra duodecim vel quindecim. Tunc e vaſe extractæ laminæ æruginoſæ, aliæ aliis impoſitæ, & vino optimo extremis lateribus leviter imbutæ, ſuper tegetem in diverſas pilas accommodantur in cella vinaria; & linteis vino madidis involvuntur. Sic, inquiunt, Ærugo nutritur per tres hebdomadas: quibus peractis, ærugo cultellis ex laminis cupreis deraditur, & ſervatur ad uſum.

Ærugo pictoribus & infectoribus inſervit. A Medicis vero rariſſime interne exhibetur, ſæpius vero externe. Ulcera detergit & exſiccat, carnes fungoſas & ſuperfluas conſumit, callos exedit. Uſurpatur in balſamo viridi Metenſium *D. Charas*, in unguento viridi, unguento Ægyptiaco, unguento Apoſtolorum, & emplaſtro divino *Ejuſdem*.

Flos æris *Offic.* Χαλκοῦ ἄνθος *Græcorum*. Nihil aliud eſt quam Æs in granula tenuiſſima, Milii inſtar, redactum. Dum enim Æs fuſum in formas delabitur, antequam coeat in maſſam duram, aquæ frigidæ affuſione hæc minutiſſima granula undique erumpunt & diſſiliunt.

Æs uſtum *Offic.* Χαλκὸς κεκαυμένος *Græcorum*. Eſt Cuprum in calcem crocumve redactum, vel ſolum, vel cum ſulphure & ſale interſperſis diuturniori calcinatione in furno reverberii combuſtum. Exſiccat & adſtringit cum quadam acrimonia.

Squama Æris *Offic.* Λεπὶς χαλκοῦ *Græcorum*. Ab Ære uſto parum diſcrepat; ſunt enim combuſtæ Æris particulæ, quæ ex eo, dum malleis percutitur, diſſiliunt. Hæc ſquama, vel etiam ejus loco Aurichalci limatura, cum ſulphure & radice Ireos pulverata calceis interſperſa, tetrum pedum fœtorem reprimit; ſed non ſemper innoxie. Si enim fœtidus ille ſudor incaute reprimatur, majora nonnunquam funeſtaque ingruunt mala.

Quæ ex Ære præparantur medicamenta uſitatiora, ſunt, Præcipitatum viride de quo Articulo *de Hydrargyro* egimus, & Ens Veneris Boyleanum cujus hæc eſt conficiendi ratio.

♃. Colcotharis ex Vitriolo Hungarico cœruleo ſeu venereo, optime calcinati & loti ℥ij. Salis ammoniaci ℥iiij. Miſceantur exacte, & ſublimentur flores ter ſupra caput mortuum cohobandi. Doſis

a gr.

a gr. j. ad vj. Commendatur a Boyleo, & Mayovv in infantum rachitide. Necnon etiam in gonorrhæa inveterata tamquam efficaciſſimum prædicatur.

Ex Cupro, Sale ammoniaco, & aqua Calcis, Tinctura cœrulea paratur, quæ Collyrium cœruleum dicitur, & cujus mentionem jam fecimus. Valet ad oculorum morbos, ad gonorrhæas ſiſtendas, & ad ulcera detergenda, & exſiccanda.

Chymici ſuphur rubrum in Venere contineri exiſtimant, quod ab Helmontio ignis Veneris, & ſulphur Philoſophorum ad vitam longam aptum dicitur. Illud duplici de cauſa ex metallo extrahere tentant: primo, ad præſtantiſſimum remedium adverſus omnes ægritudines, & anodynum inſigne in doloribus obtinendum; ſecundo, ad Cuprum ſua tinctura rubra ſpoliandum, & in metallum album, & argento proximum convertendum. Sed nullum ſulphur aliud in Ære agnoſcimus præter bituminoſam ſeu inflammabilem ſubſtantiam omnibus metallis communem, qualis etiam in omnibus mixtis combuſtibilibus reperitur; quare immeritiſſime tot encomiis illud prædicant. Rubicundus Æris color a terra, non a ſulphure proficiſcitur. Fruſtra ergo ſulphur fixum ex Venere extraxiſſe aſſerunt, variis in Cupri tincturis quas præparaverunt. Tincturæ enim illæ nihil aliud ſunt præter ipſum Cuprum in tenuiſſimas partes diviſum, & menſtruis diverſis diverſo ſub colore innatans; quod quidem harumce particularum præcipitatione facillime demonſtrari poteſt. Fruſtra etiam Venerem ſua veſte rubra denudatam ſeu Cuprum dealbatum, aut, ut ajunt, decappatum oſtendunt, utpote ſuo ſulphure rubro ſpoliatum. Cuprum enim album ſic præparatum non albeſcit propter ſulphuris ablationem, ſed ob terræ albæ in ſalibus alcalinis contentæ adjunctionem, ut doctiſſimus Beccherus recte obſervavit.

CAPUT SECUNDUM.

De Metallis perfectis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Argento.

ARgentum vulgare: *Ἄργυρος Græcorum*: Luna Chymicorum; Eſt metallum nobile ſeu perfectum, candidum, ſplendens, ſonorum, ductile, auro tamen minus perfectum.

Naturale dicitur, quod purum ac ſincerum e terra effoditur: rude, quod cum metallis, & mineralibus permixtum reperitur, & ignis purgatione indiget. Quod purum ac ſincerum eſt, vel in ſaxorum fiſſuris colligitur,

vel

vel a ſaxis ſecretum cum arena, & terra mixtum invenitur. Diverſimode figuratum eſt: nunc ramoſum, laminatum, capillaceum, granulatum; nunc arborum frondes, aut filamenta craſſiora vel tenujora repræſentans; nonnunquam etiam in maſſas prægrandes compactum, qualis fuit illa de qua Olaus VVormius mentionem facit, quæ ex Norvegæ fodinis 130. marcarum pondere eruta fuit.

Rude ſuis mineris continetur, quæ quidem colore inter ſe differunt: Argentea enim vena nunc rubra eſt, Arſenico inquinata; nunc plumbea, quæ ſulphur commune admixtum habet; nunc nigra, purpuraſcens, rufeſcens, vel cineracea, pro variis rebus quæ metallo admiſcetur. Sæpiſſime quoque auri, æris, ſtanni, plumbi mineris conjunctum, majori vel minori copia reperiri ſolet.

Argenti fodinæ pluribus in locis occurrunt, in Italia, in Germania, in Hungaria, in Norvegia, in Anglia: ſed ditiores ſunt Potoſinæ in Peruviana regione, & Mexicanæ.

In Anglia plumbi venæ fere omnes nonnihil Argenti continent; ſed ex ſolis plumbariis fodinis Provinciæ *Cardigan* extrahitur, utpote ditioribus, cum hujus mineræ duo millia pondo decem, quindecim, & nonnumquam viginti libras Argenti ſuppeditent.

Argentum ex plumbo facillime extrahitur. Funditur nempe plumbum in alveis ex cineribus conflatis, & in fornace rite diſpoſitis: tum follium flatu igne excitato, in vitrum redigitur, & ab alveo abſorbetur, Argento puro ſuper alveum remanente.

Difficilius ex argentiferis Peruvianis, & Mexicanis venis educitur, cum non ſolum in venis duriſſimis abſconditum ſit, ſed etiam cum bituminoſis, ſulphureis, & corrodentibus ſubſtantiis, arſenicalibus nempe, & vitriolicis conſociatum; ita ut Argenti portionem non mediocrem hæ ſubſtantiæ in auras ſecum auferant, aut combuſtum, & in ſcorias mutatum relinquant.

Itaque pro diverſa venæ indole, diverſimode tractatur. Si durior ſit minera quam ut malleis conteri queat, igne moderato comburitur, tum ad ſaxum friabilis efficiendum, tum etiam ad ſubſtantias heterogeneas Argento conjunctas dignoſcendum. Argenti vena heterogeneis ſubſtantiis permixta teritur in pulverem tenujſſimum ope moletrinarum huic uſui deſtinatarum; deinde ſi ſulphuris vel ſtibii participet, ferri rubigo vel ſquama illi adjungitur. Si econtra ferrum contineat, ſulphur vel ſtibium venæ conſociantur, & ſimul calcinantur. Tunc venæ rite calcinatæ ſufficiens Hydrargyri quantitas permiſcetur. Nonnunquam vena Hydrargyrum reſpuit, & Mercurius obſcuro colore infectus, non in globulos cogitur, ſed in maſſulas vermiculares, oblongas nempe, teretes & lividas colligitur; quod quidem ſtanni vel plumbi in vena contenti argumentum eſt. Ad mineram his metallis purgandam quaſdam adhibent compoſitiones: Magiſteria dicunt, quorum baſis eſt æs uſtum.

Itaque minera Argenti cum Hydrargyro debite permixta, & ut ajunt amalgamata, in aqua diu conteritur, & lavatur. Quodcumque Hydrargyro conſociari non potuit, ab aqua præterfluente continuo abripitur, ſolo remanente metalli, & Hydrargyri amalgamate ſincero, & nitido.

Tum

Tum amalgama linteis fortiter exprimitur ad ſeparandum Hydrargyrum. Panes argentei poſt expreſſionem reſidui, ignis calori in vaſis terreis exponuntur; ut ſi quid ſuperſit Mercurii, in auras mandetur. Tandem metallum in maſſas funditur, adjuncta quinta circiter æris portione, quod metalli temperatura dicitur, vulgo *l'alliage*.

Argentum ab ære ſeparandi rationem jam expoſuimus, cum magna ineſt æris copia. Si vero exigua ſit æris portio, purgatio inſtituitur cum plumbo in catino probatorio, vulgo *la Caupelle de plomb*. Fit autem catinus probatorius ex oſſibus combuſtis & ad albedinem calcinatis vel ex cineribus lotis, ita ut nihil ſalis retineant. Cineres aqua diluti & in paſtam ſolidam redacti, in cupulam formantur, & exſiccantur. Cupula probe ſiccata in furno inter prunas accommodatur. In ea quatuor vel quinque plumbi partes liquantur, & liquato plumbo Argenti purificandi pars una adjicitur. Cum ambo metalla perfecte liquata ſunt, ignis vis intenditur, ut vitreſcat plumbum; quod aſſiduo follis flatu vitreſcens ad catini oras propellitur, & intra poros ejus abſorbetur, ſaltem pro majori parte, cum quædam portio non mediocris in auras ſub fumi ſpecie avolet. Denique Argentum ſplendens, ſincerum & purificatum in catino remanet.

Si aurum cum Argento permixtum fuerit, alia eſt hæc metalla ſperandi ratio, quæ vulgo *le Depart* dicitur. Si in mixtura metallica magna ſit auri copia, tum adjiciendum erit Argentum purum, ita ut Argenti portio auri quadrupla ſit. Funduntur ſimul: deinde ſolvitur mixtura in aqua forti, quæ ſolum ſolvit Argentum, aurum vero intactum relinquit ſub forma pulveris vel limi nigri, qui, ſolutione per inclinationem ſemota, pluries lavatur ac tandem funditur. Argentum vero ſolutum præcipitatur, affundendo ſolutioni aquæ communis partes duodecim vel quindecim, & laminas cupreas in liquorem immergendo. Argentum enim laminis cupreis adhæret ad inſtar pulveris cinerei, qui exſiccatus in argenteas maſſas igne funditur.

Argentum auro durius eſt, & minus ductile, auro & plumbo levius, ſiquidem liquefactum illis ſupernatat. Ejus gravitas ad auri gravitatem eſt paulo minus quam 5. ad 9.

Nullam rubiginem contrahit; a ſulphureorum halitu nigreſcit; ab aqua forti diſſolvitur, non vero ab aqua regali. Non a plumbo deſtruitur, ſed ab Antimonii parte ſulphurea. Igne diuturniori & vehementiori minuitur & conſumitur. Lentis vitreæ majoris foco expoſitum, tum ſuper teſtam, tum ſuper carbones, in fumos diſſipatur totum, ſed tarde admodum & nonniſi poſt longum temporis intervallum: non vero in vitrum convertitur ſicut cœtera metalla; ex eo quod ſulphureum principium, a quo metallorum ductilitas, ſplendor & opacitas pendent, cum terra metallica tam arcte conjungatur, ut prius avolent metallicæ partes quam in ſua principia dividi poſſint.

Argenti ab omni alio metallo purgati ſolutio limpida eſt, ejuſque cryſtalli nullo colore donantur: ſi vero æris nonnihil contineat, tinctura ſubviridem, vel ſubcæruleam exhibet. Cryſtallorum Lunarium ſapor eſt intenſe amarus. Argentum cum ſale communi quocumque modo permix-

tum

rum in maſſam funditur ſemi-diaphanam, & quaſi corneam, quæ ea de cauſa Luna cornea dicitur, quæ quidem in Argentum difficile reduci poteſt, cum volatilis ſit; ſi enim igne vehementi urgeatur, fere tota in auras avolat.

Arabes Argento caput, & cerebrum roborandi, animaleſque ſpiritus reficiendi vim tribuerunt, quam quidem virtutem Chymici magnopere prædicarunt. Hinc in plurimis Arabum compoſitionibus cephalicis, & roborantibus Argentum foliatum præſcribitur. Hinc apud Chymicos Tincturæ Lunares, Luna potabilis, Diaphoreticum Lunare, Bezoardicum Lunare, & cœtera hujuſcemodi præparantur. Verum de inſigni illa virtute cephalica, & roborante non ſatis nobis conſtat: neque etiam hocce metallum pretioſum omni prorſus virtute carere aſſerere audemus.

Ejus folia uſurpantur in Confectione de Hyacinthis *D. Charas*; in Pulvere lætificante *Ejuſdem*; & ſæpe ad bolos vel pilulas involvendas adhibentur.

Argenti Chymicæ præparationes uſitatiores ſunt Cryſtalli Lunares, & Lapis infernalis. Cryſtalli Lunares ſeu Catharticum argenteum ſic præparantur.

℞. Lunæ purificatæ ℥j. ſpiritus Nitri ℥ij. vel iij. Fiat diſſolutio, quæ ad tertiæ partis diminutionem evaporetur. Deinde in loco frigido reponatur, & concreſcent cryſtalli eximendæ, & exſiccandæ. Superfluus autem humor denuo ad medietatem evaporetur, & ad cryſtallizandum reponatur, ut prius. Omnes cryſtalli collectæ in aqua limpida reſolvantur. Solutioni adjiciatur Nitri purificati ℥j. Solutio de novo evaporetur, & cryſtallizetur. Cryſtalli ſerventur ad uſum. Eſt Luna hydragoga, vel Vitriolum Lunæ purgans, cujus doſis a gr. iij. ad viij.

Commendatur in paralyſi, in hydrope aſcite. In tenuiſſimum pulverem redactæ, & cum mica panis piſtæ in pilulas rediguntur, quæ Pilulæ Lunares Boylei dicuntur, & in hydrope aquas potenter educunt.

Lapis infernalis, ſeu Cauſticum perpetuum ſic conficitur.

℞. Argenti purgati ℥j. ſp. Nitri ℥iij. Fiat diſſolutio. Balneo arenæ phlegma evaporetur ad mediæ partis diminutionem. Maſſa reſidua in crucibulum capax infundatur, inter prunas collocetur, ut igne moderato ebulliat. Cum maſſa, finita ebullitione, magis depreſſa videbitur; urgeatur ignis, & olei inſtar fluida apparebit: tum effundatur in canaliculos metallicos, quos vulgo *Lingotieres* vocant, prius calefactos, & ſebo illitos. Ibi concreſcet in baculos ſervandos, & ab aeris humiditate caute præſervandos.

Cauſticum eſt egregium, & perpetuum. Carnes & oſſa, quæ prius madefactum tangit, citiſſime corrodit, & conſumit.

Quædam Lunares Tincturæ ſaphyrinæ vel cœruleæ a Chymicis mirum in modum prædicantur. Sed Tincturæ Lunæ improprie dicuntur, cum ſint potius Tincturæ Veneris, quarum uſum internum minus tutum cenſemus. Argenti autem Tinctura omnino diaphana eſt ſeu cryſtallina, cujus virtus mihi adhuc incomperta eſt.

Mu-

Mulieres ex Argenti & Hydrargyri ſolutionibus aquam præparant ad capillos nigro colore tingendos. Sic autem præſtantior conficitur.

℞. Argenti granulati ℥j. Aq. fortis ℥ijß. Fiat diſſolutio. Diſſolvantur quoque ſeorſim Hydrargyri ʒvj. in Aq. fortis ℥ij. Solutiones confundantur, quibus affundatur aquæ communis q. ſ. ad ſolutiones debilitandas, ita ut liquor cuprum corrodere nequeat, neque bullas in ejus ſuperficie excitare. Tum liquor ſervetur ad uſum. Præſtat per duos treſve menſes ſervatus, antequam in uſum adhibeatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Auro.

Aurum vulgare: *Χρυσὸς Græcorum*: Sol Chymicorum. Metallum omnium eſt nobiliſſimum, ponderoſiſſimum, maxime ductile, ſonorum, fulvo colore rutilans.

Nativum eſt, vel coctum. Nativum dicitur, quod ſincerum & nitidum e terra eruitur, aut in fluminum arena colligitur, ſub forma granulorum, palearum vel maſſularum, aut inter ſaxorum fiſſuras reperitur. Coctum vero, quod arte e ſua vena extractum fuit, & igne purgatum.

Vena diverſa eſt: alia enim Pyrites eſt coloris cineracei, vel punicei. Sæpe cum Auripigmento oritur, ſæpiſſime etiam in cœterorum metallorum & argenti præſertim venis reconditum latet, & ab illis variis artibus ſeparandum eſt.

Multi ſunt fluvii auriferi, ſeu quorum in arena aureæ micæ reperiuntur. Sunt præterea aurifodinæ inſignes in Norvergia, in Hungaria, in Guinæa: ſed ditiſſimæ ſunt in Peruviana provincia & in Mexicano regno.

Non diſſimili ratione e ſua minera extrahitur ac argentum de quo jam diximus; ſcilicet, torrefaciendo mineram, contundendo, cum Hydrargyro permiſcendo & lavando, vel etiam illud ab argento & cœteris metallis ſeperando. Si cum ignobilibus metallis permixtum ſit, per catinum cinericium, vulgo *la Coupulle*, mediante plumbo, ſeparatur, vel per cæmentationem. Si cum argento, modo peculiari qui Separatio dicitur, vulgo *le Depart*; vel Quartatio, vulgo *l'Incart*; vel per catinum cinericium, mediante ſtibio, vulgo *la Coupelle ſechc*.

De modo ſeparandi Aurum a cœteris metallis per cinericium catinum mediante plumbo, Articulo ſuperiori jam egimus. Per cæmentationem vero ſic purgatur.

Aurum in bracteas tenujores redactum & urina madidum in olla cæmentatoria ſeu crucibulo diſponatur cum pulvere cæmentatorio alternatim ſtratum ſuper ſtratum, ita ut ſtratum ſuperius & inferius ex pulvere componantur. Olla impleta operculo tenuj foramine perforato cooperiatur, & commiſſuræ luto obducantur. Ignis rotæ admoveatur per horas 6. vel 8. ita ut olla tota candeſcat. Igne extincto, Auri bracteæ pede leporino purgantur a pulveribus, urina lavantur, & ſiccantur.

Pul-

Pulvis cæmentatorius præparatur ex ſalis ammoniaci, p. j. ſalis communis p. ij. laterum pulveratorum p. iiij. rite pulveratis & mixtis.

Hæc purgandi ratio Aurum ab admixtis metallis non accurate purgat, ſed illud molle ac ductile efficit.

De ſeparatione Auri ab argento, quæ vulgo *le Depart*, & per Aquam fortem inſtituitur, jam ſupra egimus. Quartatio vero, vulgo *l'Incart*, eodem fere modo peragitur, eo tamen diſcrimine, quod Auro purgando triplum Auri puri adjiciatur, & ſolutio cum aqua regia inſtituatur; ſic enim Aurum ſolvitur, argento intacto remanente.

Auri purgatio per ſtibium fit cum adeo exigua eſt argenti contenti portio, ut negligenda ſit. Tum ſtibium ſumitur, quod quidem argentum deſtruit & in ſcorias redigit, Aurum vero purum relinquit. Aurum igitur cum duabus vel tribus ſtibii partibus in crucibulo fundunt, deinde in cinerico catino excoquunt, donec blando follium flatu ſtibium totum in auras evanuerit, Auro puriſſimo ac ſincero relicto.

Hoc inter utramque plumbi & ſtibii purgationem intercedit diſcriminis, quod plumbum vitreſcat, & magna ex parte cinericium penetret, & quaſi madefaciat; non item Antimonium, quod totum in auras evaneſcit.

Aurum omnium metallorum, imo omnium rerum cognitarum, graviſſimum eſt. Molle eſt & adeo ductibile, ut 651590. ultra ſuæ maſſæ molem extendi poſſit. In igne vulgari fixum eſt, nec niſi in ardentiſſimo ſolarium radiorum foco per longum temporis ſpatium detentum in auras diſſipatur. Nullam rubiginem contrahit: nec diſſolvitur niſi ab aqua regia. Ab Hydrargyro penetratur, ejuſque compages diſſolvitur, ita ut in amalgama molle redigatur. A ſulphure communi calcinatur, ſi ignito & candenti ſulphuris maſſa admoveatur.

Aurum ab aqua regia ſolutum, mediante oleo Tartari, in pulverem fuſcum præcipitatur; qui ſi leviter incaleſcat ſive ignis calore, ſive levi tritu, ſtatim in auras magno cum fragore diſſipatur: unde Aurum fulminans dicitur. Idem fit, mediante ſpiritu ſalis ammoniaci, vel alio quocumque ſpiritu urinoſo: ſed tunc tardior fit fulminatio, nec niſi ignis calore peragitur.

Hujuſce metalli analyſis, ſeu reſolutio in ſua principia hactenus ſine ſucceſſu a nobis tentata fuit. Sulphur & terra in eo adeo ſtricte conjuncta videntur, ut igne vulgari diſſolvi nequeant, & vehementiori ejus partes integræ abripiantur potius quam in principia reſolvantur.

Auri uſus in Medicina olim Græcis fuit incognitus. Arabes primi ejus virtutes commendarunt, illudque in folia redactum ſuis compoſitionibus immiſcuerunt. Aurum exiſtimant cor confortare, ſpiritus recreare, & animam exhilarare; unde cordis tremori & palpitationi, melancholiæ conferre aſſerunt. Chymici vero inſuper adjiciunt ſulphur fixum potentiſſimum in Auro contineri; quod quidem, cum ſit incorruptibile, ſi intus ſumptum cum ſanguine miſceatur, huncce liquorem ab omni corruptionis labe præſervat, & naturam humanam non ſecus reficit & recreat ac Sol, fons nempe immenſus hujuſce ſulphuris univerſam naturam vivificat. Non pauci tamen eorum opinioni diſſentiunt, & eo magis quod effectus promiſ-

promiſſis non reſpondeant. Unde non ſine ratione in dubium adducitur; an Aurum in uſum medicum ſalutari cum effectu trahi poſſit.

De Auri integri, id eſt in limaturam aut in bracteas redacti, virtute & energia non plane conſtat. Illud tamen e cordialibus præparationibus pharmaceuticis exulare, totius Arabum ſcholæ reſpectu, dubitamus.

Aurum foliatum uſurpatur in Confectione Alkermes regia *D. Charas*, in Confectione de Hyacinthis, Pulvere Diamargariti frigidi, Pulvere lætificante, Pulvere Pannonico *Ejuſdem*. Eo quoque pilulæ & boli involvuntur. Nec magis certa eſt illius arte chymica præparati potentia; quandoquidem illæ præparationes non tam a metallo quam a menſtruis aut ab adjunctis ſubſtantiis ſuam energiam mutuari videantur. Unde concludere poſſumus metallum omnium nobiliſſimum & pretioſiſſimum, etiam eſſe in Medicina inutiliſſimum, niſi in quantum paupertatis antidotum eſt.

Cum tamen a plurimis Auri tinctura ſeu Aurum potabile exoptetur, omnibus elegantior & præſtantior hæc mihi viſa eſt.

℞. Solis puriſſimi ʒß. ſpiritus ſalis ℥ij. Fiat diſſolutio, cui affundatur olei eſſentialis limpidi Roriſmarini ℥j. Liquores confuſi agitentur. Subſidebit ſpiritus ſalis flavo colore ſpoliatus, & oleum flavo colore tinctum ſupernatabit. Oleum a ſpiritu ſalis per inclinationem ſeparetur. Miſceatur cum ſpiritu vini rectificati ℥iiij. vel v. Digerantur ſimul per menſem. Mixtura purpuraſcentem colorem acquiret. Diaphoreticum eſt & ſudoriferum. Commendatur in febribus malignis. Doſis a guttis iij. ad xv.

Verum neque hæc tinctura Auri genuina exiſtimanda eſt, cum ſit tantum Aurum ab aquæ regiæ ſpiculis tenuiſſime diviſum & oleo Roriſmarini innatans. Quod quidem olei evaporatione reduci poteſt in pulverem, & fuſione in metallum reſtitui. Neque etiam ullam Auri tincturam radicalem novimus.

Hujus tincturæ vis præcipua ab oleo Roriſmarini pendet.

Aurum fulminans non ſolum ob fulminandi vim æſtimatur, ſed etiam ob medicas quæ ipſi tribuuntur virtutes. Sic præparatur.

℞. Spiritus Nitri ℥j. in quo ſolve ſalis ammoniaci gr. lx. In liquorem injiciatur Auri limaturæ ʒj. Calore mediocri perficiatur diſſolutio. Cui deinde affunde guttatim olei Tartari q. ſ. donec nulla amplius fiat ebullitio. Aurum quaſi limus flavus præcipitabitur. Liquore per inclinationem effuſo, pulvis aqua communi lavetur & edulcoretur. Deinde ſiccetur in umbra.

Hic pulvis vel levi affrictu calefactus magnum fragorem excitat. Intus ſumptus diaphoreticus exiſtimatur, ſed verius alvum laxat, ut obſervavit vir doctiſſimus Emmanuel Konig Medicinæ profeſſor Baſileenſis, & Daniel Ludovicus, qui aſſerit hanc Auri præparationem in febribus ardentibus ad diarrhæam inclinantibus, alvum præter intentionem & ſæpe funeſte moviſſe.

Tandem multa & admiranda narrant Chymici de Philoſophorum Lapide ſeu Tinctura univerſali; quæ ſuper metalla ignobiliora projecta, ea fulminis inſtar abſque ulla ſenſibili corroſione penetrat, eorumque partes ita diſponit ut pondere & colore auro perſimiles fiant: necnon etiam de univerſali Medicina, qua omnes morbi profligari poſſunt, & quadam

veluti

veluti irradiatione ſanguis ab omni labe purgari, ita ejus ope vita & ſanitas, ſi non in infinitum, ſaltem per longum tempus conſervari poſſint. Cum adhuc nobis ignota ſit hæc Medicina univerſalis, de ea ſilebimus. Quod attinet ad Lapidem Philoſophorum, materia, ex qua præparari debet, adhuc incerta eſt; incerta præparandi ratio. Quidquid tot garruli verbis aureis promittant, fumum vendere conantur, Aurum vero ſubripere; in re tam incerta nihil certius. Quapropter vir prudens ab eorum fraudibus & Præſtigiis diligenter cavebit.

Finis Primæ Partis.

MATE-

MATERIÆ MEDICÆ

PARS SECUNDA.

DE VEGETABILIBUS EXOTICIS.

ABſoluta prima hujuſce Tractatus parte, quæ de Foſſilibus agit, alteram nunc aggredimur, in qua de medicamentis, quæ regnum vegetabile ſuppeditat, diſſeremus. Innumera fere ex plantis oriunda medicamenta, vel ſunt exotica, quæ nempe ab exteris regionibus ad nos transferuntur, vel indigena, quæ ſub noſtro naſcuntur cœlo.

Cum non integræ exoticæ ſtirpes ad nos tranſvehantur, ſed quædam tantummodo earum partes, quæ in uſum medicum veniunt; idcirco partium, quibus plantæ conſtant, ſeriem inſequendo, medicamenta exotica in diverſas claſſes diſtribuemus: quarum prima, radices; altera, cortices; tertia, ligna; quarta, folia; quinta, fructus & ſemina; ſexta, ſuccos liquidos & concretos; ſeptima, ſubſtantias adnatas; octava, quædam ex hiſce partibus præparata medicamina exotica continebit.

Plantas vero indigenas, quæ integræ ſæpius in medicamentis uſurpantur, & per notas quaſdam characteriſticas facile diſtingui poſſunt, quas Botanici a floribus & ſeminibus potiſſimum deſumere ſolent, juxta ordinem Alphabeticum vulgo dictum, proſequemur.

SECTIO PRIMA.

DE MEDICAMENTIS EXOTICIS

Ex vegetabilium familia deſumptis.

CAPUT PRIMUM.

DE RADICIBUS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Acoro vero, Acoro Indico, & Pſeudo-acoro.

ACorum vel Acorus quid fuerit apud Græcos veteres non mediocris inter auctores fuit controverſia. Quidam enim, ut Braſſavolus, Acorum Dioſcoridis, Galangam minorem noſtram eſſe ſtatuunt; alii, cum Fuchſio, Galangam majorem; alii cujuſdam Iridis radicem, quæ Pſeudo-acorus Matthioli dicitur. Sed ab Anguillara & Matthiolo omnis dirempta eſt controverſia. Hodie Acori nomen tribus diverſis radicibus tribuitur, quæ ſic diſtinguntur; Acorus verus, Acorus Indicus ſive Aſiaticus, & Acorus adulterinus ſeu Pſeudo-acorus.

Acorus verus, Officinis falſo, Calamus aromaticus, *Gerardi*. Ἄκορον *Dioſcoridis* & *Galeni*, Acorus verus ſeu Calamus aromaticus officinarum *C. B. P.* Calamus aromaticus vulgaris, multis, Acorum *J. B.* Radix eſt quam recentiores Græci Κάλαμον ἀρωματικόν dixere, licet a Calamo aromatico Dioſcoridis prorſus diverſam. Arabes Dioſcoridis libros interpretati, Acorum Græcorum *Ugi* vel *Vegi* nuncupaverunt, qui tamen hanc plantam non cognoviſſe, ſed aliam pro Acoro accepiſſe videntur; quandoquidem Avicenna *Ugi* odorem ingratum & horribilem eſſe aſſerat; quod de Acoro Dioſcoridis & de Acoro vero noſtro dici nequit. Plinii temporibus Acori nomen non ſolum radici Acori veterum Græcorum; ſed etiam plantæ Oxymyrſinæ dictæ radici nonnulli tribuebant, & Acorum Agrion dicebant.

Acorum radix eſt longa, obliqua, crebro geniculata, digitum craſſa, nonnihil compreſſa, foris ex candido virens, cum recens eſt, poſtea ex flavo ruſeſcens, intus alba atqua fungoſa, ſapore acri, amaricante, aromatico, nonnihil tamen ad Porrum vel Allium accedente, odore fragranti aromatico. Eligitur recens, fragrans, non mucida vel rancida, vel curioſa.

Ex radicibus juxta terræ ſuperficiem oblique proſerpentibus, folia oriuntur

tur cubitalia & ſeſquicubitalia, Iridis anguſtifoliæ forma, compreſſa, mucronata, læte virentia, glabra, quatuor aut quinque lineas lata, acria, aromatica, ſubamara, odorata, cum inter digitos conteruntur: flores vero in Inſtitutionibus rei herbariæ a Cl. Tournefortio prætermiſſi, a *D. Petit* Regio Noſocomii Namurcenſis Medico, rei herbariæ peritiſſimo, ſic deſcribuntur. Flores ſunt apetali, plurimis (ſex) ſcilicet ſtaminibus conſtantes, in ſpicam denſe compactam diſpoſiti: inter hæc ſtamina Embryones naſcuntur foliolis planis ſive ſquammis circumdati. Singuli autem Embryones deinde abeunt in ſemen quadrangulare. Hæ omnes partes axi craſſiori affixæ, ſpicam conicam vel cornutam effingunt, folio ſulcato & cæteris craſſiori innatam. Oritur in humidis Lithuaniæ & Tartariæ locis; necnon in Belgio & in Anglia ſecus rivulos propagatur.

Radix Acori non mediocrem olei eſſentialis copiam diſtillatione ſuppeditat, & nonnihil ſpiritus volatilis urinoſi: unde liquet ſale volatili aromatico oleoſo turgere.

Dioſcorides Acoro vim calefaciendi tribuit, virtutem ciendi urinam, lateris, thoracis, & jecoris dolores ſublevandi, lienem induratum abſumendi, tormina compeſcendi, urinæ ſtillicidio ſerpentumque ictibus medendi: & in antidotorum compoſitione utiliter admiſceri, aſſerit. A Medicis fere omnibus commendatur, ad ventriculum roborandum, flatus diſcutiendos, tormina ſedanda, ad uteri & lienis obſtructiones reſolvendas, & menſes promovendos, ad ſanguinis & ſpirituum motum adaugendum, & alexipharmacum exiſtimatur.

Radix Acori vel in ſubſtantia vel in infuſione uſurpari ſolet. In ſubſtantia a gr. xij. ad ʒß. in infuſione ad ʒij.

℞. Rad. Acori pulver. gr. xv. Heleni. gr. x. Ambræ griſeæ gr. iij. Sacch. candi. ℈j. M. fiat pulvis egregius in ventriculi debilitate; vel cum ſyr. Cydonior. vel Menthæ q. ſ. fiat bolus.

℞. Radic. Acori per taleol. ſectæ ʒij. Infunde in vini generoſi vel in aq. tepidæ ℥vj. Hauriat æger ad appetitum provocandum, ad dolorem colicum flatulentum ſedandum, & ad morbos contagioſos præcavendos.

Radices conditæ guſtui jucundæ ſunt & ventriculo gratæ. In catharris exſiccandis commendantur, & a Turcis adverſus corrupti aeris contagia mane comeduntur.

Uſurpatur Acorum in Pulvere cephalico odorato *D. Charas*, Mithridatio, Orvietano, Theriaca, El. de Baccis Lauri & Trochiſcis de Capparibus.

Acorus Indicus vel Aſiaticus, *Officinarum*. Acorus verus ſive Calamus aromaticus Aſiaticus, radice tenujore, *Hermann. Catal. H. Lugd. Bat.* Calamus Aromaticus, *Garziæ ab horto*. Te-hian-pon, *Sinenſium*. Capicatinga, aliis Jacarecatinga, Acori ſpecies, *Piſonis*. Vazabu & Vazumbo *Ceylanens*. Va-Embu, *H. Malab.* Bembi, *Bramannum*; radix eſt Acoro vero ſimillima, ſed paulo tenujor, odore jucundiore, ſapore amaro non ingrato, & aromatico linguam vellicante. Veteribus ignota fuiſſe videtur.

In utraque India creſcit; quæ naſcitur in Braſilia, Europeæ, externa figura, excepta magnitudine, ſimilis eſt, teſte Piſone.

Radix ſola vel aliis mixta, non tantum ad incidendos humores frigidos

 ſeu

ſeu tenaces ac ſpiſſos, feliciter adhibetur; ſed etiam contra venena aſſumpta in primis uſurpatur.

Acorus adulterinus & Pſeudo-acorus *Officinar.* radix eſt nodoſa, extus & intus rubra, odore nullo, in primis cum adhuc viridis eſt, ſapore primo quidem ignavo, qui poſt aliquod temporis ſpatium acrimoniam ſummam in ore relinquit.

Radix eſt Plantæ, quæ Iridis ſpecies eſt, & dicitur Iris Paluſtris lutea *Tabernæmontan.* Acorus adulterinus, *C. B. P.* Acorum falſum *Camerarii, Epiſt. 6.* A ſeplaſiariis fere omnibus pro Acoro legitimo uſurpata fuit, per ſat magnum temporis intervallum, quo res herbaria ignorantiæ tenebris ſepulta jacuit. Non tamen hæc radix prorſus inutilis eſt aut omni virtute deſtituitur. Teſte enim Dodonæo, dyſenterias & alias ventris fluxiones cohibet, menſes & hæmorrhagias quaſcumque ſiſtit in decocto vel alio modo ſumpta.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Angelica.

Angelica & Archangelica, planta eſt quæ veteribus Græcis incognita fuiſſe videtur. Licet Botanicorum nonnulli, Sylphium *Dioſcoridis*, alii Smyrnium, alii Panax heracleum, alii Myrrhidem eſſe aſſerant, ſed parum firmis rationibus innixi.

Angelicæ nomen plantis nonnihil inter ſe diverſis hodie aſſignatur, quæ vero in officinis noſtris frequentius uſurpatur, dicitur Angelica ſativa *C. B. P.* Imperatoria Sativa, *Inſtitutionum R. H.* Radix Spiritus ſancti Agyrtarum *C. Hoffmann.* Archangelica, *quorumdam.*

Radicem habet tribus digitis craſſam, multum fibratam, foris nigricantem, rugoſam, intus albam, mollem, ſuccoſam, acrem, amaram & aroma ſuaviſſimum ſpirantem. Caulis ab cubitos duos & amplius aſſurgit, concavus, ramoſuſque, foliis amplis donatus Apii paluſtris ſimilibus, ſed longe acutioribus. Flores in umbellas diſponuntur roſacei, pentapetali, candidi, cum calyce in fructum abeunte compoſitum ex duobus ſeminibus oblongis ſtriatis, ala exigua & quaſi foliacea cinctis.

Radix ſicca nobis affertur ex Bohemia, ex Alpibus, Pyrenæis, necnon etiam ex Arverniæ montibus. Eligatur craſſior, extus fuſca, intus albicans, non carioſa, odore fragrantiſſimo nonnihil ad Moſchum accedente, ſapore acri aromatico.

Alia eſt Angelicæ ſpecies, quæ Archangelica, *J. B.* Imperatoria Archangelica dicta, *Inſtitut. R. H.* nuncupatur. J. Bauhinus hanc ſpeciem Angelicam Norvegicam & Scandiacam a quibuſdam nominari refert, eamque ſativa multo majorem, ſed minus odoram poſt Lobelium & Dodonæum narrat. Attamen Simon Pauli vir ſane doctus, & ingenuus, quaſdam Angelicæ Scandiacæ radices jam ab aliquot annis lectas, & exſiccatas aſſervaſſe tanta fragrantia præditas narrat, ut Bohemicas odore, & ſapore aromatico ac ſuavi longe adhuc ſupera-

perarent. Fortaſſe hæc odorum & ſaporum varietas a ſoli diverſitate proficiſcitur.

D. Tournefort has Angelicæ ſpecies ad Imperatoriæ genus reducit, ob florum & ſeminum convenientiam.

Ex Radicum recentium Angelicæ ℔iiij, cum ℥xiv. per analyſim chymicam prodierunt phlegmatis urinoſi ℥x. circiter, phlegmatis acidi ℔iij. cum ℥vj. olei tum eſſentialis, tum craſſioris ℥j. remanente capite mortuo ad ℥vjß. ex quo ſalis lixivioſi mere alcali ʒiij. cum granis ℔iiij. terræ inſipidæ ʒvj. cum gr. xij. extracta fuerunt. Nullus ſal volatilis concretus apparuit; folia vero diſtillata aliquot hujus ſalis grana præbuerunt.

Ex hac analyſi necnon ex ſapore acri, amaro, aromatico, & odore fragranti liquet, Angelicæ radices conſtare ex ſale ad ammoniacum accedente, cum oleoſa portione non mediocri & exigua admodum terræ quantitate commixto, ita tamen ut hæc principia non adeo arcte inter ſe conſocientur, qualis foret, exempli gratia, mixtura ſpiritus volatilis oleoſi cum ſpiritu vitrioli vel ſalis dulcificati, ſi cum terræ portione admodum exigua in corpus ſolidum compingerentur.

Angelica ſtomachica, cordialis, ſudorifera, vulneraria, & alexipharmaca exiſtimatur: malignis morbis, venenis, ipſique peſti medetur. Radix & ſemen pro uſu medico cœteris plantæ partibus anteponuntur. Pro præſervatione peſtis, radices aceto maceratas aut naribus admovent tantum, aut ſub lingua tenent & maſticant, aut acetum bibunt jejuni. Peſte graſſante, radicem pulveratam veſtibus inſpergunt, ne facile contagio inquinentur.

℞. Radicis Angelicæ pulveratæ ʒj. Hauriat æger in vini generoſi cyatho uno. Vel

℞. Rad. Angel. pulver. ʒß. Theriacæ veter. ʒj. cum aqua Cardui bened. vel Angelicæ propinetur peſte laboranti, & reiteretur ſingulis ſex horis, ad ſudorem promovendum, pro peſtis curatione.

Radix recens cum Saccharo condita, ut & foliorum pediculi delibrati mane ſumpti, contra peſtem & aeris contagionem commendantur, necnon etiam ad quoſvis thoracis & pulmonum affectus frigidos ſanandos. Iidem commanducati fœtentem oris halitum emendant.

Uſurpatur radix Angelicæ in Antidoto Orvietano *D. Charas*, & in Antidoto ejuſdem nominis *Freder. Hoffmanni*; in Pulvere contra peſtem ſeu Bezoardico *Renodæi*, in Aqua Meliſſæ magiſtrali, vulgo, *Eau des Carmes*; & in Emplaſtro ad ganglia *D. Charas*.

ARTICULUS TERTIUS.

De Anthora.

Anthora & Antithora, *Officinarum*, Algieduar ſeu Zedoaria, *Avicennæ*, forte Bisbua vel Bixmuxbua, ſcilicet Napellus *Moyſi*

Arabum, Contrayerva Germanica, *quorumdam*, Gallice, *Anthore* ou *Maclou*; radix eſt unico circiter pollice craſſa, tuberoſa, modo turbinata, modo oblonga, Cyperi vel Orchidis radicibus fere ſimilis, fibrata, foris fuſca, intus alba, guſtu amara & gulam conſtringens, fractu ubi reſiccata contumax, friabilis tamen.

Radix eſt plantæ quæ in Rhæticis, Sabaudicis & Helveticis Alpibus, necnon etiam in Liguriæ & Delphinatus montibus uberrime provenit. Vocatur Aconitum ſalutiferum ſeu Anthora, *C. B. P.* Antiphora flore luteo Aconiti, *J. B.* Anthora Zedoaria, Aconitum ſalutiferum, *Tabernæm.* & inter Aconitorum ſpecies a Cl. Tournefortio recenſetur. Apud veteres Græcos nulla ejus mentio reperitur.

Hæc planta dodrantem alta, & interdum cubito procerior, caule eſt ſingulari, rigido, anguloſo, ſubhirſuto, cui folia alternatim adnaſcuntur, Napelli æmula, tenuius diſſecta, & ſplendoris illius expertia, averſa parte albicantia, aut Nigellæ quadantenus ſimilia, ſapore amaro prædita: flore polypetalo, anomalo, ſeu ex quinque petalis diſſimilibus conſtante, caput humanum cucullatum quodammodo repræſentante, colore ex flavo palleſcente, odore non ingrato prædito, cujus piſtillum abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginæ corniculatæ, membranaceæ, ſeminibus fœtæ angulatis, rugoſis & nigricantibus: radice conſtante ex tubere duplici vel triplici, raro unico, modo oblongo, modo rotundo aut turbinato, fibrato, foris fuſco, intus albo, ſaporis amari acris.

Alia eſt Aconiti ſalutiferi ſpecies major, quæ Aconitum ſalutiferum elatius, Pyrenaicum, foliis atrovirentibus, flore majore, *Inſtit. R. H.* dicitur.

Anthora vel Antithora nuncupatur ex eo quod antidotum ſpecificum cenſeatur illius Aconiti mortiferi quod Thora dicitur, & cujus duæ ſunt ſpecies, ſcilicet Ranunculus Cyclaminis folio, Aſphodeli radice, major, *Inſtit. R. H.* Aconitum Pardalianches primum, ſeu Thora major, *C. B. P.* & Ranunculus Cyclaminis folio, Aſphodeli radice, minor, *Inſtit. R. H.* Aconitum Pardalianches alterum, ſive Thora minor, *C. B. P.*

Anthoræ radix non ſolum adverſus Aconitum epotum, ſed adverſus alia venena hauſta, quin etiam ad viperarum & animalium venenoſorum morſum conferre dicitur. Commendatur quoque in febribus malignis, petechialibus, & ipſa peſte. Apud Delphinates frequens eſt hujus radicis uſus ad vermes necandos & inteſtinorum tormina ſedanda.

Cluſius illius radicis uſum ſuſpectum habet, & ſatius ducit ab eo abſtinere. J. Bauhinus quoque monet ea caute utendum, eamdemque vehementer purgare aſſerit. Verum Conrad. Geſnerus *in Epiſtolis*, hujus radicis dilutum ex aqua mulſa innoxie potaviſſe teſtatur. Neque vim illam purgantem obſervavi, licet illam ſæpius exhibuerim, tum in febribus malignis, tum ad vermes necandos. Econtra Anthoræ radicem felici cum ſucceſſu exhibui in febribus malignis, iis præſertim quæ a viſcida colluvie in ventriculo & inteſtinis congeſta oriuntur, quæ quidem ut plurimum verminoſæ ſunt. Sale enim acri & ſubtiliſſimo quo pollere mihi videtur hæc radix, tenaces, ac glutinoſos humores incidit

& at-

& attenuat. Præſcribitur a ℈j. ad ʒj. ad inteſtinorum tormina, & ad vermes enecandos. In febribus malignis doſis iteratur bis terve in die. Ob inſignem amaritiem ſeu potius acredinem, ſub forma boli foliis auri vel argenti aut nebulis farinaceis involuti exhibetur.

Uſurpatur in Antidoto Orvietano ſeu Theriacali *Pharmacop. Tholoſanæ*.

ARTICULUS QUARTUS.

De Ariſtolochia rotunda, Ariſtol. longa, Ariſtolochia Clematitide, & Ariſtol. tenui.

TUllius Ariſtolochiam nomen accepiſſe a quodam Ariſtolocho inventore auctor eſt; Ariſtoteles vero a quadam muliere Ariſtolochia dicta. Sed Dioſcorides nomen a plantæ virtute derivatum pronuntiat ex eo quod ad lochia ducenda conveniat: Ἄριςη ταῖς λοχείαις, quod quidem magis veriſimile eſt.

Ariſtolochiæ nomen Dioſcorides & Galenus tribus plantis aſſignaverunt, Plinius vero quatuor, de quibus ſigillatim.

Ariſtolochia rotunda, *Officin.* Ἀριςολοχία ςρογγύλη, *Dioſcoridis & Galeni*, Ariſtolochia prima ſeu fœmina, *Plinii*. Gallice, *Ariſtoloche ronde*; radix eſt tuberoſa, ſolida, tribus unciis craſſa, ſubrotunda, rugoſa, nonnullis fibris ſtipata, foris fuſca, intus pallide lutea, cortice craſſo obducta, acris, aromatica, & triſti amarore linguam afficiens. Ex Gallia Narbonenſi, & Gallo-Provincia affertur.

Eligatur bene habita, gravis, minus alte rugis ſtriata, carne multa, firma, odore & ſapore vegeto, ſed ſuo, non pulverulenta dum frangitur, nec ſitu obruta, nec carie aut teredinibus exeſa; quæ bonitatis notæ cœteris radicibus conveniunt.

Planta nominatur Ariſtolochia rotunda, flore ex purpura nigro, *C. B. P.* Ariſtolochia rotunda *J. B.* Caules numeroſos ex una radice fundit ſarmentitios, cubitales, in quibus alternatim folia naſcuntur venoſa, pediculo pene carentia, ſubrotunda, obſcure virentia, auriculis rotundioribus veluti caulem amplectentia. Flores ex eorum alis erumpunt monopetali, anomali, tubulati & lingulati, ſeu extrema, ac media parte linguæ formam referentes, obſcure ex purpura nigricantes, cum calyce qui mutatur in fructum capſularem, ſubrotundum, membranaceum, in ſex loculamenta diſtinctum, in quibus ſemina continentur nigricantia, lata, compreſſa, tabulatorum inſtar ſibi mutuo incumbentia, intercurſantibus quibuſdam membranis, & materia etiam fungoſa alba ſingulis granis interpoſita, quod reliquis Ariſtolochiæ ſpeciebus commune eſt.

Ariſtolochia longa, *Officin.* Ἀριςολοχία μακρὰ & δακτυλῖτις, *Dioſcoridis & Galeni*. Ariſtolochia altera ſeu mas, *Plinii*. Gallice, *Ariſtoloche longue*; radix eſt oblonga, rotunda, pollice craſſa, & nonnumquam bra-

chii craſſitudinem & pedis longitudinem æquans, rugoſa, foris fuſca; intus ſublutea, ſapore & odore rotundæ ſimilis ſed remiſſioribus. Cum priori ex iiſdem locis affertur.

Planta dicitur, Ariſtolochia longa, vera, *C. B. P.* Ariſtolochia longa *J. B.* Cui cauliculi quadranguli, cubitales, in multos ramos diviſi, humi diffuſi, folia quam rotundæ minora, firmiora, dilutioris coloris, longiore pediculo fulta; flos ſimiliter monopetalus, tubulatus, lingulatus, ex viridi candicans, ſed extima parte coloris herbacei, intus ut reliquorum, villis obſitus: fructus pyri in morem turbinatus, qui maturitate dehiſcens, ſemen oſtendit latum, rufum, & tandem fuſcum. Radices adultæ plerumque extrema parte obtuſæ ſunt, & æqualis fere per totam longitudinem craſſitiei, ſubinde tamen cuſpide ramoſa; juniores ſunt graciles, multaſque fibras habent.

Ariſtolochia Clematitis, *Officinar.* Ἀριστολοχία κληματῖτις, *Dioſcoridis & Galeni.* Ἀριστολοχία λεπτὴ, id eſt, tenuis, *ejuſdem Galeni & Andromachi.* Ariſtolochia tertia ſeu Clematitis, *Plinii.* Gallice, *Ariſtoloche Clematite*; radix eſt longa, late ſerpens & in plurimos ſurculos diviſa, fibroſa, tenuis aut mediocris craſſitudinis, calami ſcriptorii craſſitiem vix æquans, fuſca, intus flaveſcens, præcedentibus cum gravitate quadam odoratior, ſapore amaro, adeoque tenuium partium, ut ſtatim guſtata fauces eo imbuat.

Planta quæ Ariſtolochia Clematitis recta, *C. B. P.* Ariſtolochia Clematitis vulgaris, *J. B.* Ariſtolochia Sarracenica, *Dodonæi*, nuncupatur; ex radice late ſerpente, ſub terra altiſſime mergente, & multipliciter ſe propagante, caules emittit ſeu ſarmenta cubitalia, cœteris altiora, firmiora, rotunda, ſtriata, circa quæ folia profert reliquarum foliis ampliora, venoſa, ex viridi palleſcentia, longioribus pediculis quam in reliquis ſpeciebus donata, forma longæ ſimilia: flores pallidi, copioſi in ſingulis alis, qui in aliis ſpeciebus ſingulares, Ariſtolochiæ longæ floris formam quodammodo referentes, ſed minores: quibus ſuccedunt fructus non diſſimiles ſed majores, exigui Mali magnitudine, ſemina quoque continentes majora. In Gallia Narbonenſi circa Monſpelium uberrime creſcit, unde radix ſicca nobis affertur. In agro Pariſienſi quoque reperitur.

Ariſtolochia tenuis vel Piſtolochia, *Officinarum.* Ariſtolochia quarta, ſeu Piſtolochia & Polyrrhizos, *Plinii.* Gallice, *Petite Ariſtoloche*; radix eſt ex plurimis longis, tenuibus, filamentoſis radiculis in unum caput coeuntibus compoſita, ſublutea, odore aromatico haud ingrato, ſapore acri amaro. Ex Gallia Narbonenſi quoque affertur. Polyrrhizos dicitur a radicum multiplicitate. Hæc Ariſtolochiæ ſpecies Dioſcoridi & veteribus Græcis ignota fuiſſe videtur.

Huic ſæpe in officinis ſubſtituitur radix plantæ, quæ, Meliſſa humilis latifolia, maximo flore purpuraſcente. *Inſtit. R. H.* Meliſſa, *Tragi.*

Planta quæ nominatur Ariſtolochia Piſtolochia dicta, *C. B. P.* Ariſtolochia polyrrhizos, *J. B.* Piſtolochia, *Dodonæi*, cauliculos dodrantales habet, raro majores, graciles, anguloſos ſeu ſtriatos, ramoſos: folia longæ foliis ſimilia, minora, magis rugoſa, & aliquantulum in ambitu ſinuoſa: flores rotundæ forma æquales, minores tamen, & aliquando nigros,

nigros, interdum ex herbaceo flaveſcentes, fructus quoque rotundæ fructibus ſimiles, verum minores, cum matureſcunt, ea quæ pediculis adhærent partes dehiſcentes, necnon ſemina ſimilia.

Analyſi chimica, Ariſtolochiarum radices multum admodum olei & terræ præbent, nullum ſalem volatilem concretum, mediocrem ſpiritus urinoſi quantitatem, phlegma vero acidum uberrimum. Sal vero fixus ex cineribus extractus ſublimati corroſivi ſolutionem turbidam & lacteſcentem efficit non flavam. Præterea harum radicum ſuccus chartam cœruleam, ſeu Heliotropii ſucco tinctam, rubro colore inficit. Unde liquet Ariſtolochiæ virtutem pendere a ſale quodam eſſentiali compoſito ex terra, ſale acido pluſquam ſaturata, cum ſalis ammoniaci portione mediocri, multoque ſulphure conjuncta.

Ariſtolochiæ rotundæ & longæ frequentiſſimus eſt uſus, rarior Clematitidis & Piſtolochiæ. Ambæ diſcutiunt, attenuant, aperiunt cum modica abſterſione. Rotunda tamen tenujorum partium exiſtimatur, & ad omnia efficacior. Itaque in quibus opus eſt modicæ abſterſionis, commodior eſt longa (inquit Galenus), puta in carnium exulcerationibus & fomentationibus uteri. At in quibus craſſum humorem extenuare neceſſe eſt, illic uſus ſit rotundæ.

Ariſtolochiæ omnes cephalicæ ſunt, thoraciæ, uterinæ, vulnerariæ, & alexipharmacæ. Revera tamen rotunda ex omnium conſenſu magis attenuat quam longa; contra longa potentius quam rotunda abſtergit: ideoque in catharris, in affectibus pectoris a craſſis humoribus, in flatibus, doloribus colicis, in obſtructionibus lienis, uteri, in lochiorum & menſium ſuppreſſione, in ruptis, ubi ſanguinis grumi diſſolvendi ſunt, rotunda eſt uſurpanda; educit enim per urinas, menſes aut cutim, varia excrementa. At in vulneribus & ulceribus ſordidis, in ſcabie & cutis vitiis longa in lotionibus eſt præferenda; quæ etiam fiſtulis abſtergendis commode inſeritur. Sed præcipua utriuſque vis eſt & eximia in ciendis menſibus & expurgando poſt partum utero, & eam ob rem ab Hippocrate, *libro de morbis mulierum*, commendatur. Cavendum tamen ne intus gravidis mulieribus intempeſtive exhibeantur, abortum enim provocant. In aſthmate ſcorbutico ad tartaream mucilaginem reſolvendam, Simon Pauli decoctum radicum Ariſtolochiæ rotundæ proponit. Fredericus Hoffmannus ad præcavendam phtiſim ſeu pulmonum exulcerationem quæ hæmoptoem cum tuſſi ſubſequi ſolet, foliorum Ariſtolochiæ longæ infuſionem commendat ſic exhibitam.

℞. Ariſtolochiæ longæ in aquæ florum Tuſſilaginis ℥ij. infuſum per noctem: primo die, folium unum, ſecundo, folia duo; tertio, tria; quarto, quatuor; quinto, quinque; ſexto, ſex; ſeptimo, ſeptem; octavo, ſex; nono, quinque; decimo, quatuor; undecimo, tria; decimo-ſecundo, duo; decimo-tertio, unum folium.

Externe in tibiarum ulceribus ſolus Ariſtolochiæ longæ pulvis in aqua Veronicæ decoctus a Simone Pauli mire prædicatur. Ejuſdem pulveris decoctio in vino ad genitalium ulcera ſananda a Trago commendatur.

Cum

Cum ingrata ſit Ariſtolochia ob intenſum amarorem , raro ejus infuſio aut decoctio interne ſumenda præſcribitur ; pulvis vero ſæpius , tantum a ℈j. ad ʒij.

℞. Ariſtoloch. rotund. ʒiij. Cinnamom. ʒj. Croci ℈j. Cum ſyrup. Arthemiſiæ , fiat opiata , cujus doſis ʒj. quarta quaque hora iteranda , ad lochia ſuppreſſa provocanda.

℞. Radic. Althææ , Bryon. Ariſtol. longæ , & rotundæ , ana ℥ij. Folior. Mercurial. Arthemiſ. Sabin. ana M. j. flor. Chamœmeli , Meliloti , Tanaceti , ana P. j. Contund. & incid. ut artis eſt , decoquantur in aq. Font. q. ſ. & in ſacculis ventri , inferiori , & pudendo , admoveantur in lochiorum ſuppreſſione.

Ariſtolochia Clematitis longe rectæ ſubſtitui poteſt . Galenus tamen eam rotunda , & longa viribus paulo infirmiorem aſſerit , licet fragantiorem ; quod quidem mirum eſt . Odor enim , & ſapor principiorum activorum , & ubertatem , & energiam indicare videntur . Revera eam non ſine virtute , ſed cœteris infirmiorem tantum dicit : & fortaſſe ob ejus facultates magis temperatas , in Theriaca , tum ab Andromacho , tum a Galeno recipitur , & aliis anteponitur .

Magna eſt adhuc inter auctores controverſia , utrum Ariſtolochia Clematitis in Theriaca uſurpari debeat , an tenuis , ſeu Piſtolochia ? Ab Andromacho ſeniore Ariſtolochia λεπτὴ expetitur ; ſed per illam vocem non aliam Ariſtolochiæ ſpeciem a Clematitide diverſam deſignat ; imo eamdem ipſam , quæ tenuis , tunc temporis , dicebatur a ſuis radicibus , quas Dioſcorides longiores , & tenues ipſe dicit in Chelmatitidis deſcriptione , ρίζας μακροτέρας λεπτάς . Qua de re arbiter ſit Galenus ipſe , qui *lib. primo de Antidotis* , medicamentorum quæ in Theriaca uſurpantur , delectum exponendo , Ariſtolochiam tecenſet , *quam* , inquit , *tenuem Andromachus dixit , quod altera craſſa radice , & tertia rotunda comperiatur* ; quod quidem convenit cum tribus Ariſtolochiæ ſpeciebus , quas *libro ſexto de ſimplic. medicam. facultatibus* , conſtituit , & cum tribus ſpeciebus a Dioſcoride recenſitis.

Clematitis itaque uſurpatur in Theriaca Andromachi ſenioris .

Ariſtolochia rotunda in Theriaca Diateſſaron *D. Charas* , in Hiera Diacolocynthidos , Trochiſcis de Capparibus , Oleo Scorpionum compoſito , in Unguento Apoſtolorum , Emplaſtro divino .

Longa , & rotunda in Emplaſtro ad herniam ſeu contra rupturam . Longa in Emplaſtro Manus Dei *Ejuſdem* , & in Aqua vulneraria *D. Lemery* .

Ariſtolochia tenuis uſurpatur in antidoto Orvietano *D. Charas* .

ARTICULUS QUINTUS.

De Behen albo , & rubro.

BEhen album *Officinarum*. Behmen Abiad *Avicennæ* , & *Serapionis* : Ερμοδάκτυλος λευκὸς , *Actuarii* , *Nicolai Myrepſi* , & *Græcorum recentiorum*. Hoc nomine proſtant in officinis fruſta lignea , ſeu potius radices longæ ,

digiti

digiti craſſitie, ſiccitate contractæ & corrugatæ, carnoſæ, foris cinereæ intus pallidæ, odoratæ, acriter linguam & fauces ferientes.

Behen rubrum *Officinar.* Behen vel Behmen ackmar *Avicennæ* & *Serapionis*. Ερμοδακτυλος ἐρυθρός, *Actuarii*, & *Nicolai Myrepſi*. Radix eſt quæ in fruſta nobis affertur talleolatim ſecta, Jalapii ad inſtar, ſicca, denſa, atrorubentia, odore & ſapore Behen albo ſimilia, ſed magis languidis & ignavis: quæ quidem ambæ radices ſiccæ ex monte Libano & aliis Syriæ locis afferuntur. Behen album & rubrum veteribus Græcis videntur fuiſſe incognita. Apud Arabes & Græcos juniores tantum uſitata fuerunt. Verum adeo mancas, ac mutilas non ſolum harum radicum, ſed etiam cœterorum medicamentorum ſimplicium deſcriptiones reliquerunt, ut nihil certi de his ſuperſit: hinc tanta in materia medica obſcuritas & ignorantia. Hinc etiam tam variæ auctorum ſententiæ. Nulla res tantam ſententiarum diverſitatem procreavit, quam harumce radicum origo. Alii enim Behen album eſſe autumant radicem Lychnidis ſylveſtris, ſed Papaveris ſpumei, *Lobelii*; alii Angelicæ, Eryngii, Zedoariæ, aut Paſtinacæ ſylveſtris radicem, Behen rubrum vero alii Limonii maritimi; alii Valerianæ rubræ, Biſtortæ, Tormentillæ, Caryophyllatæ radicem eſſe opinantur. Tanta caligo diſcuti non poterat, niſi inquirendo apud ipſos Arabes, num harumce rerum cognitio inter hos populos quadam traditione fuiſſet tranſmiſſa. Et reipſa Leonardus Rauvolfius, qui has regiones peragravit, Behen album, quod *Behemen Abiad* adhuc ab Arabibus nominatur, ad radices Libani montis vidit, delineavit, ac deſcripſit. Et clariſſimus, ac eruditiſſimus vir D. Tournefort ex Orientalibus plagis ejuſdem plantæ ſemina aſportavit, & in Horto Regio Pariſienſi terræ mandavit, ſub Jaceæ Orientalis nomine, eamque ſuo Inſtitutionum rei herbariæ Corollario inſeruit. Hanc plantam poſtea D. Vaillant Botanicus peritiſſimus, & Regius rei herbariæ Demonſtrator, comparatione facta hujus plantæ cum Rauvolfii deſcriptione, eamdem eſſe agnovit quæ *Behemen Abi ad* Arabum, *Rauvolfii*.

Behen album itaque radix eſt plantæ, quæ Jacea orientalis, patula, Carthami facie, flore luteo, magno, *Corollarii Inſtitut. R. H.* Behmen Abiad Arabum, ideſt, Behen album *Rauvolfii*, dicitur.

Ex radice longa, geniculata, nullis capillata fibris, ſerpente inſtar Glycyrrhizæ, quam æmulatur & forma & craſſitie, ſed intus alba potius quam flava, aſſurgit caulis unicus, cubitalis, cujus inferiori ex parte naſcuntur folia longis pediculis ſuffulta, magna, longa, ſpiſſa, qualia Oxylapathi: in horum ima parte folii laciniæ quatuor ex adverſo binæ, at quæ ex caule ſuperiori naſcuntur folia, amplectuntur illum ſine pediculo, ut in Perfoliata vulgari & Smyrnio Cretico. In caulis faſtigio ſurculi prominent cum foliis minoribus, quorum ſinguli florem floſculoſum ſuſtinent, plurimis ſcilicet, multifidis conſtantem floſculis flavis, embryoni inſidentibus, & calyce ſquammato non aculeato, flavo, comprehenſis, quorum embryo deinde abit in ſemen pappoſum.

De Behen rubro cum inter auctores non plane conſtet, de hujus radicis origine, donec certiores facti fuerimus, ſilebimus.

Ex Arabum ſententia Behen utrumque corroborat, corpus pingue efficit, ſemen

ſemen auget, confert tremori, & alia multa commoda præſtat. Rarioris ſunt uſus hæ radices, nec uſurpantur niſi in Electuario de Gemmis *Meſuæ*, aut aliis jam abſoletis Arabum compoſitionibus.

ARTICULUS SEXTUS.

De Butua.

BUtua & Pareira Brava *Officinar.* & *P. Pomet.* Boutoua; & Membrocq *Braſilienſium*. Pareira brava *Luſitanorum*. Butua, Brutua *Zanonis*, & forte Ambutua R. P. Joannis Anton. Monte-Cucoli, *Ejuſdem*. Radix eſt lignoſa, dura, contorta, foris fuſca, rudis, variis rugiis, tum longis, tum circularibus circumſepta, Thymelææ radicis inſtar, intus obſcure flaveſcens, variis fibris lignoſis quaſi intertexta; ita ut tranſverſim ſecta, plures circulos concentricos, quamplurimis radiis ſeu fibris a centro ad circumferentiam protenſis interſectos, exhibeat: inodora, ſubamara, cum quadam dulcedine Glycyrrhizæ ſimili, digiti & interdum brachii infantis craſſitie.

Luſitani hanc radicem ex Braſilia afferunt, plantamque eſſe Vitis ſylveſtris ſpeciem narrant. Nullo ab auctore, ne quidem a Piſone, ſaltem his nominibus deſcripta fuit, excepto tamen Zanone, qui cujuſdam ligni *Butua*, *Brutua*, & *Ambutua* dicti mentionem facit, ſed admodum obſcuram, & incertam, quæ tamen noſtræ radici convenire poteſt.

Braſilienſes, & Luſitani hujus radicis virtutes ſummopere extollunt: illam diureticam, lithontripticam, vulnerariam, ſtomachicam, cordialem, alexipharmacam, & quaſi ſummam Panaceam prædicant. Braſilienſes eam aqua madidam ſupra cotem atterere ſolent, & in pultem redigere, quam poſtea aqua vel vino dilutam ægrotantibus exhibent propinandam, aut partibus dolentibus admovent ſolam, vel cum quibuſdam oleis permixtam. Intus ſumpta diarrhœam, dyſenteriam, gonorrhœam, fluorem album, hæmoptoen & hœmorrhagias quaſcumque ſiſtit. Pleuritidem, & anginam, tum intus ſumpta, tum cataplaſmatis forma ſupra partem dolentem applicata; ſanat. Venenis intus ſumptis, animalium venenatorum morſui, & telorum venenatorum ictibus medetur. Sed præſertim ad nephriticum dolorem, urinæ ſuppreſſionem, & ad renum veſicæque calculum pro ſpecifico inſigni habetur.

Revera ſæpius in dolore nephritico, & in urinæ ſuppreſſione hocce remedium felici cum ſucceſſu exhibui, & nonnunquam ægrotantem fere in inſtanti, ſuperveniente uberrimo urinæ profluvio, dolore liberatum vidi. Tantum abeſt tamen, ut calculum in renibus vel in veſica concretum, & induratum, hac radice diſſolvi poſſe exiſtimem; quin imo, licet ex aſſumpto hocce remedio, cum magna urinæ copia arenulæ quamplurimæ vel etiam calculi tenues excernantur. Sed hujus remedii operandi ratio in eo poſita mihi videtur, quod muſcoſam lympham ac tenacem attenuet ac reſolvat. Cum igitur dolor nephriticus aut urinæ ſuppreſſio ex muſcoſa lympha, prima

ma nempe arenularum & calculorum materia, renum colatoria infarciente, vel etiam ex arenularum congerie hoc muco in unam maſſam compacta, quæ per tempus in calculum indureſcit, oritur, tunc Butua radix hunc mucum diſſolvendo, liberum urinis exitum aperit, & cum uberrima urinæ copia arenulas ſejunctas expellit.

Hujuſce radicis energiam non ſemel comprobavi in ulceribus renum & veſicæ abſtergendis & curandis, cum urinæ mucoſæ ac purulentæ vix excerni poterant, nec niſi ſumma cum moleſtia: ægrotantes Butuæ uſu, urinæ difficultate vel ſuppreſſione citiſſime liberabantur, urinæ fluidiores ac limpidæ excernebantur, ulcus abſtergebatur, ac tandem Butuæ radici balſami Copaivæ nonnihil conjungendo, conſolidabatur.

Quam in Butua radice ſerum tenax ac viſcidum diſſolvendi virtutem comperieram, ea ad hocce remedium in aliis ægritudinibus a ſero tenaci & viſcido oriundis uſurpandum, me compulit. Exempli gratia, in aſthmate humorali a pituita glutinoſa pulmonum bronchias infarciente, & ægrotantem fere ſuffocante, multis fruſtra tentatis, tam feliciter ejus infuſionem exhibui, ut abundantiſſima ſuperveniret expectoratio, qua ægrotans ſanaretur. In ictero a bile craſſiore & in grumos inſpiſſata, hoc novum tentare volui præſidium: nec ſpes mea me fefellit. Mulier dolore colico vehementi & acuto ſub hepate in hypocondrio dextro laborabat; cutis intra paucas horas flavo colore tincta fuit; alui dejectiones albicantes, urinæ vero craſſæ & croceæ apparuerunt: præmiſſis venæ ſectionibus, tum ex brachii vena, tum ex ſaphena, Butuæ decoctionis cyathos tres intra ſeſquihoræ intervallum exhibui: paulo poſt tertium cyathum hauſtum, ſedatus fuit dolor: deinde ejuſdem decocti potione, quarta quaque hora, iterata, dejectiones flavæ prodierunt, urina multo uberior, minus flava, & limpida: tandem fœdus cutis color evanuit, & ægra prorſus reſtituta fuit. Cum autem huic morbo ſit obnoxia, quoties eadem affligitur ægritudine, toties ad idem præſidium recurrit, & liberatur. Fruſtra eadem radice ictero mederi tentavi in icterica muliere, cujus hepar tumidum erat, durum, & ſchirroſum. In gonorrhœa quoque, Butua non parum confert ad ulcus abſtergendum & conſolidandum, cum balſamo Copaivæ conjuncta.

Doſis hujus radicis eſt a gr. xij. ad ʒß. in ſubſtantia, & ad ʒij. vel iij. in decocto.

℞. Rad. Butuæ contuſæ ʒij. Bulliant. in aq. comm. ℥xxiv. Redigantur ad xvj. circiter. Fiat colatura. Dividatur in tres doſes calide exhibendas, ad modum potus. Theæ, cum tantillo Sacchari, interpoſito horæ dimidiæ, inter ſingulam doſim, intervallo; in nephritide & urinæ ſuppreſſione, tum ex arenulis congeſtis, tum etiam ex urinæ muco tenaci & ſpiſſo; in ictero a bilis craſſitie; in aſthmate humorali.

℞. Rad. Butuæ tenuiter ſectæ ℈j. Bulliat leviter in aquæ cyatho uno; fiat colatura; & edulcoretur cum Sacchari tantillo, vel Syr. de 5. radicibus q. ſ. Hauriat æger mane, jejuno ventriculo. Iteretur per octiduum ſingulis menſibus ad calculum præcavendum. Vel

℞. Rad.

℞. Rad. Butuæ pulverizatæ gr. xviij. Syr. de 5. rad. q. ſ. Fiat bolus eodem modo ſumendus.

℞. Radicis Butuæ pulveratæ ℈j. Balſami Copaivæ, q. ſ. M. Fiat bolus mane & ſero devorandus, ad ulcus renum & veſicæ curandum.

℞. Radicis Butuæ pulver. gr. xviij. Panaceæ Mercurial. gr. x. Syr. Hederæ terreſtris, vel Balſam. Copaivæ, q. ſ. Fiat bolus mane & ſero iterandus, pro gonorrhœa.

Cavendum eſt ne nimia doſi exhibeatur; ardorem enim in renibus accenderet & fortaſſe inflammationem.

Alia eſt Butuæ ſpecies, quæ Butua alba dicitur. Radix eſt lignoſa, dura, cortice molliori, fungoſo, coloris carnei, obducta, intus lignoſa, flava ad inſtar Glycyrrhizæ, ſapore ſubamarciante. Iiſdem virtutibus donari, quibus Butua fuſca, ſed debilioribus, narrant.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Carlina.

CArlina & Chamæleon albus *Officinar.* His nominibus in uſum venit radix palmi unius vel alterius longitudine, pollicari craſſitudine foris rufa, ſuperficie velut corroſa & foraminulenta; intus albida, ſapore acri, aromatico, non ingrato, odore fragranti. Ex Alpibus, Pyrenæiſque montibus affertur; reperitur quoque ſuper Aureum Arverniæ montem. Eligatur recens, ſicca, non carie exeſa, aut ſitu obducta.

Exſurgit autem hoc loco quæſtio ſubdifficilis, num Chamæleon albus vulgo dictus, ſeu Carlina Officinarum, idem ſit cum Chamæleone albo *Dioſcoridis*; num etiam Chamæleon albus, Ixia, Ixine, & Helxine *Theophraſti*, *Dioſcoridis*, *Galeni*, *Plinii*, & recentiorum, ſint una & eadem planta cum noſtra Carlina? Et hæc quæſtio eo majoris momenti videtur, quod duæ aut plures plantæ ſub his nominibus confundantur, quarum una eſt tota mortifera, altera vero alexipharmaca, ſeu antidotus contra peſtem & venena.

De hac quæſtione Fabius Columna diligenter & accurate diſſeruit. Cui aſſentientes unam eſſe eamdemque plantam, quæ Ἰξίνη *Theophraſti*, Helxine vera *Plinii*, Carlina & Chamæleon albus *Officinarum*, dicitur, exiſtimamus. At vero χαμαιλέων λευκὸς *Dioſcoridis*, Chamæleon albus, qui & Ixia *Plinii*, Chamæleo albus, Apulus, purpureo flore, gummifer, *Fabii columne*; Carlina acaulos gummifera *C. B. P.* eamdem plantam deſignant, quæ quidem genus a præcedenti diverſum non conſtituit, ſed diverſa eſt tantummodo ejuſdem generis ſpecies.

Denique licet Chamæleon albus ſæpe *Ixia* dicatur, Dioſcoridis & Plinii teſtimonio, diverſus tamen videtur ab *Ixia* radice venenata, quam Dioſcorides inter mortiferas ſpeciatim recenſet.

Planta itaque, ex qua Carlinæ radix *Officinarum* extrahitur, Ἰξίνη *Theophraſti*, Helxine vera *Plinii*, Carlina acaulos magno flore albo *C. B. P.* Carlina acaulos *J. B.* Chamæleon albus *Matthioli*, nuncupatur.

Radix longe lateque ſerpit, profunde intra terram agitur: antequam vero e terra emergat, in capita aliquot, ut plurimum, faceſſit, ex quorum ſingulis ſeparatim folia in orbem ſupina oriuntur, palmum unum aut duos longa, unciam unam aut alteram lata, profundis ad coſtam uſque inciſuris diviſa, & veluti criſpa, aculeis minacibus horrida, nonnihil tomentoſa, ſubviridia, excepta pediculi infima parte atrorubente. In horum medio ſeſſilis hæret echinus, orbiculatus, ſpinoſiſſimis foliis undique obſitus, e cujus umbilico flores emicant albi, radiati, quorum ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis albis, embryoni inſidentibus, componitur: corona vero ex petalis planis conſtat, nulli embryoni affixis, calyce ſpinoſo & amplo, perinde ac floſculi, comprehenſis. Embryones deinde abeunt in ſemina pappis inſtructa, folio imbricato inter ſe diſtincta.

Χαμαιλέων λευκὸς *Dioſcoridis*, Ἰξία quorumdam *Ejuſdem*, Chamæleon albus, qui & Ixia *Plinii*, Chamæleo albus, Apulus, purpureo flore, gummifer, *Fabii Columnæ*; Carlina acaulos gummifera *C. B. P.* a præcedenti parum diſcrepat, nec niſi flore purpuraſcente, foliis majoribus, magis profunde inciſis & ſpinoſioribus vulgari, albicantibus, inferne hirſutis, quandoque virentibus, poſtea rubentibus, radice craſſiore & longiori, lacteſcente, odore fragrantiori cerebrum feriente. Ex hac radice quocumque modo lacerata, ſecta, vel fiſſa, lac ſtatim effluit in grumos, ob viſcoſitatem, brevi concreſcens, non ſecus ac viſcum, dum recens eſt, digitis adhærens, colore candido, dein collectum, ceræ modo, concreſcit, contrectatumque inficitur & nigreſcit. Non ſolum radix vulnerata viſcoſam illam reſinam fundit, ſed etiam ſummus echini vertex, & ſpinoſa calycis foliola eam exſudant.

Hæc lacryma Ἀκανθικὴ μαστίχη *Theophraſti*, dicitur, Ἰξὸν *Dioſcoridis* Ixia *Plinii*, & Cera di Cardo ruſticorum Apuliæ, *Fab. Col.* Non injucunda eſt, eaque, veluti Maſtiche, utebantur olium mulieres, teſte Dioſcoride.

Nunc non parva occurrit difficultas ad detegendum, quænam ſint radices, quas Dioſcorides, *L. ſexto, de Venenis, cap. primo*, Chamæleonem & Ixiam nominat, & inter radices noxias recenſet. Hac de re diverſe admodum ſentiunt auctores, quorum alii Ixiam & Chamæleonem unam & eamdem plantam eſſe volunt, & quidem venenoſam; alii plantas prorſus diverſas: alii Ixiam Chamæleonis albi ſuccum eſſe contendunt; alii nigri Chamæleonis viſcum, ſeu gummi. Verum Theophraſti, Dioſcoridis, & Plinii teſtimoniis innixi, Chamæleonis albi radicem non ſub Chamæleonis ſimpliciter dicti, vel Ixiæ nominibus intelligendam eſſe cenſemus cum Columna. Nam Chamæleonis albi radix intus ſumpta, hominibus alexipharmacum eſt contra latas tineas, & in vino pota Theriace contra venenata, ut Dioſcorides & Nicander teſtantur, atque non parva doſi utebantur introſumpta; nam acetabuli pondere duas fere uncias æquante, ad latas ventris tineas necandas pellendaſque præſcribitur, tam a Theophraſto, quam a Dioſcoride, Galeno, & Plinio; & ad difficul-

tatem

tatem urinæ & ſerpentum ictus, decocta vel in vino pota radix; abſque menſura, præſcribitur a Dioſcoride.

At vero liquet Ixiam non eſſe Chamæleonis albi, ſed potius nigri radicem, ex ipſo Dioſcoridis textu, *Cap. de Ixia*, in quo Ixia *Ulophonon* appellari traditur; ſicut etiam *Ulophonon* nigrum Chamæleonem appellari Plinius narrat. Ixia igitur Dioſcoridis, vel eadem eſt radix cum Chamæleone nigro, ſi Plinio ſit habenda fides; vel eſt radix nunc nobis ignota, ſi Dioſcoridi aſſentiamur.

Albus tamen Chamæleo canes, ſues, & mures occidit, narrante Dioſcoride; ſed non mirum, ſi quibuſdam animalibus noxium ſit, non vero hominibus.

Chamæleonis albi radix, referente Galeno & dioſcoride ab antiquis potui dabatur, ad lumbricos latos educendos, cum vino auſtero, ad ʒxv. & hydropicis ad ʒj. Plinius addit in cibo decoqui, adverſus fluxiones, quas Græci rheumatiſmos vocant. Verum cum rariſſime Chamæleon albu *Dioſcorid. & Galeni*, ſeu Chamæleon albus Apulus, gummifer, *Fab Columnæ*, nobis afferatur; non igitur ejus vires confundendæ ſunt cum Ixinæ *Theophraſti*, Helxines veræ *Plinii*, aut Carlinæ vulgaris virtutibus. Theophraſtus & Plinius de his dotibus alte ſilent. Neoterici Carlinam alexipharmacam eſſe exiſtimant: eam venenis omnibus reſiſtere, peſtis contagia non modo arcere, ſed etiam curare, ſi tempeſtive adhibeatur, aſſerunt. Carlinam dici narrant quaſi Carolinam a Carolo Magno Imperatore; quia ejus exercitus, Angeli monitu, uſu hujus radicis, ut ferunt, liberatus fuit. Simon Pauli vim diaphoreticam ipſi tribuit. In malo hypochondriaco a Camerario prædicatur. Fredericus Hoffmann. ejus decoctum in brodio carnis factum, quibuſdam vomitum movere obſervavit.

℞. Rad. Carlinæ ſiccat. & pulverat. ʒj. Detur in hauſtu vini generoſi, cum Aceti Theriacalis cochleari uno; & æger componatur ad ſudandum. *Contra peſtem*.

Uſurpatur in Aceto Theriacali, in Antidoto Orvietano *D. Charas*, & in Electuario Orvietano *Freder. Hoffmann.*

ARTICULUS OCTAVUS.

De Caſſumuniar.

CAſſumuniar & Caſmunar *Anglorum*, Riſagon *Muſæi R. S. Lond.* Bingalle Indorum, *Actor. Philoſoph. Regiæ Soc. Lond.* N. 264. Radix eſt tuberoſa ad pollicem & amplius craſſa, in taleolas tranſverſas ſecta, ſuperficie circulis, ut in Galanga, quaſi geniculatis notata, foris cinerea, intus flaveſcens, ſapore ſubacri, amaricante, aromatico odore fragranti.

Angli hanc radicem ex India Orientali afferunt, ejuſque vires ſummopere prædicant. Quænam ſit planta, quæ hanc radicem ſuppeditat, me adhuc latet. Caſſumuniar vero nomen eſt fictitium, a quodam Medico Anglo ad plantam celandam impoſitum.

Ex

Ex odore fragranti & ſapore acri, pungente, aromatico, conjicere licet huic radici ineſſe ſalem volatilem, oleoſum, aromaticum, a quo potiſſimum ejus energia pendet. Nervos firmat, ſpiritus animales ſuſcitat & reficit, ventriculum corroborat, flatus expellit. In apoplexia, epilepſia, vertigine, motibus convulſivis, tremore, hyſterica paſſione, hypocondriacis affectibus, vertigine, & inteſtinorum torminibus curandis, medicamentum præſtantiſſimum exiſtimatur, tum ab Indis, tum ab Anglis. Exhibetur in ſubſtantia a ℈ß. ad ʒß. Ex ea paratur Tinctura cum ſpiritu vini, & Extractum. Tinctura ad guttas xx. vel xxx. in potu Theæ, vel in vino proponatur; Extractum vero a gr. vj. ad xv. ſumitur.

ARTICULUS NONUS.

De China radice.

CHina *Officinar.* China ſeu Cinna *Cæſalpini*, Chinæa radix *Cordi Hiſtor.* China & Schina *Tabern.* vulgo, *Squine*. Radix eſt longe diſcrepans a cortice *China-China* dicto, tum natura, tum viribus. Nomen habuit a China regione, unde in Indiam Orientalem primum illata eſt, & inde in Europam. Duæ hujus radicis ſpecies in Officinis venales proſtant, Orientalis ſcilicet, & Occidentalis.

China Orientalis *Officinarum*. Radix eſt craſſa, arundinacea, geniculata, ponderoſa, lignoſa, tuberculis inæqualibus, colore foris ex fuſco rubente, intus ex calido rubeſcente; aliquando nonnihil reſinoſa, ſapore, dum recens eſt, aliquantulum acri & ſubpingui; ſicca vero, terreſtri leviterque adſtringente, odore nullo prædita.

Optima eſt recens, denſa, ſolida, ponderoſa, quæ neque teredinem, neque cariem ſenſerit, fere inſipida, plena tamen humore quodam pingui & unctuoſo, qui maſticando quidem ſatis evidens ſit, in decocto autem evidentior. Rejicitur inoleta, ſucco exuta, fungoſa, levis, & carioſa.

Planta, quæ dicitur China Orientalis ſeu Smilax aſpera Chinenſis, Lampatam dicto *Herman. M. M.* (*Sankira*, vulgo, *Quaquara*: Smilax minus ſpinoſa, fructu rubicundo, radice virtuoſa, *Chinæ* dicta. *Kæmpfer Amænit. exotic. Faſcicul. V. pag.* 781. Radice gaudet magna, dura, nodoſa, inæquali, paucis longiſque fibris capillata, extus rufa vel nigricante, intus albida, ſaporis vapidi, Medicis rapix *Chinæ* dicta, ſatis ex virtute nota ac celebrata. Scandit unum vel alterum cubitum ſine adminiculo, dumetis vero propinquis nixa altius enititur. Sarmentis lignoſis, culmum hordeaceum craſſis, obſcure circa humum ſpadiceis, ex biunciali intervallo geniculatis, articulis alterne & ad ſeriem reflexis, interdum gemina ſpina adverſa, brevi & redunca interceptis. Ex geniculis ſingulis valva emergit duplicata, membranacea, ſumiunciam longa, pennam lata anſerinam, dura, ſtriata, duos extendens capreolos, vitigineis ſimiles, quibus contacta quævis firmiter comprehendit. Ex valvis ſingula oriuntur folia, ex alis ſimul flo-

rum corymbi, tum novelli interdum ſurculli. Folium perbrevi vel pene nullo inſtructum pediculo, ex acuto brevi principio in orbiculum triuncialis diametri expanditur, in mucronem curtum repandum deſinens. Tenue eſt, membranaceum, utraque facie diluto virore nigricans, ante mucronem ingenti valva undulans, margine integro, aliquando inæquali, alterutro latere protuberante. Venis donatur quinis ramoſis, ex baſi folii in mucronem, media directe, cœteris arcuatim protendentibus. Pediculo tenuiſſimo unciali, rubente vel luteſcente inſident floſculi, plus minus decem, in umbellæ formam congeſti, nudi, in herbido lutei, hexapetali, petalis anguſtis, in gyrum repandis, ad ſeminis Coriandri ambitum dariantibus, pellucidis, ſtaminibus ſenis, apicibus in luteum albicantibus, ſtylo turbini medio inſiſtente, capitulo cæſio. Fructus, invaleſcente pediculo, florem excipiunt; Ceraſis figura, magnitudinem, rubedine, ac nitore ſimiles, rarius turbinati, aere magis, quam carne turgidi: carne conſtant pauca, ſicca, farinoſa, incarnata, ſaporis acerbi, Meſpilorum æmuli; in qua ſemina involuta latent quaterna, quina vel ſena, Lenticulæ magnitudinis, figuræ lunaris, in orbem inſtar Malvæ ſeminum conglobata, per ſiccitatem ex badio nigricantia, intus candida, duriſſima, ſubſtantiæ corneæ. In Chinæ regno inter ſilices & vepres, in incultis locis perennis luxuriat. *Kæmpf. ibid.*

China priſcis Medicis ignota fuit, aut ſaltem ab iis oſcitanter prætermiſſa. Apud recentiores, ad morbos venereos debellandos, per ſat longum temporis intervallum, magna fuit ejus commendatio; quæ quidem poſtea ab hydrargyri uſu admodum imminuta eſt & fere extincta.

Huic prima auctoritas circa annum 1535. a mercatoribus Sinenſibus conciliata fuit. Hi enim affirmabant hac radice ſanari luem veneream, podagram, alioſque morbos quamplurimos, ſine accurata illa victus ratione, quæ in Guajaci exhibitione tunc temporis obſervabatur, non tanto etiam tempore, nec tanto cum faſtidio. Hoc nomine cum commendaretur ab Hiſpanis Carolo V. Imperatori, ut referunt Avila, & Veſalius; ea uſus eſt Imperator proprio nutu, inconſultis Medicis cubicularis, & quidem ſine ſucceſſu; cum neque ſervaret debitum regimen, neque illius uſum continuaret; quo factum eſt, ut paulo poſt ad Guajacum recurreret. Quibus palam factis, nihilominus Medici Principum a Cæſarianis rationem exhibendi hanc radicem expoſtulabant; quin & Principes ipſi ſollicitabant Cæſarem, pateretur rem internoſcere. Tantum poterat inanis ſpes adipiſcendi ſanitatem abſque methodo medendi: quæ cum, apud pleroſque, omnes decollaret, temere decantata hæc licentia ſenſim repreſſa eſt, & ad diætam Guajacinam coercita; aut potius Guajacum China temperare tentarunt. In eo enim conſentiunt omnes fere Medicinæ Scriptores, quod hoc medicamentum rite exhibitum, ad morbos venereos antidotus ſit optima.

Tenujum eſt partium, natum reſolvere humores, & ſudores movere, in iis præſertim qui vel a natura vel uſu prægreſſorum medicaminum jam diſpoſiti ſunt, inquit Veſalius. Garzias ſcribit utile eſſe ad paralyſes, tremores, articulorum dolores, ſciaticam, poda-

gram,

gram, tumores ſchirroſos & ædematoſos, ſcrofulas extirpare, ventriculi imbecillitati, inveterato capitis dolori, veſicæ & renum ulceribus ſuccurrere. Addit Acoſta hemicraniæ, herniis humoralibus & flatulentis, colli veſicæ, & penis callis & ulceribus plurimum conferre. Monardes icterum ſolvere, omnem hepatis intemperiem emendare, febribus diuturnis quotidianis & erraticis auxiliari aſſerit. Humorem melancholicum temperat, ait Fallopius. Alpinus narrat, Ægyptios uti decocto ad ſanguinis, hepatiſque calores contemperando, & hocce decocto habiliores fieri. Qui quidem effectus, ſecundum C. Hoffmanni ſententiam, non a ſola radicis virtute pendent, ſed etiam a diæta, & largiori aquæ tepidæ potatione. Medicamentum enim inſpiſſatos humores reſolvit & attenuat; ita ut multa decocti aqua epota, acres humorum ſales eluantur, & foras, tum per ſudores, tum per urinas amandentur. Ea de cauſa ſæpius decoctum, aut infuſio, quam ſubſtantia, præſcribitur. Hæc erat autem illius radicis exhibendæ methodus, tum ad luem veneream, tum ad catharroſos affectus, dolores arthriticos, & cachexia.

℞. Radicis Chinæ in taleolas tenues conciſæ ℥j. Aq. ℔vij. Stent in olla obturata horis 24. dein lento igne ad medias coquantur. Decoctum refrigeratum coletur. Hujus decocti calidi ℥x. ægro purgato exhibeantur mane, jejuno ventriculo; & iteretur eadem doſis octo horis a prandio. Æger in lecto componatur, & ad duas horas ſudet. Hic modus triginta diebus continuis, nulla alia purgatione intermixta, obſervari debet, ægro in conclavi remanente. Poſt id tempus, æger quadraginta diebus cibis boni ſucci utatur; & vini loco, ſit aqua hoc pacto præparata: Sume hujus radicis taleolarum jam decoctarum, & in umbra exſiccatarum ℥j. Infunde per horas 24. in ℔vij. & dein, ut prius ad medias coquantur, & ad uſum ſerventur.

Verum hodie hæ radices China & Sarſaparilla, lignumque Guajacinum, ad luem veneream debellandam parum fida præſidia habentur, & hydrargiro longe inferiora. China raro nunc ſola uſurpatur; ſed cum Sarſaparilla, Guajaco, & cœteris in ſubſtantia exhibetur a ʒß. ad ʒjß. In docoꝫto vero a ʒj. ad ℥ß. conjungitur ad ptiſanas, vel decocta ſudorifera præparanda.

℞. Rad. Chinæ taleolatim conciſæ ℥j. Radic. Sarſæparillæ ℥ij. Ligni Sancti ℥ß. Liquiritiæ raſæ & contuſæ ʒvj. Infundantur calide per 12. horas in aq. comm. ℔viij. Poſtea coquantur ad conſumptionem tertiæ partis. Sub finem adde Ligni Saſſafras ʒiij. Refrigerata colentur per pannum; & ſervetur uſui ptiſana ſudorifica adverſus catharros, articulorum dolores, & morbos venereos uſitatiſſima. Hauriat æger 4. vel 5. cyathos de die, vel ad ſitim pro potu ſolito.

Vel ℞. Rad. Chinæ ℥ij. Rad. Sarſæparillæ, Ligni Guajaci ana ℥iiij. Folior. Or. Rhei electi, Glycyrrhyzæ ana ℥j. Polydodii querni, Roſar. rubrar. ana ℥ij. Sem. Coriandri ʒij. Cryſtalli Miner. ℥ß. Infundantur omnia tepide in aquæ comm. ℔xx. per 24. horas, & coquantur ad 4. partis diminutionem. Decocto ab igne ſemoto adde Malum Citreum taleolatim ſectum. Ptiſana refrigerata per pannum trajiciatur; cujus libras duas hauriat æger ſingulis diebus, per tres hebdoma-

domadas, contra Rheumatiſmum inveteratum, dolores podagricos; cachecticos affectus, & morbos venereos.

China Occidentalis, *Officinarum*; China ſpuria nodoſa, *C. B. P.* Pſeudo-Chinæ Radix, *Cluſii J. B.* Radix eſt oblonga, craſſa, nodoſa, tuberoſa, quæ ab Orientali non differt, niſi colore foris magis rufo, vel nigreſcente, intus vero magis rubeſcente.

Planta dicitur Olcacatzan pahuathanica, *Hernandez.* Jupicanga Braſilienſibus, *Piſonis Hiſt. Br.* 257. Smilax viticulis aſperis, Virginiana, foliis anguſtis, levibus, nullis articulis prædita, *Pluken. Phylograph.* Smilax aſpera, fructu nigro, radice nodoſa, magna, farinacea, China dicta, *Sloane Catal. Pl. Jam.* Eadem enim videtur eſſe planta his nominibus deſignata, aut ſaltem idem plantæ genus, cujus ſpecies perparum inter ſe diſcrepant. Cum illa, quam deſcribit Hernandez, a Jupicanga Piſonis non differat, niſi fructuum colore, Hernandez enim nigreſcentes, Piſo vero croceos, depingit. Narrat quoque idem Piſo ſe tres Jupicangæ ſpecies obſervaſſe, quæ tamen vix a ſe invicem diſtingui poſſunt, niſi ex ſpinis majoribus, vel frequentioribus; quod quidem diſcrimen minimi admodum eſt momenti. Nec fortaſſe hæ ſpecies ab Orientali China diverſæ ſunt.

Ex Hiſpania nova, Peruviano regno, Braſilia, aliiſque Americæ regionibus affertur.

China Occidentalis viribus cum Orientali convenit, licet paulo inferior cenſeatur.

ARTICULUS DECIMUS.

De Contrayerva.

CONTRAYERVA & Drakena, *Officinarum*; Contrayerva Hiſpanorum; ſive Drakena radix Cluſii, *Parkins*. Radix eſt unciam unam aut alteram longa, ſemiunciam craſſa, in nodos & inæqualia capita extuberans, dura, denſa, foris rufa vel nigricans, rugoſa, atque in ſummis capitibus veluti ex ſquammis contexta, fibris tenuibus quamplurimis hinc inde adnaſcentibus, & quibuſdam craſſiuſculis & majuſculis onuſta; duris ac lentis, ex quibus, dum annoſa eſt, alii dependent nodi: intus pallida, ſapore nonnihil adſtringente, amaricante, cum tenui ac ſuavi quadam acrimonia, ſi diutius in ore detineatur, odore aromatico leviſſimo.

Radicis pars tuberoſa eligatur; fibroſa vero, quæ fere inſipida & inodora, rejiciatur.

Hæc Radix, Contrayerva ab Hiſpanis dicta, quod venenis reſiſtat; eadem eſſe videtur cum Drakena *Cluſii*, qui hoc nomen illi impoſuerat; quia eam acceperat a Franciſco Drak Anglo, qui eam ex peregrinatione qua totum orbem circumivit, ſecum attulerat; Drakenæ enim deſcriptio apud Cluſium Contrayervæ Hiſpanorum apprime convenit. Itaque cum Botanicis fere omnibus unam & eamdem eſſe cenſemus, licet Caſp. Bauchinus diverſas radices conſtituat, Contrayervam

vam ad Cyperos longos odoros referens, Drakenam vero ad Cyperos longos inodoros.

Quandoquidem accuratior hujuſce plantæ notitia clariſſimo Auctori nondum innotuerat, ex recentioribus Botanicis, quæ certiora tradiderunt, depromere, hucque proferre viſum eſt.

Contrayervæ nomine apud Botanicos plures gloriantur plantæ. Namque Hernandez *Hiſt. plant. Mexican. lib.* 8. *cap.* 48. *pag.* 301. illam *Granadillæ*, quæ *Coanenepilli* ſeu *Contrayerva* audit, *Banniſter Commelinæ*, Cl. Sloane *Ariſtolochiæ*, Camellus *Kæmpferiæ* ſpeciem eſſe exiſtimarunt. At Guilielmus Houſton Chirurgus Anglus, dum in America verſaretur, radicem, quæ in Officinis noſtris *Contrayerva* nuncupatur, collegit in montibus prope veterem Veram Crucem, hancque deprehendit ſpeciem eſſe Dorſteniæ, quæ ipſi dicitur; Dorſtenia, Dentariæ radice, Sphondylii folio, placenta ovali, *Philoſoph. Tranſact. an.* 1731. *n.* 421. *pag.* 196. *fig.* 1. Dorſtenia, Sphondylii folio, Dentariæ radice, *Plum. Nov. gen. p.* 29. Dorſtenia, ſcapis radicatis, *Linnæi H. Cliff. pag.* 32. Tuzpatlis, *Hernand. Hiſt. pl. Mex. lib.* 5. *cap.* 18. *pag.* 147. Drakena Radix, *Cluſ. Exot. pag.* 83.

Hujuſce plantæ radix, inquit R. P. Plumier, *Mſſ.* radicum, tum Polygonati vulgaris, tum etiam Dentariæ, maxime æmula eſt & particeps: nam ſquammoſa & geniculata, ſeu in frequentes nodos veluti ſquammoſos extuberans, oblique in terram defixa, multis fibris ramoſis, lateque ſparſis ſtipata, ac tandem Pyrethri vulgaris modo, fervido ſapore donata. Ex ipſius capite quinque aut ſex ut plurimum, vel juxta Houſtonum, 6. aut 8. emergunt folia; Sphondylii ſimilia, licet multo minora, quatuor ſcilicet vel quinque uncias longa, alte nempe inciſa, ſeu in lacinas acuminatas aut cuſpidatas & ſeratas profunde diſſecta, tactu ficulneorum foliorum in modum aſperiuſcula, ac fuſce undequaque virentia, petiolis innixa 5. vel 6. uncias longis. Ex eodem Radicis capite tres aut quatuor erumpunt pedunculi petiolis aliquatenus longiores, flores ſuſtinentes peculiari forma conſtructos. Namque, juxta Linæum qui florem ex ſicco exemplari deſcripſit, *Gen.* 840. ſinguli pedunculi abeunt in involucrum commune, planum, angulatum, maximum, ſubtus paululum tumeſcens, glabrum & viride, ſuperne vero fere complanatum, tectum receptaculo communi adnato, & floſculis minimis numeroſiſſimis diſcum inhabitantibus, & per totum oræ circuitum ſquammulis nigricantibus marginatum. *Perianthium proprium* quadrangulare eſt, concavum, receptaculo immerſum, & cum eo coalitum, abſque corolla, quatuor ſtaminibus inſtructum filiformibus, breviſſimis, antheris ſubrotundis donatis. Germen adeſt ſubrotundum, cum ſtylo ſimplici & ſtigmate obtuſo. Receptaculum commune carnoſum evadit, in quo plurima nidulantur ſemina ſubrotundo-acuminata, tenerrima & candidiſſima, abſque pericarpio.

Hanc plantam reperit Plumerius, menſe Junio, in Inſula San-Vincentiana. Creſcit quoque in Peruvianis & Mexicanis regionibus, unde Hiſpani eam nobis afferunt.

Alteram ſpeciem recenſet Houſtonus, *loco citat. fig.* 2. quæ ab ipſo vocatur Dorſtenia, Dentariæ radice, folio minus laciniato, placenta

quadrangulari & undulata. Primo quidem intuitu, diſtinctiſſima ſpecies videtur; at conſiderata facie, modo creſcendi, viribus & omnibus diſtingui non debere judicat Linnæus. Atque, ut dicam quod res eſt, folium magis minuſve laciniatum notam ſpecificam non conſtituit. Quod autem in priori placenta ſit ovalis, in poſteriori vero quadrangularis & undulata; illud unice pendere videtur ex eo quod receptaculum commune, prout magis minuſve maturum eſt, magis vel minus explicetur.

Contrayerva ſudorifera & alexipharmaca exiſtimatur. Cluſius folia Contrayervæ præſens eſſe venenum dicit, ipſam vero radicem non modo illius veneni, ſed & aliorum etiam eſſe antidotum; quod quidem de venenis coagulantibus intelligendum eſt. Ventriculum roborat, ciborum concoctionem juvat, flatus diſcutit, motum ſanguinis inteſtinum, ſeu fermentatitium auget. Febribus malignis, ipſique peſti mederi aſſerunt, eamque Lapidi Bezoar & Theriacæ, aliiſque antidotis anteponunt: ſed nimis fortaſſe ejus vires extollunt.

Ex odore & ſapore hæc Radix mediocri Salis volatilis, oleoſi, aromatici, portione, terreis partibus nonnihil implicita componi mihi videtur. Unde Hermannum eam in malignis febribus, cum præſertim alvus laxior eſt, non immerito commendare cenſeo. In ſubſtantia ad ℈j. in decocto ad ʒij. præſcribitur.

♃. Rad. Contrayerv. pulver. ʒß. Margaritar. pp. & CC. Philoſop. pp. ana ℈j. Cum Aqua Meliſſæ, aut Bardui Bened. ſumat æger in alvi profluvio, incipientibus variolis.

Vel ♃. Rad. Contrayervæ contuſæ ʒj. Santal. rubri ʒij. Infunde in vini albi ℥vj. Colaturam capiat.

Vel ♃. Raſuræ CC. ℥j. Coque in aquæ com. q. ſ. ad ℔jß. Sub finem adde Rad. Contrayerv. contuſæ ℥ß. Coccinigliæ ʒß. Fiat colatura. Adde Aquæ Cinnamom. ℥jß. Syr. Caryophyllor. Hortenſ. ℥ij. Hauriat æger identidem, in variolis & morbillis.

Contrayerva uſurpatur in Lapide Contrayervæ, *Pharmacop. Lond.* & pulver. Comitiſſæ Kenth, ſive de Chelis Cancror. *Charas*.

ARTICULUS UNDECIMUS.

De Coſtis.

Coſtus vel Coſtum, Latinorum; κοστὸς Græcorum; Koſt vel Chaſt, Arabum: nomina ſunt, quæ variis tribuuntur radicibus, quas diſtinguere admodum difficile eſt.

Dioſcorides tres Coſti ſpecies recenſet; Arabicum unum, Indicum alterum, & Syriacum tertium. Coſtum Arabicum dicit candidum, levem, eximia odoris ſuavitate, guſtu calidum, & mordentem: Indicum levem, plenum, & nigrum: Syriacum vero gravem buxeo colore, & caput odore ferientem.

Galenus, *libro de antidotis*, Coſtum Arabicum album commendat; & *lib.*

lib. de S. Med. Facult. quamdam amaritudinem, ſed leviſſimam, in Coſto agnoſcit, & tantam acredinem ut exulceret.

Plinius Coſtum dicit eſſe radicem fruticis cujuſdam, guſtu ferventem, & odore eximio: cujus duo genera conſtituit; nigrum nempe, & quod melius eſt, candicans.

Antiqui Arabes, ut Serapio & Avicenna, diſtinctionis, qua Coſtus in dulcem & amarum hodie dividitur, non meminerunt: ſed omnia quæ de Coſto tradiderunt, a Dioſcoride ſumpſerunt: quaſi idem eſſet Coſtus, quo tunc utebantur, cum veteri Græcorum Coſto. Serapio præcipue nihil habet, quod non ex Græco auctore tranſcripſerit. Avicenna quædam interpolat: ſic de Coſto Arabico dicit album eſſe, ſed ad rubedinem, ſive citrinum colorem vergere; de Indico leviorem eſſe Arabico, amarum, odore gravi & Caryophyllato, & ad nigredinem tendentem: Syriacum vero Romanum appellat, eumque dicit colore buxeo eſſe, & odore vehemente.

Græci, Latinique auctores, qui ante quingentos annos & infra de re Medica aliquid compoſuere, duo genera Coſti paſſim commemorant, dulce, & amarum. Κοστὸς γλυκὺς & κοστὸς πικρὸς ab Actuario & aliis Græcis recentioribus diſtinguuntur. Macer poeta, *Tractatu de ſpeciebus exoticis*, ſic canit:

Coſti ſunt geminæ ſpecies; gravis una rubenſque,
Eſt & amara nimis: hæc Indica dicitur eſſe:
Altera vero levis, nec amara, colore ſed albo.

Unde liquet, Coſtum id genus, quod ſic vocatur hodie in officinis, quodque unicum quaſi legitimum uſitatum eſt ab aliquot ſæculis retro, non eodem genere contineri cum veterum Coſto.

Dioſcorides enim nullam amaritiem in Coſto deſignat; Galenus quamdam, ſed leviſſimam: ambo acrimoniam calidam, & mordentem, aut exurentem obſervant. Avicenna Arabicum revera album dicit ex Dioſcoride: ſed ex ſe addit, ad rubedinem vergere, qui color erat Coſti quo tunc utebantur: Indicum quoque nigrum dicit ex Dioſcoride, ſed amarum inſuper addit: Macer vero Indicam Coſti ſpeciem rubentem, non nigram, ut Avicenna, & amaram nimis. Præterea antiquorum Coſtus odoratiſſimus fuit, ita ut etiam caput læderet. Eo utebantur ad aromata & thymiamata, eumque in ara incendebant, haud ſecus ac Thura. Sic Propertius:

Coſtum molle date, & blandi mihi Thuris honores.

Et Plinius: Odorum cauſa unguentorumque & deliciarum, ſi placet, etiam ſuperſtitionis gratia, emantur; quoniam Thure ſupplicamus & Coſto. Hunc vero odorem eximium, fragrantem, & vehementem, a Dioſcoride, Galeno, & Plinio recenſitum, in Coſto noſtrarum Officinarum non agnoſcimus; unde eum plane diverſum a veterum Græcorum Coſto cenſemus.

Neque etiam Seplaſiarii inter ſe de Coſto vero conveniunt; quandoquidem quibuſdam in Officinis tres Coſti ſpecies reperiuntur, ſub nominibus Arabicis, amari, & dulcis, quas Petrus Pemet in medicamentorum ſimplicium hiſtoria recenſet, & ſic deſcribit.

Coſtus Arabicus, inquit, eſt radix oblonga, gravis, foris cinerea aut albicans, intus ſubrubra, fractu contumax, odore fragrante, ſapore aro-

 ma-

matico, amaricante. Coſtus amarus, radix eſt craſſa, denſa, dura, lignoſa, levis, ſplendens, quæ ligneum fruſtum potius, quam radicis fragmentum, ſpecie exhibet. Coſtus vero dulcis radix eſt parva, flava, curcumæ radici, tum colore, tum figura & craſſitie haud abſimilis.

Verum hæ deſcriptiones, vel non accuratæ ſunt, vel Coſto in officinis Pharmaceuticis hodie uſitato non conveniunt. Alia enim & fere ſola radix frequens in officinis reperitur, fragranti Iridis vel Violarum odore inſignis, quæ pro Coſto Arabico, ſeu Coſto vero, fere ab omnibus recipitur, aut ſubſtituitur.

Radix eſt in fruſta oblonga, pollice craſſa, levia, poroſa, dura tamen, ſed friabilia, nonnihil reſinoſa, albicantia, & nonnunquam ex cinereo flaveſcentia; ſapore acri, aromatico, & amaricante; odore fragrante, ad Iridem Florentinam vel Violam accedente.

Franciſcus Dale in Pharmacologia poſt Commelinum, arbitratur hunc Coſtum eſſe radicem plantæ quæ Tſiana Kua, *Horti Malabar.* & Ponvo Bramannum dicitur. Coſtus Iridem redolens ſeu Indicus, *C. B.* Coſtus *Linn. H. Cliff. pag.* 2. Paco Caatinga Braſilienſibus, *Marcgr. Braſ. p.* 48. *Piſ. Braſ. p.* 98. Anonyma, *Mer. Surin.* 36. *T.* 36.

Hujus plantæ radix recens & viridis, alba, tuberoſa, repens, fungoſa; aqueo ſucco turgida, tenella eſt, & fibrata: vetuſtior & fracta, multis fibrillis conſperſa videtur, telarum Aranearum inſtar, ſapore aqueo dulci, ut Cucumeris, cum levi odore Zingiberis. Surculi diverſis in locis e radicibus progerminant ad altitudinem trium, quatuorve pedum; digitumque craſſi evadunt, rotundi, ſanguineo-rubri, glabri, nitentes, arundinacei, geniculati, ſimplices, intus virides & aquei. Folia oblonga, anguſta, duas ſpithamas longa, extremo acuminata, in medio lata, circa geniculum prope annexa, ſurculo, nervo ſeu coſta ſubtus per longitudinem decurrente ac prominente, & in ſupina parte ſulcata, cum nervulis lateralibus tranſverſis; multoties introrſum convoluta, mollia, ſucculenta, nitentia & viridia.

Caulis terminatur capitulo imbricato, ſquammis ovatis, obtuſis, concavis, unifloris, ſingulis, perſiſtentibus, in Malabara corallo-rubris, apud nos viridibus nec coloratis. (*a*) E gemmis ſingulis ſinguli prodeunt flores, perianthio monophyllo, minimo, tridentato, colorato, germini inſidente nec deciduo gaudentes. Corolla (*b*) tribus conſtat petalis baſi connexis, lanceolatis, concavis, erectis, æqualibus, calyce multoties longioribus & nectario monophyllo, petalis majori, oblongo, tubuloſo-inflato, ore rigente, ultra medietatem in duo labia bifido; labio inferiore latiore, multo corolla longiore, limbo patente, margine trifido; laciniis lateralibus rotundatis, verſus intermediam laciniam angulum acutum exſerentibus, intermedia vero lacinia trifida; labio ſuperiore lanceolato, breviore, longitudinem tubi ventricoſi: filamenti vices gerente, cui antheræ duæ; parallelæ (ſeu unica bipartita) a latere interiore adnatæ. Germen ſubrotundum, ſub receptaculo floris poſitum eſt, cui inſidet ſtilus filiformis, longitudine labii ſuperioris nectari, cum ſtigmate capitato, compreſſo, emarginato; Germen matureſcendo fit

(*a*) Hæc florum deſcriptio ex clariſſimi viri D. Caroli Linnæi, cum generibus plantarum, tum Horto Clifortiano deſumpta eſt. *Gen. plant.* 825. *H. Cliff. p.* 1.

(*b*) *Corolla* nomine intelligitur petalum floris.

fit capſula ſubrotunda, coronata, trilocularis, trivalvis, ſeminibus pluri-mis fœta, triangularibus ſecundum ſe invicem poſitis, primo cæruleis, dein fuſcis, intus albis, odore Zingiberis, ſapore admodum exiguo. Creſcit in nemoribus Malabariæ, Braſiliæ, & Surinamæ.

Hæc Coſti radix inter medicamenta expectorantia, cephalica, & uterina, annumeratur. Humores attenuat & dividit. Diureſim & diaphoreſim promovet. Doſis eſt ʒß. in ſubſtantia, & in infuſione a ʒij. ad ℥ß.

Uſurpatur pro Coſto veterum in Theriaca *Andromachi ſenioris*, in Mithridatio Democratis, Antidoto Orvietano *Charas*, Philonio magno Electuario Caryocoſtino, & Trochiſcis *Hedicroii*.

Alias quoque radices Pharmacopæi pro vero Coſto ſubſtituere ſolent: alii Panacem Coſtinum *C. B.* ſeu Pſeudo-coſtum Matthioli; alii Angelicam; alii Zedoariam; alii corticem, qui Canella alba & quibuſdam Coſtus Corticoſus dicitur, de quo ſuo loco.

ARTICULUS DUODECIMUS.

De Curcuma, ſeu Terra Merita.

CUrcuma radix eſt, cujus duæ ſunt ſpecies: longa una, rotunda altera. Curcuma longa, ſeu Terra Merita, *Officinar.* Cyperus Indicus, Zingiberis facie, *Dioſcoridis*; Cypira, *Plinii*; Crocus Indicus, Arabibus Curcum, officinis noſtris Radix Curcumæ dictus, *Bontii*, Gallice *Souchet des Indes*, ou *Saffran des Indes*. Radix eſt oblonga, parva, tuberoſa, nodoſa; colore flavo ſeu croceo, & liquores, in quibus infunditur, flavo colore tingens, ſapore ſubacri, ſubamaricante, odore non ingrato ad Zingiber accedente, ſed debiliore.

Planta, quæ Curcuma radice longa, *H. Lugd. Batav.* Curcuma foliis longioribus & acutioribus, *Breyn.* 2. *P.* Cannacorus radice crocea, *Inſt. R. H.* (*a*) Manjella-Kua, *H. Malabar.* nuncupatur. Conſtat radice tuberoſa, tereti, in tranſverſum acta Zingiberis facie, digiti craſſitie, geniculata, cum aliquot fibris craſſiuſculis ex geniculis hinc inde naſcentibus, foris pallida, & modice ſcabra, intus crocea, ac temporis decurſu, in Puniceum inclinante, ponderoſa, ſolida, quaſi ex condenſato croceo ſucco preſſius compacta, guſtus acris, amaricantis, pinguis; odoris fragrantis: hujus ſingula genicula protrudunt folia læte viridia, plana, ſpithamam longa, unam duaſve palmas lata, in modicum acumen deſinentia, foliis Cannæ Indicæ ſimilia. E novellis & robuſtioribus radicis tuberibus erigitur ſcapus dodrantalis, teres, ſucculentus, ſcriptorii calami craſſitudine, ex viridi palleſcens, inferiori parte nudus, e medio vero ad cacumen uſque in craſſam, rotundam ſpicam faſtigiatus, quam formant foliola ab exortu pallide viridia, poſtmodum ex flavo rubentia, vel ex pallido flava, duos ungues lata, ſenſim in recurvum mucronem abeuntia, ſquammatim diſpoſita, intra quorum commiſſuras deliteſcit tenax & viſcoſus humor. Inſuper ex ſingulis ſquammis ſucceſſive prodeunt

flores

(*a*) Haud ſane merito Curcumam inter Cannacori ſpecies recenſuit clariſſ. Tourneforti us, Bontii, ut conjicere licet, figura deceptus, qui loco Curcumæ Cannam Indicam delineavit; quod pace tanti viri dixerim.

flores oblongi, Cannæ Indicæ floribus ſimiles, aſt triplo minores, ut plurimum pallide flaveſcentes, aut purpuraſcentes; quos vir ſane rei herbariæ peritiſſimus D. Hermannus quatuor petalis componi aſſerit, uno ſuperiore oblique ſurſum vergente, binis inferioribus recta protenſis, intermedio vero quadantenus intorto & fimbriato; at vero D. Tournefort hos flores monopetalos & multifariam ſciſſos, quales ſunt Cannacori latifolii vulgaris, *Inſt.* flores. His ſuccedunt vaſcula parva, membranacea, tricapſularia, quæ continent ſemina rotunda, fuſca, ſeminibus Cannæ Indicæ minora. (*a*)

Curcumæ radix matureſcit, foditurque, poſtquam flores exaruerunt. Indis adeo familiaris eſt Curcuma, ut vix hortum in Oriente reperire liceat, in quo non colatur, & quidem lucri cauſa: nulla enim familia eſt, quin hac radice tanquam pergrato condimento inter edulia utatur. Ex ea cum floribus odoratis unguenta parant, quibus totum corpus inungunt, & ad tincturas adhibent.

Curcuma Sale oleoſo volatili cum Sale ſalſo amaro conjuncto, & utroque viſcidis & terreſtribus partibus implicito, conſtare videtur. Præſtantiſſimum habetur medicamentum ad pulmonum, jecoris, lienis, meſenterii, & uteri obſtructiones reſolvendas. Fœminis menſtrua provocat, & difficultatem pariendi juvat. Sed imprimis ſingulare & ſpecificum eſt remedium in ictero. In ſubſtantia a ℈j. ad ʒj. in infuſione vel decocto ad ʒij. præſcribitur.

℞. Curcumæ pulver. ʒß. Croci gr. v. Sal. vol. C. C. fixati gr. x. Syr. de quinque radicib. aper. vel de Arthemiſia q. ſ. Fiat bolus, in ictero & in uteri obſtructionibus & menſium ſuppreſſione.

℞. Terræ Meritæ ℥ß. Trochiſcor. Viperar. ʒiij. Rhei pulver. Croci ana ʒß. Conſervæ Chelidonii major. ℥j. Syr. Fumar. q. ſ. Fiat Opiata, cujus doſis ad ʒij. bis in die in ictero. Vel

℞. Rad. Curcumæ ℥ß. Croci gr. xv. Rhabarbari ʒij. Infunde frigide in vini generoſi ℥xij. per horas xij. Fiat colatura in duos hauſtus dividenda.

Præter uſum Medicum, ab infectoribus Curcuma ad tincturas frequenter uſurpatur.

Altera Curcumæ ſpecies, quæ rotunda dicitur, & a Luſitanis *Raiz de Safrao*, in Officinis non eſt uſitata. Radix eſt turberoſa, ſubrotunda, pollicem & amplius craſſa, denſa, carnoſa, externe capillata, flava, quæ tranſverſim diſſecta, variis, croceis, rubris, flavis circulis notatur; odoris & saporis Crocum & Zingiberem æmulantis, debilioris tamen quam in Curcuma longa. Iisdem virtutibus donatur, quibus Curcuma longa, ſed debilioribus.

Planta dicitur Curcuma, radice rotunda, *Parad. Bat. Prodr.* Manja Kua, *H. Malabar.* Folia, flores, & fructus profert præcedentis haud diſſimilia.

A R-

(*a*) Cl. Linnæus accuratiorem hanc floris Curcumæ deſcriptionem ex ſicco exemplari dedit *in Gen. plant.* 829. his verbis. CAL. *Spatha* plures, partiales, ſimplices, caducæ. COR. *Petali* tubus anguſtus. *Limbus* tripartitus; *laciniis* lanceolatis, patentibus, ſinu altero magis dehiſcentibus. *Nectarium* monophyllum, ovato-acuminatum; laciniis petali majus, ejuſdem ſinui patentiori inſertum. STAM. *Filamenta* quinque, quorum quatuor erecta, linearia, ſterilia, unicum quintum intra nectarium, lineare, petaliforme, apiec bifido. *Anthera* adnata. PIST. *Germen* ſubrotundum, infra receptaculum floris; *Stylus* longitudine ſtaminum; ſtigma ſimplex, uncinatum. PER. Capſula ſubrotunda, trilocularis, trivalvis. SEM. plurima.

ARTICULUS DECIMUS-TERTIUS.

De Cypero longo, & rotundo.

CYperi ſpecies duæ familiares ſunt in Officinis ; longa una , rotunda altera.

Cyperus longus *Officinarum*, vulgo, *Souchet long*, radix eſt longa, tenuis, nodoſa, geniculata, contorta, fractu contumax, foris ſubnigra, intus albicans ; ſaporis ſuavis, ſubacris, aromatici ; odoris fragrantis ad Nardum accedentis. In Gallo-Provincia & Gallia Narbonenſi naſcitur, & inde ad nos affertur. Eligitur bene habita, non carioſa, odorata.

Radix eſt plantæ quæ Cypereus odoratus, radice longa, ſeu Cyperus Officinar. *C. B. P.* Cyperus longus odoratior, habitior, *Lobel. Icon.* Cyperus panicula ſparſa, ſpecioſa, *J. B.* Ex radicibus oblongis, geniculatis, multis internodiis ſibi implicitis, fibris multis capillatis, e puniceo nigricantibus, ſucculentis, cum radiculis quibuſdam in olivares portiones extuberantibus, atque ita continuatis, ut in Filipendula, folia profert arundinacea, Porraceis ſimilia, longiora tamen & exiliora ; Caulem cubitatem erectum, enodem, glabrum, ſtriatum, triquetrum, medulla alba refertum, in cujus cacumine folia minora quadantenus ſtellatim diſpoſita, comæ, quam etiam ſuperant, ſubjecta. Particula ſeu juba laxaque ex cacumine dependet, quæ floribus apetalis ſeu ſtamineis conſtat in capitulum ſquammoſum collectis : in ſquammarum alis oriuntur piſtilla, quæ deinde abeunt in ſemina triangularia, dura, cortice nigro veſtita.

Cyperus rotundus Orientalis, *Officinarum*, vulgo *Souchet rond du Levant*, radix eſt ſubrotunda aut turbinata, olivæ magnitudinis & figuræ, ſcabra, ſtriata, foris ſubrufa, aliquando rubens, aliquando etiam nigra, intus albida, plures ex uno capite quaſi filis dependentes, ſaporis & odoris ejuſdem cum Cypero longo.

Planta dicitur Cyperus rotundus Orientalis major, *C. B. P.* Cyperus Hodueg Ægyptiis ; *P. Alpini de plantis Ægypti* ; Cyperus rotundus Orientalis major vel Babylonicus *Rauwolfii*. Radices ſubrotundas profert, ſtriatas, multas, olivæ circiter craſſitie, media quadam fibra tanquam filo connexas. Habet autem folia, flores, & ſemina præcedentis ſimilia. In Ægypto ſecus Nilum & in paludibus uberrime provenit. Creſcit etiam copioſe in Gallo-Provincia, & in pratis udis Gentiliacis, vulgo (*Petit Gentilly*), & pluribus aliis in locis in agro Pariſienſi.

Alia eſt Americani Cyperi ſpecies, quæ Cyperus Americanus, *P. Dutertre* ; Apoyomatli ſeu Phatziſiranda, Cyperus Americanus, *Hernandez* ; Radix Sanctæ Helenæ, Galangæ ſpecies, *J. B.* Scirpus Americanus caule geniculato, cavo, *Lignonii I. R. H.* quæ iiſdem viribus cum Cyperis donari dicitur.

Cyperum Dioſcorides in longum & rotundum non diſtinguit, neque Plinius, qui tamen obſervat Cyperi radicem, cum oblonga eſt, Cyperida vocari.

Cype-

Cyperi radices ſale volatili, oleoſo, aromatico, viſcidis partibus & terreſtribus involuto videntur conſtare.

Attenuant, incidunt, obſtructiones aperiunt, urinas, menſeſque ducunt, ventriculum a relaxatis fibris debilitatum mire confortant, hydropi incipienti reſiſtunt. In affectibus pectoris tuſſiculoſis a C. Hoffmanno commendantur. Oris & veſicæ ulcera exſiccant & conſolidant. Joannes Meibomius, referens Sancti Pauli ſpecificum ad veſicæ ulcera, Schænantum herbam & Cyperi radices adhibebat: ab Hippocrate in uteri ulceribus præſcribuntur. Cyperi radix pulverata cum ſpica Lavandulæ ad ʒj. optime fœtum expellit, ut & ſecundinas, referente J. Raio Botanico clariſſimo. Dantur in ſubſtantia ad ʒj. & in infuſo a ʒij. ad ℥j.

Quidam has radices novas ac recentes deſiderant, ne nimis calefaciant. Revera recentes minus odoratæ ſunt, quam ſiccæ; ſed etiam minus actuoſæ, utpote majore phlegmatis inutilis copia onuſtæ. Rhazes monet internum earum uſum nimium adurere ſanguinem, ita ut lepram excitare valeat.

Semen Cyperi longi cum Oriza, cui ſæpe permixtum in Italia occurrit, comeſtum inebriat, ut Lolium, teſte Fallopio.

℞. Rad. Cyperi longi, Galangæ, ſummitatum Abſinthii ana ʒj. Sacchar. albi ʒij. Olei Cinnamomi gutt. v. Fiat pulvis, cujus ʒj. mane, jejuno ventriculo, vel ante paſtum cum vino ſumenda.

Uſurpantur in Trochiſcis Cypheos, de Capparibus, in Pulvere cephalico odorato, *Charas*, & Emplaſtro de Meliloto, *Ejuſdem*.

Radices aceto maceratæ, exſiccatæ & pulveratæ, pro odoramentis apud Aromatarios reconduntur.

ARTICULUS VIGESIMUS QUARTUS.

De Dictamno albo, ſeu Fraxinellæ radice.

DUÆ ſunt plantæ, quæ ſub Dictamni titulo in officinis innotuerunt; ex quarum altera herbam, ex altera radices tantum expetunt. Altera autem harum ex Creta ad confectionem Theriaces, altera ex Gallia Narbonenſi petitur. Non ergo artis Medicæ tyrones in eo verſabuntur errore, ut putent unius ejuſdemque plantæ & folia, & radices eſſe, quæ in officinis nomine Dictamni venumeunt, aut exponuntur: cum veri Dictamni Cretici radices iis uſui non ſint. Contra Dictamni albi, ſeu Fraxinellæ radices, magno illis ſunt in pretio. De Dictamno Cretico ſuo loco agemus, ubi de ſtirpibus & foliis. Fraxinella, de qua nunc agitur, ſolum cis paucos annos in officinis cœpit inclareſcere: nulla enim ejus memoria, nec in Græcorum, nec in Arabum veterum monumentis deprehenditur.

Itaque Dictamnus albus, & Diptamnum album *Officinarum*, radix eſt, vel potius radicis cortex craſſiuſculus, candidus, a fibris & nervo mundatus, cannulæ in modum convolutus, ſapore ſubamaro cum obſcura acredine, odore, dum recens eſt, fragranti, gravi.

Planta quæ Fraxinella Cluſii, *Inſtit. R. H.* Dictamnus albus vulgo, ſeu Fraxinella, *C. B. P.* ex radicibus multifidis, fibroſis, digiti craſſitie, caules emittit rubentes, ſeſquicubitales, ramoſos, hirſutos; folia alata tribus, quatuor, vel quinque pinnarum conjugationibus ad coſtam annexa, cum impari in extremo coſtam terminante, ſuperne atrovirentia, inferne dilutiora, & ſplendentia, firma, crenata, foliorum Fraxini forma, ſed minora, unde nomen accepit. In ſummis ſcapis flores polypetali, anomali, odore gravi non injucundo, licet ad hircinum aliquantulum accedente, longa ſerie diſponuntur, eleganti ſpectaculo: qui ſcilicet flores e quinque petalis conſtant purpuraſcentibus, & lineis obſcurioribus ſtriatis, vel candidis, quorum ex calyce ſurgit ſtaminum decem incurvorum congeries, una cum piſtillo, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitellum colliguntur vaginæ quinque capſulam duram, aduncam, complectentes, ſeminibus fœtam ſubrotundis aut turbinatis, lucidis, nigris, lineam ſuperantibus. Hæc autem capſula, cum matureſcit, bifariam diſſilit, cornuum arietis in modum ſe inflectens; & ſemina cum impetu ejaculatur. Summi caules & florum calyces innumeris ſcatent veſiculis, quæ, ope microſcopii, facile obſervari poſſunt, oleo eſſentiali turgidis: quæ quidem ſulphureos halitus æſtivis diebus tanta copia exhalant, ut candela plantæ pedi admota, ingens flamma de repente accendatur, & totam plantam lambat.

Sponte naſcitur in ſylvis Galliæ Narbonenſis, & noſtris in hortis nunc colitur.

Ex ℔v. radicum Fraxinellæ recens e terra extractarum, ineunte vere, analyſi Chymica, prodierunt phlegmatis plantæ odorem & ſaporem accurate referentis, ac proinde oleo eſſentiali ſubtiliſſimo fœti ℔j. cum ℥iv. phlegmatis acidi, adhuc odorati ℔ij. circiter; phlegmatis urinoſi ℥viij. cum ſalis concreti granis circiter xx. olei fœtidi ℥iij. cum ʒiij. ſalis alcali fixi ʒv. remanentibus terræ damnatæ ℥ijß.

Ex hac analyſi & radicum odore & ſapore liquet, earum vim pendere ad oleo eſſentiali ſubtili quod cum phlegmate primo prodit, ab oleo craſſiori & fœtido uberiori, & ſalis eſſentialis ad Ammoniacum accedentis portione non mediocri. Non mirum igitur ſi cardiaca ſit, uterina, & alexipharmaca. Sudores pellit, urinas & menſes provocat, ſecundinas & fœtum mortuum expellit, vermes necat, putredini reſiſtit, & contra peſtilentiæ contagia utiliſſima eſt, quoquo modo ſumpta. Adverſus venena & venenatorum ictus commendatur, necnon etiam ad epilepſiam, eam præſertim, quæ a vermibus oritur. Doſis a ʒß. ad ʒij. in ſubſtantia, & in infuſione ad ℥j.

♃. Dictamni albi pulver. ʒj. Syr. de Abſinthio q. ſ. Fiat bolus ad vermes necandos.

♃. Radicum Fraxinellæ pulver. ʒij. Sumat ægrotans ex vino meraco ad ſecundinas expellendas; & foveatur uteri regio decocto ejuſdem radicis & folior. Pulegii.

Uſurpatur hæc radix in Pulvere Diamargarito frigido, Pulvere Pannonico, Pulvere Antiepileptico, Opiata *Salomonis*, Antidoto Orvietano, Trochiſcis Scilliticis, & Oleo Scorpionum compoſito, *Charas*.

ARTICULUS DECIMUS-QUINTUS.

De Doronico.

DOronicum Latinorum, & δυρυνίζι Græcorum recentiorum, vocabula ſunt ex Arabico *Duronegi* derivata. Quid vero Arabes per hanc vocem intellexerint, prorſus ignoramus. Doronici enim deſcriptio ex Avicenna, noſtro Doronico nullo modo convenit. *Duronegi*, inquit, fruſtum eſt lignoſum, radicale, pollice circiter craſſum, interne citrinum vel candidum, externe cinericium, duriuſculum ſimul & grave; cui, ex eodem ineſt vix eximia cor confortandi & lætificandi, & venenis reſiſtendi: viribus convenit cum Zerumbeth, quod ei ſubſtituendum dicit. Inter Arabes igitur inquirendum quid ſit verum & genuinum eorum Doronicum, vel *Duronegi*.

Neque etiam de Doronico *Offic.* inter ſe conſentiunt Botanici. Ab aliis uſurpatur Doronicum radice Scorpii, *C. B. P.* Doronicum Romanum Officinar. *Dale Pharmacol.* Ab aliis Doronicum Plantaginis folio, alterum, *C. B. P.* Doronicum Germanicum & Arnica Officin. *Dale Pharmacol.* A nonnullis Doronicum radice dulci, *C. B. P.*

Quod vero hodie in officinis uſurpatur ſub Doronici nomine, radix eſt tuberoſa, ex variis tuberculis ſeu geniculis veluti articulata, internodiiſque diſtincta, cujus tubercula Avellanæ minoris craſſitiem vix æquant: fibrata ſunt, externe flaveſcentia; intus albicantia, ſapore ſubdulci, viſcido, cum quadam ſtypticitate. Ex Alpibus nobis affertur.

Planta dicitur Doronicum radice Scorpii, *C. B. P.* Doronicum latifolium, *Cluſii*. Aconitum Pardalianches minus, *Matthioli*. Doronicum Romanum Officinar. *Dale Pharmacol.* Radices profert exiguas, geniculis veluti articulatas, Scorpionum figuram quodammodo referentes, oblique ſerpentes, cum quibuſdam ex inferiori geniculorum parte naſcentibus fibris. Ex his radicibus folia naſcuntur plura, ſubrotunda, lata, dilute virentia, mollia, tenuique lanugine pubeſcentia: cauliſque aſſurgit dodrante altior, lanuginoſus, rotundus, ſtriatus, qui in pauculos diviſus ramulos, ipſis faſtigiis flores promit radiatos, quorum ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis luteis; corona vero ex ſemifloſculis ejuſdem coloris componitur, embryonibus inſidentibus, & calyce pelviformi & multifido comprehenſis. Embryones deinde abeunt in ſemina exigua, nigricantia, pappis inſtructa, thalamoque affixa.

De hujus plantæ radice gravis eſt inter Botanicos quæſtio, utrum ſit venenum, an alexipharmacum? Alii huic ſententiæ aſſentiuntur, illi alii. Alexipharmacum eſſe affirmant Pena, Lobelius, Camerarius, Renodæus, Fred. Hoffmann. Collegia Bononienſe, Amſtælodamenſe, Londinenſe, Lugdunenſe, Antuerpienſe, Cordus in Diſpenſatorio Norimbergenſi, Schroderus in Pharmacop. Med. Charas in Pharmacop. Regia. Contra noxium declarant Maranta, Aldrovandus, Cortuſus, J. Bauhinus, Matthiolus, C. Hoffmann. Collegium Florentinum, & Ultrajectinum.

Ratio-

Rationum momenta ad hanc radicem rejiciendam petunt ab experimentis, tum in canibus, tum in homine tentatis. Cortuſus enim Matthiolum monuit, facto a ſe pluries periculo, extingui facile canes qui haſce radices devorarant; quod Matthiolus, experimento quoque in cane facto, & poſt ſeptem horas mortuo, verum eſſe comprobavit.

Opponunt nonnulli non pauca reperiri brutis animantibus noxia aut letifera, homini vero innoxia, imo ſalutaria. Sed rem non ita ſe habere de Doronico, Geſneri experimentum in ſe ipſo demonſtrat. Ipſe, ut manifeſto redargueret Matthiolum, hujus radicis ℥ij. ſe ſumpſiſſe narrat 2. *Epiſt.* 20. & 22. & per octo quidem horas bene ſe habuiſſe: verum iis elapſis, ventrem ac ſtomachum inflari ſenſiſſe, & circa os ventriculi imbecillitatem quamdam, & corpus totum infirmius, ita fere ut alias ſemel ac iterum ex nimio aquæ frigidæ potu perceperat. Quæ ſymptomata cum biduo durarent, & non viderentur ſponte ceſſura, ingreſſum fuiſſe aquæ calidæ dolium, & curatum fuiſſe.

Non enim fides adhibenda eſt Coſtæo, qui in Electuario de aromatis *Meſuæ*, ſcribit Geſnerum uſu illius radicis obiiſſe; quandoquidem conſtat periiſſe lue peſtifera, quæ Tiguri graſſabatur, correptum anno 1565. Propria igitur Geſneri confeſſione, noxia Doronici vis ſatis manifeſta eſt, & fortaſſe majori doſi ſumpta mortifera fuiſſet. Fruſtra inſiſtunt Doronici radicem recentem & ſucculentam, qualis a Matthiolo & a Geſnero tentata fuit, noxiam eſſe; exſiccatam vero innoxiam, qualis nempe uſurpari ſolet in Diambra *Meſuæ*, Diamargarito calido, *Avicennæ*, Diamoſcho, Electuario de gemmis, Electuario lætificante, Confectione liberante, & aliis; quæ quidem compoſitiones, non ſolum ſine noxa, ſed etiam ſummo ægrotantium levamine, multis abhinc annis exhibitæ ſunt. Referunt enim alii ab illo uſu Officinarum, Doronici ſalubritatem non probari; quandoquidem in his compoſitionibus ſatis exigua doſi ſumitur hæc radix, & cum aliis alexiteriis medicamentis permixta, quibus ejus vis deleteria retunditur. Si itaque certam ejus experientiam deſideramus, ſola hæc radix erit propinanda. Sed quis tentabit? Hic enim non habet locum illud: *Quid tentare nocebit?*

Itaque cum tuto curare debeamus, non dubio & ancipiti utamur medicamento, cum plurima alia ſint præſtantiora, & experientia comprobata. Procul igitur a foro pharmaceutico ablegandum Doronicum cenſemus, quod non conſtet Arabes in compoſitionibus cardiacis ſub *Durunegi* nomine hanc radicem intellexiſſe. Huic vero Zerumbeth, Zedoaria, vel Caryophylli aromatici, annuente ipſo Avicenna, ſubſtituenda ſunt.

Germani Doronicum Germanicum, ſeu Arnicam *Schroderi*, ſub hac cenſura comprehendere recuſabunt; quandoquidem maximus apud eos ſit, & ſalutaris illius uſus.

Hæc planta, quæ Doronicum Plantaginis folio, alterum, *C. B. P.* Doronicum Germanicum, foliis ſemper ex adverſo naſcentibus, villoſis, *J. B.* Aliſma *Matthioli*, ſeu Plantago montana, *Ejuſdem*. Damaſonium primum, *Dioſcoridis*, *Tabern. Jcon.* Arnica, *Schroderi*; Lagealupi, *Ejuſdem*. Arnica lapſorum Panacea *Febrii Ephem. Natur. Curios. ann. IX.* & *X.* Ptarmica montana, *Hiſtor. Lugd.* Aliſma Alpinum, ſeu herba Plantaginis foliis, flore Doronici ſternutamenta moventе,

vente, *Geſneri de Hort.* Calta Alpina, *Ejuſdem*. Nardus Celtica altera; *Lobel. Adverſar.* Chryſanthemum latifolium, *Dodon.* Profert folia Plantagini villoſæ æmula, leviter hirſuta, & molliora, ſummæ potiſſimum telluri incumbentia, quaterna ut plurimum, rariora in tereti & lanuginoſo caule, ſemper tamen bina ex adverſo poſita; a quorum ſinu plerumque unus, interdum terni exſurgunt ſurculi, ſuis, menſe Junio, ſinguli floribus in faſtigio conſpicui, aureo fulgore Doronicum æmulantibus, eodemque modo cum ſemine ſuo tenui, oblongo, & nigro, in pappum poſtea fatiſcentibus. Radix ſubeſt oblonga, ſummæ telluri pluribus fibris innixa, cum foliis & floribus aromatica tota.

Herba cum floribus ſudorifica eſt, diuretica, & interdum vomitoria. Contra grumoſum & coagulatum ſanguinem cum cereviſia coƈta, vel infuſa in vino aut in aqua idonea exhibetur; & tantæ eſt efficaciæ ac virtutis, ut lapſorum Panacea in *Ephem. Germanicis* prædicetur. Doſis a pugillo uno ad ij. pro robuſtis.

Statim atque aſſumpta eſt, inquit Fehrius, tanto impetu ad locum affeƈtum fertur, ſanguiniſque grumoſi perrumpit latebras, ut magnos ibidem cruciatus, & ſummam quandoque reſpirandi difficultatem ſuſcitaſſe obſervatum ſit, præſertim a nimia ejuſdem doſi, & ubi malum inveteratum eſt & contumax; quæ tamen omnia brevi, vel ſpontaneo vomitu, vel abundanti urinæ profluvio, vel etiam venæ ſeƈtione, ſi neceſſitas urgeat, ſedantur, cum exoptata corporis incolumitate & virium reſtitutione. Ubi autem nulla manifeſta læſio, ibi quoque nullus ab hoc aſſumpto medicamento dolor.

Radix ſapore eſt amaro, acri, aromatico cum odore fragrante: diuretica quoque eſt, & menſes ciet in vino coƈta.

Flores lixivio incoquuntur ad capitis dolorem, & ad flavum colorem capillis conciliandum.

Pulvis quoque ptarmicus ex floribus, foliis, & radice paratur præſtantiſſimus.

ARTICULUS DECIMUS SEXTUS.

De Galanga minore & majore.

DUÆ Galangæ ſpecies occurrunt in officinis, minor & major.

Galanga minor, & Galanga Sinenſis *Officinarum*. Chaulengian & Chaſerudarua, *Avicennæ*. Γαλάγγας & Γαλαγκας Pauli Æginetæ & Aetii. Radix eſt tuberoſa, nodoſa, geniculata, internodiis quibuſdam reflexa & intorta, in brachia vel ramos diviſa, zonis quibuſdam circularibus cinƈta, inæqualis, dura, ſolida, minimum digitum craſſa; colore foris fuſco, intus ſubrubro, odore aromatico fragrante; ſapore acri, aromatico, ſubamaricante, pungente, & fauces exurente, Piperis aut Zingiberis modo. In fruſta parva nobis affertur ex China & India, ubi ſponte creſcit, & ab incolis etiam colitur.

Hæc

Hæc radix veteribus Græcis prorſus incognita fuiſſe videtur : a quibuſdam tamen pro Acoro legitimo *Dioſcoridis* ſumitur , ſed perperam , ut jam diximus , *artic. de Acoro*.

Planta quæ ex hac radice aſſurgit , Lagundi Indorum dicta , foliis conſtat gramineis inſtar Zingiberis , floribus albis quaſi galeatis , fructu tricapſulari , ſeminibus parvis ſubrotundis turgido.

Galanga major , Galanga Javanenſis , *Off.* Radix eſt tuberoſa , nodoſa , inæqualis , geniculata , Galangæ minori ſimilis , ſed major , pollicem unum aut alterum craſſa , odore & ſapore longe debiliore & minus grato, colore foris ex fuſco rubeſcente , intus pallido.

Galanga major Græcis tum veteribus , tum junioribus ignota fuiſſe videtur , quin etiam Arabibus . Ex Inſula Java , & Malabarica regione , ubi ſponte oritur , nobis defertur . Planta ex qua educitur , *Bangula* dicitur.

Galangæ radices ſale volatili , oleoſo , aromatico , pollere videntur , uberiore in minore , quam in majore . Sed præterea adſtrictio major in Galanga , quam in Acoro deprehenditur. Unde ad ventriculi tonum laxatum roborandum efficacior cenſetur.

Recens utriuſque Galangæ radix ab Indis ad varia ciborum condimenta præparanda uſurpatur . Stomachica eſt , cephalica , cardiaca , & uterina . In cruditate & inflatione ventriculi plurimum confert : in vertigine tanquam ſingulare medicamentum commendatur , dummodo a prava ciborum concoctione in ventriculo oriatur , ut ſæpe accidit . Flatus diſcutit , colicis doloribus opitulatur , cœteriſque corporis affectibus convenit , qui a ventriculi debilitate naſcuntur; menſes provocat.

Obſervandum tamen circa hæc aromatica medicamenta , quæ tanquam ſtomachica , ceu ciborum concoctionem juvantia , tantopere prædicantur , ea non temere eſſe uſurpanda in omni ventriculi imbecillitate ſeu cruditate ; quandoquidem difficilis ciborum concoctio a cauſis plane diverſis , ſeu a diverſis ventriculi , ut vocant , intemperiebus oriatur.

Modo enim laxior eſt fibrarum ventriculi tonus , ita ut hoc viſcus alimenta licet concocta nonniſi ſegniter & tardiſſime propellere poſſit in inteſtina , unde diuturniori in ventriculo mora vel aceſcunt , vel in mucoſam putrilaginem convertuntur . Modo ventriculi membranæ ad inflammationem proclives ſunt , & fibræ nerveæ adeo criſpatæ & convulſæ , ut chymum per pylorum expellere vix poſſint . Modo ventriculi ſuccus nimio ſero dilutus eſt , nec ſufficienti ſpirituum copia inſtructus : unde quaſi vappidus ad ciborum concoctionem minus aptus eſt & idoneus . Vel uberiore ſulphurearum partium , aut ſalinarum acrium , acidarumve particularum copia turgidus , pravam concoctionem efficit . Quæ quidem cauſæ prorſus diverſæ , licet eumdem effectum producant , nihilominus diverſam hujuſce affectus curandi rationem expoſtulant.

Conſiderandum igitur quanam ex cauſa pendeat coctionis vitium . Si enim ab intemperie , ut ajunt , calida , ſeu ab inflammatoria membranarum ventriculi diſpoſitione , & a fibrarum nervearum criſpatura ſeu convulſiva tenſione , tunc aromatica omnia non modo non juvant , ſed econtra maxime lædunt. Unde in melancholicis & hypochondriacis affectibus nocent , & ſæpius hydropem inducunt . Quare , recte quidem admonente

Vallæo, in ſtomachiorum aromaticorum uſu ad urinas caute attendendum eſt. Si enim quantitate minuantur, ſi colore mutentur, & turbidæ fiant, ac rubicundæ, ſtatim ſane a ſtomachicis abſtinendum; aſcites enim hydrops imminet. Opportune vero & utiliſſime adhibentur in frigida ventriculi intemperie, ſeu in vappida ſalivæ ſtomachalis conſtitutione, & præſertim cum ardentibus vini, Juniperi, &c. ſpiritibus conjuncta. Nec minus conveniunt, dum fibrarum ventriculi tonus laxatus eſt, ea potiſſimum quæ quadam ſtypticitate aut amarore prædita ſunt. Si vero ſpiſſior ſit ſtomachalis ſaliva, tum licet aromatica ſpiſſiorem hanc lympham incidendo, ventriculique membranas ſtimulando, nonnunquam juvent; diluentia tamen longe magis proſunt. Quæ quidem in ſtomachicorum adminiſtratione attente conſideranda ſunt.

Galangæ majoris longe minor eſt energia, quam minoris; unde ad uſum Medicum majori minor anteponitur. Doſis a gr. xv. ad ʒß. in ſubſtantia; infuſa vero a ʒß. ad ʒij. in aqua vel vino. Cum medicamentis purgantibus permiſcetur ad eorum vim contemperandam & demulcendam.

℞. Rad. Galang. minor. ℈j. Rad. Pæon. mar. pulver. Sacchari cand. ana ʒß. Miſce. Fiat pulvis in vertigine a ventriculi cruditate oriunda.

℞. Galang. minor. minutim conciſæ ʒij. Infund. in vini generoſi ℥vj. cum Sacchar. vel Syr. cujuslibet, q. ſ. Sumat æger.

In cordis palpitatione, pulvis rad. Galangæ cum ſucci Plantaginis, vel vini auſteri, q. ſ. in maſſam redactus, & ſuper pannum coccineum regioni cordis admotus, tanquam ſpecificum a quibuſdam habetur.

Galanga minor uſurpatur in Electuario Orvietano, Benedicta laxativa, Tabellis magnanimitalis, Pulvere aromatico roſato, & Pulvere lætificante, *Charas*.

ARTICULUS DECIMUS-SEPTIMUS.

De Gentiana.

GEntiana *Officinar.* Γεντιανὴ Dioſcoridis & Græcor. Radix eſt pedem plus minuſve longa, pollicem unum aut alterum craſſa, multifida, fungoſa, foris fuſca, intus ex flavo ruſeſcens, ſapore intenſe amaro. Ex Alpibus, Pyrenæis, Arverniæque montibus, ubi copioſe creſcit, affertur. Quæ nimis corrugata eſt, ſitu obducta, & intus nigricans, rejicitur.

Planta quæ Gentiana major, lutea, *C. B. P.* Gentiana vulgaris major Hellebori albi folio, *J. B.* Gentiana *Dodon.* dicitur, a Gentide quodam Illyriorum Rege, nomen accepit, referente Dioſcoride. Ejus folia ſunt Hellebori albi foliis ſimilia, circa radicem multa, per caules ex adverſo ſita, eoſdem pediculis connatis amplectentia, nervis tribus aut quinque Plantagineis diſtincta, glabra, lucida, hiſque notis ab Hellebori foliis diſtincta. Caules cubitales, bicubitales & altiores, ſingulares, læves, flores ſuſtinent verticillatim poſitos, monopetalos, campaniformes, patentes, quinquefidos, pallide luteos, cum piſtillo quod ex caly-

calyce ſurgit, infimam floris partem perfodit, abitque deinde in fructum membranaceum, monocapſularem, ovato-acuminatum, bivalvem, ſeminibus fœtum plurimis, compreſſis, orbiculatis, foliaceis, ſeu marginatis, leviter rubentibus.

Radix, quæ ſola in uſum Medicum venit, magnam olei copiam præbet, multum etiam terræ exhibet & phlegmatis acidi, parum vero ſpiritus urinoſi. Unde vires ejus referendæ ſunt ad ſalem acidum, partim terra adſtringente ſaturatum, partim plurimo ſulphure involutum.

Gentianam calefacere, ſiccare, & abſtergere dicunt Medici. Eam præterea alexiteriam, vulnerariam & febrifugam eſſe aſſerunt. In morſu canis rabidi tanquam ſummum præſidium commendatur. Dioſcorides eam præſcribit cum Cancrorum fluviatilium cineribus permixta & vino potam. Nonnulli etiam ejuſdem radicis pulverem cum Theriaca permixtum vulneri imponunt; ſed longe tutius eſt vulneri, (dummodo recens ſit,) ſcalpelli ope dilatato ignem admovere. Gentiana præterea hepatis, lienis, & uteri obſtructiones reſolvit. Febres tertianas, nonnunquam etiam quartanas ſanat, ʒj. pondere, ineunte paroxyſmo, ſumpta in vino, aut in aqua Cardui Benedicti, Centaurii minoris, vel Fumariæ. Nonnulli hujus radicis doſim, ad ℥vj. quarta quaque hora exhiberi volunt, non ſecus, ac Corticis Peruviani infuſio præſcribitur, cui tamen Gentianam longe inferiorem eſſe in febrium curatione aſſerere non dubitamus. Hæc radix ventriculum languentem reſtaurat, cibi faſtidium tollit, concoctionemque juvat, ut cœtera amara, ſervatis tamen cautionibus ſupra recenſitis. Putredini, venenis, ipſique peſti reſiſtit, & vermes necat. Doſis ejus eſt a ʒß. ad ʒij.

Extrinſecus adhibetur ſæpius in vulneribus & fonticulis mundificandis; & ex hac radice Chirurgi turundas faciunt ad ulcera & vulnera dilatanda.

Gentiana uſurpatur in Aceto Theriacali, Theriaca *Andromachi ſenioris*, Theriaca Diateſſaron dicta, Mithridatio. Orvietano, Diaſcordio, Opiata *Salomonis*, & Pulvere contra vermes, *Charas*; in decocto amaro *Pharmacop. Lond.* Infuſione amara chalybeata, Tinctura amara ſtomachica, *Ejuſdem Pharmacop.*

Ex hac radice paratur Extractum iiſdem cum Gentiana viribus donatum, quod jam Dioſcoridis temporibus in uſu erat. Ejus doſis a ʒß. ad ℈iiij. exhibetur. Aqua diſtillatione extrahitur, quæ febrifuga exiſtimatur: alia quoque aqua Gentianæ compoſita in Pharmacopæa Londinenſi deſcribitur.

♃. Gentianæ minutim conciſæ, ℈ß. Summitatum Centaur. minor. flor. Chamæmel. ana P. j. Sem. Card. bened. ʒj. Coq. in aq. fontan. q. ſ. ad ℥iiij. Fiat colatura, & erit decoctum amarum alterans. Sumatur ſingulo mane per octiduum jejuno ventriculo ad viſcerum obſtructiones reſolvendas, ventriculum roborandum, & vermes necandos. Laxativum efficitur hocce decoctum additione ʒj. fol. Sennæ.

ARTICULUS DECIMUS-OCTAVUS.

De Glycyrrhiza.

Glycyrrhiza apud veteres & neotericos non una eamdemque planta; ſed duæ ſpecies diſtinctæ, licet ſub eodem genere comprehendantur.

Glycyrrhiza enim veterum, Γλυκύρρυζα *Dioſcor.* Σκυθικὴ ῥίζα *Theophraſti*, a noſtra differt, fructu aſpero, & plurimis ſiliquis conglobatis, radice, non ut vulgatæ, tenuj, & circumquaque repente, ſed craſſa, brachii longitudine & craſſitie, late rectaque depacta, & minore dulcedinis gratia. Dicitur Glycyrrhiza capite echinato, *C. B. P.* Glycyrrhiza Dioſcoridis echinata, non repens, *J. B.* Glycyrrhiza vera Dioſcoridis, *Dodon.* Dioſcorides eam in Cappadocia & Ponto creſcere narrat. Eamdem aut ſimilem D. Tournefort in Orientalibus plagis reperit, quam in *Coroll. Inſt.* nominat Glycyrrhizam Orientalem, ſiliquis hirſutiſſimis.

Glycyrrhiza vero neotericorum, ſeu Officinar. noſtrar. quæ Glycyrrhiza ſiliquoſa, vel Germanica, *C. B. P.* Glycyrrhiza, radice repente, vulgaris, Germanica, *J. B.* Glycyrrhiza vulgaris, *Dodon.* Radicibus eſt intus luteis ſeu buxei coloris, foris ruſeſcentibus, digitum minimum aut pollicem craſſis, dulcibus, ſucculentis, huc illuc late ſerpentibus; ex quibus caules ad tres vel quatuor cubitos aſſurgunt, ramoſi, lignoſi, foliis donati ſubrotundis, dilute virentibus & quaſi glutinoſis, binis conjugatis, coſtæ adhærentibus, cui ſummæ folium impar innaſcitur. Flores papilionacei ſunt, exigui, ſubcœrulei, in ſummitate velut in ſpicam diſpoſitis; quorum piſtillum ex calyce ſurgens abit in ſiliquam ruſeſcentem, ſemiunciam longam, bivalvem & monocapſularem, in qua ſemina continentur parva, dura, compreſſa, & quaſi reniformia. Hæ ſiliquæ non ſunt in orbiculum congeſtæ, nec aſperæ, aut hirſutæ; ſed ſingulæ ſingulis pediculis adhærentes, aliquanto ſpatio a ſe invicem diſtantes, læves. Naſcitur ſponte in Hiſpania, Italia, Gallia Narbonenſi, & Germania, unde radix ad nos affertur.

Itaque Glycyrrhiza, Liquiritia, Dulcis radix Officinarum noſtrarum, radix eſt longa, ſarmentoſa, digiti craſſitie, colore foris cineraceo, vel ruſeſcente, intus luteo, ſapore dulci.

Glycyrrhiza humores ſalſos & acres temperat, ſanguinem incraſſat, tuſſi & pectoris vitiis medetur. In renum & veſicæ calculo confert, & immanes dolores mitigat. Quapropter Simon Paulli his in affectibus, hujus radicis pulverem, modo cum medulla Caſſiæ, modo cum Terebenthina cocta exhibitum ſummopere prædicat. Tanta eſt in foro Medico hujus radicis commendatio, ut in omnibus fere Ptiſanis præſcribatur, tum ad cœterorum medicamentorum vim contemperandam, ſaporemque jucundiorem ipſis conciliandum.

℞. Hordei integri a ſordibus expurgati M. j. Coquatur in aq. communis ℔iv. ad conſumptionem quartæ partis. Dein adde Glycyrrhizæ raſæ,

con-

contuſæ, & in filamenta diviſæ ℥j. Bulliant iterum ad deſpumationem. Fiat Ptiſana communis ſervanda pro potu ſolito.

Obſervandum eſt Ptiſanam ex Glycyrrhiza exſiccata, & ad deſpumationem decocta paratam, palato longe gratiorem eſſe, quam ex radice recente & viridi.

♃. Radicum Graminis, Fragariæ ana ℥j. Liquir. raſæ & contuſæ ʒij. Bulliant in aq. communis ℔iv. ad quartæ partis conſumptionem. Fiat Ptiſana aperiens.

Glycyrrhiza uſurpatur in Syrupo de Althæa; Syr. de Cichorio comp. Syr. Jujubino; Syr. de Tuſſilagine comp. Syr. anti-aſthmatico; Syr. reſumptivo ſeu de Teſtudinibus; in Tabellis Althææ comp. in Pulvere aromatico roſato; P. Diatragacantho frigido, *Charas*; in El. Catholico duplicato Rhabarbaro; El. lenitivo; El. de Pſyllio; in Trochiſcis *Gordonii*; Trochiſcis Diarrodon, &c.

Succus e radicibus extractus diverſimode paratur: unde plures ſucci Liquiritiæ ſpecies, una exotica quæ ex Hiſpania in laterculos aut rotulos nigros, ſolidos, foliis laurinis involutos advehitur, de quo ſuo loco. Aliæ officinales ſunt: ſuccus nempe Liquiritiæ albus, niger & Bleſenſis dictus.

Albus Liquiritiæ ſuccus, qui a quibuſdam Confectio Rebecha dicitur, ſic paratur

♃. Glycyrrhizæ & Ireos Florentin. in pulverem redactor. ana ʒvj. Amyli ℥ij. Sacchar. albi pulver. ℥j. cum mucilagin. Gummi Tragacanth. in aq. Flor. Aurantior. ſoluti, q. ſ. Fiat paſta ſolidior, ex qua formentur tabellæ vel baculi in umbra ſiccandi.

Succus liquiritiæ niger ſic conficitur.

♃. Extracti Liquiritiæ, & Sacchar. pulverati ana ℔ij. Gumm. Arab. ſoluti ℥j. Mucilagin. Gumm. Tragacanth. in aq. Flor. Aurantior. extractæ ℥jß. Miſceantur ſimul, & formentur baculi vel tabellæ, vel rotulæ: in umbra ſiccentur.

Succus Liquiritiæ Bleſenſis ſic præparatur

♃. Gummi Arabici craſſiuſcule triti ℔vj. Sacchari ℔iij. Glycyrrhizæ ſiccatæ, raſæ, & contuſæ, ℔ij. Infunde Glycyrrhizam per horas xxiv. in aq. fontis ℔xxx. Coraturam divide in tres partes, in quarum duabus diſſolve igne lento Gummi Arabicum, & trajice per ſetaceum: tum coque cum tertia decocti parte, addendo ſub finem Saccharum, ad emplaſtri conſiſtentiam, continuo agitando ut candidus fiat.

ARTICULUS DECIMUS-NONUS.

De Helleboro albo, & nigro.

Ἑλλέβορός, vel Ἑλλέβορον, vel Ἑλλέβορας, *Græcorum*, Helleborus, aut Elleborus, & Veratrum, *Latinorum*, radices fuere apud Græcos Latinoſque uſitatiſſimæ; quarum duo genera diſtinguebantur, album ſcilicet, & ni-

nigrum. Verum licet vulgatiſſima fuerint hæc remedia, ob inſignem purgandi virtutem; eorum tamen mentio adeo manca eſt & obſcura apud antiquos, ut quænam ſint plantæ, ex quibus illa medicamenta extraherentur, vix dijudicari poſſit.

Hellebori apud Theophraſtum hiſtoria manca eſt & truncata, ac proinde ex ea perparum lucis ad haſce plantas detegendas expectandum eſt. Apud Dioſcoridem Hellebori albi deſcriptio Veratro albo noſtro ſatis apte convenit: ſed ejus de nigro narratio, nigro recentiorum Helleboro minus congruens videtur. Nigri enim Hellebori folia, inquit Dioſcorides, viridia ſunt, Platani ſimilia, ſed minora, foliis Spondylii proxima, pluribus diviſuris ſciſſa, nigriora & ſubaſpera: caulis aſper, flores candidi, aut purpuraſcentes, racematim cohærentes, ſemen intus Cnici quod & Anticyræi Sæſamoides vocant, & in purgationes adhibent. Radices ſubſunt tenues, nigræ, velut e capitulo quodam Cepæ ſimili dependentes, quarum etiam uſus eſt.

Ex hac deſcriptione, noſtræ Hellebori nigri ſpecies minime dignoſci poſſunt. Folia enim non ſunt Platani minora, nec Sphondylio ſimilia, nec florem ferunt racemoſum, nec caulem aſperum. Unde concludendum eſt, nos nigro Dioſcoridis Helleboro carere, aut fortaſſe corruptum eſſe & depravatum hujus auctoris textum.

In Officinis vero duo Hellebori genera hodie reperiuntur, quæ colore, ut olim, diſtinguuntur; album, & nigrum.

Helleborum album, ſeu Veratrum album, *Off.* radix eſt oblonga, tuberoſa, aliquando pollice craſſior, foris fuſca, intus alba, numeroſis albicantibus fibris ſtipata, ſapore acri, paululum amaricante, ſubadſtringente, ingrato, & nauſeoſo.

Planta quæ, Veratrum flore ſubviridi, *Inſt. R. H.* Helleborus albus flore ſubviridi, *C. B. P.* Helleborus albus flore ex viridi albeſcente, *J. B.* Helleborum album, ſive Veratrum, *Lobel. Icon.* Ex radicibus fibroſis, albis, numeroſis, e capite veluti bulboſo, & ſubluteo pendentibus, caulem profert cubitum ſuperantem, teretem, rectum, firmum, ex quo alternatim naſcuntur folia, Plantaginis aut Gentianæ forma, ſpithamas duas longa, haud multo anguſtiora, liris denſiſſimis ſtriata, ac veluti plicata, ſubhirſuta, dilute virentia, rigidiuſcula, baſi fiſtuloſa, caulem ambientia. A medio ferme caule ad cacumen flores ex eorum alis racematim prodeunt roſacei, ex petalis ſenis in orbem poſitis conflati, herbaceo colore albicantibus: horum medium tenent ſtamina ſex piſtillum cingentia, quod deinde mutatur in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur tres vaginæ compreſſæ, membranaceæ, ſemiunciam longæ, ſemina continentes oblonga, candicantia, granis Tritici ſimilia, marginata, & quaſi ala foliacea cincta.

Alia eſt Veratri albi ſpecies, quæ Veratum, flore atrorubente, *Inſtit. R. H* Helleborus albus, flore atrorubente, *C. B. P.* Helleborum album, flore nigro, *J. B.* Helleborum album, floribus atrorubentibus, præcox, *Lobel. Icon.* nuncupatur. Foliis longioribus, tenuioribus, magiſque caducis; caule proceriore, paucioribus foliis cincto, floribus atrorubentibus, a priore differt. Luxuriat in omnibus Galliæ montibus, Alpibus præſertim, & Pyrenæis.

Helle-

Helleborum nigrum, & Veratrum nigrum, *Officin.* quod & Melampodium Græcis dicitur a Melampo quodam, (ſive Medicus, ſive paſtor fuerit) qui primus purgationem inſtituit: unde καθαρτης, id eſt purgator nominatus fuit, & hocce medicamento Prœti filias in furorem actas perſanavit. Radix eſt tuberoſa, nodoſa, ex qua velut ex capite numeroſæ pendent fibræ, denſæ, foris nigræ, intus albæ, ſapore acri cum amarore conjuncto, & nauſeam quaſi provocante, odore vero, dum recens eſt, vehementi.

Planta dicitur Helleborus, niger, anguſtioribus foliis, *Inſt. R. H.* Helleborus niger, flore roſeo, *C. B. P.* Elleborus niger legitimus, *Cluſii Hiſtor.* Ex radice naſcuntur folia pediculo ſpithameo, craſſo, ſucculento, tereti, punctis purpureis ut Dracunculi majoris notato appenſa, ad pediculum uſque in novem, ut plurimum, partes digitatim diviſa, quaſi totidem foliola, rigida, lævia, obſcure virentia, & ſerrata, præſertim a media parte ad apicem uſque. Singulæ autem partes foliorum Hellebori non male foliis laurinis comparati poſſunt, ſi ſeorſim ſpectentur. Caule prorſus caret: ſed flores ſingulares, vel bini, pediculo 4. 5. vel 6. uncias longo innituntur, roſacei, ex 5. petalis, ut plurimum, conflati, ſubrotundis, primum albidis, deinde purpuraſcentibus, poſtremo vireſcentibus, nullo calyce ſuffulti. Horum medium occupat numeroſa ſtaminum congeries, inter quam & petala adeſt corona quædam duodecim aut quindecim corniculorum ſubluteorum, quæ ſeſquilineam longa ſunt, cum ore oblique inciſo. In centro vero ſtaminum adeſt piſtillum quinque vel ſex conflatum ſiliculis, quæ deinde abeunt in ſiliquas membranaceas, corniculatas, in capitulum congeſtas, tumidas, rufeſcentes, dorſo elato & quaſi foliaceo, in hamum veluti tenuato; fibris autem ſemicircularibus & tranſverſis muniuntur, quarum contractione in duas valvas introſpectantes aperiuntur. Quælibet enim ſiliqua revera muſculus eſt biventer & concavus, tendine fixo extrorſum ſeu in dorſo poſito, mobili vero introrſum. Semina gemina ſerie diſponuntur in cavitate ſiliquæ, ovata, duas lineas longa, ſplendentia & nigricantia. Naſcitur in Alpibus & Pyrenæis, & frequenter colitur in hortis, non tantum ob florum venuſtatem, ſed etiam ad uſum.

Alia eſt Hellebori nigri ſpecies, quam D. Tournefort legitimum Helleborum nigrum Hippocratis & antiquorum eſſe arbitratur: cum frequenter occurrat non ſolum in Anticyris inſulis, quæ ſunt e regione montis Oetæ, in ſinu Maleaco qui nunc vocatur, *Le Golfe de Zeiton*, non longe ab inſula Eubœa, *Negrepont*; ſed etiam frequentius naſcatur in oris Ponti Euxini, & vulgatiſſimus ſit ad radices montis Olympi in Aſia, circa celeberrimam civitatem quæ Pruſa vocatur. Ab eo vocatur Helleborus niger Orientalis, ampliſſimo folio, caule prælato, flore purpuraſcente, *Cor. Inſt. R. H.* Helleborus niger Orientalis, *Bellonii*. Hujus radices ſimiles ſunt radicibus Hellebori nigri ſupra recenſiti, ſed craſſiores, longiores, acredinis & odoris plane expertes, ac inſigni amarore donatæ: folia ejuſdem formæ, ſed longe ampliora, pedalia ferme. Caulis pedem ſuperat ramoſus; flores prorſus ſimiles profert, quibus ſemina & capſulæ pares ſuccedunt.

Pro radicibus Hellebori nigri legitimi nonnunquam utuntur radicibus

Hellebori nigri tenuifolii, Buphtalmi flore, *C. B. P.* ſed perperam. Nam radices hujus plantæ, quæ ad Ranunculi genus a D. Tournefort reducitur ſub nomine Ranunculi fœniculaceis foliis, Hellebori nigri radice, *H. R. Monſpel. Inſt. R. H.* nequaquam purgant, ut a Dodonæo & a Cl. Tournefort obſervatum fuit. Unde Helleboro nigro legitimo potius ſubſtitui debent radices Hellebori nigri hortenſis, flore viridi, *C. B. P.* & Hellebori nigri fœtidi, *C. B. P.* quales Pariſios ex Arverniæ montibus adſportari ſolent.

Hæc planta, quæ, helleborus niger hortenſis, flore ſubviridi, *C. B. P.* helleborus niger vulgaris, flore viridi vel herbaceo, radice diuturna, *J. B.* Veratrum nigrum, ſecundum, *Dodon.* cujus folia foliis hellebori nigri anguſtioribus foliis, *Inſt.* æmula ſunt, ſed anguſtiora, nigriora, ambituque toto ſerrata: caulem habet pedem plus minus altum, in ramulos cacumine diviſo; a quibus floſculi deorſum nutantes dependent, minores, coloris e pallido herbacei: radices fibroſæ aliquanto tenuiores, minus nigricant.

Verum ad explorandum utrum radices, quæ hellebori nigri veri nomine divendi ſolent, præſtent ad uſum medicum, D. Tournefort hoc tentamen proponit. Infundantur in aq. fontis q. ſ. deinde in alambice diſtillentur. Si enim aqua, quæ diſtillatione prodit, ſaporis ſit expers, rejici debent radices illæ tanquam inutiles; adhiberi vero, ſi aqua ſit acrior.

Analyſi Chymica, ex radicibus hellebori albi, primum, ignis ope, educitur ſpiritus ſaporis acerrimi, qui Mercurii ſublimati ſolutionem coagulat. Huic ſuccedit liquor acidus & erodens, tum ſal volatilis concretus, ac oleum. Sed terræ tanta copia remanet, ut ponderis radicum tertiam partem æquet. Præterea infuſum radicum hellebori albi chartæ ſubcœruleæ tincturam magis vividam efficit, qualis percipitur, cum eadem papyrus in aquam calcis immergitur.

Ex libris quinque fibrarum hellebori nigri analyſi Chymica, liquoris viriſcentis & acerrimi ſaporis ℥viij. prodierunt, quæ nullam mutationem attulere neque heliotropio neque Mercurio ſublimato. Deinde in vas recipiens fluxerunt ℔ij. & ℥xij. cum ʒvj. liquoris, qui ſenſim ex viridi limpidior, atque ex acri in acidum & ſtypticum ſaporem vertebatur; ita ut heliotropii tinctura, non purpurea ſolum, ſed ignea evaderet: quæ poſtremo prodiere ℥iv. ſpiritui ſalis affuſæ efferbuere, & Mercurium ſublimatum aqua ſolutum in præceps cadere coegerunt. Oleum fœtidum ponderis fuit ℥iß. Caput mortuum vero ℥x. in quo Salis fixi ʒvj. & Terræ damnatæ ℥ij. cum ʒj. Præterea papyrus ſubcœrulea in harum radicum infuſum immerſa, non vividior emergit, ſed obſcurior, & ad colorem violaceum vergens.

Ex his patet ſalem alcali in radicibus Veratri albi dominari: contra vero eumdem illum ſalem ab acido domari in radicibus hellebori nigri. Inſuper his in radicibus acris quidam ſpiritus ineſt ſalino-ſulphureus, qualis oritur ex affuſione ſpiritus vini rectificatiſſimi & ſpiritus volatilis Salis Ammoniaci; talis enim primum erumpit ex earum diſtillatione. Sed ſpiritus ille volatilis, acris, ſeu alcali, ſic a ſulphure involvitur, ut nullam inferat mutationem heliotropio, nec Sublimato corroſivo. Si, cum ea diſtil-

latio

latio incipit, ignis paulo vehementior adhibeatur, ſpiritus acris loco, offa ex iiſdem principiis conſtans erumpit.

Cœterum vis cathartica Hellebori, neque acido, neque acri, neque ſulphuri ſeparatim tribuenda videtur, ſed iiſdem omnibus naturaliter commixtis; cum Extractum radicum Hellebori ex ſpiritu vini nequaquam purget; neque aliud Extractum, ex reſiduo denuo paratum cum aqua, humores educat, ſed Extractum primo aquæ ſolius ope elicitum. Aqua enim ſalia acria, & tartarea ſolvit, moxque eorum ope ſulphureas partes.

Utriuſque Hellebori radices vehementer evacuant: unde inter purgantia mochlica recenſentur, hoc eſt, ea quæ magna movendi vi, exigua quantitate aſſumpta humores partibus impactos, & tenaciores educunt, quaſi agerent vectis cujuſdam poteſtate, Gallice, *leviter*, Græce μόχλος. Veratrum album vomitione purgat, varios humores educit, & quidem magna cum vi, & moleſtia ſumma. Quocirca ab antiquis exhiberi non ſolebat, niſi ubi longi, valenteſque morbi erant, ſpeſque ex aliis remediis adempta: hodie vero ob vehementiam, numquam in ſubſtantia exhibetur.

Hujus radicis pulvis ſternutationes excitat naribus exceptus, & inter πταρμικὴ, ſeu ſternutatoria valentiſſimus eſt in affectibus ſoporoſis. Si fonticulo hic pulvis admoveatur, alvum movet, & vehementer purgat.

Veratrum nigrum humores omnes deorſum ducit, non tamen citra moleſtiam, ac difficultatem. Idcirco nonniſi robuſtis, ac validiſſimis exhibebatur. Hodie raro datur in ſubſtantia, tuncque a gr. xv. ad ℈ij. in decocto a ℥j. ad ℥ij. Sed præſcribitur ſæpius ejus extractum cum aqua pluviali paratum, a gr. xij. ad ℈j. vel ʒß.

Prodeſt ex Veratro nigro purgatio inſanientibus, maniacis, melancholicis, comitiali morbo afflictis, podagricis, apoplecticis, paralyticis, hyſtericis, elephantiacis, quartana laborantibus, & omnibus quos vel atra bilis, vel melancholicus humor moleſtat.

Nec ſola vis cathartica in Helleboro nigro laudatur, ſed etiam a pluribus Medicis virtus alterandi humores, eorumque lentorem reſolvendi in eo agnoſcitur & commendatur. Arbitrantur enim hanc medicinam melancholicos ſuccos, non tam purgando, quam alterando, emendare.

Externe Veratrum nigrum lichenas, pſoras, lepras abſtergit. In fiſtulam calloſam indutum, callum duobus, aut tribus diebus detrahit, auctore Galeno.

Purgatio ex Helleboro naſcenti Medicinæ coæva fuit. Hippocrates utroque Helleboro uſus fuit, qui, Hellebori ſimpliciter dicti voce, alvum deſignat, nigrum vero cum adjectione ſemper denominat, ut putat Galenus. Hæc purgandi ratio, ob ejus vehementiam, ſpectatiſſimis omnibus Medicis ſuſpecta fuit, nec niſi ſumma cum cautione ab ipſis veteribus adhiberi ſolebat.

Vetant, inquit Plinius, dari ſenibus, & pueris: item mollis, ac fœminei corporis animive, exilibus aut teneris; & fœminis minus quam viris: minime excreantibus, & cauſariis.

Ad Hellebori exhibitionem duo præcipue conſiderabant: alterum, num morbi forent pertinaciſſimi; alterum, num vires conſtarent. Cumque congruens videbatur illius uſus, non adhibebant niſi prægreſſa ægrotantis & ipſius medicamen-

camenti diligente præparatione. Corpus enim ſeptem ante diebus præparabant, tum diæta, tum minorativis medicamentis. Helleborum in Anticyris collectum, ut præſtantiſſimum, eligebant. Imo has inſulas adire conſueverant, ut illud tutius ſumerent. Unde natum proverbium: *Navigare Anticyras*; quod idem eſt, ac inſaniæ remedium quærere. Illud vero variis modis ibi præparabatur, & corrigebatur; quæ quidem correctiones, & præparationes non omnes ad nos pervenerunt. Hanc refert Actuarius: Pars radicis fibroſa, rejecto capitulo, in aqua paululum macerabatur, deinde cortex detractus, & ſeparatus a tenui, quæ ipſi ſubeſt, medulla, in umbra exſiccabatur. Ex Paſſo, & Oxymelite exhibebatur, nonnumquam, ſuavitatis gratia, cum odoratis ſeminibus permixtus. Si vero efficacior purgatio deſideraretur, Scammonii pauxillum adjiciebatur.

Hippocrates *lib. de victu in acutis*, Helleborum Dauco, Seſeli, Cumino, aut Aniſo, aut quolibet alio ex odoratis temperari jubet. Plinii tempore, Hellebori nigri radices diſſectis Raphanis inſerebant, & coquebant, ut vis Hellebori vehementior diſſiparetur; & tunc radices alii coctione temperatas, alii Raphanos rejectis radicibus comedendos, alii decoctum vi purgante imprægnatum hauriendum ægrotantibus præbebant.

Hodie vero Hellebori uſus fere exolevit, ex eo potiſſimum tempore, quo Stibii præparationes catharticæ, & vomitoriæ innotuerunt. Quæ quidem longe tutiores mihi videntur purgandi rationes nec minus efficaces.

Purgatio autem ex Helleboro, inquit Fernelius, difficilis eſt, terrorisque plena, ſolique robuſto, & animoſo adhibenda. Meſues quoque profert homines ſui temporis jam ferre non poſſe Helleborum album, nigrum vero nonniſi difficillime. Confitendum eſt etiam hominum corpora hocce ſub clymate, vehementes ejuſmodi purgationes ferre vix poſſe. Vehementiſſima autem eſt Hellebori actio; quandoquidem, ipſius Dioſcoridis tempore horrenda nonnumquam ab Helleboro excitarentur ſymptomata, nempe intolerabiles alvi fluxiones, ſuffocationes, convulſiones, animi deliquia, cordis palpitatio, linguæ arefactio, dentium conſtrictio, frequentiſſimi ructus, ſingultus, viſcerum, & univerſi corporis inflammatio; & niſi illico ſuccurratur, tremor conſequitur univerſum corpus occupans, quocum poſtremo commoriuntur ægri. Quæ quidem ſymptomata, aut a nimia hujuſce remedii doſi, aut ab intempeſtiva ejuſdem exhibitione oriuntur.

Neque exiſtimandum eſt Helleborum antiquorum, ſeu Anticyræum, mitius fuiſſe; quandoquidem D. Tournefort fatetur, omnes, quibus Hellebori Orientalis extractum exhibuit, etiamſi de ſuperpurgatione non quererentur, nauſeis tamen torqueri, ventriculi gravedine cum acrimonia & phlogoſis ſuſpicione conjuncta, quæ fauces, & anum etiam minitabantur: eoſdem præterea per plures dies Cephalalgia, & lancinationis ſenſu, artuumque tremore affici, ita ut ab illo remedio abſtinere coactus fuerit: noſtratis vero longe minor eſt vehementia. Sic autem præſcribi poteſt:

℞. Fibrarum Veratri nigri tenuiter conciſarum ʒß. Injice in lactis ferventis ℥vj. Coque leviter, & infunde per noctem. Colaturam capiat mane.

℞. Hellebor. nigr. capillam. ℥j. Decoquantur in aq. pluvial. ℥iiij. ad tertias. Cola-

Colaturæ adde Mellis optime deſpumati ℥ij. Miſce. Capiat cochlear unum cum juſculo pingui alternis diebus in mania.

℞. Extracti Hellebori nigri gr. xv. Aquilæ albæ, & Succini pp. ana gr. xij. Cremoris Tartari gr. xx. M. F. bolus cum ſ. q. medullæ Caſſiæ recens extractæ.

℞. Extracti Hellebor. nigr. ℈j. Cremor. Tartari ʒß. Miſſæ ſeu pulpæ Cydoniorum q. ſ. Fiat bolus.

Melius autem corrigitur Cremore Tartari, Sale Prunellæ, Tamarindis, Oxymelite, & ſucco Cydoniorum, quam aromaticis.

Plurimæ ſunt, & diverſæ apud auctores utriuſque Hellebori præparationes, inter quas hæ præcipuæ ſunt.

Extractum Hellebori nigri conficitur, radices tenuiores, & tenuiſſime conciſas in aq. pluvialis q. ſ. decoquendo ad tertias. Fiat colatura, quæ poſtea evaporatur ad extracti conſiſtentiam.

Extractum Hellebori albi ſeu Arcanum radicum Hellebori purgans, *Petri Joannis Fabri*, ſic præparatur:

℞. Rad. Hellebor. alb. tenuiter conciſar. ℔j. Aceti ſtillatitii ℔iij. Marcerentur per dies viij. ſupra cineres calidos. Tinctura per inclinationem extracta, per chartam bibulam coletur. Deinde diſtilletur lente ad Mellis conſiſtentiam. Tum:

℞. Specier. El. Diarrhodon Abbatis, & Aloes hæpaticæ ana ℥j. Caryophyllor. ʒij. Cinnamomi ʒj. Moſchi, Ambræ cinericæ ana gr. viij. M. F. pulvis ex quo extrahatur tinctura ope Aceti ſtilatitii, ex Helleboro extracti. Tinctura percolata conjungatur cum extracto Helleborino. Permiſceantur exacte, & Acetum per blandam diſtillationem extrahatur, donec remaneat maſſa debitæ conſiſtentiæ, ad pilulas conficiendas, quæ plurimum commendantur in vertigine, epilepſia, & aliis morbis capitis, ad ℈ß.

Ex utroque Helleboro, auctore eodem P. J. Fabro, Oleum per deſcenſum extrahitur, quod ſupra cineres proprios vel alios optime calcinatos rectificari debet, donec fœtorem, & empyreuma depoſuerit, ac deinde cum Oleo Cinnamomi, aut Aniſi circulari. Egregie purgat ad gutt. x. aut xij. cum Syrupo Roſato ſolutivo, vel Syrupo de Cichorio.

Ex Helleboris parantur Vinum, Oxymel, Syrupi, quorum deſcriptiones in Pharmacopæis videre eſt.

Uſurpatur Helleborum nigrum in extracto Catholico *Sennerti*, in Extracto Panchymagogo *Crollii*, & *Hartmanni*, in Extracto Catholico, & Cholagogo *Rolfincii*, in Pilulis *Matthæi* vel *Starkii*, Pilulis Tartareis *Quercetani*, tum & Syrupo Helleborato *ejuſdem*, in Hyera Diacolocynthidos, & Electuario Senato.

A R-

ARTICULUS VIGESIMUS.

De Hermodactylis.

E'Ρμοδάκτυλος, Hermetis ſeu Mercurii digitus, vox eſt, quæ a quibusdam ex Græcis junioribus variis rebus tribuitur. Aſſignatur enim tum bulboſæ radici de qua nunc agitur, tum radicibus Behen dictis, ab Avicenna vero flori plantæ, aut potius radicis Surengian nuncupatæ: quæ quidem radix eadem videtur eſſe cum Hermodactylo Græcor. juniorum: Hunc florem *Aſaba* Hermes nominat, id eſt digitum Hermetis. Et credendum eſt hoc nomen ſenſim a flore ad radicem tranſiviſſe.

At vero quænam ſit hæc planta, conjicere licet ex eo quod Serapio uno eodemque capite de Colchico, de Ephemero, & de Hermodactylis tractaverit, utpote plantis congeneribus. Et revera Hermodactylus in officinis Colchici ſpecies habetur. Contrarium probare tentat Matthiolus, ex eo, quod Colchicum commune devoratum homines interimat. Sed hæc ratio futilis eſt. Aliquod tamen inter Colchicum commune, letiferumve, & Hermodactylum officinarum diſcrimen deprehenditur; cum Hermodactylus exſiccatus, albus remaneat, neutiquam rugoſus, modice durus, tundique facilis ſit, & pulverem habeat candidum, quæ omnia Colchici radix ſiccata non habet. Eſt enim rugoſa, mollior, rufeſcens, aut ſubnigra foris & intus. Quibus ſignis hæ radices ab invicem facillime diſtingui poſſunt.

Hermodactylus, *Officinar.* Ε'ρμοδάκτυλος Pauli Æginetæ: *Alſurengian*, Avicennæ; Gallicæ: *Hermodacte*; radix eſt dura, tuberoſa, trigona, ſeu cordis dimidiati ſpeciem gerens, ex una parte compreſſa, ex altera tuberoſa, & velut in mucronem deſinens, cum ſulco a baſi ad mucronem in parte gibba excavato, unciam ſuperans, foris rufeſcens, intus candida, quæ contuſione in ſubſtantiam farinaceam facile redigitur; ſapore viſcoſo, ſubdulci cum leviſſima tamen acrimonia.

Hermodactyli probantur candidi, corpulenti, pleni, graves, compacti, non carie exeſi.

Dubitant Seplaſiarii nonnulli utrum ſit radix, vel fructus cujuſdam plantæ. Verum qui tractare ſolent herbas, facile agnoſcunt, radicem eſſe tuberoſam, tunicis denudatam, qualis deliteſcit ſub tunicis Colchici communis, a cujus radice diſtinguitur tantum ſapore, colore, & duritie. Quod quidem Botanicorum noſtri ævi corryphæus Tournefortius confirmavit, cum Hermodactyli plantam in Aſia minore cum foliis, & fructibus Colchici ſæpius reperiiſſe aſſeruerit. Nullus igitur ſupereſt dubitandi locus quin Hermodactylus ſit radix cujuſdam Colchici Orientalis, quod dicitur, Colchicum radice ſiccata alba, *C. B. P.* Sola pars interior ex Oriente ad nos defertur, tunicis ſuis ſpoliata, & deraſa.

Arabes hocce medicamento veteribus Græcis ignoto Pharmaceuticum armamentarium locupletarunt. Ex junioribus Græcis Paulus Ægineta de eo primus mentionem fecit.

Ex

Ex Hermodactylis, analyſi Chimica, multum phlegmatis, tum acidi; tum urinoſi, ac ſulphuris extractum eſt terræ plurimum, ſalis fixi quantitas exigua; quæ ſane demonſtrant eorum vim a Sulphure & Sale Ammoniaco cum pauco Tartaro conjuncto pendere.

Hermodactyli recentes pituitam, & ſerum per vomitum, & alvum purgare dicuntur. Siccati vero aut toſti Ægyptiis, & præſertim fœminis nutrimentum præbent, a quo pingues fieri exiſtimant.

Siccati, quales in officinis noſtris reperiuntur, pituitam craſſam alioſque humores viſcidos peculiariter ab articulis trahunt, ſed purgandi virtute donantur admodum debili. Arthriticorum veluti Panacea a plurimis commendantur: & in ipſo fluxionis tempore, ſecundum Æginetam, exhibendi ſunt in ſubſtantia, vel in decocto. Ab illorum uſu, inquit, poſt biduum omnis rheumatiſmus cohibetur, ita ut ægrotantes conſueta obire poſſint munia.

In ſubſtantia a ʒß. ad ʒij. exhibetur; in decocto ad ℥j. Adeo debilis eſt eorum purgandi vis, ut raro ſoli præſcribantur: ſed cum aliis purgativis conjunguntur, ut Aloe, Colocynthide, Aquila alba, &c. Cum etiam ſtomacho nimis moleſti ſint, flatus gignant, ciborumque inappetentiam excitent, tum Græci, tum Arabes, ea admiſceri ſuadent, quæ ſtomacho conducunt, ut Zingiber, Cinnamomum, Roſæ, &c.

℞. Hermodactylor. pulver. ʒj. Aquilæ alb. gr. x. Cinnamomi ℈j. cum Conſerv. Roſar. q. ſ. M. F. bolus in arthritide.

℞. Hermodactylor. pulver. ℥ß. Aloes optimæ, Diagrydii ana ʒß. Zingib. ℈j. cum melle roſaceo. Fiat maſſa pilular. cujus doſis erit ʒj.

℞. Hermodactylor. contuſor. ℥ß. Folior. Senn. ʒij. Cinnamomi ʒj. Infunde in vino albo per noctem. Colaturam capiat æger mane, jejuno ventriculo.

Plurimis compoſitionibus recipiuntur ad pituitam, & ſerum educendum ut in Pulvere arthritico *Paracelſi*, Pulvere panchymagogo *Quercetani*, Syrupo hydragogo *Charas*, Benedicta laxativa, Electuario Diacarthami, Electuar. Caryocoſtino, Pilulis fœtidis, & Pilulis de Hermodactylis, *Meſuæ*.

ARTICULUS VIGESIMUS PRIMUS.

De Jalapa.

JAlapa, Jalapum, & Mechoacana nigra *Officinarum*, radix eſt oblonga, turbinata, craſſa, denſa, in taleolas tranſverſas ſecta, gravis, foris nigricans, intus fuſca vel cinerea, reſinoſa, fractu contumax, ſapore nonnihil acri, & nauſeoſo. Probatur denſa, reſinoſa, fuſca, fractu contumax, & quæ flammam facile concipit.

Hæc radix Græcis, & Arabibus prorſus incognita, inter novi orbis divitias nobis advecta fuit. Nomen ſumpſit a Xalapa oppido novæ Hiſpaniæ, unde primum aſportata fuit.

Cujus-

Cujuſnam plantæ ſit radix, non plane conſtat inter auctores; an Bryonia, Mechoacanna nigricans, *C. B. P.* ? an Convolvulus Americanus Jalapium dictus, *Raii Hiſtor.* ? an Solanum Mexicanum magno flore, *C. B. P.* ? Sed refert clariſſimus Tournefortius, poſt Plumerium, & Lignonium ex America reduces, plantam cujus radices ſub Jalapæ nomine uſurpantur in officinis, ſimilem eſſe illi, quæ dicitur Jalapa officinar. fructu rugoſo, *Inſtit. R. H.* (*a*)

Americana hæc planta ex radicibus craſſis, foris nigricantibus, intus albicantibus, caulem profert duos cubitos altum, firmum, geniculatum, & patulum. Folia bina naſcuntur ex adverſo poſita, in acumen deſinentia, obſcure virentia, & inodora. Flores monopetali ſunt, infundibuliformes, lutei, vel ex albo, purpureo, & luteo variegati, cum gemino calyce, altero a quo involvuntur, altero cui inſident. Is autem abit in fructum ſeu capſulam ſubrotundam, nigricantem, tres lineas longam, una parte obtuſam, altera velut annulo cinctam, pentagonam, aſperiuſculam, & rugoſam, in qua continetur nucleus ovatus, ruſeſcens. Colitur in hortis Europæis, nec differt a Solano Mexiocano, magno flore, *C. B. P.* quod Gallis *Belle de nuit*, vocari ſolet, niſi fructu magis rugoſo.

Radix Jalapæ abundat ſale acri uberrimo, acido vero parciori, cum ſulphure, & terra conjunctis. Horum principiorum commixtio reſinam, & gummi conſtituunt, quæ magna copia ex hac radice ſicca extrahuntur. Nam Jalapæ pulveratæ ℥xij. reſinæ ℥iij. extracti gummoſi ℥iiij. ſuppeditarunt. Mediante vero diſtillatione ex Jalapæ ℔ij. olei ℥ix. prodiere, uberrimum phlegma alcalinum, quantitas vero minor acidi, quodque ſeſe obſcure tantum manifeſtum fecit. Adde infuſum Jalapæ in aqua limpida chartæ ſubcæruleæ colorem magis vividum efficere.

Jalapa eximium eſt purgans, & apud plebejos uſitatiſſimum; ex eo quod ſit inodorum, non ingratum, & minima mole exhiberi poſſit. Omnes noxios humores, maxime vero ſeroſos per inferiora purgare, & quidem citra moleſtiam, dicunt. Verum non adeo mitem eſſe Jalapam, ut complures ſibi perſuadent, reclamat Simon Paulli, qui eam Scammonio affinem pronuntiat. VVepferus quoque, experimento in canibus facto, Jalapam ventriculum, & inteſtina inflammare pronuntiat. Exhibito enim magiſterii Jalapæ ℈ß. catello menſtruo, & ℈i. catello ſemeſtri, hic vehementi ſingultu affectus fuit; ille vero torminibus, & inſtar temulenti incidendo vacillabat. Poſt aliquot horas alvo non ſoluta, diſſectis vivis, inflammationis ſigna in ventriculo, & in inteſtinis apparuerunt. Ingenue tamen confitendum eſt, nimiam fuiſſe doſim magiſterii ſeu reſinæ Jalapæ, quæ quidem ipſa ſubſtantia vehementius purgat.

Itaque nihil in Jalapa deprehenditur, quod ipſi cum cœteris remediis purgantibus acribus, & validioribus non ſit commune. Eorum enim operandi ratio pendet, tum ab actione partium ſulphurearum, & acrium ſalinarum cathartici medicamenti in inteſtinorum membranas quas irritant,

---

(*a*) Verum & ipſi quoque in errore verſati ſunt. Namque Houſtonus ex America redux, plantam Jalapæ ſecum aſportatam oſtendit Cl. viro D. Bernardo de Juſſieu, Londini tunc degenti: ipſique vera Convolvuli ſpecies eſſe viſa eſt, non vero Mirabilis Peruvianæ.

tant ; & convellunt , ſicque fortem glandularum expreſſionem promovent ; tum etiam ab earumdem particularum mixtione cum maſſa ſanguinea, & corporis humoribus quos ſolvunt, & liquant. Catharſis igitur inſtitui non poteſt , quin inteſtinorum irritatio excitetur ; quæ quidem major vel minor erit pro cathartici vehementia vel doſi.

Jalapa itaque inter hydragoga fortiora benignum eſt, & mite, nec niſi per accidens noxam afferre poteſt. C. Bauhinus ejus doſim ad ʒj. conſtituit . Sed C. Hoffmannus , Simon Paulli, & melioris notæ Medici , infra grana xxiv. ſubſiſtunt . Revera Jalapa in ſubſtantia egregie purgat ſine moleſtia a gran. xij. ad ℈j.

Obſervandum tamen Jalapam non convenire in febribus acutis , neque calidis , & ſiccis conſtitutionibus . In his enim , ſicut cœtera purgantia acria , & irritantia , calorem intenſum , & ſæpe inflammatorium in viſceribus accendit , parcioremque, imo ſæpe nullam evacuationem promovet . Sed iis convenit , qui frigidæ ſunt temperiei, & ſero ſcatentes , ſpeciatim in hydrope, anaſarca, & cachexia : at vero attente conſiderandum eſt quid intelligendum ſit per corpora humida . Quæ enim ſunt ſicca , ſæpe ſæpius multo redundant ſero ; ſic in melancholicis , ſcorbuticis , atra bile affectis , in quibus præfervida ſunt viſcera ab immodico bilis fervore , vel in quibus ſanguis aduſtione acrior factus , dum fibroſa pars arcte cogitur , altera in ſerum colliqueſcit : in his , inquam , & ſimilibus multo ſero ſcatere corpus videtur , adeo ut ſputatores ſint , aut ſimilia ſuperabundantis ſeri prodant indicia . Hæc corpora pro humidis habenda non ſunt; imo tota intus ſiccitate rigeſcunt, & æſtu exuruntur. Succorum enim acrimonia partium fibræ convelluntur, nec debitas oſcillationes exercent , ad circularem ſuccorum curſum promovendum . Singulis in partibus hærentes ſucci per vaſorum poros tranſſudant , cachexias, & tumores œdematoſos , leucophlegmatiam , hydropem procreant aut alios affectus , hujuſcemodi hydragogis medicamentis minime cedentes . Humida igitur habeantur corpora , quæ ſuccis mollioribus , mucilaginoſis , chyloſis , aut cœnoſis turgidula ſunt , in quibus humiditas non ſalis colliquantis , aut ſtagnationis ſuccorum ſoboles fuerit , ſed quam fecerit ſuccorum nutritiorum redundantia, cruditas, aut ingluvies. Exempla præbent infantes qui lacte , pultibus , & ſimilibus victitantes, purgationes facilius ferunt , tum & helluones, & ciborum gurgites, in quibus ſanguinis , pinguedinis , chyli , aut ſeri redundantia ſcatens , cathartici vim impune ſentit . Ea ſane de cauſa Jalapa in infantium morbis maxime prodeſt , ſcilicet ratione mollis , lacteæ ſeu chyloſæ eorum conſtitutionis , cujus beneficio tota purgantis acrimonia retunditur . In adultis contra bilioſus aut elaſticus nimis factus ſanguis , talis cathartici acrioris acceſſione , in fermentationem agitur . Eam ob rem quoque purgantia felicius cedunt in febribus acutis infantium , quibus etiam citius quam adultis propinari poſſunt .

Vim nocivam Jalapæ , ſi quæ ſit , infringere autumant correctivis , modo Salibus alcalinis , ut ſale Tartari , Abſinthii , &c. quibus reſinoſa pars ſolvitur, & expanditur ; modo acidis , ut cremore Tartari , ſucco Limonum , ſpiritu Sulphuris vel Vitrioli, quibus coercetur , & fere figitur ; modo oleoſis , aromaticis , ut Cinnamomo , Cariophyllis , Zingibere, Maci , quibus nerveæ tum ventriculi , tum inteſtinorum fibræ vi pur-

purgantis medicamenti debilitate reſtituuntur. Verum prorſus inutile mihi videtur catharticum medicamentum ægrotanti propinare, & ejus vim infringere. Satius foret illud non exhibere. Acida revera cathartici vim minuunt, optimeque temperant; ſed idem fieri poteſt, purgantis doſim imminuendo. Olea aromatica peſſima cenſeo catharticorum temperamenta, quæ ſane in viſceribus irritationem cathartico valentiorem ſuſcitando, titillationem, quæ ab eo excitatur, inutilem, irritamque reddant; cum ſæpe inflammationem accendant, & humorum evacuationem inhibeant. Sales alcalini longe aptiores videntur ad reſinoſa cathartica contemperanda; ſolvendo enim partes reſinoſas, impediunt ne tenaces illæ partes inteſtinorum membranis pertinaciter adhæreant, ut ſæpe accidit. Verumtamen ab his ſalibus, catharticorum acrimonia non modo non temperatur, ſed econtra incenditur.

Igitur ut bene ſuccedat catharſis, medicamentum catharticum, & morbo, & temperamento accomodatum, nec nimia nec parciori doſi exhibeatur; tunc emendationis non indigebit: & ſi quocumque modo temperandum ſit, ſufficienti liquoris copia diluatur. Quod quidem de purgantibus in genere.

Jalapa vero nulla indiget emendatione. Sufficienti terræ quantitate extenduntur ſalinæ, & ſulphureæ partes; ita ut nulla melior ſit hujuſce medicamenti præparatio, quam ipſamet ejus ſubſtantia.

Reſina, ope ſpiritus vini, & extractum gummoſum, ope aquæ, ex ea præparantur. Sed reſina non uberius evacuat, imo ſæpe minus, & ſemper cum moleſtia, & torminibus; gummoſum vero extractum ſegniter admodum operatur. Jalapæ ſubſtantia raro in liquoribus propinatur, ſæpius ſub forma boli.

℞. Pulver. Jalapæ gr. xx. Infunde per noctem in vini albi ℥vj. Mane probe agitatam & turbidam infuſionem cum pulvere hauriat æger.

℞. Jalapæ pulveratæ ℈j. Syr. Flor. Perſicor. q. ſ. M. F. bolus.

℞. Pulv. Jalap. gr. xviij. Sal. Ducis Holſatiæ ʒß. Conſerv. Flor. Aurantior. q. ſ. Fiat bolus.

℞. Rhei pulver. ℈j. Jalapæ tenuiſs. pulver. gr. xij. Aquilæ albæ gr. x. Syr. Reg. Sapor. q. ſ. M. F. bolus.

Uſurpatur Jalapa in El. Hydragogo *Sylvii de le-Boe*, El. antihydropico *Charas*, in Extracto catholico, & cholagogo *Rolfincii*, in Pilulis arthriticis *Shefferi*, in Pilulis cachecticis, & Syr. hydragogo, & Syrupo aperiente cachectico, *Charas*.

ARTICULUS VIGESIMUS SECUNDUS.

De Imperatoria.

STirps non unica Imperatoriæ nomine inſignita fuit; Meum enim & Laſerpitium ſic a quibuſdam nominata ſunt. Nec Imperatoria noſtra hoc unicum nomen obtinuit: dicitur quoque Aſtrantia, Magiſtrantia, Oſtrutium, & Oſteritium.

Ra-

Radix vero, quæ ſub Imperatoriæ nomine noſtris in officinis reperitur, oblonga eſt, pollicem craſſa, rugoſa, quaſi cirrata & geniculata, fibrata, foris fuſca, intus alba, ſapore acerrimo, aromatico, vehementer linguam vellicante, totumque os calefaciente, odore fragrantiſſimo, medicamentoſo. Veteribus Græcis vel ingnota fuit, vel ab his adeo obſcure deſcripta, ut dignoſci nequeat.

Planta, ex qua extrahitur, Imperatoria major, *C. B. P.* Imperatoria, *J. B.* Aſtrantia, *Dodonæi*, nuncupatur. Ejus radix oblique ſerpit, pollicem craſſa, & fibris quamplurimis donata. Folia ſunt alata, ex tribus ſegmentis ſubrotundis, læte virentibus, palmaribus, tripartitis, & in ambitu inciſis compoſita. Caulis ad cubitum & ſeſquicubitum aſſurgit ſtriatus, cavus, flores ſuſtinens roſaceos, umbellatos, ex quinque petalis conſtantes cordiformibus, candidis, in orbem poſitis, & inſidentibus calyci, qui deinde abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus planis, fere ovatis, leviter ſtriatis & marginatis. Alpibus & Pyrenæis montibus delectatur; & inde radix ſicca nobis affertur.

Eligitur quæ in excelſis montium jugis colligitur, quæ quidem longe acrior eſt quam quæ in planis naſcitur, aut in hortis colitur. Ex ejus radice, foliis, & caulibus diſſectis manat liquor oleoſus, guſtu acerrimus, qui Tithymali lacti acredine non cedit.

Imperatoriæ radix, ſicut & ſemen, non mediocrem olei eſſentialis quantitatem diſtillatione fundit. Analyſi chymica, cum Angelica convenit, quam ſuperat odore fragrantiore, & acutiore guſtu, ſicut & virtutibus.

Alexipharmaca eſt & ſudorifera, ventriculi, inteſtinorum & uteri flatus diſcutit. C. Hoffmannus in colicis, & flatuoſis affectibus eam prædicat tanquam divinum remedium. Ab eodem tum ad menſtruas evacuationes mulierum reſtituendas, tum ad virorum ſterilitatem ſeu frigiditatem arcendam commendatur. Ciborum concoctionem juvat, obſtructiones aperit, aſthmaticis ſeu anheloſis prodeſt, viſcidam tenacemque pituitam incidendo, expectorationemque excitando. Hydropem, quartanam, & febres diuturnas ſanat, modo ſint a frigore, inquit idem C. Hoffmannus. Uſus præcipuus eſt in venenatis morbis & ictibus & in frigidis cerebri affectionibus, catharris, paralyſi, apoplexia, &c. Ore detenta, præſtantiſſimus eſt apoplegmatiſmus, quo efficaciter cerebri pituita expurgatur, & odontalgia ſanatur. Doſis a ʒß. ad ʒj. in ſubſtantia, & ad ʒij. in infuſione.

℞. Rad. Imperator. pulver. ʒj. Propinetur in vini generoſi ℥v. hora una ante quartanæ paroxyſmum.

℞. Rad. Imperatoriæ inciſæ ℥ß. Infunde in vini Hiſpanici ℥vj. Capiat æger cochlear unum aut alterum, rad. colicos affectus, flatuſque diſcutiendos.

℞. Folior. Salviæ pug. j. Imperatoriæ rad contuſ. ʒj. Infunde in aq. bull. ℥viij. Infuſionem ſumat æger calidam, in modum potus Theæ, cum Saccharo, in catharroſis affectionibus, paralyſi, aſthmate.

Externe ſerpigines inveteratas tollit, inquit S. Paulli, ſi ex hujus radicis pulvere recentis & adipis ſuilli tantillo linimentum conficiatur, quo partes affectæ inungantur; aut ſi digeratur pulvis in aceto vini, quo pars affecta indentidem abluatur.

Semen iiſdem ac radix pollet virtutibus.

Radix Imperatoriæ uſurpatur in Antidoto Orvietano *Charas*, & in Aceto Theriacali *Ejuſdem*.

ARTICULUS VIGESIMUS TERTIUS.

De Ipecacuanha.

IPecacuanha præſtantiſſimum Dyſenteriæ remedium, in novo orbe repertum, circa medium ſæculi præteriti, deſcriptum fuit a Guillelmo Piſone in ſua Indiarum hiſtoria, a quo tum & a Marcgravio e Braſilia in Europam delatum fuerat. Altis tamen tenebris obſitum, & in Gallia noſtra incognitum remanſerat, ad annum circiter 1672. quo cum D. Legras Medico, qui ter Americam peragraverat, Lutetiam pervenit. Verum illius virtute nondum comperta ſatis, per plures annos oblivioni traditum fuerat, uſque dum circa annum 1686. a peregrino quodam mercatore Garnerio dicto, iterum huc allatum eſt. Cum autem vires illius ſingulares ab hoc mercatore prædicarentur, ab Adriano Helvetio Facultatis Rhemenſis Medico in uſum feliciter revocatum eſt; ab eoque tantum theſaurum ſibi & civibus comparare voluit Ludovicus Magnus, cujus munificentia publici juris factus eſt Ipecacuanhæ uſus.

Radix eſt, cujus, habita locorum ratione, ſpecies duæ ſunt, Peruviana & Braſiliana; habito vero reſpectu coloris, tres ſunt, cinerea, vulgo *griſe* ou *blonde*, fuſca, vulgo *brune*, & alba, vulgo *blanche*.

Ipecacuanha cinerea; Ipecacuanha Peruviana, *Officinar*, Bexuguillo & Rais de Oro Hiſpanorum; forte Ipecacuanha alba Piſonis. Radix eſt duas treſve lineas craſſa, tortuoſa, & quaſi annulatim exaſperata, dilute fuſca vel cinerea, denſa, dura, fragilis, reſinoſa, cum nervo exiguo radicis meditullium ſecundum longitudinem occupante, ſapore ſubacri, amaricante; nonnihil odorata. Ex Peruvia, ubi circa mineras auri naſcitur, ab Hiſpanicis claſſibus quotannis Gades affertur.

Quænam ſit planta, quæ ex hac radice aſſurgit, ignoramus; niſi eadem ſit ſpecies, quam G. Piſo Ipecacuanham albam nominat: quæ quidem planta exigua eſt, humilis, Pulegio non admodum diſſimilis, cujus caulis foliis lanuginoſis exſurgit, multis, albiſque floſculis verticillatis cingitur.

Ipecacuanha fuſca; Ipecacuanha Braſilienſis & Radix Braſilienſis, *Officinarum*; Ipecacuanha altera ſeu fuſca Piſonis. (*a*) Radix eſt tortuoſa, rugis quaſi annularibus magis exaſperata, quam cinerea, tenujor tamen,

(*a*) Ouragoga *Lin. gen.* 934. florem ejus ex ſicco exemplari deſcripſit Linnæus his verbis.

Cal. Perianthium quinquepartitum, laciniis lanceolato-linearibus, æqualibus, perſiſtentibus. *Cor.* quinquefida. *Stam.* quinque. *Piſt.* Germen intra calycem & corollam. Styli numero incerti. *Per.* Bacca ſubrotunda, unilocularis, calyci inſidens, umbilicata, *Sem.* tria, oſſea, hinc gibba, inde angulata, approximata in globum, unilocularia, ſingula ſex ſulcis exarata.

Radix longiſſima. Caulis rariſſime ramoſus, decumbens, inferne nudus. Folia verſus apicem oppoſita, obverſe ovata, utrinque acuta, ſcabra, ſubtus pallidiora, duorum pollicum latitudine, trium longitudine, internodiis caulis vix pollicis longitudine.

tamen, lineam craſſa, foris fuſca vel nigricans, intus alba, leviter amaricans. Hæc Ipecacuanhæ ſpecies ex Braſilia Ulyſſiponem affertur.

Planta caulem profert ſemicubitalem, trinis vel quinis tantum foliis ornatum, in cujus ſummitate baccas producit nigras & paucas. Gaudet locis opacis, & tantum in denſis reperitur nemoribus.

Ipecacuanha alba, ſeu potius Ipecacuanha adulterina. Radix ſub hoc nomine in officinis reperitur tenujs, lignoſa, quæ rugis caret, amaroris expers eſt, & ex candido flaveſcens. Hæc pro Ipecacuanha alba Piſonis, a quibuſdam exhibetur: ſed utrum ſit genuina radix a Piſone ſub hoc nomine deſcripta, valde dubito; cum Ipecacuanha alba Piſonis per ſuperiora & inferiora evacuet humores, hæc vero vomitum non excitet, neque ſeceſſum. Hanc itaque radicem a mercatoribus, ſordidi quæſtus cauſa potius quam ratione ullius affinitatis cum Ipecacuanha permiſceri exiſtimo; & fortaſſe Ipecacuanha alba Piſonis non differt ab Ipecacuanha Peruviana ſeu Bexuguillo Hiſpanorum.

Ipecacuanha utraque, Peruviana, & Braſilienſis, humores evacuant per ſuperiora & inferiora. Præterea earum vim alexiteriam commendat Piſo, nec præſtantius eſſe remedium non ſolum adverſus dyſenterias & alvi fluxus inveteratos, ſed etiam adverſus plurimos morbos ex longa obſtructione ortos aſſerit.

Peruviana ſeu cinerea cœteris anteponitur, propterea quod longe mitior ſit ejus operandi ratio. Braſilienſis vero longe vehementiorem vomitum excitat.

Eligatur bene habita, ſucci plena, non vetuſta nimis. Annoſa tamen non contemnenda eſt. Ad plures enim annos conſervari poteſt, teſte Piſone: tuncque vomitivas quidem vires deponit, ſed non antidotales & ſudoriferas.

Frequens nunc eſt apud nos utriuſque uſus in alvi profluviis. Sed potiſſimum ad dyſenteriam confirmatam ſanandam feliciſſime uſurpatur. Nam ſæpe incantamenti inſtar eam intra unius diei ſpatium ſanat.

Ea eſt Ipecacuanhæ, tum cinereæ, tum fuſcæ viſcoſitas & acrimonia, ut ſi quis hujus radicis libram unam aut alteram contundat, & in pulverem tenuiſſimum redigat, niſi elatum pulverem caute devitet, paulo poſt difficili corripiatur reſpiratione, ſanguinis ſputo, aut narium hæmorragia, vel oculorum aut faciei, nonnumquam etiam gulæ tumefactione & inflammatione afficiatur; quæ quidem ſymptomata intra paucos dies, aut per ſe; aut venæ ſectionis ope, evaneſcunt.

Si in aqua decoquatur, uberrimam mucaginem ſuppeditat; quæ tantæ eſt tenacitatis, ut per linteum decoctio niſi forti expreſſione percolari poſſit.

Ex Ipecacuanhæ cinereæ ſeu Peruvianæ ℥viij. reſinæ ʒx. ope ſpiritus vini extractæ fuerunt. Ex eadem hujus radicis quantitate, ope aquæ communis, gummoſi extracti ℥iiiß. prodiere. Pulveris reſidui poſt accuratam reſinæ & gummi extractionem pondus fuit ℥iiij.

Ipecacuanhæ fuſcæ ℥viij. ſuppeditarunt reſinæ ʒvj. Eadem quantitas ejuſdem radicis gummi ℥j. & ʒiij. præbuit cum aqua communi. Pulvis ſuperſtes, gummi & reſina rite ſeparatis ex rad. ℥viij. fuit ℥vj.

Unde liquet principia activa, id eſt reſinam & gummi majore copia in Peruviana, quam in Braſilienſi, reperiri.

P 2 Extra-

Extractum reſinoſum potenter vomitum provocat, gummoſum vero perparum; hoc licet non ita tuto ac ipſa radix dyſenterias ſanet, non reſina. Pulvis vero ſuperſtes gummi & reſina diligenter ſpoliatus, prorſus iners eſt, cum nec vomitum provocet, nec ſeceſſum, nec dyſenteriam ſanare valeat. Concludendum igitur Ipecacuanhæ virtutem præcipuam pendere a gummoſa ſubſtantia. Ejus enim mucilaginoſis partibus oblinuntur inteſtinorum membranæ ſuo muco ſpoliatæ, earumque exſiccantur & ſanantur exulcerationes. Revera pars reſinoſa, a qua vis vomitum provocandi pendet, non prorſus inutilis eſt; cum materia morbifica in ventriculi, & inteſtinorum glandulis deliteſcens dividatur, & foras amandetur. Fatendum eſt tamen longe efficacius Ipecacuanhæ principia in ipſa radice coadunata dyſenteriæ mederi, quam ſeorſim ſumpta.

G. Piſo Ipecacuanhæ ʒj. in ſubſtantia pro doſi proponit, vel ʒij. in infuſione vel decocto. Malunt Braſilienſes, inquit idem auctor, dilutum, quod vel unius noctis ſub dio maceratione, aut coctione in aqua, medicam ſuam virtutem abunde liquoribus communicet. Poſtea caput mortuum reſervatum, denuoque eodem modo præparatum, in eumdem uſum exhibetur, minus quidem efficax ad purgandum vel vomendum, ſed magis adſtringens. Hæc enim radix non ſolum materiam morbificam, licet tenaciſſimam, a parte affecta revellit, eamque per ſuperiora expellit, ſed etiam adſtringendo viſcerum tonum reſtituit.

Apud nos vero ipſa radicis ſubſtantia pulverata ſæpius exhibetur, quam infuſum vel decoctum: & quidem a ℈ß. ad ʒß. Sumitur autem vel in vino, vel juſculo diluta, vel ex nebulis, mane jejuno ventriculo. Sæpe prima doſis ſanat: ſin minus, ad ſecundam & tertiam recurrendum. Quidam veſpertinis horis ejuſdem diei, quo exhibita fuit Ipecacuanha, potionem ſtomachicam & anodynam ægrotanti propinandam præſcribunt, ne recidivam patiatur.

℞. Pulver. Ipecacuanhæ ℈j. vel ʒß. Syr. Cydonior. q. ſ. Fiat bolus mane ex nebulis devorandus, ſuperbibendo juſculi vel vini aqua temperati cyathum unum.

℞. Conf. de Hyacynthis ʒj. Diacod. ʒvj. Diſſolve in aquar. Centinod. & Plantaginis ana ℥iij. Fiat potio hora ſomni exhibenda. Vel

℞. Diaphoretic. mineral. Coralli rubr. & Terræ ſigillatæ ana gr. xv. Cinnamom. & Galangæ minor. ana gr. x. Laudan. Opiati gr. ß. Syr. Cydonior. q. ſ. Miſce. Fiat bolus hora ſomni devorandus.

Experientia comperi Ipecacuanham ad gr. vj. vomitum perbelle provocare, & ad gr. x. non minus vehementer, quam ad ℈j. vel ℈ij. Unde majorem doſim quam gr. vj. vel x. inutilem cenſeo.

Cum autem compertum ſit hanc radicem pluries iterandam eſſe ad recidivas præcavendas, ægrotanti rite purgato per ſuperiora & inferiora Ipecacuanhæ ope, aliquot ejuſdem radicis grana ſingulis diebus per vices exhibenda præſcribo; quæ quidem nullam purgationem promovere valent, ſed tantum adſtringunt, inteſtinorumque parietes mucagine obducunt, eorumque exulcerationes abſtergunt & exſiccant. Hac ratione ægrotantes tuto, & ſine recidiva à dyſenteria liberantur.

Ita-

Itaque æger dyſenteria ſimplici laborans, rite præparatus, tum venæ ſectione, ſi adſit febris vel plethora, tum convenientibus enematibus, tum etiam diæta requiſita, purgetur ſecundum haſce formulas aut ſimiles.

℞. Mann. Cal. ℥j. Liqueſcat in aquæ Plantag. ℥vj. Fiat colatura in qua diſſolve El. Cathol. cum Rheo dupl. ℥ß. Pulver. Ipecacuanhæ gr. vj. Fiat potio mane exhibenda.

Vel ℞. Rhei pulverati ℈j. Pulver. Jalap. gr. xij. Rad. Braſil. gr. vj. cum Syr. de Cichor. comp. q. ſ. M. Fiat bolus.

Sic vacuatis primis viis per ſuperiora, & inferiora, & abſoluta medicamenti purgantis operatione, ſumat æger ſingulis diebus duas doſes opiatæ adſtringentis, & roborantis ſequentis.

℞. Conſerv. Roſ. rubrar. & Conſerv. Cynorrhodon. ana ℥j. Theriacæ Androm. ſen. ʒij. Pulver. Ipecacuanhæ gr. xviij. Syr. Cydonior. q. ſ. Miſce. Fiat opiata cujus doſis ʒj. mane jejuno ventriculo, & ſero quatuor poſt prandium horis, uſu continuo uſque ad perfectam ſanitatem.

Obſervat clariſſimus Tournefortius hocce ſpecificum medicamen in caſtris minus feliciter ſuccedere, quam in privatorum ædibus, tum quod militum vires plerumque proſtratæ ſint, viſceraque nimium læſa; tum quod aerem ſpirent inſalubrem, malignisque halitibus inquinatum. Quod de militibus aſſerit, illud quoque comprobavi apud pauper, & ignobile vulgus, præſertim in Epidemicis dyſenteriis quæ quidem oriuntur a maligno quodam halitu, vel cum alimentis, vel per aerem in maſſam ſanguineam immiſſo: tunc enim irrita eſt Ipecacuanhæ vis, niſi hujuſce medicamenti uſus continuetur, & cum cardiacis, & Alexipharmacis conſocietur. Itaque in epidemicis, & malignis dyſenteriis ea eſt illius medicamenti exhibendi ratio.

℞. El. Cathol. cum Rheo dupl. ʒiij. Pulver. Ipecacuanhæ gr. x. M. Fiat bolus.

Si debiles admodum ſint vires; ſtatim peracta evacuatione per ſuperiora, præſcribatur hæc potio cordialis, & antidyſenterica.

℞. Conf. de Hyacinthis, & El. Diaſcord. ana ʒj. Pulver. Ipecacuanhæ gr. x. Syr. Cydonior. ℥j. Aq. Cinnamomi ℥ß. Aquar. Plantaginis, & Meliſſæ ana ℥iij. Fiat potio cochleatim exhibenda ſingulis horis.

Die ſequenti ſumat æger duas doſes opiatæ ſequentis.

℞. El. Diaſcord. ʒj. Rad. Braſil. gr. j. M. Fiat bolus pro doſi, mane & ſero iterandus, donec æger prorſus reſtituatur.

Licet hæc radix ſpecifice dyſenteriæ medeatur, non ejuſdem tamen eſt energiæ in cœteris alvi fluxibus. Imo felicius ad dyſenteriam confirmatam, quam ad incipientem, adhibetur, ubi præfervidus adhuc fuerit ſanguis, & efferum nimis ac immite morbi fermentum. In confirmata enim materia morbifica jam a ſanguine ſecreta inteſtina occupat, unde facilius foras amandatur.

Rariſſime hocce remedium rite adhibitum irritum deprehenditur. Si vero non feliciter ceſſerit, aliquando ſæpius in cauſa fuit inſanabilis viſcerum affectio vel humorum depravatio, ad ſummum perducta. Verum etſi non bene ſuccedat, nihilo pejus tamen ab illius uſu ſe habent

ægrotantes. Unde tutiſſimum, & præſtantiſſimum dici poteſt medicamentum.

(Aliæ præterea ſunt plantæ, quæ Ipecacuanhæ nomine gloriantur, ex quibus unam hanc tantum referemus, quæ dicitur, Ulmaria major, trifolia, flore amplo, pentapetalo, Virginiana, *D. Baniſter. Plukn. Phyt. T. 236. fig. 5.* & *Rai. Tom. 3. p. 330.* Ulmaria Virginiana, trifolia, floribus candidis, amplis, longis, & acutis, *Mor. part. 3. pag. 323.* Filipendula foliis ternatis, *Lin. H. Cliff. pag.* 191. & *Gron. Flor. Virg. part.* 1. *pag.* 55. Fruticoſa hæc hærba in Virginia creſcit, ubi Ipecacuanha vocatur. Radice eſt dura, & lignoſa, multis dependentibus fibris; ſuperius nodoſa, ſupra terram ſæpius nuda: ex qua plures oriuntur caules lignoſi, ſtriati, atrorubentes, glabri, ramoſi; quibus ſine ordine adnaſcuntur folia oblonga, acuminata, rugoſa, ſubtus ſubhirſuta, in uno pediculo terna, biuncialis longitudinis, media parte unciam longa, circa margines acute denticulata Carpini in modum, in mucronem gracileſcentia. Interdum etiam bina alia adnectuntur foliola minora, ut quinque foliata appareat planta, ſingulo foliolo brevi petiolo inſidente. Ex horum alis alii etiam ramuſculi graciles proveniunt, quorum cacuminibus non adeo ac in prioribus luxuriat florum copia. Flores albicantes e rubro-variegati, in ſummitate caulium, & ramorum, ſinguli proprio pedunculo unciali, & biunciali inſident, pentapetali, petalis ſubrotundis, planis, reflexis, calyci inſertis monophyllo, & quinquepartito. Staminibus plurimis gaudent, capillaribus, corolla brevioribus, calyci inſertis, & antheris ſimplicibus; germinibus quinque acuminatis in totidem ſtylos deſinentibus. Petalis marceſcentibus, calyx aridus fuſcus manet, quo ſemina quinque, oblonga, acuminata, in orbem digeſta conduntur.

ARTICULUS VIGESIMUS QUARTUS.

De Iride Florentina, & noſtrate.

IRis Florentina, *Officinarum*; Ιρις Ἰλλυρικὴ, *Dioſcoridis* & *Græcorum*; Aſmeni iuni ſive Aierſa *Arabum*. Radix eſt, quæ nobis affertur in fruſta oblonga, geniculata, paululum compreſſa, unum aut alterum pollicem craſſa, candida, cortice ex flavo rubente ſpoliata, ſuis orbata fibris, odore violaceo fragrante, ſapore amaro, acri.

Eligatur bene habita, candida, odoratiſſima, non carioſa, non rugoſa.

Planta dicitur, Iris alba Florentina, *C. B. P.* Iris flore albo, *J. B.* quæ ab Iride vulgari non diſcrepat; aut ſi quid interſit diſcriminis, ſaltem pro nihilo habendum eſt.

Iris autem vulgaris Germanica ſive ſylveſtris, *C. B. P.* Iris vulgaris, violacea, ſive purpurea, ſylveſtris, *J. B.* Iris ſylveſtris, *Tabern. Icon.* Radice eſt oblique per ſuperficiem terræ ſparſa, craſſa, rugoſa, geniculata, ex inferiori parte fibrata, acri odore, dum recens eſt, gravi; conſumptoque humore ſuperfluo, tandem grato: ex qua folia prodeunt, un-

unciam lata, rigida, cubitum longa, & gladium æmulantia, ita ad radicem conjuncta, ut carina unius alterius dorſum excipiat; inter quæ caulis aſſurgit rectus, teres, glaber, firmus, ramoſus, quatuor aut quinque geniculis interceptus, cum foliis caulem amplectentibus, eo minoribus quo propiora ſunt ſummitati. Flores primo Vere erumpunt ex convolutis membranis, Liliacei, monopetali, in ſex partes diviſi, quarum tres alternæ ſurſum, tres vero aliæ deorſum ſpectant, foris lividi coloris in cinereo, & circa principium virides, intus vero purpureæ ſeu violaceæ, lacteis & latis venis diſtinctæ. Piſtillum e fundo floris ſurgit tribus petalis inſtructum, eodem modo coloratis, fornicatis, & partibus floris deorſum inflexis ita incumbentibus, ut palati cujuſdam ſpeciem præ ſe ferant. Calyx autem mutatur in fructum cylindriformem, trigonum, trifariam apice dehiſcentem, in tria loculamenta diviſum, ſeminibus fœtum rotundis, & oblongis, ſibi mutuo ſuperincumbentibus.

Iris Florentina a vulgari non diſcrepat, radicum, foliorum, florumve forma, ſed colore tantum. Folia enim Florentinæ Iridis ad glaucum magis accedunt: flores tenui, ſed eo tamen grato, odore præditi, lacteo candore perfuſi ſunt; radices vero majores, craſſiores, ſolidiores, candidiores, & odoratiores deprehenduntur.

Ex hiſce plantis radix fere ſola in uſum Medicum venit. At vero cum apud Scriptores Medicos de Iride fit mentio, obſervandum eſt, ſi ſuccum Iridis præſcripſerint, eum ex Iridis noſtratis ſeu vulgaris radice exprimi; ſi vero Iridis meminerint, ut forma pulveris compoſitiones ingrediatur, intelligendam eſſe Iridis albæ Florentinæ radicem.

Plurimæ Iridis radicibus virtutes a veteribus & neotericis attribuuntur. Doſis a ℈j. ad ʒj. Iris Florentina attenuat & incidit craſſiorem lympham in pulmonibus hærentem, ejuſque expectorationem promovet; unde aſthmati medetur, dyſpnœæ, tuſſi. Utilis quoque eſt ventris torminibus infantium, & inter ſarcotica medicamenta numeratur. Præterea ſternutatoriis, errhinis, & apophlegmatizantibus medicamentis utiliter permiſcetur. C. Hoffmannus Iridem Florentinam ſomnum conciliare aſſerit, non vi narcotica, ſed ſubſtantia vaporoſa, quali conſtat quoque Crocus, Myrrha, Nux moſchata &c. quod quidem in corporibus frigidis & humidis tantum, non vero calidis & ſiccis, efficere aſſerit.

℞. Iridis Florentinæ, Glycyrrhizæ, Sem. Aniſi, Sulphuris vivi ana q. l. Syr. de Praſſio albo, q. ſ. Fiat Electuarium, cujus doſis ʒj. ſæpius in die exhibenda in tuſſi & aſthmate.

℞. Rad. Irid. Florent. ℥ij. Agarici in nodulo ligati ʒjß. Folior. exſiccat. Nicotianæ ℈ij. Folior. Hyſſopi, Thymi ana M. j. Coque in aquæ limpidæ ℔j. ad quartæ partis conſumptionem. In colatura diſſolve Oximeliti ſimpl. ℥iv. ad viſcidam pituitam incidendam & foras eliminandam in aſthmate. Exhibeatur calide bis, terve in die, inſtar potus Theæ, ad ℥vj. pro doſi.

℞. Irid. Florentin. rad. Pæon. maris ana ℥ij. Croci ʒiij. Fœniculi ʒij. Sacchar. Cand. ℥iij. Fiat lege artis pulvis ſubtiliſſimus, cujus ℈j. aut ℈ij. in lacte materno vel vaccino, vel cum pulte pueris exhibeatur, ad ventris tormina ſedanda & ventris inflationes diſcutiendas.

℞. Irid. Florentin. ℥iij. Folior. Betonicæ, & Majoran. ana ℥j. Miſce: Fiat pulvis ſternutatorius.

℞. Irid. Florentin. ℥ij. Sem. Sinapi, & Staphyſagriæ ana ℥ß. Leviter pulverata includantur in nodulo quod in ore detineatur, jejuno ventriculo, prono capite, per ſemihoram maſticando, ad copioſum plegma per ductus ſalivales educendum.

Iris Florentina uſurpatur in Pulvere Diaireos, *Præpoſiti*, Confectione Rebecha, Trochiſcis bechicis, *Charas*, Theriaca, *Andromachi*, in Pulvere cephalico odorato, & Pulvere ſternutator. *Charas*, Ung. mundificativo de Apio, Pomato officinali, *Charas*, in Emplaſtro Dyachylo Ireato, & Diabotano, *Penicherii*.

Apud aromatarios frequentiſſimi eſt uſus ad aromata varia præparanda.

Radix Iridis noſtratis, ſeu vulgaris, inter hydragoga valentiora recenſetur. Dejectione, & vomitione ſeroſos humores ducit. In hydrope ejus ſuccus depuratus ad ℥ij. vel iij. ſolus aut cum vino albo permixtus, mane, jejuno ventriculo alternis diebus ſumptus commendatur. Attamen ea eſt ejus acrimonia, ut ſæpe ardores accendat, non tantum in faucibus, ſed etiam in ventriculo, & viſceribus. Unde plurimi hoc hydragogum reformidant. Nec puero, nec ſeni, nec prægnanti tuto exhiberi poteſt, inquit Fernelius; quod cœterorum more quæ valide aquas expurgant, menſes moveat, abortum faciat.

Ex capite quoque Errhini loco uſurpatus ille ſuccus maximam ſeri copiam educit. Idem cum farina fabarum illitus lentigines, aliaſque corporis maculas deterget.

Uſurpatur in Oleo Irino dicto, & in Unguento Agrippæ, *Charas*.

ARTICULUS VIGESIMUS-QUINTUS.

De Mechoacanna.

MEchoacanna *Officinar.* Rhabarbarum album quorumdam; radix eſt in taleas albas ſecta, cortice rugoſo contecta, ſubſtantia molliuſcula, in qua vix ulla apparet fibra, ſapore ſubdulci cum obſcura quadam acredine, quæ nauſeam quandoque movet. Circulos quoſdam habet ut Bryonia; ſed ab ea differt, quod compacta ſit, nec fungoſa, nec amara, nec viroſa. Præterea Bryoniæ radix ex candido rufeſcit, & quaſi radiatim corrugatur, atque ſaporis eſt amari, nauſeoſi, & viroſi. Mechoacanna dicitur ex ea Americæ Meridionalis provincia Mechoacan dicta, ubi primum ab Hiſpanis reperta fuit. Ex multis quoque aliis Americæ Meridionalis regionibus affertur, ut ex Nicaragua, Quito, Braſilia, & aliis, ubi naſcitur.

Eligitur, quæ recens eſt, (Triennium enim vix perdurare ejus efficaciam afferunt) albicans, compacta, & gravis: rejicitur quæ nigricat, & carioſa eſt.

Græ-

Græcis & Arabibus incognita, primum innoteſcere cœpit circa annum 1524. Sed potiſſimum a Nicolao Monarde promulgata fuit.

Planta a C. Bauhino ad Bryonias refertus, & Bryonia Mechoacanna alba, *C. B. P.* dicitur. Sed revera Convolvuli Americani ſpecies eſt, ut aſſerit Margravius, cui ſane, ut oculato teſti, fides potius habenda eſt. Convolvulus Americanus Mechoacan dictus, *R. H.*; Jetucu Braſilienſibus, ſive Mechoacanna, *Margravii*, nuncupatur. Radix pedis longitudinem æquat, valde craſſa, ut plurimum bifida, exterius obſcure cinerea, ſeu fuſca, interius alba, lacteſcens, ſinoſa: caules profert ſarmentoſos, ſcandentes, multangulares, etiam lacteſcentes, cum foliis ſolitarie poſitis, teneris, ſature viridibus, inodoris, cordis figuram exhibentibus, modo auriculatis, modo ſine auriculis, unum, duos, tres, vel quatuor digitos longis, inferius nervo, & venis diſtinctis. Floribus decoratur monopetalis, campaniformibus, dilute incarnatis, intus purpureis. Piſtillum abit in capſulam, in qua continentur ſemina nigricantia, piſi magnitudine, triangularia, & compreſſa. Radix verno tempore a Braſilienſibus collecta, atque in taleolas circulares modo, modo oblongas diſſecta, atque filo tranſſutim excepta exſiccatur. Ab iiſdem quoque radix recens, mundato cortice, exprimitur per pannum: & quod poſt aliquot horas in ima liquoris parte ſubſidit, exſiccatur; & lac vel fœcula Mechoacannæ dicitur.

Radix Mechuacanica, quam deſcribit Hernandez ſub nomine *Tacuache*, a Mechoacanna noſtrarum officinarum diſcrepare videtur, quod illa fauces adurat, noſtra vero fere inſipida ſit; deinde quod plantæ, quas ſub hoc nomine deſcribit, ab iis quas Monardes, & Margravius deſcribunt, diverſæ ſint.

Mechoacanna, analyſi Chymica, plurimum liquoris acidi & olei, modicum vero liquoris urinoſi ſuppeditat. Minorem reſinæ quantitatem ſuppeditat, quam Jalapa; ſed partibus conſtat tenuioribus, & magis volatilibus, cum vis ejus purgans decoctione evaneſcat.

Hocce medicamentum, ſtatim ab ejus inventione, tanquam purgativum præſtantiſſimum prædicatum fuit, & multis encomiis celebratum. Verum ejus nomen multum decrevit ex eo tempore potiſſimum, quo Jalapium innotuit. Ejus deſidia aut tardior operatio culpatur, & doſis nimis diffuſa, qua exhibetur.

Cœterum purgat benigne, & ſine moleſtia, roborando partes, & obſtructiones reſolvendo, nec injucunde, cum nullius fere ſaporis ſit particeps. Craſſos, viſcidos, ae ſeroſos humores educit ex toto corpore, capite nempe, pectore, articulis. Unde catharroſis, & frigidis affectibus, epilepſiæ, aſthmati, ſtrumis, arthritidi, morbiſque venereis convenit. Hepatis, lienis, & meſenterii obſtructiones referat. Hydropicis vero nec mitius, nec utilius catharticum exhiberi poſſe aſſerunt. Revera nullum fere purgans eſt magis temperatum, & paucioribus incommodis aut periculis obnoxium.

Ejus ſubſtantia tantum exhibetur. Sumitur ejus pulvis cum vino, vel cum alio liquore idoneo. Piſo hujus radicis pulverem ab ℥ß. ad ℥j. proponit pro doſi. C. Hoffmannus illum pueris a ʒß. ad ʒj. viris vero ad ʒij. exhibet. In decocto non datur: nam experientia compertum eſt, coctione vim ejus perire, & exſolvi.

♃. Me-

℞. Mechoacann. pulver. ʒij. Infunde per noctem in vini albi ℥v. Infuſionem cum pulvere capiat æger mane, jejuno ventriculo.

℞. Mechoacannæ ʒjß. Tartari ſolubilis ʒj. Infund. in aq. Cichor. ℥vj. per ſex horas. Infuſio cum pulvere ſimul ægrotanti propinetur.

℞. Rad. Mechoacan. pulver. ʒj. Agaric. Trochiſc. ʒß. Aquilæ albæ gr. xij. cum Syr. Roſar. ſolutiv. q. ſ. fiat bolus in catarrhoſis affectibus, arthritide, & morbis a ſeroſa colluvie oriundis.

Uſurpatur Mechoacanna in Pilulis Mechoacannæ *Renodæi*, in ejuſdem Hydragogo eximio, Electuario hydragogo *Sylvii*, Extracto Catholico Francofurtenſi *Schroderi*, Extracto Catholico *Sennerti*, & Syrupo hydragogo *Charas*.

ARTICULUS VIGESIMUS-SEXTUS.

De Meo Athamantico.

MEum & Meu *Officinar.* Μῆον & Μεῖον Græcorum, *Mu* Arabum. Radix eſt oblonga, minimum digitum craſſa, & ramoſa, cortice foris ferrugineo, intus pallido, aliquantulum gummoſo, includente medullam albicantem, odore ſatis jucundo, Paſtinacæ fere, magis tamen aromatico, ſapore non ingrato, niſi quod acris ſit, & nonnihil amara. Ex Arverniæ montibus, Alpibus, & Pyrenæis ſicca nobis affertur.

Meum veteribus Græcis haud ignotum, Athamanticum ab iiſdem nuncupatur, vel quod ab Athamante Æoli filio, & Thebanorum Rege inventum fuerit, vel quod præſtantiſſimum exiſtimaretur in Athamante Theſſaliæ monte natum.

Nomen Mei pluribus plantis quæ a legitimo Dioſcoridis Meo diſcrepant, conceſſum fuit; ſicut hæc Dioſcoridis planta variis quoque inſignita fuit nominibus.

Mei nomen hiſce plantis tribuerunt, nempe, Imperatoriæ ſativæ *Inſt. R. H.* ſive Angelicæ *Officinar.* Imperatoriæ Majori, *C. B. P.* & *Inſt.* Fœniculo tortuoſo *J. B. Inſt.* Myrrhidi annuæ, ſemine ſtriato, lævi, *Moriſſ. Inſt.* Cachri ſemine fungoſo, ſulcato, plano, majore, foliis Peucedani anguſtis, *Moriſſ. Inſt.* Thyſſelino *Plinii*, *Lobel. Inſt.* & Phellandrio Alpino, umbella purpuraſcente *Inſt. R. H.* Econtrario Meum Dioſcoridis variis nominibus appellatum fuit; ſcilicet, Meum foliis Anethi *C. B. P.* Tordylon & Tordylion *Sordi*: Daucus primus ſive Creticus *Tragi*: Seſeli Creticum *Fuchſii*: Anethum ſylveſtre, Anethum tortuoſum, Fœniculum tortuoſum, & Fœniculum porcinum *Officinarum quarumdam*: Meu, Imperatoria quibuſdam, *Cæſalpini*: Imperatrix *Apulorum*; Radix urſina, Siſtra, Spicula, & Finochiella *Quorumdam*. A clariſſimo Tournefortio ad Fœniculorum genus revocatur, & diceretur Fœniculum Alpinum perenne, capillaceo folio, odore medicato, quod Meum Officinarum, *Inſt. R. H.* niſi Mei nomen longo uſu comprobatum eſſet.

Radi-

Radicibus donatur dodrantilibus in plures partes in obliquum & altum divaricatis, ex quibus pediculi naſcuntur cubitales, longi, ſtriati, quibus inhærent folia tenuiſſime laciniata, coſtæ innaſcentia. Fœniculi ſimilia, capillacea, crebriora tamen & molliora; nec capilli uſque adeo longi. Inter hos cauliculi aſſurgunt ſimiles Fœniculo, minores tamen multo, ſtriati, inanes, ramoſi, in quorum faſtigiis eminent umbellæ florum candidorum, roſaceorum, qui ſcilicet plurimis conſtat petalis in orbem poſitis & calyci inſidentibus. Calyx autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, oblongis, hinc gibbis, & ſtriatis inde vero planis, odoratis, & cum acrimonia amaricantibus. Cum vero hæc radix ſit ex illis, quæ hyemem perferunt, circa caulium originem ex radice magnas habent comas, & foliis areſcentibus ſuperſtites.

Plinius ſcribit, Meum ſuo tempore in Italia peregrinum eſſe, & ibi ſeri tantum a Medicis, iiſque paucis; nunc vero abundanter reperitur ſponte naſcens, non ſolum in Italia, ſed etiam in Hiſpania, Gallia, Germania, & Anglia.

Mei odor, & ſapor ſalem volatilem, oleoſum, in hac planta abundantem indicant; & revera, analyſi Chymica, oleum tum eſſentiale, tum fœtidum, & craſſum copioſum fundit, ſpiritum urinoſum exhibet cum multo phlegmate acido: quæ quidem principia ſimul mixta, compoſitum conſtituunt haud diſſimile mixturæ ſpiritus volatilis, oleoſi, aromatici, & ſpiritus Nitri dulcificati.

Radix ſola in uſum Medicum venit; licet ſemen iiſdem fere virtutibus donetur. Humores viſcidos, ac tenaces dividit & attenuat: unde ad tartarum pulmonum expectorandum in aſthmate humorali commendatur. Ventriculi diſtenſioni flatulentæ, ventris torminibus, urinarum, & menſium ſuppreſſioni medetur, modo ab humorum craſſitie, & lentore oriantur. Urinæ ſtillicidium ſiſtit in pueris, pubi admota. Monent tamen Dioſcorides, & Galenus, nimiam hujuſce radicis doſim, aut frequentiorem uſum caput dolore afficere. Ejus doſis in ſubſtantia a ʒß. ad ʒj. in infuſione vero a ʒj. ad ʒij. in vino vel alio quocumque liquore.

Multas veterum ingreditur compoſitiones, & in primis Mithridatium & Theriacam: & in Aceto Theriacali *Charas* uſurpatur.

ARTICULUS VIGESIMUS-SEPTIMUS.

De Nardis.

DIverſæ plantæ Nardi nomine appellatæ ſunt. De duobus Nardi generibus mentionem facit Dioſcorides, uno Indico, altero Syriaco; quibus poſtea tertium adjungit, Celticum nempe, & quartum montanum dictum, & ſylveſtre, quod quidem duplex eſt, Aſarum ſcilicet, & Phu, de quibus ſuo loco.

Nardus Indica; Spica, Spica Nardi, & Spica Indica, *Off.* Ινδικὴ Νάρδος, *Dioſcoridis*. Alſembel ſembelen, Alſembel alcib, Alnardin alhendi, *Arabum*,

bum. Radix eſt comoſa, vel potius congeries capillamentorum tenujum, convolutorum, radicis capiti inhærentium, quæ nihil aliud ſunt quam nervoſa marcidorum foliorum filamenta velut in faſciculos congeſta, digiti craſſitie, & longitudine, colore ferrugineo, ſeu ex fuſco ruſeſcente, ſapore amaro, acri, aromatico, odore grato ad Cyperum accedente.

Hæc pars plantæ filamentoſa quæ eligitur, nec ſpica eſt, nec radix; ſed caulium pars infima ubi radici inhærent, multis tenuioribus foliis primo obſita, quæ quidem folia quotannis areſcentia, & marceſcentia, in capillamenta mutantur, remanentibus tantum nervoſis fibris. Spica vero ob figuram dici meruit, quæ adhæret radici digitalis craſſitudinis, fibratæ, ſaturatius rufæ, ſolidæ, & fragili. Inter hæc filamenta folia nondum in nervos divulſa, albicantia; & cauliculi concavi, ſtriati, nonnunquam reperiuntur: pluresque ex eadem radice capillacei faſciculi enati ſubinde conſpiciuntur.

Nardus Indica in Java magna quantitate creſcit; & apud Javanos frequentior eſt illius uſus in culina, ad piſcium, & carnium condimenta.

Dioſcorides de tribus Nardi indicæ ſpeciebus mentionem facit, Indica nempe genuina, Syria, & Gangitide. Hodie vero duæ tantum ſpecies in officinis occurrunt, quæ nonniſi comatum longitudine, & colore differunt. Longior enim Spica magis rufeſcit; ſed odore, ſicut & viribus pares ſunt.

Eligenda recens, levis, longam comam habens, aliquantulum redolens Cyperum, ſapore amaro.

Planta dicitur Gramen Cyperoides, aromaticum, Indicum *Breynii 2. Prodrom.* Hactenus deſcriptione caret. Rajus eam caules emittere ſumma parte ſpicis aut paniculis onuſtos ad modum graminum, aut iis affinium, tanquam veriſimile pronuntiat.

Ex ſapore, & odore conjicere licet Nardi Indicæ vires a ſale volatili oleoſo pendere, multo ſale fixo, & terra implicito.

Alexiteria eſt, cephalica, ſtomachica, & nephritica: unde morbis malignis convenit. Catharros, ſeu humores e capite in pectus, ſtomachumve procumbentes cohibet, ventriculum debilem roborat, & ciborum concoctionem juvat intus ſumpta, & exterius admota, omneſque frigidos affectus concoquit, menſes, & urinas promovet, ad hepatis, lienis, & meſenterii obſtructiones reſolvendas confert. Cl. Galenus Marcum Imperatorem ventriculi imbecillitate, & difficili ciborum concoctione laborantem, Nardino unguento lana impoſito, & ori ventriculi admoto curavit. Nardus Indica exſiccata, inquit Bontius, aceto infunditur apud Indos, & addito Saccharo adverſus hepatis, lienis, & frequentiſſimas meſenterii obſtructiones adhibetur; necnon etiam adverſus venenatorum ſerpentum, ſcolopendrarum, ſcorpionum, & ſimilium morſus, vulneri impoſita aut intus ſumpta. In hæmorrhagia narium Riverius tanquam præſtantiſſimum, & frequenti uſu comprobatum remedium commendat Spicam Nardi in tenuiſſimum pulverem redactam cum juſculo, aqua Plantaginis, aut alio liquore exhibitam. Doſis a ℈ß. ad ℈ij. in ſubſtantia, & ad ℥ß. in infuſione.

Veteres ex ea parabant collyria, & unguenta pretioſa. Unguentum Nardinum

num ex Dioſcoride conficiebatur ex Junco odorato, Coſto, Amomo, Nardo, Myrrha, & Balſamo, & oleo Balanino aut Omphacino: his folium Malabathrum nonnumquam adjiciebatur.

Nardus Indica uſurpatur in Pulvere aromatico roſato, Pulvere Diarrhodon, Theriaca, Mithridatio, Philonio magno, Benedicta laxativa, Hiera picra Galeni, Hiera Diacolocynthidos, Trochiſcis de Camphora, Trochiſcis Hedichroi, Pilulis fœtidis, Syrupo de Cichorio compoſito, Oleo Nardino, Oleo Scorpionum *Matthioli*, Unguento Martiato.

Nardus Celtica; Spica Celtica; Spica Gallica, Spica Romana, *Offic.* Νάρδος κελτική & ἀλιὔγγια, *Dioſcoridis*: Saliunca, *Plinii*; Alnardim Alſimbel Alkeliti aut Alkelt, Alſimbel alrumi *Arabum*. Radix eſt fibroſa, capillaris, rufeſcens, cum foliis, ſeu ſquammis parvis, ex viridi flaveſcentibus, ſapore acri, amaricante, aromatico, odore fragrante, graviuſculo.

Ad uſum eligi debet, recens, jucunde odorata, numeroſis radiculis donata, non fragilis, plena.

A Dioſcoridis ſæculo ad hanc uſque ætatem celebrata fuit. Celtica dicitur, quod in Galliæ olim Celticæ dictæ montibus colligeretur. Hodie quoque reperitur in Alpibus Germaniam ab Italia ſeparantibus, Liguriæque montibus ac Genuenſibus.

Planta dicitur Valeriana Celtica, *Inſt. R. H.* Nardus Celtica Dioſcoridis, *C. B. P.* Nardus Alpina *Cluſii*. Hujus radix longe, lateque ſerpit, ſumma tellure ſeſe inter muſcum infundendo: oblongi, procumbenteſque humi ramuli tenues, plurimis veluti foliolis aut ſiccis ſquammis circumſepti, ſubinde fuſcas & nonnihil capillatas fibras agunt: ſuperna parte in unicum aut bina, ternave extuberant capitula, aliquot longis ſecundum caput anguſtis, deinde in latitudinem paulatim ſe laxantibus foliis ſatiſque craſſis & ſucculentis plena; colore, dum primum emergunt, viridi, deinde ſub Autumni initium aut Æſtatis finem flaveſcente, guſtu amariuſculo; Palmaris aut dodrantalis, nonnunquam etiam major inter hæc emergit cauliculus ſatis firmus, geniculatus, bina ad ſingulos nodos habens inter ſe oppoſita exigua foliola, cui circa ſummum ex ſingulis naſcuntur pediculi exigui, binos aut ternos floſculos coloris pallidi ſuſtinentes, monopetalos, infundibuliformes, multifidos, quorum ſinguli calyci inſident, qui deinde abit in ſemen exiguum, oblongum, & pappis inſtructum.

Tota planta aromatica eſt, & radicum Valerianæ ſylveſtris odorem æmulatur. Auctore Cluſio, in ſummo Stiriacarum Alpium, menſe Auguſto floret, ſub ipſis fere nivibus. Folia deinde promit, cum flores diffluere incipiunt. Legitur autem ab incolis ſub Auguſti finem & Septembris initium, cum folia flaveſcere incipiunt; tunc enim ſummam habet odoris gratiam, qua caret, cum folia primum promit, & adhuc viridis eſt.

Nardus Celtica virium earumdem eſt cum Spica Indica. Majore tamen cum utilitate in urina cienda, ventriculo roborando, & flatibus diſcutiendis adhiberi dicitur. Uſurpatur in Theriaca, Mithridatio, in Emplaſtro de Meliloto, & in quibuſdam aliis unguentis calefacientibus, & lotionibus cephalicis.

Nar-

Nardus Montana, *Offic.* Ὀρεινὴ Νάρδος, *Dioſcoridis* : Alnardin Gebali, *Arabum*. Radix eſt oblonga, ſubrotunda ſeu turbinata, minimi digiti craſſitie, cujus caput capillamentis fuſcis vel cineraceis & rigidiuſculis donatur, cum cauliculo rubente, odore ad Nardum accedente, ſapore acri, aromatico.

Adeo mendoſa eſt Dioſcoridis narratio de Nardo montana, ut difficile admodum ſit decernere utrum vera Nardus montana Dioſcoridis nobis nota ſit, an adhuc ignota.

Radices aliquot plantarum ſub Nardi montani nomine nobis afferuntur.

Prima dicitur Valeriana maxima, Pyrenaica, Cacaliæ folio D. Fagon, *J. R. H.* Nardus montana altera Leonis, *Hiſtor. Lugdun.* Hujus plantæ radix craſſa eſt, longa, tuberoſa, capillata, perennis, odore Nardi Indicæ, ſed vehementiore, ſapore amaro. Ex hac radice caulis aſſurgit tricubitalis & altior, teres, lævis, concavus, nodoſus, rubens, unciam craſſus, cui folia adnaſcuntur bina, ex adverſo poſita, lævia, crenata, Cacaliæ foliis ſimilia, palmaria, & pediculis longis innixa. In ſummo caule flores naſcuntur purpuraſcentes, & ſemina Valerianæ floribus & ſeminibus ſimilia.

Secunda dicitur Valeriana Alpina minor, *C. B. P.* Nardus montana, radice olivari, *C. B. P.* Nardus montana, radice oblonga, *C. B. P.* Nardus montana longius radicata, *Camerar.* Tuberoſam habet radicem, modo longiorem, modo breviorem, quæ quotannis adnatis aliis ſe propagat, multiſque tenuioribus fibris infima parte & ſummo capite prædita eſt. Ex ea ſtolones oriuntur foliis ex atrovirentibus ſuperne & ſplendentibus, nec in ambitu ſerratis infima parte onuſti, deinde aliis in lacinias diſſectis, uti ferme Valerianæ majoris folia, ſed minora; & quo ſtolones magis adoleſcunt, eo magis diſſecta ſunt, ex adverſo ſemper poſita. In ſummo caulis faſtigio confertim naſcuntur flores Valerianæ ſylveſtris floribus non diſſimiles, odorati, minus tamen quam radix, quæ ſylveſtris Valerianæ odorem valde refert.

Nardus montana viribus cum Celtica convenit : quidam tamen imbecilliores exiſtimant. Rarius in officinis uſurpatur.

ARTICULUS VIGESIMUS-OCTAVUS.

De Ninzin & Gins-eng.

NInzin & Gins-eng radices plantarum non ſpecie modo, ſed & genere diſtinctarum, pro una & eadem plerumque aſſumuntur. Cum enim facie & virtutibus inter ſe non parum conveniant, e longinquis regionibus nobis advehantur, rariſſime adhibeantur a Medicis Europæis, & præterea Gins-eng multo majoris conſtet quam Ninzin, non mirum quamplurimos in hunc errorem impegiſſe. Verum ut omnis deinceps tollatur confuſioni locus, utriuſque deſcriptionem ex probatiſſimis & autoptis auctoribus depromptam ſi hic ſubnecteremus, operæ pretium fore duximus.

Ninzin

Ninzin *Offic.* Sju ſjin, *vulgo*, Niſji, Nindſin & Dſin dſom, *Sinice* Som, *Tartarice* Soafai: Siſarum montanum Coræenſe, radice non tuberoſa, *Kemp. fer. Amœnit. exot. faſcic. v. pag.* 818. Sii ſpecies *Linnæi Gen. plant.* 219. *Forte*, Sium folio infimo cordato, caulinis ternatis, omnibus crenatis. *Gronov. Flor. part.* 1. *pag.* 31. Planta hæc recens nata, inquit Kempferus, radiculam exhibet unicam, ſimplicem, Paſtinacæ ſimilem, triuncialem, auricularis digiti craſſitie, fibris paucis capillatam, carnoſam, albidam, ambientibus rimulis ſubtiliſſimis interceptam, inferne nonnunquam in duo crura diviſam; unde nomen ei natum eſt *Nindſin*, ideſt, homini ſimilis. Odorem præbet Paſtinacæ luteæ, ſaporem Siſari noſtratis, minori tamen & graciliori cum dulcedine, quam ipſam exigua quædam ac fere imaginaria amaritudo temperat. Paulo provectior planta & in pedalem vergens altitudinem, in ſolo Japonico ſota, radicem ſibi unam atque alteram adſociat, priori æqualem; quas ad vigorem producta, ramoſior videlicet & florigera, pinguiores ac fere palmares inordinato ſitu exhibet, multis ſimul circa radicum capita luxuriantibus diverſæ magnitudinis gemmis atque tuberculis, his in radiculas, illis in novos caules ſive plantas abituris. Caulem acquirit ſeſquicubitalem, auriculari digito tenuiorem, inæqualiter teretem ac ſtriatum, geniculis arundinaceis protuberantibus, & in circulum punctatis, per ſeſcuncialia ſpatia interceptum ac ramoſum, ramulis utcumque alternatim ex geniculorum loco naſcentibus, ima parte plenum, proceſſu ſurculiſque cavis & magis anguloſis. Pediculis genicula amplexantibus, ad mediam longitudinem profundo ſulco cavatis, ſeſcuncialibus, tenuiter ſtriatis, inſiſtunt folia diverſæ, pro plantæ ſtatu, figuræ & magnitudinis: in naſcente enim folia ſunt ſingula, rotunda, languide dentata, uncialia, baſi cordata; in ſuccreſcente & caule circiter pedali, majora ſunt, Sii & Siſari foliis ſimillima, ex quinque lobis pinnata, lobis ſive pinnis ex ovato acuminatis, ſeſcuncialibus, denticulo acuto denſe ſerratis, tenuibus, læte virentibus, præter nervum inſignem medium & ab eo decurrentes laterales denſo venularum complexu reticulatis: denique in planta perfecta ac ramoſiore caule tribolatæ ſunt, pinnis ſucceſſive minoribus, & in unguis humani magnitudinem deficientibus. Umbellæ in quas ſurculi deſinunt, ex baſi foliolis anguſtis, brevibus laciniata, radiolos extendunt tenues, unciales, in petiolos tenuiſſimos perbreves, ſingulis floſculis donatos, divulſos. Flos albus eſt & pentapetalus, petalis cordatis, & ad ſeminis Coriandri ambitum in planum radiantibus, ſtaminibus ex interſtitio petalorum ſurrectis, candido apice capitatis, brevibus, deciduis; ſtylo pumilo bifurco, vix conſpicuo. Florem excipit ſemen geminum, nudum, Aniſo ſimile, per maturitatem obſcure rufens & ſtriatum; quod excuſſum in duo dehiſcit, uno latere compreſſo, ſaporem radicis obtinens cum ſegni caliditate. Inter ramulorum axillas naſcuntur gemmæ, una vel plures, turbinatæ, Piſi magnitudinis, herbaceæ, quadantenus verrucoſæ, carnoſæ, ſaporis vapidi dulciduli; quæ, cum plantantur, vel in terram ſponte decidunt, ſeminis lege plantam producunt ſui generis.

(*a*) Ob prolychreſtam radicem, omnium Orientis, ſi Theam excipias, celebratiſſi-

(*a*) Hæc magis radici Gins-eng, quam Ninzin congruere, mihi videntur.

lebratiſſima planta eſt ; quæ ex Corea Japoniæ illata , in hortis urbis *Meaco* colitur , & magis quam in ipſa patria , luxuriat , ſed virtutum fere exors : unde cautum lege eſt , ne exoticæ a ſeplaſiariis ſupponantur . In Katajæ (Provinciæ Siamſai) Coreæque montibus rigidiori Jove nata , vitæ eſt longioris , radice reſtibili , & foliis Autumno deciduis ; ſub Japonico citius effuſa in caules ſemina ferentes , ut plurimum , annua emoritur.

Facultates radicum a Japonenſibus & Sinenſibus recitantur variæ , ex quibus palmariæ ſunt , quod roborent , pinguefaciant , renibus conducant , adeoque & pulmonibus , ex eorumdem viſcerum , quod docent , conſenſu . In pulverem redactæ , paucis medicamentis , nullis omnino cordialibus non admiſcentur .

Collactio radicis fit ineunte bruma ; qua appetente , in *Siamſai* aditus omnes excubiæ occupant , quæ fures a collectione arceant . Ad uſum ut fiant idoneæ , præparatione opus habent , quæ hæc eſt . Recens effoſſæ , triduum macerantur in aqua dulci , vel melius in aqua cocta Oryſæ ſecundaria frigida ; maceratæ in ahena operculata ſuſpenduntur in vapore ſuper igne : tum exſiccatæ ab ima parte uſque ad medium , duram , rufam , reſinoſam , ac quaſi translucidam acquirunt faciem , quæ ipſa bonitatis nota eſt : fibras majores eodem modo præparant . Doſis eſt ℨjß. vel pro re nata major.

Gins-eng , ſeu Pe-tſi, *Sinenſium* : Gins-eng , *Offic.* (*a*) Aureliana Canadenſis ; Sinenſibus , Gins-eng ; Iroquæis , Carent oguen , R. P. *Lafite au* , *Mem. ſur le Gins-eng* : Araliaſtrum Quinquefolii folio majus , Ninzin vocatum D. Saraſin. *Vaill. ſerm. p.* 43. *n.* 1. Gins-ſeng , *des Lettres edifiantes & curieuſes* , *tom. X. p.* 172.

Hujuſce plantæ radix pollicem unum aut alterum longa , digiti minimi plus , minuſve craſſitie , leviter rugoſa , nitida , & quaſi translucida , ut plurimum bifida , aliquando multifida , inferne fibris tenuibus prædita , extus ruteſcens , intus flaveſcens , ſapore ſubacri , ſubamaricante , & aromatico , odore aromatico non ingrato , cujus in ſummo reperitur ſeries nodorum juxta ſe invicem ſecundum varios inflexus poſitorum , & ab emarcidis annorum præcedentium caulibus efformatorum , quorum ope ætas plantæ calculo dijudicari poteſt . Ex radice ſurgit ſingulis annis caulis ſimplex , unum pedem altus , glaber , ex rubro nigricans : ex cujus apice emergunt tres quatuorve petioli ad mediam longitudinem profundo ſulco cavati , radiatim , & horizontaliter quaſi in umbellam diſpoſiti , quinque foliis terminati inæqualibus , inæqualiter petiolatis , & connatis , tenuibus , oblongis , ex ovato acuminatis , denticulo acuto denſe ſerratis , ex nervo inſigniore medio , & ex eo decurrentibus lateralibus , denſo venarum complexu reticulatis . Caulis ſummo ex medio petiolorum exortu , inſidet pedunculus ſimplex , & nudus , quinque vel ſex uncias longus , deſinens in umbellam corymboſam involucro minimo ſuffultam ; e cujus centro plurimi naſcuntur pedunculi tenues , unciam circiter lon-

(*a*) Hanc unam , eamdemque plantam eſſe eum Gin-ſeng , probant iidem altitudinis gradus , æquale ſolum , non impar montium poſitio , ſimilis nemorum aſpectus , inſpectio foliorum , pediculorum florum , & fructuum , utriuſque , & tandem ipſorum Sinenſium teſtimonium , qui , viſa planta Canadenſi Cantonem aſportata , eam genuinum Gin-ſeng eſſe , ſubito agnovere .

longi, ſinguli ſingulos flores gerentes, perianthio minimo, quinquedentato & germini inſidente donatos, petalis etiam quinque, ovato acutis, ſeſſilibus, reflexis; quinque ſtaminibus ſubulatis, longitudine corollæ, antheras ſubrotundas gerentibus: ſtylo ſimplici breviſſimo ut plurimum bifido, aliquando trifido & quadrifido, totidem ſtigmata gerente, embryoni inſidente ſubrotundo, qui matureſcendo abit in baccam ſubrotundam profunde ſtriatam, coronatam, in tot loculamenta quot ſtigmata diviſam, ſeminibus fœta ſolitariis, compreſſis, reniformibus.

Creſcit apud Sinas & in Tartaria inter 39. & 47. borealis gradum, in ſylvis umbroſis. Optima creſcit in regione *Leaug-tong*, Chan tang. *Tſu toang ſeng*, Tartaria, &c. Quæ in Corea naſcitur (nempe Ninzin) craſſior eſt, mollis, cava, multoque inferior: creſcit quoque in Canada inter 47. gradum, in ſylvis altis & rarioribus.

Sinæ & Tartari eam magno apparatu & labore colligunt, ineunte Vere, & declinante Autumno: mundant attente radices cultro, e Bambou confecto, radunt leviter, has enim ferro tractare religioſe evitant: fibras illas lavant in decocto ſeminis Millii, (Oryſæ, juxta Kæmpferum), & eas accurate exſiccant ſupra fumum ejuſdem ſeminis in aqua cocti, ut de flavo ejus participent colore; & ne carie, humiditateve afficiantur, eas perfecte ſiccas, afflante Aquilone, in vaſis æneis lixivio elutis & caute clauſis ex iis naſcentes amputant, recondunt. De minimis radicibus reſiduis conficiunt extractum; folia autem tanquam The pro uſu conſervant.

Tantum eſt hujus radicis pretium apud Sinenſes, ut unica libra tribus argenti libris veneat: unde a multis adulterari ſolet; & exoticæ, (nempe radices Ninzin) ei a ſeplaſiariis non raro ſupponuntur. Eligenda eſt recens, odorata, non carioſa.

Plures & quidem ſingulares huic radici virtutes adſcribuntur. Summa quaſi panacea apud Aſiaticos habetur, & ad illam Sinenſes omnibus in ægritudinibus tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. „ In diarrhæis, „ *inquit unus ex Sinenſibus*, (*a*) dyſenteriis, ventriculi & inteſtinorum „ debilitate aut depravatione, ſicuti in ſyncope, lypothymia paralyſi, „ ſtuporibus & convulſionibus, prodeſt: mirum in modum refocillat ni- „ mia venere exhauſtos; hominibus a morbis vel acutioribus vel chroni- „ cis enervatis, nullum huic æquiparandum medicamentum: ubi poſt „ eruptionem fractis jam viribus, ſubſidunt variolæ, felici cum ſucceſſu „ in larga doſi propinatur: tandem repetitis vicibus, vires admodum de- „ bilitatas reficit & mirifice reſtaurat, perſpirationem auget, blando ca- „ lore ſenum corpora perfundit, medullam in oſſibus & totam artuum „ compagem vegetat & confirmat; quin imo, in agone jam conſtitutis „ tale robur reſtituit, ut retardata morte, tempus & occaſio eis ſuperſit „ ad alia aſſumenda medicamenta, ſæpeque priſtinam ſanitatem recupe- „ randam. Hæc ſane mira, modo vera.

„ Attamen, pergit idem auctor, goloſis atque oinopotis parum pro- „ ficua. In febribus malignis & epidemicis, ſumma cautione, & tan- „ tum remittente febre, uſurpanda, in phlogiſticis, hecticis, atque „ ſup-

(*a*) Pen San Kan Mou Li Tchi Sin.

„ ſuppurantibus, tanquam cane pejus & angue fugienda. In hæmorra-
„ giis parce, nec niſi prius cognita cauſa; in affectibus ſtrumoſis, ſcor-
„ buticis atque venereis, incaſſum, etſi innoxie, tentabitur. At lan-
„ guidis aut caducis vires addet aut recreabit, diuturnis animi mærori-
„ bus, & febribus hecticis maceratis & exhauſtis opem feret jucundam,
„ tutamque, prudenter adhibendo, a ℈j. ad ʒß. aqua calida, horæ ſpa-
„ tio, infuſam; vel in pulvere, vel in extracto, vel, ſi mavis, aliis re-
„ mediis admixtam, a gr. x. ad lx. & certis in caſibus ultra, prout ne-
„ ceſſitas requirit.

Commendatur a Medicis Batavis in convulſione, lipothymia, ſyncope, & vertiginibus ab inanitione, in virium imbecillitate, & ad memoriam confortandam. Doſis a ʒj. ad ʒij. in infuſione; in ſubſtantia vero, a ℈j. ad ℈ij. Cavendum autem eſt a nimio ejus uſu, ſanguinem enim accendit; quare junioribus & calidæ conſtitutionis hominibus interdicitur.

Qui plura cupierit, conſulat opuſculum R. P. Lafiteau, & Quæſtionem Medicam D. Jac. Franc. Vandermonde, D. M. Pariſ. qui ipſe apud Sinas vixit, die 9. menſis Februarii an. 1736. in Scholis Medicorum Pariſienſium diſcuſſam, unde plurima excerpſimus.

ARTICULUS VIGESIMUS-NONUS.

De Pyrethro.

DUplex radix ſub Pyrethri nomine in Officinis reperitur; una digitum longa & craſſa, foris ex ſubrufo colore nigricans, intus alba, fibris nonnullis donata, ſapore acerrimo & urente, ſine odore; quæ exſiccata nobis ex Tunnetenſi regno affertur. Altera quæ tenuior eſt, & minus acris.

Prima radix eſt plantæ quæ Chamæmelum ſpecioſo flore, radice longa fervida, *D. Shavv. Catal. n.* 138. *p.* 39. Pyrethrum vulgo & veteribus Arabibus, *Guntuſſ. Ejuſd.* Buphthalmum Creticum, Cotulæ facie, flore luteo & albo, *Breyn. Cent.* 1. *p.* 150. *T.* 75. Buphthalmum caulibus ſimpliciſſimis, unifloris, foliis pinnato multifidis, *Lin. H. Cl. p.* 414. vulgo, *Pyretre, ou Racine ſalivaire.*

„ Hæc planta Chamæmelo perſimilis, albam poſſidet radicem, denſis
„ fibris ſe in terram figentibus, tenuibus, & aliquantulum tortuoſis;
„ initio nullius manifeſti ſaporis, ſed diutius in ore dentibus preſſa ſatis
„ acrem, ferme ut Pyrethri, linguæ relinquens. Ex illa denſa in or-
„ bem circa terram folia erumpunt, leniter hirſuta, magnitudine, divi-
„ ſura, & forma Pyrethri Bellidis flore, C. B. plane reſpondentia. Inter
„ quæ caulis pene cubitalis, nonnunquam dumtaxat pedalis, rotundus,
„ mollis, cum tempore durior, coloris viridis, vel ex viridi albicantis
„ propter hirſutiem, ſurgit; foliis minoribus, Chamæmeli magis conve-
„ nientibus, ſed craſſioribus, in lobulos latiores diviſis: ex quorum ſinu
„ alæ, ut plurimum, longitudine caulem ſuperantes, in tali abundan-
„ tia, præſertim ſtatim circa radicem, prodeunt, ut denſa & orbicula-

„ ta

„ ta plantæ effigies ſubinde videatur, ob alarum multitudinem oblique „ & reſupine ſe propagantium. Flores, quibus ſubeſt ſquammoſum capitulum, ſquammulis viridibus, lanuginoſis, triplici ſerie contextum, „ Buphthalmi Alpini floribus non parum aſſimilantur; niſi quod illorum „ petala, tredecim plerumque numero, majorem in medio pauliſper „ quaſi exſculptum ſive concavum, ex plurimis flavis tubulis condenſatum orbem circumambientia, breviora, latiora, lineis ſeu plicis ſtriata, & dilutiore flavedine ſint imbuta, in primis cum ad ſenium vergunt, & parte inferiore, ubi pene tantum ſulphurea conſpiciuntur. „ Primus horum florum in medio plantæ ſupra caulem menſe Junio exit, „ deinde alii in alarum majorum cacuminibus, & tandem reliqui in ramulis lateralibus, veluti ſuccedanei ita ſe excipiunt, ut hæc planta „ totam non modo calidam Æſtatem, atque Autumnum fertilem, floribus condecoret; ſed triſte ſenium etiam ſubinde anni genialiter coronet, „ meſſemque ſemper uberrimam late compreſſorum ſeminum ſature purpureorum, inter ſquammulas tenues, membranaceas, & latas, ejuſdem „ plane coloris nitentes, firmiter & ſolide jacentium, proferens: quæ „ tandem ſicuti etiam ſquammulæ ipſæ, regiæ ſuæ ſplendorem purpuræ „ cum illepido colore ſpadiceo triſti commutant; & in generis ſui conſervationem apud nos quotannis ſunt ferenda. *Breyn.* Flos variat ſemifloſculis radii, albis ſuperne, ſubtus purpureis.

„ Hujus radicis magna quantitas, inquit Shavvius, Conſtantinopolim „ & Cairum tranſmittitur; & Saccharo condita, in doloribus pectoris & „ dentium comeditur. Floris radius amplus eſt, ſubtus purpureus; diſcus „ magnus, luteus, ad ſeminum maturitatem protuberans, ſquammis rigidis ſtipatus.

Altera radix eſt plantæ, quæ dicitur Leucanthemum Canarienſe, foliis Chryſanthæmi, Pyrethri ſapore, *Inſt. R. H.* 493. Chryſanthæmum fruticoſum, foliis linearibus, dentato trifidis, *Lin. H. Cl.* 417. Chamæmelum Canarienſe ceratophyllum fruticoſius, glauco folio craſſiore, ſapore fervido, Magala ab incolis nominatum, *Mor. Hiſt. Oxon. part. 3. p.* 35. Radice eſt alba, lignoſa vulgari minus craſſa, minus carnoſa, „ nec tantum fervorem poſſidente. Stipites emittit lignoſos, pollicem „ craſſos; cortice albo tectos, cubitales & altiores, in varios ramuſculos diſtributos, foliis Chamæmeli inordinatim veſtitos, aſt in latiores, „ craſſiores, carnoſiores, rigidiores, & obtuſiores lacinias, magiſque cornu „ Cervi in modum extenſas, ex cœruleo, viridi, glaucove colore tinctas, diviſis. Poſtremis ramulis cauliculi eriguntur nudi, in quorum „ faſtigiis flores e capitulis rotundis, ſquammoſis, duris, proſilientes, „ eos Chamæmeli æmulantes, petalis albis umbonem luteum cingentibus, „ radiati, conflati ſunt. *Mor.* Semina omnia plana, margine in utroque latere acuto. *Lin.*

Pyrethrum, ob acredinem ſuam vehementem & ductus ſalivales aperientem, ſalivam copioſe educit; hinc in odontalgia ab obſtructionibus & catharris ſpecificum eſt. Ob eamdem acredinem nervos vellicantem, eorumque obſtructiones ſolventem, in morbis ſoporoſis & linguæ paralyſi efficaciſſimum eſt, ore detentum & maſticatum.

♃. Rad. Pyrethri q. v. Maceretur per noctem in Aceto, & mane maſticetur.

℞. Rad. Pyrethri, Zingiber. ana ʒj. Piper. nigri ʒß. Pulverizata indantur nodulo, qui dentibus conteratur; vel cum cera ſubigantur, in morſellos Nucis Avellanæ magnitudine, dentibus conterendos.

Raro ad uſum internum præſcribitur, niſi in enematibus, in affectibus ſoporoſis.

℞. Rad. Pyrethr. ℥j. Coque in decocti communis clyſteris ℔j. Colaturæ adde ſalis gemmæ ℥ß. Fiat enema in apoplexia & ſoporoſis affectibus.

Uſurpatur in Philonio Romano, & in Pulvere ſternutatorio, *Charas*.

ARTICULUS TRIGESIMUS

De Rhabarbaro, & Rhapontico.

BOtanici nonnulli Rhabarbarum noſtrum cum Rhapontico veterum Græcorum confundunt. Revera tamen radices & plantæ diverſæ ſunt. Ex Dioſcoridis enim verbis manifeſtum eſt Rha ſeu Rheum diverſum eſſe a Rhabarbaro, quo nunc utimur: noſtrum enim odorum eſt, nec injucundum, neque in ore mucilaginoſum deprehenditur, naſciturque apud Sinas. Dioſcoridis autem deſcriptio convenit cum Rhapontico Proſp. Alpini, quod vulgo colitur in hortis Europæ, naſciturque in Thracia & multis Scythiæ locis.

Itaque Rhabarbarum officinarum; Rhabarbarum verum, ſeu Sinenſe, radix eſt, quæ nobis affertur in fruſta, vel tubera craſſiora, inæqualia, uncias quatuor, quinque, vel ſex longa, tres vel quatuor craſſa, leviter ponderoſa, foris lutea vel ſubfuſca, intus ex croceo & flavo variegata ad Nucis Myriſticæ ſimilitudinem, nonnihil fungoſa, ſapore ſubacri, amaricante, & nonnihil adſtringente, odore aromatico; ſed nonnihil gravi. Apud Sinas naſcitur.

Eligendum eſt recens, non carioſum, non putridum aut nigrum, quod aquam croceo colore tingat, nihilque lentoris aut glutinoſi linguæ offerat.

Cujuſnam generis plantæ ſpecies ſit Rhabarbarum Sinenſe, ſeu Rhabarbarum verum, ſive Rheum, *Off.* non ita facile eſt decernere. Nullam enim hactenus illius accuratam hiſtoriam, nec genuinam iconem ab ullo Botanico autopta datam fuiſſe, comperimus. Muntingius quidem, in ſua Herbæ Britannicæ hiſtoria, Rhabarbari deſcriptionem & iconem ex Matthiolo deſumptam, nomine *Rhabarbari lanuginoſi, ſive Lapathi Chinenſis longifolii*, edidit; ſed nec ipſe plantam viderat, nec Matthiolus a quo deſcriptionem & iconem mutuatus erat. Quam enim hic illius hiſtoriam edidit, ea nulli plantæ hactenus notæ convenit; neque cum iis quæ de Rheo comperta ſunt, concordat. Unde veriſimillimum apparet, illum ex relatis ſibi a mercatoribus & ſeplaſiariis, qui hanc radicem ex Sinenſi regno aſportabant, plantæ deſcriptionem & iconem effinxiſſe.

Dolendum ſane eſt neminem hactenus ex tanto Europæorum numero, qui Chinam quotannis appellunt, repertum fuiſſe, qui utilitati publicæ conſulens, tam quotidiani uſus in Medicina, tantique proventus plantam perfectius cogno-

cognoſcere, & quæ ipſe certa comperiſſet, conterraneis ſuis communicare tentarit. Interim ſi quis in re adeo intricata conjecturæ locus ſit, donec alius certiora & exploratoria edoctus, ea in medium protulerit; quæ probabiliora mihi viſa ſunt, aperiam.

„ Rhabarbarum in univerſa Sina naſci refert R. P. Michael Boym e „ Soc. Jeſu, ibique vocari Tayhuam, quod ſignificat ſumme flavum; „ in Provinciis tamen, *Su-Civen*, *Xenſy*, atque *Socieu*, civitate ad „ muros Sinarum proxima uberius provenire: terram in qua gignitur, „ rubram eſſe, & lutoſam, ob fontes & pluvias: Sinenſes hanc radi„ cem effoſſam in fruſta dividere, quæ primo in oblongis reponunt men„ ſis, & qualibet die tribus aut quatuor vicibus revolvunt, ut per hanc „ induſtriam ſuccus incorporetur fruſtis, & conſtipatus maneat. Expe„ rientia enim docuit, ſi quis ſtatim illa fruſta ad ſiccandum appende„ ret, unctuoſum, quo ſcatet radix, humorem mox evaporari, radi„ cem leviſſimam remanere, adeoque omnem virtutem deperdere: tum „ vero quatuor dierum ſpatio, concreto humore, tranſactis per fruſta „ illa funiculis, appenſa vento exponere, loco tamen umbroſo, ne ra„ diis ſolaribus contingantur: effodiendo Rhabarbaro tempus hybernum „ eſſe optimum, antequam viridia folia incipiant pullulare; quod ſcili„ cet eo tempore ſuccus & virtus unita ſit & collecta. Quod ſi vero Æ„ ſtate effodiatur, aut illo tempore, quo viridia folia producit, uti nec„ dum hoc tempore maturuit, flavoque illo ſucco & rubris venis caret, „ poroſaque ac leviſſima eſt; ita ad perfectionem Rhabarbari Hyeme „ effoſſi minime pertingere. *Flora Sinenſis Viennæ Auſtriæ edita anno 1656.*

Rhabarbarum olim ex China per Tartariam Ormuz & Alepum deferebatur, inde Alexandriam, & tandem Venetias.

Luſitanii ex urbe Canton, Sinæ portu ac emporio, navibus in Indiam advehebant. Per Tartariam quoque Alexandriam Ægypti aſportabatur: nunc vero ex India Orientali & Moſcovia nobis adfertur. Creſcit copioſe in ea Chinæ partæ, quæ Tartariæ vicina eſt, & forte etiam in ipſamet Tartaria; an vero in Moſcovia quoque naſcatur, hactenus compertum non eſt. Veriſimillimum eſt Moſcovitas illud e Tartaria vel e China ad nos tranſvehere.

Miſſa eſt nuper ex Ruſſia, ad DD. de Juſſieu, in Horto Regio Pariſienſi Botanicæ Profeſſores digniſſimos, planta, *Rhabarbarum folio oblongo*, *criſpo*, *undulato*, *flabellis ſparſis*, nuncupata; quæ eadem pro vero Rhabarbaro Sinenſis ex eadem regione miſſa quoque fuerat D. Rand Horti Chelſeani in Anglia Præfecto, ſub nomine *Lapathi Bardanæ folio undulato*, *glabro*, quam veram Rhabarbari ſpeciem eſſe ex illius fructificatione dubitare non licet. Illam autem eſſe quoque legitimum Rhabarbarum Sinenſe, præterquamquod ut talis miſſa eſt, dubitare vetant convenientia ſeminum hujuſce plantæ cum veri Rhabarbari ſeminibus e Sina miſſis a D. Vandermonde Doctore Medico Pariſienſi, radicum forma, facies eadem, idem color, odor, & ſapor. Colitur hodienum in Horto Regio Pariſienſi, ubi læte viret, flores & hyemes perfert etiam frigidiſſimas.

Radice eſt longæva, craſſa, ferme rotunda, in terram cubitum circiter &

ultra recta deſcendente, in plures ſurculos craſſiores, & hi in alios minores, diviſa, colore foris obſcuro-rufeſcente. Cortici exteriori leviter in areolas diſciſſo pulpa ſubeſt, ſeu ſubſtantia radicis, punctis e luteo-croceis veluti in Nuce Myriſtica diſtincta, cujus centrum colore eſt vividiori croceo, odore ad Rhabarbarum Sinenſe, in primis circa radicis collum maxime accedente. Recens dentibus trita, linguam & palatum ſapore viſcoſo cum quadam amaritie tandem leviter adſtringente, & gummoſo afficit.

Ex ſumma radice in orbem naſcuntur folia plura, in terram alia ſuper alia ſeſe diffundentia, ampliſſima, integerrima, viridia, aliquatenus cordato-ſagittata, baſi auriculata, longis & carnoſis inſidentia petiolis, compreſſis, inferius convexis, ſuperius planis, qui ad foliorum baſim in quinque coſtas dividuntur, carnoſas quoque, inferne protuberantes, fere quadrilateras, media juxta longitudinem, lateralibus oblique decurrentibus, & in alias quamplures ad marginem uſque profunde undulatum ſeſe devaricantibus, apice obtuſo & leviſſime emarginato. In medio foliorum exſurgit caulis angularis compreſſus, ſtriatus, cubitum circiter altus, paulo ſupra medium ornatus ſpathis quibuſdam vagis, partialibus, ipſi circuminſidentibus, inæqualiter diſtantibus ad ſummum uſque apicem.

Flores ex ſpathis veluti ex involucro egreſſi, in racemos expanduntur exiguos, ſinguli proprio pedunculo tenui & brevi, coloris candidi, Rhabarbari noſtratis floribus prorſus ſimiles, at medio minores. Corolla monopetala eſt abſque perianthio, baſi anguſtata, impervia, campaniformis, limbo ſexfida, laciniis obtuſis, alternis minoribus; cui inſeruntur filamenta novem capillaria, ejuſdem longitudinis, antheras didymas, oblongas, obtuſas, ſuſtinentia. Germine donatur brevi, triquetro, ſtylis vix ullis, ſtigmatis tribus, reflexis, plumoſis; pericarpio nullo; ſemine unico, triquetro, acuto, marginibus membranis auctis.

Ineunte Vere, germinat, Junio floret, Julio & Auguſto ſemina matureſcunt in his regionibus.)

Rhabarbarum multo ſulphure donatur, & ſale fixo, cum exigua quantitate ſalis acidi & magna terræ copia conjunctis. Ex his principiis inter ſe commixtis compoſitum exſurgit gummoſum, ex quo gummi & terra facile ſeparantur, nec parva copia; ſiquidem ex Rhabarbari ℥ij. aquæ communis ope extracti gummoſi ℥j. cum granis xij. elicitur. Perparum vero reſinæ in hac radice deprehenditur, & quidem multo ſale alcali dilutæ; ita ut ope ſpiritus vini, ex Rhabarbari ℥ij. vix ʒiij. extracti ſalino reſinoſi obtineantur. Hocce extractum, ob ſalis copiam, aqua communi facile diſſolvitur; & eamdem ob cauſam Rhabarbari tinctura per ſpiritum vini facta, in aquam injecta non lacteſcit, ut cœteræ tincturæ reſinoſæ.

Duplex in Rhabarbaro facultas ab omnibus Medicis agnoſcitur, humores potiſſimum bilioſos evacuandi, & partes, ventriculum nempe, & inteſtina, blanda adſtrictione roborandi. Velut eximium cholagogum habetur: hepatis obſtructiones reſolvit; unde a nonnullis anima, vita, & Theriaca hepatis vocatur. In ictero, in diarrhæis, & in gonorrhæis,

aut

aut albis uteri profluviis utiliter exhibetur. Vi quoque vermes necandi pollet. Modo ut cholagogum, modo ut alterans uſurpatur: ſed quocumque modo ſumatur, medicamentum eſt præſtantiſſimum, quod infantibus, adultis, ſenibus, puerperis, prægnantibuſque tuto præſcribi poſſe aſſerunt.

Verumtamen Rhabarbarum, licet tot encomiis prædicatum, non prorſus innocuum exiſtimandum eſt. Alvum enim exſiccatum relinquit, renes, veſicam, & cerebrum petit. Minus ergo convenit hocce medicamentum ubi præfervida ſunt viſcera, ubi ardentior factus eſt ſanguis, & febrilis calor inæſtuat. Icterum juvat, qui pendet a bile ſpiſſa & lenta, quæ poris biliariis inhæret, & a ſanguine ſeparari nequit: ſi vero a bile oriatur nimis evecta, volatili, & æſtuante, quæ per totum corporis habitum diffundatur, tunc minus prodeſſe compertum eſt. Fallopius Rhabarbaro exprobrat quod renum & veſicæ affectibus noceat; his enim in partibus ardorem accendit. Simon Paulli diuturniorem & frequentiorem Rhabarbari uſum vertiginem induxiſſe obſervat. Unde concludendum eſt, Rhabarbarum etiam cautione indigere.

Præſcribitur ſubſtantia maſticata & deglutita ante paſtum, ad ciborum concoctionem juvandam, ad ventriculi & inteſtinorum tonum roborandum, in obſtructionibus hepatis, lienis, & meſenterii: vel infuſum Rhabarbari in cachexiis infantium, & ad vermes necandos, verminoſamque ſaburram ſubducendam. In ſubſtantia exhibetur a ℈ß. ad ʒj. & in infuſione ad ʒij. Quidam hujuſce medicamenti vim purgatricem minuere, adſtringentem vero intendere aut augere contendunt, Rhabarbarum leviter torrefaciendo; ſed inutilis eſt hæc correctio ſeu præparatio: non enim deſunt adſtringentia medicamenta, quæ cum Rhabarbaro conſociari poſſunt, vel præmiſſa purgatione ex Rhabarbaro petita, exhiberi.

Extractum Rhabarbari parari ſolet in officinis hac ratione.

℞. Rhei contuſi & tenuiter inciſi ℔ j. Huic affunde aquæ Cichorii ℔ iv. Macerentur ſecundum artem blando ignis calore, per horas duodecim. Infuſio coletur per linteum. Maſſæ ſuperſtiti affunde ſpur. vini ℔. j. Macerentur denuo per ſex horas. Tinctura per inclinationem ſeparetur, & cum præcedenti infuſione miſceatur. Evaporetur humiditas ad extracti conſiſtentiam, cujus doſis a ℈ß. ad ʒj. ſub forma boli, vel pilularum.

Obſervandum eſt autem Rhabarbari ſubſtantiam longe valentius alvum ciere quam infuſum, decoctum, vel etiam ipſum extractum, licet duplicato pondere exhibitum.

℞. Rhei electi, Tartar. ſolubil. ana ʒj. Infunde per noctem in aq. Cichor. ℥vj. In infuſione diſſolve Mannæ Galabr. ℥jß. Fiat colatura; & exhibeatur ad bilem ſtimulandam & ſubducendam. Vel

℞. Medull. Caſſ. recens ſiliquis extractæ ʒvj. Rhei pulver. & Tartari Vitriolati ana ʒß. M. F. bolus. Vel

℞. Rhei pulver. ℈j. Pulver. Jalap. ℈ß. Aquilæ albæ gr. x. El. lenitivi ʒij. Cum Syr. de Cichor. comp. cum Rheo q. ſ. M. F. bolus purgans. Vel

℞. Rhei pulver. ℈j. Pulver. Jalap. ℈ß. Pulver. Ipecacuanhæ gran. x. Cum Syr. de Cichor. com. qu. ſ. M. F. bolus purgans in dyſenteria.

℞. Rhabarbari contuſi & tenuiter diſſecti ℨj. Infund. in aq. font. ℔ ij. Infunde ſeorſim in vini generoſi ℥vj. Limaturæ ferri ℥j. Macerentur per ſex horas. Infuſiones ambæ percolatæ miſceantur; & quatuor aut quinque cyathos hujuſce liquoris ſumat ægrotans de die longe a paſtu, ad hepatis, & lienis obſtructiones reſolvendas, alboſque mulierum fluores ſanandos, præmiſſis præmittendis.

℞. Rhei pulverati ℨiij. Panaceæ Mercurialis ℨj. Balſam. Copaivæ ℥jß. M. Fiat Electuar. cujus doſis ℨj. quotidie mane & ſero, ad gonorrhæam curandam. Purgetur æger tertio, vel quarto quoque die; cum pilulis Mercurialibus.

Uſurpatur Rhabarbarum in Pulvere contra vermes, *Charas*; in Confectione Hamech; Electuar. catholico, Diapruno, de Pſyllio; Extracto panchymagogo, *Crolii*; Extracto catholico, *Sennerti*; Extracto benedicto, *Schroderi*; Pilulis de Rhabarbaro, ſine quibus; Polychreſtis, Mercurialibus, *Charas*; Pilulis panchymagogis *Quercetani*; Syr. de Cichor. compoſito; Syrupo roborante; Syr. hydragogo; Syrupo aperiente, cachectico, *Charas*; Trochiſcis de Rhabarbaro, *Renodæi*.

Rhaponticum *Off.* Ρῆ & Ῥῆον, *Dioſcoridis*, radix eſt oblonga, craſſa, ramoſa, foris fuſca, intus crocea, tranſverſim ſecta, ſtrias oſtendens radiatim diſpoſitas, a centro ad circumferentiam ductas; laxa, rara, odore non ingrato, ſapore amaricante, ſubaſtringente & ſubacri, lenta & glutinoſa, ſi paululum in ore detineatur.

Hanc radicem a Rhabarbaro officinarum diſcrepare jam diximus; quod quidem evidenter patet ex ipſa Rhapontici deſcriptione ex Dioſcoride deprompta. Rha, quod aliqui Rheum vocant, inquit Dioſcorides, provenit in iis, qua ſupra Boſphorum ſunt, regionibus, ex quibus affertur. Radix nigra, Centaurio magno ſimilis, ſed minor & rufior, fungoſa, aliquantum lævis, ſine odore. Optimum habetur, quod teredines non ſenſit, ſi guſtatu cum remiſſa adſtrictione lenteſcat, manducatumque colorem reddat pallidum, aut ad Crocum inclinantem.

At vero hæc deſcriptio Rhapontico P. Alpini ſeu officinarum, apprime convenit. Proſper Alpinus, Moriſſonus, & alii Rhaponticum inter Lapathi ſpecies collocant, ſed perperam: a D. Tournefort ad genus peculiare reducitur, diciturque Rhabarbarum forte Dioſcoridis & antiquorum, *I. R. H.* Raponcum, *P. Alpini exotic.*

Ex ampla, craſſa, & brachiata radice folia promit amplitudinis foliorum Lappæ, ſed rotundiora, Plantaginis modo nervis craſſioribus donata. Ex mediis foliis caulis aſſurgit cubito altior, pollice craſſior, cavus, ſtriatus, ad cujus nodos folia naſcuntur alterna, dodrantalia, e rotundo acuminata. Flores denſi in paniculam ampliſſimam diſponuntur, monopetali, campanulati, candidi, in quinque vel ſex partes obtuſas plerumque diviſi; e quorum centro ſtamina prodeunt brevia, piſtillum trigonum ambientia, quod abit in ſemen ejuſdem formæ, duas lineas longum, ſingulis angulis in alam foliaceam eleganter tenuatis.

Na-

Naſcitur non ſolum in Rhodope monte Thraciæ, ſed etiam in Scythiæ locis. Vulgo in hortis Europæ colitur.

Radix Rhapontici moderate purgat, pulverata ad ʒij. vel ℥ß. infuſa vel decocta ab ℥ß. ad ℥vj. Sed potentius adſtringit quam Rhabarbarum verum: unde in diarrhæa & dyſenteria non ſpernendum remedium.

Rhaponticum uſurpatur in Pulvere Diarrhodon Abatis, Pulvere Diatrion ſantalon, in Theriaca *Andromachi ſenioris*.

Præter Rhaponticum uſurpant in officinis; imo ſæpe ſubſtituunt Rhabarbaro vero, radices ex Alpibus, Pyrenæis, & montibus Arverniæ delatas, quæ pro Rhapontico veneunt, aut quæ in hortis coluntur. Radices ſunt plantarum; quæ dicuntur Lapathum folio rotundo Alpinum, *I. B.* Lapathum hortenſe rotundifolium, ſive montanum, *C. B. P.* Hippolapathum rotundifolium & Pſeodo-Rha recentiorum, *Lobel. icon.* vel Lapathum hortenſe latifolium, *C. B. P.* Lapathum majus, ſive Rhabarbarum monachorum, *I. B.* Hippolapathum, ſive Rhabarbarum monachorum, *Dodon.* vel etiam Centaurium majus folio Helenii incano, *I. R. H.* Rhaponticum folio Helenii incano, *C. B. P.*

ARTICULUS TRIGESIMUS-PRIMUS.

De Sarſa-parilla.

SArſa-parilla & Salſa-parilla, *Off.* Radices ſub hoc nomine, vel potius radicum flagella proſtant in Officinis longiſſima plurimarum ulnarum, Junci majoris, vel plumæ anſerinæ craſſitie, lenta, flexibilia, ſtriis per longum decurrentibus, cortice tenui, colore exterius rufeſcente vel cinereo; cui candida ſubſtantia farinacea ſubeſt, craſſiuſcula, mollis, & digitorum attritu in pulviſculum ſolubilis, Agaricum fere referens, ſapore tantillum glutinoſo, ſubamaricante, non ingrato tamen: meditullium vero lignoſum, nitidum, lentum, fractuque contumax. Pendent porro hæc flagella quamplurima ex uno capite, vel radice tranſverſa, pollicari craſſitudine, ſquammata. Affertur ex Hiſpania nova, Peruvia, & Braſilia.

Probatur quæ plenis medulloſiſque eſt flagellis, ſolida, habitior, intus candida, plumæ anſerinæ craſſitie; quæque facilius in æquas, tota ſui longitudine, viminis inſtar, partes divellitur. Rejicienda eſt e cinereo nigricans, quæ carioſa multum pulveris farinacei, dum finditur, emittit, craſſiorque qualis ex Maranhaon Braſiliæ regione affertur.

Diverſæ ſunt plantæ Smilaci aſperæ ſimiles vel congeneres, quarum radices ſub Sarſæ-parillæ nomine ex America afferuntur. Quatuor ſpecies recenſet Hernandez, quæ in Mexicano regno & nova Hiſpania creſcunt: ſcilicet, *Mecapatli* ſeu Zarza-parilla prima, *Hernandez*, quæ Smilaci aſperæ prorſus ſimilis eſt; *Quauhmctatl* ſeu Zarza-parilla ſecunda & tertia, *Ejuſd.* quæ folia Ocymi acuminata & nonnullis ſecta crenis proferunt; *Quauhmecapatli* altera ſeu Zarza quarta, *Ejuſdem*, quæ foliis magnis, cordis figura donatur. Hujuſce radices in noſtrum orbem ſuo tempore deferri ſolebant.

Mo-

Monardes cujuſdam Sarſæ-parillæ in Quito Peruvianæ ditionis provincia naſcentis meminit.

Tandem Piſo & Marcgravius Braſilienſem Sarſam-parillam deſcribunt; quæ *Suapecanga* Braſilenſibus dicitur.

Ex radice tranſverſa, ſquammata, longiſſime fibrata, caules tomentoſos emittit, lignoſos, lentos, virides, aculeis hinc inde munitos, in quibus alternatim oriuntur folia ſex vel octo uncias longa, utrinque acuminata, ut fert figura Piſonis, vel cordis effigie, ut ait Hernandez & Monardes; tres aut quatuor uncias lata, cum tribus nervis inſignibus per longitudinem productis, exterius diluta, ſubtus ſaturate virentia, & ad pediculos duobus claviculis donata, quibus aliis plantis firmiter adhærent. Flores fert racematim diſpoſitos, quibus ſuccedunt baccæ primum virides, deinde rubræ, poſtremo nigræ, magnitudine mediocrium Ceraſorum, rugoſæ, unum aut alterum oſſiculum continentes ex albo flavum, in quo nucleus eſt durus & albicans.

Analyſi Chymica, ex Sarſæ-parillæ ℔iiijß. per retortam diſtillatis extractæ fuerint phlegmatis inſipidi ℥ij. phlegmatis ſubacidi ℥viij. ſpiritus acidi ℥xv. ſpiritus ſale tum acido tum urinoſo fœti ℥xiiij. olei craſſioris aquæ fundum petentia ℥vj. in retorta vero caput mortuum repertum eſt ad ℥xxiij. Hujus autem rite calcinati pondus erat ℥v. cum ʒvijß. ex quo ſalis fixi ad ſalem marinum accedentis ℥j. & ʒij. cum gr. xxvj. per lixivium elicitæ ſunt. Unde patet hujus radicis effectus pendere a ſale eſſentiali acido, oleo ſpiſſo & multa terra implicito.

Sarſa-parilla veteribus Græcis ignota fuit ſicut & Arabibus. Hujus radicis uſum Hiſpani primum ex Peruviano regno in Europam invexere.

Sudorifera eſt, humoreſque lentos ac tenaces dividit & attenuat. Specificum habetur remedium ad luem veneream, arthritidem, catarrhoſos affectus, paralyſim, morboſque chronicos, & inveteratos, qui e craſſis lentiſque humoribus ortum habent, & tumores præter naturam contumaces diſcutiendos, quin etiam ad quaſcumque cutis affectiones, lichenas, & ulcera.

Ea autem erat hujuſce remedii, ad luem veneream curandam, exhibendi ratio.

Sarſæ-parillæ unciæ quatuor in libris quindecim aquæ per horas viginti-quatuor maceratæ, decoquebantur ad medias. Decoctum linteolo mundo percolatum ad potandum reſervabatur. Hujus decocti prius calefacti ℥viij. quotidie ægris prius rite præparatis mane & veſperi quatuor ante cibum horis propinandæ exhibebantur; & per duas horas in lecto ſtragulis contecti ſudabant. Quidam ſubtiliſſimum Sarſæ pulverem cum ſingulis prædictæ decoctionis cyathis permiſcebant. Hoc remedium in tertium, & quandoque, ubi contumax erat morbus, in quartum uſque diem continuabatur. Decimo quoque die purgabantur ægrotantes. Victus ratio tenuis admodum inſtituebatur, nempe ex pane bis cocto & uvis paſſis.

Hac methodo Hiſpani, & populi meridionalibus in Americæ regionibus degentes, luem veneream curare ſolebant. Verum noſtris in regionibus, frigidioribus nempe, curationes luis venereæ per Sarſam-parillam inſtitutæ minus bene ſucceſſerunt. Cujus rei in cauſa eſt primo ægrorum noſtrorum

cutis

cutis denſa, & ad ſudorem emittendum minus apta, deinde quod victu non uſque adeo accurato & tenui victitent, quem hæc fœda lues, ipſaque Sarſa parilla requirunt. Nam ſi Nicolao Monardi credendum ſit, Indi lue infeſtatos tenuiſſima diœta emaciare, ac fame veluti enecare ſolebant, omnem potum cibumque eis interdicentes; & per integrum triduum, præter lentorem calidum expreſſæ Sarſæ-parillæ, nihil edendum bibendumve exhibebant.

Sarſa-parilla magis tenuium eſſe partium exiſtimatur quam China, vel Guaiacum; & ea de cauſa copioſiorem excitare ſudorem. Exhibetur a ʒß. ad ʒij. in ſubſtantia; ad ℥ß. in decocto. Monardes ab ea abſtinendum eſſe in febribus & morbis acutis animadvertit. Uſurpatur potiſſimum in ptiſanis ſudoriferis & exſiccantibus.

℞. Rad. Sarſæ-parill. minutim conciſæ ℥iij. Ligni ſancti ℥ij. Coquantur in aq. fontis ℔x. ad mediæ partis conſumptionem. Fiat ptiſana per cyathos exhibenda.

℞. Sarſæ-parillæ ℥ij. In exenteratum pulli gallinacei junioris corpus immittantur, & coquantur in aq. communis ℔vj. ad iv. pro 4. juſculis alterantibus, quarta quaque hora exhibendis in rheumatiſmo.

℞. Sarſæ-parillæ ℥vj. Rad. Chinæ ℥ij. Putamin. Nucum Juglandium cum Nihilis N. 40. Bulliant in aq. commun. ℔xij. & ad ℔viij. redigantur. Quatuor vel quinque cyathos in die ſumat æger horis medicatis, pro rheumatiſmo, catarrhoſis affectibus, & paralyſi.

℞. Radicum Sarſæ & Chinæ ana ℥ij. Corticis & ligni Guaiaci ℥j. Saſſafras ℥ß. Hydrargyri nodulo incluſi ℔ß. Coque in aq. communis ℔vj. ad iiij. Fiat apozema contra luem veneream, catarrhos, paralyſim.

℞. Radic. ſarſæ-parillæ, ſummitatum Centaurii minoris, rad. Ariſtoloch. rotundæ ana ℥jß. Folior. Chamædryos & Chamæpithyos, ſeminis Hyperici ana ℥ij. Rad. Angelicæ ℥ß. Cinnamom. ʒß. Croci ℈j. Caryophyllor. ℈ß. Omnia pulverata miſceantur cum mellis Narbonenſis q. ſ. Doſis ʒjß. quotidie mane jejuno ventriculo per annum integrum, in arthritide & rheumatiſmo a cauſa frigida.

(Variæ nobis afferuntur radices ſub nomine Sarſæ-parillæ, quæ quidem faciliime a legitima diſtingui poſſunt. Talis eſt illius plantæ radix, quæ Aralia caule nudo, *Lin. H. Cl.* 113. & *Gron. Flor. Virg.* 34. nuncupatur Aralia caule aphyllo, radice repente, D. Sarraſin. *Vaill. Serm. de ſtruct. ſtor.* 43. Aralia Canadenſis, aphyllo caule, *Boerh. Ind. alt.* 63. Zarſa-parilla Virginienſis noſtratibus dicta, lobatis umbelliferæ foliis, Americana *Plukn. Alm.* 396. Chriſtophoriana Virginiana, Zarſæ radicibus ſurculoſis & fungoſis; Sarſa-parilla noſtratibus dicta, *Plukn. Alm.* 98. *T.* 238. *F.* 5.

Radice eſt repente, 5. vel 6. pedes longa, medullari, craſſa, odorata, ſed minus ſolida quam genuina: ex qua ſurgit caulis cubitum circiter altus, atrorubens, villoſus, qui in tres ramos diſpeſcitur, 5. vel 6. uncias longos. Singuli rami quinque folia gerunt oblonga, tres uncias longa, duas lata, margine dentato. Ex caulis divaricatione exſurgit ſcapus nudus, in tres pedunculos divaricatus, corymbum gerentes florum, ſingulorum

rum ſingulis pedunculis propriis tenuiſſimis, ſemiunciam longis, inſidentium; involucro minimo ſuffultum. Perianthium floris quinquedentatum eſt, minimum, germini inſidens; corolla pentapetala, in orbem diſpoſita; germen florem ſuſtinens fit bacca rubra, umbilicata, compreſſa, tetragona vel pentagona, in totidem loculamenta diviſa, ſingula ſingulum ſemen compreſſum & ſtriatum continentia.

Hæc planta creſcit in Virginia, & in Canada, intra 40. 45. & 47. gradus.

Hanc radicem Canadenſes & Virginienſes *Salſe pareille* appellant; quod genuinæ figuram & virtutes fere poſſideat. Legitur in Serm. D. Vaillant de ſtr. flor. l. c. D. Sarraſin in ſupremo Canadenſi Conſilio quondam Conſiliarium, Medicum Regium peritiſſimum, curaſſe vomica laborantem ægrum, qui uſu liquoris potulenti, ex hujus plantæ radicibus confecti, ante biennium ab hydrope anaſarca ſanatus fuerat.

ARTICULUS TRIGESIMUS-SECUNDUS.

De Seneka.

Seneka radix eſt plantæ, quæ, Polygala caule ſimplici, erecto, foliis ovato lanceolatis, alternis, integerrimis, racemo terminatrice erecto, *Gron. Flor. Virg.* 80. nuncupatur: Polygala Virginiana, foliis oblongis, floribus in Thyrſo candidis, radice alexipharmaca, *Miller*: Anglice, *The Rattle-Snakeroot*; Gallice, *Racine contre la morſure du Serpent a ſonnettes*, ou *le Seneka*.

E radice perenni, ſemiſpythamam vel etiam ſpythamam longa, variæ pro ætate craſſitiei, ut plurimum digitum circiter minimum craſſa, varie contorta, in plures ramos divaricata, fibris ſtipata lateralibus, & margine veluti membranaceo, extuberante, ſecundum longitudinem decurrente, foris ſublutea, intus alba, ſapore acri-amaricante, nonnihil aromatico prædita, multos profert caules, alios ſurrectos, alios humi ſparſos, tenues, ſubluteos, ſimpliciſſimos, ramis deſtitutos, teretes, glabros, vix pedales, debiles, foliis veſtitos ovato-lanceolatis, alternis, unicam circiter longis, glabris, integerrimis, lævibus, in petiolos deſinentibus vix manifeſtos, ſuperioribus ſenſim majoribus: ſpica laxa florum Polygalæ vulgaris plane ſimilium, ut minorum, alternorum, ſeſſilium, caules terminat, mediante pedunculo foliis breviore. Dignoſcitur, margine membranaceo, extuberante, ſecundum illius longitudinem decurrente.

D. Tennent (*a*) Medicus Anglus, qui plures annos in Virginia commoratus eſt, virtutem huic radici diaphoreticam, diureticam, alexipharmacam, ſanguinem viſcidum, tenacem ac inflammatorium reſolventem, catharſim, & etiam quandoque vomitum moventem tribuit; eamque ab Indis ſpecificum adverſus ſerpentis caudiſoni venenum haberi, refert. Narrat quoque ſe duos incolas a ſerpente caudiſono vulneratos, poſtero die ab inflicto vulnere vidiſſe, qui iiſdem quibus pleuritici ac peripneumonici ſymptomatis conflictabantur, reſpirandi nempe difficultate, tuſſi, ac ſanguinis coa-

(*a*) Epiſt. Regiæ Scientiar. Academiæ ſcripta, & Eſſay on the pleuriſy.

coagulati ſputo, cum pulſu vehementi, ac frequenti. Pes vulneratur valde tumens erat, & labia vulneris livore conſperſa. Radicis *Seneka* pulverem ſtatim ab inflicto vulnere aſſumpſerant. Nihilo ſecius tamen totum illis corpus intra pauca minuta intumuerat, cum magna virium debilitate, & pulſu fere nullo. Verum ubi primum remedium infundi venis cœperat, vires ſtatim, & pulſum rediiſſe, ac tumorem ſubinde paulatim remiſiſſe, narrabant. Eo quo illos vidit tempore, decoctum hujus radicis ex lacte ter de die aſſumebant, & in eo perſeveraturi erant, uſque dum vulnus omnino ſanaretur; pedi vero adhuc tumenti nihil niſi cataplaſma ex ipſiuſmet radicis cum lacte decoctione imponebant. Erat tunc temporis menſis Julius, quo ſerpentis caudiſoni virus maxime noxium eſt, & quo cœtera hujuſce veneni antidota, hyeme, & cum nondum ſol Syrius urget, alioquin proficua, morbo cedunt, cui debellando ſunt prorſus imparia. Radix vero *Seneka* quovis tempore, modo tempeſtive adhibita, virus conceptum venis depellit, ſanguinem coactum reſolvit, tumorem diſcutit pulſum debilem, ac languidum reſtitui, tandem ægros alioqui intra pauca minuta veneno interimendos reficit, & ſanitati reddit.

Perſpecta hujuſce radicis efficacia, ac virtute ſanguinem coactum, & tenacem reſolvendi, idem D. Tennent eam in aliis morbis ab inſpiſſato ſanguine oriundis proficuam quoque fore intulit: & cum obſervaſſet ſerpentis caudiſoni veneno infectos reſpirandi difficultate, tuſſi, ac ſanguinis ſputo laborare, quaſi pleuritide, aut peripneumonia ægrotarent; & cum aliunde noſſet pleuritidem, ac peripneumoniam ſanguine inſpiſſato foveri, idem remedium in utroque morbo adhibere tentavit; quod ei feliciter ceſſit. Hac autem methodo procedebat.

In plethoricis, & ubi febris aderat, ſanguinem ad ℥x. e brachio dolenti lateri oppoſito mittebat: vel e ſaphena, ſi utrumque latus doleret. Tum ſequentis tincturæ tria cochlearia ægrotanti, ſexta quaque hora, incipiendo ſtatim a venæ ſectione, propinabat; & ſic deinceps, donec remiſſiora fierent ſymptomata.

℞. Rad. Seneka ℥iij. Valerianæ ſylveſt. ℥iß. Conterantur ſimul in mortario; deinde in vini Canar. veteris, & generoſi ℔ij. digere igne arenæ per ſex horas in vaſe idoneo, operto; & decanta ad uſum. Deinde

℞. Balſam. Copaivæ, & ſal. volat. oleoſ. ana gutt. xv. M. & hauriantur in cyatho potus conſueti, ſecunda quaque hora inter ſingulas tincturæ ſuperioris doſes.

Potus conſuetus ſit infuſio tepida rad. Altheæ. Decoctum ſolius radicis ad ℥iij. in aq. font. ℔ij. ad medietatis conſumptionem, quovis Syrupo pectorali e melle confecto edulcoratum, ceſſit quoque feliciter, dum ægro ſanguis miſſus eſt, ubi primum ægrotare cœpit, modo ſtatim ab inſultu morbi hoc decocto uſus fuerit. At cum febris aliquatenus nervoſa ſit, tinctura anteponenda eſt. In eo enim caſu radix Valer. ſylv. mira præſtat; & Balſama Copaivæ, aut Gilead cœteris pectoralibus, ſi qua adhiberi opus eſt, anteponenda ſunt. Radicis quoque pulverem ad gr. xxxv. in morbi principio, adbiberi poſſe aſſerit; ſed dolor non tam cito remittit, ac ſi tinctura propinetur.

Si æger aliquot dies prius ægrotaverit, quam tinctura uſus fuerit, Balſami uſus continuandus eſt, etiamſi melius ſe habuerit.

Alte-

Altero die, ſi dolor, & febris non multum remiſerint, venæ ſectio ad ℥x. repetenda eſt; verum raro opus eſt. Namque 24. horarum intervallo, ſymptomata, ut plurimum, uſu hujus tincturæ quam maxime remittunt.

In valde plethoricis tamen, & ubi ſolida inter & fluida admodum labefactatum fuerit æquilibrium, aliquando eodem die, urgentibus ſymptomatis, ſanguinis miſſio repetenda eſt, quarta hora poſt primam tincturæ doſim exhibitam; at rariſſime tertia requiritur.

Vomitus, & Catharſis quandoque hocce remedio benigne cientur, idque ſatis feliciter. At ſi æger admodum debilitatus fuerit, nec vomitum facile pertulerit, emeſim ſiſtent abſorbentia quævis teſtacea, tincturæ immixta, vel gr. xij. Sal Tartari in modica aquæ Cinnamomi debilitatæ doſi propinata.

Teſtatur D. Tennent, hocce remedio ea methodo exhibito, plurimos pleuritide ac peripneumonia ægrotantes, ab orci faucibus ereptos fuiſſe.

In morbis etiam nervoſis, ſeu febribus lentis, pleuritidem, peripneumoniave mentientibus, eadem tinctura abſque ulla ſanguinis miſſione utitur, proſpero eventu; & intra paucos dies integræ ſanitati reſtitui aſſerit.

Exhibita quoque fuit Polygalæ vulgaris noſtræ radix, ſub forma pulveris, ad gr. xij. plurimis pleuriticis, cum ſat proſperis ægri rebus. Screatus movit copioſos, & ſanguis, poſtero die ab hujuſce radicis uſu, miſſus, minus coriaceus & multo floridior apparuit. At *Seneka* radix uberiores ſcreatus ciet, & ſanguinem, lymphamque viſcidam potentius atterit & dividit.

ARTICULUS TRIGESIMUS-TERTIUS.

De Serpentaria Virginiana.

SErpentaria Virginiana; Colubrina Virginiana, & Piſtolochia, Virginiana, *Off.* Gallice, *Viperine Virginienne*, ou *Serpentaire de Virginie*; Radix Snaqroel novæ Angliæ, *Cornuti*. Radix eſt fibroſa, tenuis, levis, foris fuſca, intus flaveſcens, odore fragrante aromatico, ad Zedoariæ odorem aliquantiſper accedente, ſapore ſubacri amaricante. Ex Virginia affertur.

Eligenda eſt recens, aromatica, ſincera, non vero aliis radicibus referta. Quidam hanc cum Aſari Virginiani radice confundunt, ſed facillime autopſia diſtinguuntur, cum nigræ ſint radices hujus Aſari, quod dicitur Aſarum Virginianum Piſtolochiæ foliis ſubrotundis, Cyclaminis more maculatis: *Pluk. Phytogr. Tab.* 78. Serpentaria major vel nigra, Officinar. *Dale Pharmacol.*

Thomas Johnſonus, Gerardi hiſtoriæ emaculator, aſſerit, eam eſſe radicem plantæ, quæ Ariſtolochia, Piſtolochia altera, *J. B.* 3. 563. Piſtolochia Cretica, *C. B. P.* 307. Piſtolochia altera ſemper virens, *Cluſii*. Verum peritus Botanicus J. Rajus idem poſt Johnſonium in primo hiſtoriæ plantarum volumine retulerat. In ſecundo volumine dubitare videtur: ac tandem in tertio aliter ſentit, eamque a Piſtolochia Cretica Cluſii diverſam eſſe probat poſt Plukenetium, qui trium plantarum radices ſub Serpentariæ Virginianæ nomine ex Virginia afferri aſſerit.

Pri-

Prima dicitur, Ariſtolochia polyrrhizos auriculatis foliis, Virginiana, *Pluk. Phytogr.* Serpentaria altera, Virginiana vulgo, *Raij. Hiſtor. T.* 3. 393.

Huic radix fibris cirriſve plurimis comata eſt, & in unum caput conjuncta; e qua caulis aſſurgit dodrantem altus, foliis paucis ornatus. Iſta petiolis brevibus adhærentia in fundo cordis figuram exprimunt; ſtatimque conſtricta, apparent quaſi auriculata, & in longum exporrecta in medio cuſpidem. Flores ex inferiore caulis parte pediculis, longis inſidentes proveniunt longi, concavi, recti, Ariſtolochiarum ritu. His ſubeſt fructus parvus, pentagonus, qui ſemina parva acinis uvarum, ſeu potius vinaceis ſimilia continet.

Altera nominatur Ariſtolochia Violæ fruticoſæ foliis, Virginiana, cujus radix Serpentaria dicitur: *Pluken. Phytogr.* Radicem habet fibris tenuiſſimis albis conſtantem. Caulis erigitur ut plurimum ſingularis, gracilis, cui folia pauca, inordinate poſita, vix unciam lata, baſi cordata, & in mucronem acutum protracta; rigidiora, petiolis uncialibus inſidentia, adhærent. Flores ex infimo caule proveniunt. Semina parva Ficiformia ſunt.

Tertia vero nuncupatur Ariſtolochia, Piſtolochia caule nodoſo, ſeu Serpentaria Virginiana, D. Baniſter, *Pluken Phytogr.* quæ vera ac genuina Serpentariæ ſpecies eſt.

Radix e fibrarum minorum coloris lutei, odoris, & ſaporis aromatici, congerie conſtat. Caulis inde exoritur unus aut alter, glaber, ſaltem parum admodum piloſus, teres, plerumque erectus, minime quadratus, aut prociduus, ſarmentoſuſve: folia alternatim cauli adnaſcuntur, hinc inde ad ſingulos nodos, ſeu genicula ſingula, tenuja, longa, acuminata, ad pediculum excavata, & in modum cordis effecta, ſuperne nonnihil piloſa ſubtus nervis protuberantibus aſpera, tactu paulum glutinoſa, & digitis adhærentia. Prope terram enaſcuntur flores ſingulares, vel etiam bini, in calcaneum deſinentes latum, rotundum, galericulatum, labium ſuſtinens cujus centrum in floris cavum aperitur. Labium coloris eſt atro-purpurei, reliquus flos cœnoſi. Vaſculum ſeminale hexagonum, pyriforme, unciali propemodum, cum plene adultum eſt, diametro. Perpetuæ frondis non eſt: verum poſtquam ſemina maturuere, folia & caules marceſcere, & exſiccari incipiunt.

Serpentaria Virginiana per retortam diſtillata ſpiritum acidum fundit copioſum, & oleum tum tenue, tum craſſum, mediocri capite mortuo in retorta remanente, ſale alcali fixo turgido. Ex hac radice extractum ſalino reſinoſum elicitur, tum ope aquæ, tum ope ſpiritus vini, non vero mera reſina: unde liquet hujus radicis energiam a ſale acido, oleoſis particulis, & ſale alcali fixo ſimul conjunctis pendere.

Hæc radix diuretica, diaphoretica, & alexipharmaca habetur. Venenis, & humorum putredini reſiſtit, & tanquam certiſſimum, & præſentaneum remedium commendatur adverſus letiferos Boiciningæ ſerpentis morſus, unde nomen ſumpſit. Herbæ commanducatæ ſuccum deglutiunt ſtatim a morſu, foliaque contuſa vulneri imponunt: morſum canis rabidi ſanare dicitur, & ab hydrophobia vulneratos defendere. Vermes necat, verminoſamque putredinem arcet. Præte-

rea

rea vis febrifuga, & antihyſterica ipſi tribuitur. Præſcribitur ejus pulvis vel ſolus, vel cum aliis medicamentis conjunctus, a gr. x. ad ʒß. infuſum ad ℥ij.

℞. Rad. Serpentar. Virginianæ ℈ß. Chelar. nigr. Cancror. pp. ℈j. Syr. Caryophyllor. hortenſ. q. ſ. Fiat bolus in febribus malignis ad putredinem arcendam.

℞. Serpentar. Virginian. pulver. gr. xx. Theriacæ veteris ʒß. Fiat bolus ad ſudorem promovendum in febribus mali moris.

℞. Rad. Serpentar. Virgin. tenuiter inciſæ, & contuſæ ʒvj. Coque in aquæ limpidæ ℥xij. ad medias. Sub finem coctionis adde Coccinilliæ contuſæ ℈ß. Fiat colatura: in qua adhuc calida diſſolve mellis Narbonenſis ℥j. Solutioni refrigeratæ adde aq. Theriacalis ℥ß. Hujus liquoris cochlearia duo vel tria, tertia quaque hora, in febribus malignis, & putridis exhibeantur ad diaphoreſim, aut ſudorem promovendum, ad ſanguinis inſpiſſationem a venenis frigidis præcavendam & miaſma venenatum foras eliminandum.

℞. Serpentariæ Virginianæ, radicis Contrayervæ, pulver. Viperar. ana ℥ß. Miſce. In febribus malignis, adverſus venena frigida, necnon etiam adverſus febres intermittentes, ineunte paroxyſmo, exhibitus hic pulvis commendatur.

Ex hac radice paratur tinctura, quæ tinctura Virginiana apud Londinenſes dicitur.

℞. Radicis Serpentariæ Virginianæ pulver. ℥ij. Tincturæ ſalis Tartari ℥xvj. Miſce: & tinctura per digeſtionem extrahatur ſecundum artem.

Uſurpatur in Pulvere epileptico Londinenſium, in Pulvere Comitiſſæ Kanth, ſeu de Chelis Cancrorum, *Charas*.

ARTICULUS TRIGESIMUS-QUARTUS.

De Turpetho.

TUrbith ſeu Turphetum incognitum videtur fuiſſe Dioſcoridi, Græciſque veteribus. Arabes primi de eo mentionem fecere, licet de hujus rei origine prorſus incerti videantur. Mirandum ſane quod Serapio *Capite de Turbith*, hiſtoriam Tripolii ex Dioſcoride ad verbum tranſcribat, cui deinde alias ſubjicit deſcriptiones ex Arabibus auctoribus petitas, quæ verum Turbith delineant, quale ab Avicenna refertur. At vero quod Turbith Officinarum, & Arabum non ſit Tripolium Dioſcoridis, ſatis liquet ex Matthioli obſervatione, nempe quod communis uſus Turpethum nullo commendetur odore, nec tantam guſtui acredinem relinquat.

Avicenna vero, interprete Salmaſio, narrat Turpethi nomine in Officinis proſtrare lignoſa fruſta, tum craſſa, tum tenuia, ex India allata, cinerea, & candida, longa, extus plana ſeu levia, non rugoſa, intus concava tanquam arundinum fruſta, tritu facilia, quæ contrita nervos ſeu filamenta non relinquant. Unde veriſimile eſt, Indicum Turbith Avicennæ innotuiſſe. De ejus origi-

origine nihil profert. Meſue tradit Turpetham radicem eſſe plantæ folia ferentis Ferulæ, ſed minora, lacte turgentis. Aliud hortenſe, aliud ſylveſtre fecit; & inter hæc magnum & parvum, album, flavum, nigrumque diſtinguit. Sed quænam ſint variæ illæ Turpethi ſpecies, non conſtat. Meſue Turbith Indicum cum aliis plantarum Ferulacearum radicibus jam confundere & indiſcriminatim uſurpare videtur.

Actuarius duplex Turpethum conſtituit, fortaſſe ex coloribus, albo nempe & cineraceo, ab Avicenna Turpetho aſſignatis: album unum, quod aliqui Alypum Dioſcoridis cenſent; alterum nigrum, quod Pitiuſæ radicem ſtatuunt. Recentiorum nonnulli Tithymalum Myrſinitem eſſe Turpethum Arabum voluerunt; alii Scamoneam Antiochenam; alii Thapſiæ ſpecies diverſas. Tandem radicem quæ uſu continuo in Officinis pro legitimo Turpetho habebatur, Garzias ab horto in Orientalibus plagis reperit, ejuſque originem aperuit. Eamdemque plantam vir de re Botanica optime meritus Paulus Hermannus in Horti Lugduno-Batavi catalogo accuratiſſime deſcripſit.

Itaque Turpethum ſive Turbith *Offic.* Terbadh *Avicennæ*, Turbedh *Arabum*: Τυρπὶθ Græcorum recentiorum. Radix eſt vel radicis cortex a lignoſo meditullio ſeparatus, exſiccatus, diſſectus in fruſta oblonga, digitum craſſa, reſinoſa, foris fuſca vel cinerea, intus albida, ſapore ſubacri & nauſeoſo.

Eligatur nonnihil reſinoſum, recens, foris cineraceum, planum, non rugoſum, intus candidum, non carioſum, neque majore gummi vel reſinæ copia foras obductum. Solent enim impoſtores radicum fruſtra gummi vel reſina extrinſecus illinire, ut magis gummoſum appareat.

Planta dicitur, Convolvulus Indicus, alatus, maximus, foliis Ibiſco nonnihil ſimilibus, anguloſis, Turbith Officinarum, *H. Lugd. Bat. Catal.* Turpethum repens, foliis Althææ, vel Indicum, *C. B. P.*

Vario longoque reptatu ad tria quatuorve cubita deſcendit radix pollicem & amplius craſſa, lignoſa, in aliquot ramos diviſa, craſſo fuſcoque cortice tecta, qui ruptus ſtillat ſuccum lacteum, glutinoſum, in pallide flaveſſentem reſinam illico concreſcentem, guſtus primo ſubdulcis, poſtmodum pungitivi, vomitum minantis. Ex hac prodeunt ſarmenta ramoſa, quatuor alis donata, varios in gyros ſeſe contorquentia, prope radicem lignoſa, digiti craſſitie, rufeſcentia, in progreſſu vero viridia, ſex ſeptemve ulnarum longitudinem aliquando ſuperantia, quorum nonnulla humi procumbunt, alia vicinas arbores, fruticeſque ſcandunt, iiſque multiplici plexu ſe involvunt. His adſtant ex carinatis alatiſque pedunculis folia Althææ nonnihil paria, mollia, incana, raraque lanugine obſita, anguloſa, in ambitu crenata, leviter mucronata, ad quorum ſinus circa ramorum ſummitates exeunt petioli ſuperioribus longiores, robuſtiores, alis & carina omnino deſtituti, ſuſtinentes terna aut quaterna capitula oblonga, mucronata, quinque viridantibus in rubro foliolis conflata, quæ ſingula excludunt florem monopetalum, Convolvuli vulgaris magnitudine & forma, candidum, intus quinque palleſcentibus apiculatis ſtaminulis, cum ſexto intermedio ſubjectæ ſeminali capſulæ impacto, refertum. Flore excuſſo, capitula expanduntur, in quorum centro conſpiciuntur quaterna rotundo-anguloſa, nigricantia ſemina, Piperis magnitudine, incluſa vaſculo tenui, membranaceo, ſubrotundo, depreſſo, plano,

intus quadripartito. Frequens naſcitur in locis opacis, humidis, ad foſſarum margines, retro hortorum ſepes, aliiſque ſylveſtribus a mari longe diſſitis in Zeylan & Malabara. Colliguntur in uſum Medicum non caules, ut perhibet Garzias, ſed radices craſſiores, turgentes lacte & reſina copioſiore. Quæ ad nos tranſmittuntur radices, fodiuntur in Guzaratta, ubi proventus luxurioſus.

Ex Turpetho per analyſim Chymicam, præter phlegma acidum & urinoſum, ſal volatile concretum, oleum & terra copioſe extrahuntur. Ex hac radice ope aquæ extracti gummoſi copia non mediocris, reſinoſi vero portio quædam ope ſpiritus vini eliciuntur. Præterea infuſio Turpethi chartam cœruleam ſubrubro colore tingit: unde conjicere licet Turpethi vim pendere a quadam gummi reſina conflata ex ſale ammoniacali cum oleo craſſo conjuncto.

Efficax cenſetur remedium ad craſſos, lentoſque humores a remotioribus corporis partibus fortiter evellendos; adeo ut in proverbium abjerit: Quod non extrahit Agaricus, extrahit Turpethum; quod Turpethum non promovet, elicit Colocynthis. In diuturnis morbis maxime frigidis commendatur, præſertim in arthritide, paralyſi, hydrope. In ſubſtantia exhibetur a gr. xv. ad ʒj. Infuſum vero a ʒjß. ad ʒiij.

Ex eo Extractum vini ope præparatur, & reſina ope ſpiritus vini; ſed rarioris ſunt uſus. Extractum a ℈j. ad gr. xxx. Reſina ad gr. xv. exhibentur.

Nonnullis ſuſpectum eſt hocce medicamentum, quod tormina pariat, ventriculum lædat, & corpori marcorem inducat. Sed hæc vitia corriguntur aromaticis, ſtomachicis, Zingibere, Cinnamomo, Caryophyllis, Maſtiche, Saccharo.

Præterea raro ſolum præſcribitur, cum doſes ſit pharmacum, quod tarde admodum operationem exerat. Ea de cauſa aliis purgantibus medicamentis permiſcetur.

℞. Turbith gummoſi ʒij. Folior. Sennæ ʒj. Cinnamom. ℈j. Vini generoſi ℥vj. Infunde per noctem. Colaturam capiat.

℞. Turpethi, Hermodactylor. Jalapæ, Sennæ ana ʒj. Aquilæ alb. ℈j. Scammon. ℈ß. Rob Ebuli q. ſ. Miſce. Fiat Electuarium præſtantiſſimum in arthritide & hydrope. Doſis ʒjß.

Turpethum uſurpatur in Electuario Diaturpethi, Diaphœnico, Benedicta laxativa, El. Diacarthami, de Citro, Extracto Catholico *Sennerti*, Extracto panchymagogo *Crolli*, Pilulis de Agarico, aggregativis ſeu polychreſtis, Cochiis, fœtidis, tartareis *Quercetani*, Pulvere arthritico *Paracelſi*.

Quidam pro Turpetho legitimo quarumdam plantarum radices ſubſtituunt, quales ſunt Laſerpitium foliis latioribus lobatis, *Moliſſ. Umbellif.* quæ Thapſia, *Offic.* Apium Pyrenaicum Thapſiæ facie, *Inſt.* & Thapſia ſive Turbith Garcanicum ſemine latiſſimo, *J. B.* Sed rejiciendæ ſunt hæ radices quæ ſumma donantur acrimonia, ita ut ventriculum fauces inflamment, & Turpetho vehementiora ſint purgantia.

ARTI-

ARTICULUS TRIGESIMUS QUINTUS.

De Zedoaria, & Zerumbeth.

DE Zedoaria, & Zerumbeth nulla apud Dioſcoridem, Galenumve mentio reperitur. Arabibus uſitata fuerunt medicamenta. Verum in his, ſicut innumeris aliis deſcribendis, tam breves, & incerti ſunt, atque adeo inter ſe diſſentientes, ut ex eorum ſcriptis horumce ſimplicium hiſtoria dilucidari nequeat.

Eorum plurimi, ſicut Serapio, Razes, Zedoariam, & Zerumbeth idem eſſe volunt. Avicenna Zedoariam diſtinguit a Zerumbeth, & præterea duas Zedoariæ ſpecies agnoſcit; unam quæ ſimilis eſt radicibus Ariſtolochiæ, alteram quæ cum Napello creſcit, & eſt Napelli antidotum, & Bisbua ſeu Napellus Moyſi aut Anthora dicitur. Serapio Zerumbeth quod eſſe Zedoariam interpretatur, radices eſſe ſimiles Ariſtolochiæ rotundæ dicit; addit Zingiberis colore, & ſapore ſimilem eſſe, & ex Sinarum regione advehi. Cum vero de Zerumbeth loquitur Avicenna, dicit, radices eſſe ſimiles Cypero, ſed majores, & minus odoratas, colore cinereo ex Sinarum regione advectas. Avicenna inſuper Zerumbeth, & Zarnab diſtinguit, ſeu de his rebus diſſerit tanquam diverſis, quas Serapio confundit. Serapioni igitur Zedoaria, Zerumbeth, & Zarnab una res eademque. Si igitur ipſi Arabum principes his de rebus inter ſe diſſentiant, fruſtra eas ex eorum ſcriptis diſtinguere tentabimus.

Itaque his controverſiis derelictis, hiſtoriam Zedoariæ, & Zerumbeth, qualia in Officinis hodie proſtant, aggrediamur.

Sub Zedoariæ nomine duplex radix occurrit in Officinis; longa una, rotunda altera, quas nonnulli autumant eſſe diverſas tantum ejuſdem radicis partes.

Zedoaria longa, *Offic.* radix eſt tuberoſa, denſa, ſolida, ſextantali, trientali, aut quadrantali longitudine, craſſitudine digiti, quæ utrinque in obtuſum acumen deſinit, foris cinerea, intus candida, ſapore acri, amaricante, aromatico, odore tenui, fragrante, ac valde aromaticam ſuavitatem dum tunditur aut manducatur ſpirante, & ad Camphoram aliquatenus accedente.

Eligenda eſt magna, denſa, plena, non rugoſa, ſubſtantia veluti pingui, lenta, dentibus propter ſoliditatem aliquantulum repugnante, odoratiſſima, nullis foraminibus pervia.

Zedoaria rotunda, *Offic.* radix eſt ſubſtantia, pondere, ſoliditate, ſapore, & odore longæ Zedoariæ omnino ſimilis: ſolaque figura differt, quæ globoſa, unciali magnitudine, ſuperficie aliquantulum inæquali, ac præciſarum fibrarum veſtigiis tuberoſa, nonnunquam in brevem mucronem deſinens, quo terræ adhuc hærens germen fundere conſuevit.

Ex Sinarum regione utraque affertur, referente Garzia ab horto, & annuente Paulo Hermanno. Rotunda rarius in officinis reperitur quam longa. Ex quanam planta oriantur, nos latet.

Samuel Dale poſt Breynium & Rajum exiſtimat eſſe radicem plantæ quæ dicitur Malan-Kua , *H. Malabar. P.* 11. 17. Bon-Tſiappo *Braman.* : Colchicum Zeylanicum flore Violæ , odore , & colore Ephemeri *Herman. Parad. Bat. prod.* 304.

Radix bulboſa eſt , coriacea membrana obducta , extus cineracea , intus alba , denſa , aquea , multis ſtipata fibris capillaribus , digitum craſſa , cui quamplurimi oblongo-rotundi bulbi , bini & bini , trina ſupra ſe annectuntur ſerie , glabri , hinc inde minutiſſimis pilis inſtructi , denſi , intus pingues & mucilaginoſi , Zingiberis odorem & ſaporem referunt , linguam minus vellicantes . E ſummitate radicis calyx oritur albus & membranaceus inſtar Croci , cui flores includuntur quatuor , vel quinque , e fundo calycis longis petiolis prodeunte , tripetali vel etiam hexapetali ; quorum tria digitum longa , culmum lata , reliqua petala ſive ipſum florem obtegunt , flore jam aperto ſupine recumbentia : duo ex reliquis longa ſunt , & anguſta , in acutum deſinentia ; tertium illis ex adverſo eſt bifariam diviſum , ita ut ipſe flos tetrapetalus videatur , mixti coloris eſt ex cœruleo , albo , rubro , purpureo , flavo : duo reliqua maxima ex parte alba ſunt , ita tamen ut dicti colores etiamnum , ſed obſcuri videantur . Ex eodem calycis fundo ſimplex progreditur filamentum purpureum , quod cornea & flava eminet lingua . Hi flores gratiſſimi ſunt odoris Violas & Lilia longe ſuperantis , ante folia ex terra erumpentes , quibus deciduis calyx intumeſcit , capſulas ſeminales efficiens . Folia ſpithamam longa , tres quatuorve tranſverſos digitos lata , in mucronem abeuntia , glabra , polita , læte viridia , fulcita pediculo craſſo , breviſſimo , qui lato , ac folioſo ſuo principio caulem involvit , & in nervum per folii mediam longitudinem excurrentem terminatur . Caules cubiti altitudinem non excedunt . Foliorum ſapor & odor Zingiberis.

Aliam Zedoariæ ſpeciem Hermannus recenſet in H. Lugd. Batavi catalogo , ſcilicet Zedoariam Zeylanicam Camphoram redolentem , *Muſæi Zelylanici* : Harankaha *Zeylanenſium* , cujus folia parte adverſa ex purpura obſcure rubent : pediculi foliorum carinati ſunt , obſcure rubentes & ſubhirſuti , prodeuntes immediate ex radice , non caule .

Zedoaria diſtillata cum aqua communi oleum eſſentiale denſum ac ſpiſſum ſuppeditat , quod in ſubtilis Camphoræ ſpeciem concreſcit . Pollet igitur oleo eſſentiali tenuiſſimo , cum acido ſale ſumme volatili conjuncto ; ex quorum connubio tenuis hæc reſina camphorata exſurgit , multa terra ſepelita , e qua ipſius energia pendet .

Alexipharmaca eſt , ideſt venenis , venenatorum animalium morſui , & peſti reſiſtit . Sudores ſumme movet , phlegma pulmonum in diſpnœa & orthopnœa , in aſthmate ſpiſſum & tenax potenter incidit , ejuſque evacuationem promovet . Seroſam colluviem viſcidam nimis in ventriculo & inteſtinis ſtagnantem dividit , ac reſolvit : flatus diſcutit , & colicos cruciatus inde oriundos ſanat . Ventriculum roborat , & ciborum concoctionem juvat , vomitum reprimit , alvum ſiſtit , horumce viſcerum tonum nimis laxum firmando , fibrarumque oſcillationes vividiores efficiendo . Maſſam ſanguineam veluti vappidam , & orbatam ſpiritibus , quibus vitalis fermentatio fovetur , excitat , noviſque ſpirituoſis particulis recreans :

unde

unde in ſcorbuticis affectibus, apoplecticis, & paralyticis ſæpe confert, ſicut cœtera aromata tenuja & volatilia. Cavendum tamen ne temere calidiori naturæ exhibeatur; nam fibras nimis exſiccat, humores jam nimis denſos inſpiſſat adhuc, ac proinde morbum vel exaſperat, aut in graviorem mutat.

Exhibetur ipſa ſubſtantia a gr. vj. ad ʒß. vel infuſa ad ʒij. in vino vel in aqua calida ad modum potus Theæ.

℞. Zedoariæ longæ Acori veri ana ʒß. Cinnamomi ℈j. Infunde in aq. bull. ℥vj. Capiat æger colaturam cum Saccharo.

℞. Rad. Zedoar. Sacchari ana ʒiij. Balſami Peruviani gutt. xij. Fiat pulvis pro 12. doſibus. Vel

℞. Zedoariæ, Acori, Galangæ, Angelicæ, Cinnamomi ana ʒj. Caryophyllor. Ambræ cineritiæ ana ℈ß. Sacchar. roſati ʒvj. Fiat pulvis ſtomachicus ſeu cibarius. Doſis ʒj. in vini hauſtu, ante paſtum vel ſtatim a paſtu, ad ciborum concoctionem juvandam, & ventriculi tonum laxatum reſtituendum, aut flatulentos & colicos dolores ſedandos.

℞. Radicis Zedoar. pulver. gr. vij. Succi Mali Citrei cochlear unum, Spiritus Sulphuris gutt. ij. Sumat æger ad nauſeam & vomitum compeſcendum.

℞. Zedoar. ʒiij. Irid. Florentin. ʒij. Infunde in vini generoſi ℥vj. per noctem. Fiat colatura. Sumat æger cochlear unum aut alterum per intervalla ad expectorationem juvandam.

℞. Zedoariæ, Caſtorei, Serpentar. Virgin. Valerian. ſylveſtr. ana ʒj. Spiritus C. C. ſuccinati q. ſ. Extrahe tincturam, quæ in hyſtericis affectibus præſtantiſſima eſt, a gutt. j. ad x. in vehiculo conveniente.

Ex Zedoaria tinctura & extractum ſpiritus vini ope, vel cum vino præparantur.

Radix recens Saccharo condiri ſolet, cujus uſus præſtat ad ventriculum roborandum.

Uſurpatur in Aceto Theriacali, in Aqua prophylactica, *Sylvii de le Boe*, in Aqua vitæ regia, *Charas*, in Aqua generali, ſeu Elixir vitæ maximo; *Matthioli*, in Aq. imperiali, *Londinenſ.* in Pulvere lætificante, *Charas*, & Philonio Romano.

Zerumbeth *Off.* Zerumbeth *Garziæ*. Radix eſt tuberoſa, geniculata, inæqualis, pollicem, & nonnunquam brachium craſſa, nonnihil depreſſa, albida vel flaveſcens, ſapore acri, amaricante, aromatico, ad Zingiber accedente; odore fragrante. Rariſſime occurrit in officinis.

Planta dicitur, Zingiber latifolium ſylveſtre, *Hermanni*, Zerumbeth *Garziæ*, Vvalinghuru ſive Zingiber ſylveſtre Zeylanenſibus, *Hort. Lugd. Bat. Catal*: Kua, *Horti Malabar*: Paco-Ceroca Braſilienſibus, *Piſon. & Marcgrav.* Zingiber ſylveſtre majus, fructu in pediculo ſingulari Sloane, *Raii Hiſtor.*

Radice potitur arundinacea prorſus, ſed tenera, rubente, fibriſque craſſiuſculis, & longiuſculis ſtipata; e qua cauliculus unicus elevatur, quinque pedes circiter altus, pollicem fere craſſus, rotundus, ſed tantum foliorum ipſorum pediculis ſeſe invicem alternatim amplexantibus efformatus.

matus. Ipſa autem folia 10. circiter aut 9. numero, alterno ſitu ipſum exornant, membranacea, Cannacori vulgaris tum formam, tum conſiſtentiam ac magnitudinem æmulantia, ad oras undulata, & faſciola rubicunda circumdata, ſubtus tandem dilute, deſuper vero obſcuris virentia & ſplendentia. Ex ipſa autem eadem radice, juxta cauliculum jam dictum, cauliculi alii prodeunt, coccinei, pedem & ſemiſſem circiter alti, quatuor uncias craſſi, & foliolis quibuſdam acuminatis & anguſtis obvoluti; e quorum alis flores ſingulares enaſcuntur, veluti ſpicam ſeu pyramidem conſtituentes, & veluti e tribus tubis, uno alteri innato conſtantes, & rubedine præclara conſpicui: tubi autem illi bifariam ad oras diffunduntur, deque fundo ſuo foliolum emittunt, craſſiuſculum & luteum, duobuſque apicibus pallidis ſtipatum. Calyx tandem piſtillum gerens longiuſculum, tenue, candidum, apiceque rubente ornatum, in fructum evadit ovatum, pruni magnitudine, carnoſum, umbilicatum, ſanguineo rubore infectum, ſanguineoque ſucco prægnantem, trifariam ab apice dehiſcentem, ſeminibuſque fœtum multis, rufis, ſplendidis, duris, intraque pulpam quamdam, filamentoſam, involutis.

Sylvas humentes ac fluviolorum ripas amat hæc planta; fructus ejus jumentis ac bobus pabulum fiunt gratiſſimum. Plurima creſcit in inſula San-Vincentiana in ea regione quam Charaibæ *Olajou* appellant. E fructuum ſucco color præclare violaceus elicitur, deinceps indelendus, ſi ex eo panni lineo aut ſericei tingantur. *Plum. Mſſ.*

Sale volatili, oleoſo, aromatico, abundare hujus aromatis radicem probat inter alia ejus diſtillatio. Tranſmittit enim per Alambicem aquam fragrantem cum ſufficienti oleo; cui, ſi recens fuerit diſtillata, innatat ſal volatilis paucus, forma nivis aut Camphoræ. Hic in ſpiritu vini ſolutus, conditis, electuariis, aliiſve debite mixtus, acidis ventriculi cruditatibus, flatibus, ac doloribus mirum in modum conducit. Idem, ſed cum blanda alvi dejectione, præſtat ſuccus ex radice recente expreſſus.

Radix ſiccata & in farinam trita, plurimum de ſua acredine dimittit: qua ratione conficiuntur ex ea panes, quibus annona duriore veſcuntur Indi. Mucilago ſummati capitis interſtitiis inhærens, aromatis hujus virtutem nonnihil redolet, & propterea doloroſo & debilitato ventriculo cenſetur utiliſſima.

ARTICULUS TRIGESIMUS SEXTUS.

De Zingibere.

ZIngiber ſive Gingiber; *Off.* Σιγγίβερις, *Dioſcoridis & Galeni*; Zimpiperi & Zingiberi, *Plinii*, Gallice, *Gingembre*. Radix eſt turberoſa, nodoſa, ramoſa, paululum compreſſa, ſubſtantiæ nonnihil fibroſæ, pallidæ vel flaveſcentis, tenui pellicula ſubfuſca obtectæ, qua ſpoliari ſolet, dum recens eſt, antequam ad nos afferatur; ſapore acerrimo, fervido, aromatico, inſtar Piperis; odore fragrantiſſimo. Ex Sinarum impe-

imperio, Malabar, & Ceylan affertur, necnon etiam ex quibuſdam Americæ provinciis. Sinenſis minus fibroſæ eſt ſubſtantiæ, & præſtantior cenſetur.

Probatur recens, candida vel pallida, odorata: damnatur teredinibus exeſa, pulverulenta, & cujus ſuperficies bolo vel creta obducta fuit, ad teredinum foramina adimplenda: teredinibus enim admodum obnoxia eſt.

Planta dicitur, Zingiber anguſtiori folio, fœmina, utriuſque Indiæ alumna, *Plukn. Almag. p. 397.* Iris latifolia tuberoſa, Zingiber dicta flore albo, *H. Oxon*; Mangaratia, *Piſonis*; Gingibil, *Bontii*, Chilli Indiæ orientalis, ſeu Zingiber fœmina, *Hernandez*; Inſchi, vel Inſchi-kua, *Hort. Malabarici*.

(Ex radice arundinacea, tenera, ſquammata, intus alba, foris vero pallida & rubente, guſtuque acerrima, tres aut quatuor elevantur cauliculi, rotundi, dimidium digitum craſſi, juxta radicem tumentes, & rubri, deinde omnino virentes. Horum alii folioſi ſunt, alii in clavam deſinunt ſquammatam: cauliculi folioſi duos pedes circiter alti ſunt, ſoliſque foliorum amplexibus compacti. Ipſa autem folia plurima ſunt, alterna, hinc inde late expanſa, arundinacea, ſed foliis arundinaceis minora & molliora, ſemipedem ſcilicet circiter longa, acuminata, pollicem paulo magis lata ubi latiſſima, glabra, læte virentia, & nervulo ſubtus donata.

Cauliculi autem clavati, vix pedis altitudinem obtinent, vagineiſque foliolis conteguntur, virentibus quidem, ſed acumine rubente roſtratis. Ipſorum ſumitati clava imminet elegantiſſima ſane, utpote tota e ſquammis membranaceis & ex auro rubentibus aut virentibus & albicantibus compacta. Ex ſquammarum autem ſinu flores emergunt Orchidum noſtratium flores æmulantes, in ſex partes hiantes acuminatas, partim pallentes, partim vero ſature rubentes, maculiſque ſubluteis inſignitas. Ex ipſarum medio piſtillum ſeſe exerit tenuiſſimum, breve, album; apiculumque gerens etiam candidum, ſed e rubro roſtratum, quod abit baſi ſua in fructum coriaceum, ſubovatum, trigonum, triloculare, trivalve, ſeminibus plurimis fœtum.

Tota clava odorem ſpirat acrem, floreſque ex ea prodeuntes vix dimidium diem durant, ſucceſſive unus poſt alium ſeſe expandente. Planta in hortis tantum colitur. *Plum. Mſſ.*

Naſcitur in omnibus utriuſque Indæ provinciis exculta, ſataque ſemine aut radice, pingui ſolo, humido & probe exculto. Americæ non videtur naturalis, ſed ex India Orientali, aut Philippinis Inſulis in novam Hiſpaniam & Braſiliam translata.

Alia eſt planta quæ Zingiber ſylveſtre mas, *Piſon. Mantiſſ. arom.*; Anchoas ſeu Zingiber mas, *Hernandez*; Katou-Inſchi-Kua, *Horti Malabar.* quæ quidem a præcedente parum diſcrepat. Folia paulo latiora ſunt, & aſpera: radices quoque majores ſunt, quarum nec tamen fortis odor, nec ſapor adeo fervens & aromaticus, idcirco non tanti æſtimatur.

Zingiberis radices quotannis colliguntur ubi flores aruerunt, & dempto cortice exteriori, conjiciuntur in muriam; & hora una aut altera macerate, Soli tantumdem temporis exponuntur; tum ſub tecto ſuper ſtoreas collocantur, donec omnis humiditas conſumpta fuerit.

R 4 Indi

Indi foliis Zingiberis in juſculis & coquinario uſu atque acetariis utuntur. Radices etiam virides cum aliis herbis minutim conciſæ ex oleo, ſale, & aceto inter acetaria comeduntur, Saccharo quoque recentes condiri ſolent, & inter bellaria exhibentur.

Zingiber oleum eſſentiale minus gratum & acerrimum diſtillatione ſuppeditat; pollet ſale volatili oleoſo, fervido ſeu igneo principio turgido, a quo ſaporem, odorem, & vires obtinet.

Galenus Zingiber minus tenuium eſſe partium quam Piper inde colligit, quod calor ejus, quamvis æque fortis, non primo ſtatim occurſu guſtu percipiatur. Caliditas autem quæ proficiſcitur a Zingibere, diutius perſeverat, quam quæ a Pipere; unde infert ſubſtantiam ejus & craſſiorem eſſe & humidam.

Dioſcorides alvum leniter emollire ſcribit; quod verum eſt, ſi teneræ & adhuc recentes radices edantur: nam vetuſtiores ſiccant potius & ſiſtunt alvum.

Zingiber recens ab Indianis habetur tanquam remedium præſtantiſſimum ad colicos dolores, cæliacam & lientericam paſſionem, diarrhæas diuturnas ex frigore natas, flatus, ventriſque tormina, & alia hujuſcemodi.

Recens & exſiccatum, ventriculum roborat, & concoctionem promovet: ventriculi & pulmonum farctus abſtergit & diſſipat, ſupervacuo humore abſumpto. Cerebrum & memoriam roborando juvat: hebetudini etiam viſus, quæ ab humiditate oritur, prodeſt: venerem ſtimulat, & flatus diſcutit. Antidotis admiſcetur tanquam alexipharmacum. Sæpius adjungitur medicamentis catharticis, ad eorum vim augendam, aut malitiam corrigendam.

Ea tamen perpetuo adhibenda eſt cautela, ut qui ſanguine ſunt fervidiore, ſive ſani, ſive ægrotantes, parciſſime eo utantur; quia Zingiber omne, ſive ſiccum, ſive recens, ſive conditum, ſanguinem accendit, & orificia venarum aperit. Inſuper omnibus melancholicis in magna doſi non eſt exhibendum; quia humores melancholicos nonnunquam ſpiſſiores, fixiores, & plane immobiles reddit, inquit Hermannus.

Exhiberi poteſt per ſe in ſubſtantia a gr. v. ad xv. ſed rariſſime datur propter nimiam acrimoniam. In infuſione vel decocto a ʒß. ad ℥ß. conditum vero a ʒj. ad ℥j.

℞. Zingiberis conditi ℥ß. Conſerv. Roſar. rubrar. Corticis Limon. conditi ana ℥ij. Extracti Juniperin. ℥ß. Cinnamom. Nucis moſchatæ ana ʒjß. Syr. Flavendin. Citri, vel Cydonior. q. ſ. Miſce. Fiat Electuarium ad ciborum concoctionem juvandam, ſtatim a paſtu ſumendum ad ʒij.

Zingiber uſurpatur in Theriaca *Androm.* Mithridatio *Damocratis*, Diaſcordio *Fracaſtoris*, Electuario diaſatyrio, diaphæmico, Benedicta laxativa, El. Caryocoſtino, confectione Hamech, Electuar. diacarthami, de Citro, Trochiſcis de Agarico, Alhandal, Pilulis fœtidis, polychreſtis.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Corticibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Cinnamomo.

CAſſia & Cinnamomum apud priſcos, ſi non res una & eadem, maxima ſaltem cognatione & affinitate conjunguntur. Duo præcipua Caſſiæ genera diſtinguunt Græci ſcriptores, unum Κασίαν συρίγγα, vel συριγγίδα nominant, alterum ſurculoſum quod Ξυλικὴν Κασίαν aut Ξυλοκασίαν quidam nuncuparunt.

Κασίασύριγξ ex cortice ſolo compoſita erat in tubulos ſive fiſtulas convoluto, unde nomen, Ξυλοκασία ſive ξυλικὴκασία, Caſſia lignea ſurculis conſtabat lignoſis, cortice adhuc coopertis, quam etiam Dioſcorides Βλαςὸς μοσύλιτην vocat, id eſt, ſurculum moſyliticum.

Caſſia Syrinx ſeu Caſſia fiſtula vulgaris erat uſus ac notitiæ, & vilis emptu, ut refert Galenus: eademque erat quæ ab Andromacho tum ſeniore, tum juniore in Theriaces compoſitione expoſtulabatur. Omnes aliæ Caſſiæ ſeu Xylocaſſiæ ſpecies rariores erant, quarum plurimæ à Galeno recenſentur; ſcilicet ἀσύφη, μωτώ, γίζειρ, quam quidem dicit Cinnamomo ſimillimam, ſurculoſam aut fiſtulis plenis, ἀραβώ & δαφνῖτις.

Cinnamomi vero plura quoque ſunt genera parum inter ſe diſcrepantia, Μόσηλον Moſyliticum nempe quod præſtantiſſimum eſt, nigricans ſeu ex vinoſo in cinereum vergens, læve, tenujbus ramulis ac frequentibus nodis cinctum, acre, mordens, & cum calefactione quadantenus ſalſum: deinde ὀρεινὸν montanum, μελαν nigrum, λευκὸν candidum, ὑπόκιῤῥον ſubfulvum, quibus addunt Xylo-Cinnamomum & Pſeudo-Cinnamomum.

Quidquid diſcriminis Caſſiam inter & Cinnamomum Græci veteres conſtituere voluerint, id in eo tantum poſitum deprehenditur, quod Cinnamomum odore & ſapore grato, ſuavi, & aromatico, Caſſiam tum fiſtuloſam, tum ſurculoſam longe ſuperet. Et reipſa Galenus obſervat ſupremam Caſſiam ab infimo Cinnamomo parum diſtare, eamque pro Cinnamomo ſubſtitui, ſed duplicato pondere.

Neque ex ſcriptis Arabum, apud quos Græci Caſſiam & Cinnamomum naſci arbitrabantur, harumce rerum hiſtoria magis illuſtratur. Nam Avicenna Caſſiam Dioſcoridis appellat *Selicha*; quæ vox derivatur ab Arabico *Selach*, quo ſignificatur cortex; niſi illud a Græco ξυλικὴ derivare malint. Quæcumque vero de Caſſia Dioſcoridis ſcripta ſunt, eadem fermè leguntur ſub titulo *Selicha*, quod in Caſſiam ligneam noſtram Arabum interpretes convertunt, fortaſſe minus bene. Avicenna Cinnamomum ſub nomine *Dar Sini* tradidit; & quidquid Dioſcorides de Cinnamomo tradidit, in ſuam linguam ad verbum convertit & expoſuit. Eo autem capite quo omnes Cinnamomi differentias verbis Dioſcoridis prætexuit, quod Xylo-Cinnamomum Græco auctori vocatur,

tur,

tur, ipſæ Arabice *Kerfa* vocatum affirmat & interpretatur, forte derivatum a Græco κάρφη ſurculus, ſicut *Dar Sini* ſignificat ſurculum Sinenſem.

Nunc vero conſiderandum eſt, an Caſſia veterum & eorumdem Cinnamomum una res; eademque ſit atque Cinnamomum noſtrum, Canella vulgo dictum, an-ne res diverſæ? Non levis eſt ea de re inter auctores controverſia.

Auctorum plurimi, inter quos Matthiolus, Caſſiam Dioſcoridis eſſe noſtrum Cinnamomum exiſtimant, nec immerito, ut ex ipſa Dioſcoridis & Galeni deſcriptione patet; veterumque Cinnamomum nobis nunc ignotum eſſe aut prorſus perditum fuiſſe. Alii cum Dodonæo ſuſpicantur eorum Cinnamomum fuiſſe teneros ramulos arboris Caryophilli aromatici; quod quidem rationi non eſt prorſus diſſentaneum, quandoquidem Moſylitici Cinnamomi deſcriptio ex Dioſcoride & Galeno tenuibus ramulis vel virgulis hujuſce arboris convenire videatur. Attamen non veriſimile eſt Caryophylleos fructus, nempe adeo aromaticos ac præſtantes, latuiſſe viros, qui aſſidue inter has arbores verſabantur, & præſertim mercatores lucri avidos qui tanta ſollicitudine ramuſculos colligebant.

Alii credunt Caſſiam & Cinnamomum veterum eſſe unam & eamdem rem, ſeu ex eadem earbore oriunda; ea tamen differentia quod Caſſia fuerit cortex a ligno ſeparatus, Cinnamomum vero tenuiores arboris ſurculi adhuc integri: quod maxime ſimile vero mihi videtur. Dioſcorides enim Cinnamomum aliquantulam retinere ſimilitudinem Caſſiæ, quæ Moſylitis dicitur, affirmat; & Galenus univerſam Cinnamomi naturam ſimilem eſſe quodammodo optimæ Caſſiæ, quam Barbari *Gizi* vocant. Præterea refert idem Galenus ſe vidiſſe Caſſiæ ad fruticis magnitudinem elatæ ramos, quoſdam Cinnamomo penitus ſimiles aſpectu, corticis tenuitate & hiſce ſignis quæ Cinnamomum certiſſime oſtendunt, ac guſtu, olfactuque percipiuntur. Inſuper cum Theophraſtus, aliique veteres corticem ſolummodo in Cinnamomo utilem eſſe ſcribant; probabilius inde inferri exiſtimo, Cinnamomum noſtrum hodiernum ſeu Canellam vulgarem, Cinnamomum veterum, eorumque Caſſiam, unam & eamdem rem eſſe; nec aliter ſeſe differre tot Cinnamomi, Caſſiæ, & Xylo-Caſſiæ ſpecies, quam ratione afferendi, aut natali ſolo. Etenim antiquitus tota planta adoleſcens aut juniores ſurculi integri (cortex nempe cum ligno) ſub Cinnamomi nomine afferebantur, & ſub Caſſiæ nomine cortex tantummodo a ligno ſeparatus. At vero cum fuiſſet animadverſum lignum inutile prorſus eſſe, cortex ſolus, rejecto ligno, allatus fuit: qui mos in hunc uſque diem fuit ſervatus. Nec parvum quoque erat diſcrimen a cœli, ſolique differentia oriundum, inter has aromatum ſpecies; ſiquidem adhuc hodie obſervatur, eamdem Cinnamomi arboris diverſis in regionibus natæ ſpeciem corticem Cinnamomeum diverſum ſuppeditare. Aliud enim eſt Zeylanicum, aliud Malabaricum, & Javanenſe Cinnamomum; aliud excultum, aliud ſylveſtre. Quin etiam pro diverſa arborum ætate & pro diverſis ejuſdem arboris partibus ex quibus cortex extrahitur, quædam exſurgit varietas: Cinnamomum novellæ arboris a vetuſtiore, cortex trunci a ramorum cortice, cortex radicis ab utroque differunt.

Quid-

Quidquid de Caſſiæ & Cinnamomi origine veteres tradiderunt, aut fabuloſum eſt, aut incertum. Tam longa enim difficilique via petebantur olim hæc aromata, ut perfectam eorum notitiam conſequi veteribus haud facile fuerit. Quoniam vero ingens eorum erat pretium, majorque in hominibus lucri cupiditas, mercatores de earum mercium origine & colligendi difficultate varias fabulas narrabant, ut his commentis earum mercium pretia adaugerent. Hæc commenta igitur conſulto reticemus, & ad noſtri Cinnamomi ſeu Canellæ vulgaris hiſtoriam progredimur.

Cinnamomum ſive Canella vulgaris *Offic.* cortex eſt tenuis, modo chartæ luſoriæ, modo ſextantis unciæ craſſitudine, convolutus in exiles tubulos ſeu cannulas cubitales, ſeſquicubitales, aut longiores, digitali latitudine ut plurimum, ſubſtantia lignoſa & fibroſa, fragili tamen, ſuperficie interdum rugoſa, aliquando lævi, colore ex flavo rubeſcente aut ferrugineo, ſapore acri pungente, ſed ſine moleſtia, ſubdulci, & aromatico gratiſſimo, odore ſuavi & fragrantiſſimo.

Secundus & interior cortex eſt arboris, quæ dicitur Cinnamomum ſive Canella Zeylanica, *C. B. P.* Laurus Zeylanica baccis calyculatis Hermanni, *Raii Hiſt.* Caſſia cinnamomea, *H. Lugd. Bat.* Canella quæ Cuurdo, *Piſonis M. arom.* Arbor Canellifera Zeylanica, cortice acerrimo ſeu præſtantiſſimo, qui Cinnamomum Officinar. *Breyo.* 2. *Prodr.* (Cinnamomum foliis latis, ovatis, frugiferum, *Burm. Thes Zeyl. pag.* 62. *Tab.* 27. Laurus foliis oblongo-ovatis, trinerviis, nitidis, planis, *Lin. H. Cliff.* 154.)

Radix hujus arboris craſſa eſt, multifida, fibroſa, dura, cortice extus e rufo cinereo, intus rubeſcente, & odorem Camphoræ ſpirante obducta, cum ligno ſolido, duro, albicante, & inodoro. Truncus ad tres vel quatuor hexapedas aſſurgit, numeroſos ramos & ſurculos diffundit, eſtque cum ramis cortice veſtitus primum viridi, qui dein cum ætate rubeſcit, & cum pellicula tenui lignum ambit, cruſtaque cinerea obductus eſt; ſapore, dum viridis eſt, languidiore, exſiccatus vero ſubdulci, acri, aromatico, admodum jucundo. Cortex recens a cruſta illa cinericia & inæquali purgatus, & ſuo tempore deglubitus & in ſole exſiccatus, Cinnamomum dicitur. Lignum intus durum eſt, album & inodorum. Folia, tum bina, tum ſolitaria, foliis Lauri vel Citri ſimilia, palmum ſuperantia, glabra, nitida, oblongo-rotunda, in acumen deſinentia, cum tenera ſunt, coloris hepatici, prout vetuſtiora ſunt, ſicciora, ſuperne ſaturate viridia, ſubtus dilutiora, cum pediculo craſſo, ſemipollicari, interius late ſtriato, in tres nervos per folii longitudinem decurrentes, in recta & averſa parte prominentes cum venulis tranſverſis abeunte: demum odorata ſunt, & Cinnamomum odore & ſapore referunt, qua maxime nota a foliis Malabathri dignoſcuntur. Flores parvi, ſtellati, hexapetali, albicantes, plures congregatim prodeunt ex ramorum extremis, cum pediculis dilute virentibus, odoris grati ad Lilii convallii odorem accedentis: in floris medio corculum comprehenditur ex duplici ſtaminum ſerie conſtans, cum piſtillo viridi, in vertice nigricante, quod abit in baccam oblongo-rotundam, quatuor vel quinque lineas longam, glabram primum viridem, deinde e cæ-

ruleo

ruleo fuſcam & punctis albicantibus conſperſam, arcteque inhærentem calyci profundiuſculo, craſſiuſculo, viridi, in ſex cuſpides diviſo. Continet autem ſub pulpa viridi, unctuoſa, adſtringeente & ſubacri, aromatica, teſtam tenuem & fragilem, quæ nucleum tegit oblongo-rotundum, acrem, colore quaſi incarnato aut leviter purpuraſcente. Naſcitur in inſula Zeylan, ubi non minus frequens eſt in ſylvis & ſepibus quam Corylus apud nos.

Cinnamomum *Offic.* cortex eſt ex minoribus arboribus triennalibus excerptus. Vere vel Autumno, quo tempore humor obſervatur turgeſcens inter corticem & lignum, arbores deglubiri ſolent, & cortex exemptus cinerea illa tenui & ſcabra exteriori pellicula delibratur, & in laminas diſſectas exponitur ad ſolem, ibique dum exſiccatur in Canellas ſponte convolvitur. Vernum tempus pro hac decorticatione potiſſimum eligitur, quando arbores floreſcere incipiunt. Cortice ablato, arbor per biennium, trienniumve nuda remanet; ac tandem novo cortice induitur, huic operationi rurſus apto.

Probatur Cinnamomum ex flavo dilute rubeſcens, odoratum, aromaticum, ſaporis acuti, ſubdulcis tamen, & ſuavis. Omnis ejus vis conſiſtit in tenuiſſima, & interiori hujus corticis pellicula; quandoquidem, referente Hermanno, ex hujus tenuioris pelliculæ libra una plus olei extractum fuerit, quam ex ſex corticis integri libris.

Mira ſane diverſitas odorati olei quod ex hac arbore extrahitur. Cortex, ſi recens diſtilletur, multum ſuppetit olei, antiquum vero & diutius aſſervatum olei perparum exhibet. Oleum vero duplex extrahitur, unum quod aquæ fundum petit, alterum quod aquæ innatat. Hoc pallidum, illud flaveſcens & rutilans; limpida ambo, odoris fragrantiſſimi & ſaporis acutiſſimi, linguamque vehementiſſime pungentis. Ex radicis cortice oleum cum ſale volatili ſeu Camphora per diſtillationem educitur, aqua levius, limpidum, flaveſcens, ſubtile, quod facile in auras avolat, odore forti, vegeto, grato, medio inter Camphoram & Cinnamomum, ſapore peracuto. Camphora Cinnamomea candidiſſima eſt, Camphoram vulgarem odoris ſuavitate longe ſuperat; ſumme volatilis & maxime diſſipabilis eſt, promptiſſime flammam concipit, nullamque fœcem poſt deflagrationem relinquit.

Oleum ex foliis diſtillatum in aqua ſubſidet ad fundum, primo turbidum, cum tempore flaveſcens & pellucidum, ſapore ſubdulci, acri, aromatico, odorem Cinnamomi tenuem ſpirans, nonnihil ad Caryophyllorum odorem accedentem.

Fructus duplicem ſubſtantiam ſuppeditant; per diſtillationem, oleum eſſentiale ſimile juniperino cum pauxillo Cinnamomi & Caryophyllorum mixto; per decoctionem vero pinguedinem quamdam craſſam, conſiſtentia & colore ſebum referentem, odore fragranti, quo in unguentis utuntur indigenæ, & candelæ conficiuntur, quibus nemini præter Regem uti licet. In truncis annoſis ſunt nodi reſinoſi ſpirantes oleum ligni Rhodii.

Cinnamomum ſale eſſentiali tum acido, tum urinoſo, ad ammoniacum accedente, & cum oleo eſſentiali aromatico conjuncto turget, a quo ejus actio potiſſimum pendere videtur. Quas Caſſiæ & Cinnamomo ſuo priſci tribuebant vir-

virtutes, eædem de noſtro Cinnamomo a neotericis recenſentur. Calefacit, ſiccat, aperit, diſcutit, alexipharmacum eſt, venenis reſiſtit, & humorum malignitati, humorum putredinem arcet, menſes promovet, partum accelerat, omnia viſcera roborat, ſpiritus recreat, concoctiones juvat, flatus diſcutit. Uſus ejus frequentiſſimus eſt in virium imbecillitate, lipothymia, febribus malignis, capitis, pectoris, ventriculi, & uteri affectibus frigidioribus, & colicis doloribus. Confert in ſuppreſſione menſium, & partu difficili.

Exhibetur ſubſtantia a ℈j. ad ʒß. vel ʒj. in infuſione a ʒß. ad ʒj.

Ex Cinnamomo paratur Aqua Cinnamomi ſpirituoſa, iiſdem virtutibus donata ac Cinnamomum.

♃. Cinnamomi contuſi ℔j. Vini albi, & aquæ Meliſſæ ſtillatitiæ ana ℔j. Maceratione facta per 24. horas, diſtilletur liquor igne vehementi per refrigeratorium alambicem: & quæ primæ prodeunt aquæ libræ tres, ſerventur ad uſum, ultima utpote debilior rejicienda.

Hæc aqua turbida eſt albicans, & quaſi lacteſcens ab oleoſis Cinnamomi partibus cum aqua permixtis. Quidam aquam Cinnamomi hordeatam expoſtulant, præparatam nempe ex Hordei decocto, in quo Cinnamomum maceratum fuit, & poſtea diſtillatio. Sed inutiles ſunt Hordei particulæ in hoc menſtruo, quæ ſalino-oleoſarum Cinnamomi partium evolutionem potius impediunt, quam promovent, nec per diſtillationem aſcendunt. Verum ſi vividiores Cinnamomi partes retundere ſit animus, ſatius eſt aquam Cinnamomi ſupra deſcriptam in Hordei decocto, vel cremore, vel ſeminum emulſionibus propinare.

Paratur Syrupus Cinnamomi hac ratione.

♃. Aquæ Cinnamomi ſpirituoſæ ℔j. Cinnamomi acuti contuſi ℥ij. Digerantur per viginti quatuor horas. Tincturam rubram per inclinationem ſepara. Tum

♃. Sacchari albiſſimi in aq. Meliſſæ ſoluti, & in el. ſolidum cocti ℔ij. Huic ſenſim affunde tincturam. Fiat ex arte Syrupus, cujus doſis ad ℥j.

Diſtillatur oleum eſſentiale Cinnamomi eodem modo ac cœtera olea eſſentialia, macerando ſcilicet Cinnamomum in maxima aquæ communis copia, & igne ſat vehementi diſtillando. Turbida, & lacteſcens prodit aqua, quæ per tempus limpida fit, ſeparatione oleoſarum partium, quarum pars maxima fundum petit, pauciores vero ad aquæ ſuperficiem elevantur. Separatur oleum flaveſcens ab aqua, & ſervatur ad uſum.

Cum olei ſapor ſit acutiſſimus, & urens, raro ſolum præſcribitur, ſed cum ſaccharo ſub forma Elæoſacchari in liquoribus convenientibus. Iiſdem viribus donatur, & quidem vehementioribus, quam Cinnamomum, aut aqua Cinnamomi. Præſcribitur a gutta una ad iij. Plurimi æſtimatur ad purgantium medicamentorum vehementiam temperandam: unde ferme in omnibus extractis, & pilularum maſſis commiſcentur, necnon etiam ad gratum odorem ipſis conciliandum. Dentium dolores obtundit goſſypio exceptum, & dentis cavitati inditum: acredine cauſtica, & exurente qua donatur, dentis nervum exſiccat, & comburit.

♃. Cin-

℞. Cinnamomi pulverati ʒß. Limaturæ ferri tenuiſſimæ ʒiij. Sacchari candidiſſimi pulver. ℥ß. M. F. pulvis in virginum chloroſi exhibendus ad ʒj.

℞. Cinnamomi pulver. ʒß. Extracti Croci gr. vj. Flor. ſal. amm. chalyb. ℈ß. M. F. bolus c. ſ. q. Conſervæ Flor. Aurantior. in menſium ſuppreſſione.

℞. Cinnamomi ℈j. Croci pulver. ℈ß. Syrup. Kermes q. ſ. M. F. bolus in partu difficili.

℞. Cinnamomi acuti pulver. ʒx. Zingiberis, & Caryophyllor. ana ʒj. Galangæ, Macis, Nucis moſchatæ, flavedinis Citri raſæ ana ʒij. cum Sacchari in aqua Roſarum ſoluti, & cocti ℔j. Fiant ex arte tabellæ palato gratæ, ad ciborum concoctionem juvandam, flatus diſcutiendos, & ventriculum roborandum. Doſis ad ʒij. mane, jejuno ventriculo, & poſt paſtum.

℞. Aq. Cinnamomi ℥ß. Aquar. Flor. Aurantior. & Artemeſiæ ana ℥j. Confectionis Alkermes ʒß. Fiat mixtura in partu difficili exhibenda.

℞. Aq. Cinnamomi ℥ß. Aquar. Meliſſæ, & Card. bened. ana ℥iij. Syr. Cinnamomi ℥j. Fiat potio cochleatim exhibenda, in virium proſtratione, lypothimia, & in febribus malignis.

℞. Aq. Cinnamom. ℥ij. Syr. Limon. ℥j. Salis abſynthii ℈ij. Fiat mixtura cochleatim exhibenda, ad nauſeam, vomitum, & anxietates circa præcordia compeſcendas, in febribus maligni moris.

℞. Olei Cinnamomi guttas iij. Sacchar. albi ʒiij. Fiat Elæoſaccharum ex vino generoſo propinandum in partu difficili.

Oleum, & Camphora ex radicis Cinnamomi cortice extracta, in affectibus rheumaticis, & paralyticis externe admota conferunt. Intus ſumpta ſudores pellunt, humorum malignitati reſiſtunt, aſthmati, & catharris medentur.

Obſervandum eſt immoderatum aut intempeſtivum horumce aromaticorum uſum, ventriculum ad inflammationem diſponere, ejus fibras criſpare, glandularum ſtomachalium orificia conſtringere nimis, & occludere: unde ſucci digeſtivi penuria, & ſpaſmodica ac inflammatoria ventriculi tenſione, prava fit ciborum concoctio, difficilis eorumdem, & tarda ex ventriculo in inteſtina propulſio, laboris anxietatiſque plena digeſtio, cujus vitium poſtea per totum corpus diffunditur, & cæteras corporis functiones lædit. Præterea ab eorumdem aromaticorum uſu nimio, acriores fiunt corporis ſucci, ſpiſſioreſque, tardo motu per vaſa circumeunt, imperfectæque fiunt ſecretiones; unde naſcuntur hepatis, renum, aut cæterorum viſcerum obſtructiones, inflammationes, cachexiæ, atrophia, hydrops, affectus melancholici, hypochondriaci, aut alia ejuſcemodi. Attente igitur conſiderandum eſt, ut jam alibi monuimus, num bene conveniant hæc ſtomachica calida; cavendum eſt etiam, ne eorum uſus diuturnior ſit quam par eſt.

Uſurpatur Cinnamomum in Tabellis ſtomachicis *Charas*, Tabellis magnanimitatis, Pulvere aromatico roſato, Pulvere diarrhodon, Pulvere Pannonico *Charas*, Theriaca, Mithridatio, Conf. Alkermes, Diaſcorido, Orvietano, Opiata *Salomon*. Philonio, Diaphœnico, Conf. Hamech, Hiera picra Galeni, Pilulis fœtidis, Emplaſtro ſtomachico *Charas*. Ex oleo Cinnamomi fiunt balſama apoplectica, & paralytica.

Alii

Alii afferuntur cortices craſſiores, colore, odore, & ſapore ad Cinnamomum accedentes; & idcirco Cinnamomi Craſſioris nomine donantur, vulgo *Canelle matte*, qui nihil aliud ſunt quam truncorum vetuſtiorum Cinnamomi cortices. Verum ut odore, & ſapore Cinnamomo longe inferiores ſunt, ſic & virtutibus; ideoque rejiciendi.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Caſſia Lignea.

CAſſia Lignea *Offic.* Cortex eſt in cannulas convolutus, facie externa Cinnamomum omnino referens, tum colore, tum etiam odore, & ſapore, debilioribus tamen, & ab exteriori pellicula eodem modo purgatus. A Cinnamomo diſtinguitur, non ſolum aromaticitate longe debiliori, ſed etiam quadam glutinoſitate, quæ guſtu, dum comeditur, percipitur. Modo ex flavo rubeſcens affertur, modo flavus. Eligitur, qui ad Cinnamomum odore, & ſapore propius accedit.

Eadem ratione, ac Cinnamomum Zeylanicum, & ex ejuſdem arboris ſpecie, quæ in Java Inſula, & in Malabar creſcit, divellitur. Arbor dicitur, Cinnamomum ſeu Canella Malabarica, & Javanenſis *C. B. P.* Carua *H. Mal.* Caſſia vulgaris, Calihacha dicta *Piſon. Mantiſs. Aromat.* quæ quidem a Zeylanica non differt.

Conjicere licet Caſſiam ligneam noſtram inter tot Caſſiæ ſpecies non ignotam fuiſſe veteribus: ſed mirum eſt Dioſcoridem, & Galenum nihil de glutinoſo ejus ſapore protuliſſe. Utut ſit, Caſſia lignea noſtra a junioribus Græcis uſurpata fuit in medicamentorum compoſitorum deſcriptionibus, in quibus Caſſia, & Cinnamomum ſimul expoſtulabantur ut in Theriaca, Mithridatio &c. Cœterum rarioris eſt uſus. Hæc Caſſia minus recte lignea dicitur, cum lignoſa non ſit, ſed merus cortex. Verum Græci juniores qui Arabum libros interpretati ſunt, ad diſtinguendam hanc Caſſiæ ſpeciem a Caſſia ſolutiva, quam Caſſiam Syringem ſeu Fiſtulam dixerant, eam Xylo-Caſſiam ſeu Caſſiam ligneam appellaverunt.

Alexipharmaca, & ſtomachica cenſetur, minus tamen quam Cinnamomum. Sed ubi demulcendum, & adſtringendum, ratione ejus glutinoſitatis Cinnamomo anteponitur. In tuſſi, & aſthmate commendatur ad pituitam lentam, & acrem incidendam ſimul, & demulcendam; in diarrhæis quoque, dyſenteriis, ad viſcera roboranda, & ab humorum acredinem defendenda.

℞. Caſſiæ ligneæ contuſæ ℥j. Paſſular. exacinatarum ℥ß. Infunde in vini albi ℥viij. Colaturam capiat in aſthmate.

℞. Rhei el. Caſs. ligneæ ana ℥ß. Roſar. rubrar. ʒij. Infunde per xij. horas in vini rubr. ℥viij. Fiat colatura, quæ cum Sacchari albiſſimi in aq. Roſarum vel Plantag. ſoluti, & in electuarium ſolidum cocti ℔j. permiſceatur ad Syrupi conſiſtentiam; cujus duo, triave cochlearia exhibeantur bis, terve in die adverſus diar-

diarrhæas & alvi fluxus, & ventriculi, inteſtinorumque imbecillitatem. Caſſia lignea uſurpatur in Theriaca, Mithridatio, Philonio magno, Trochiſcis Hedicroy, & Cyphœos, El. Diaſcordio *Fracaſtor*.

ARTICULUS TERTIUS.

De Caſſia Caryophyllata.

CAſſia Caryophyllata *Offic.* Caſſia Caryophyllata *Piſonis Mantiſs. Arom.* Cortex eſt inſtar Cinnamomi tenuis ex rufo ferrugineus, pelliculis ſuis exterioribus ſpoliatus, & tubuli in modum convolutus, qui primis labiis guſtatus ſaporem videtur reddere immixtum Canellæ, ſed cum Caryophylli prædominio, qui etiam (pereunte primo utpote languido) vires acquirit cum tempore, tantaque vivacitate, fragrantia & acrimonia ſe exerit, ut lingua quaſi levioris cauſtici ſentiat effectum, in primis, qui ex ſurculis tenerioribus, & vegetioribus provenerit.

Arbor, e qua cortex illæ extrahitur, dicitur, Caninga *Hernandez*: Myrtus Americana, Caninga dicta, *Herman. M. M.* Magna eſt, & procera, craſſo caudice; folia profert Canellæ ſimilia, ſed tamen majora & pinguiora, ſtipitemque fuſcum. Hæc Hernandez, qui florem & fructum non vidit.

Piſo refert arborem eſſe mediocriter proceram; ramoſam: flores parvos ut Violæ proferre, cæruleo colore cum umbilico albicante, croceis, aureiſque lineis variegatos; & cortice tenui circumveſtiri, qui a trunco pariter, ac ramis detractus, atque veluti in corrigias conciſus, exſiccatuſque, Orientalis Cinnamomi in modum convolvitur.

Naſcitur in Inſula Cuba, & in Guiana, & Maranhaon Americæ meridionalis Provinciis.

Caſſia Caryophyllata ſale & ſpiritu volatili oleoſo pollet. Eædem dotes illi tribuuntur atque Caryophyllis aromaticis, ſed languidiores; eiſque ſæpe in obſoniis ſubſtituitur. Alexipharmaca eſt, ſtomachica, & cephalica. Verum Caryophylli longe præſtant.

Hæc Caſſia ignota fuit veteribus Græcis, necnon etiam Arabibus, licet Hernandez eam fuiſſe *Kerfa* Avicennæ ſuſpicetur; quod quidem veriſimile non eſt. Avicenna enim, teſte Salmaſio, per Kerfa non corticem, ſed ſurculum intelligit: & ſicut ſub his nominibus *Kerfa*, *Dar Sini*, agit de Xylo-Cinnamomo *Dioſcoridis*, ſic per hæc verba *Kerfa*, *Karumfel*, ſurculos Caryophyllatos intelligit, ξυλοκαρυοφυλλόν *Aetii & Aliorum*; nempe fortaſſe ſurculos tenues, ſeu petiolos Caryophyllorum aromaticorum.

ARTICULUS QUARTUS.

De Canella alba.

CAnella alba, & cortex Vvinteranus ſpurius *Offic.* Coſtus corticoſus *Quorumdam*. Eſt cortex in oblongos tubulos convolutus, ab exteriori cor-

cortice purgatus, tam intus, quam extus exalbidus vel flaveſcens, Cinnamomo craſſior, ſapore acri, pungente, aromatico, quaſi mixto ex Cinnamomi, Zingiberis, & Caryophylli ſapore, odore fragrante. Græcis, & Arabibus incognita fuiſſe videtur: a novo orbe detecto tantum innotuit. Duæ hujus corticis ſpecies a quibuſdam diſtinguuntur, ſed ratione tantum magnitudinis tubulorum; altera majoribus, longioribus, & craſſioribus tubis; altera tubis tenujoribus, & minoribus: nam reipſa ejuſdem arboris cortices videntur, niſi quod alter ſit e trunco, alter e ramis avulſus.

Arbor dicitur Canella alba quorumdam *J. B.* Canella Cubana *Jonſton*: Arbor Jucaci *Nieremberg*: Caſſia lignea Jamaicenſis; cortice acri, candicante *Plukn. Phyt.* Arbor baccifera, laurifolia, aromatica, fructu viridi calyculato, racemoſo. *Sloane Philoſ. Tranſ. n.* 1, 2. & *Hiſt. Jamaic. vol.* 2. *pag.* 87. *Catesb. Hiſt. Natur. vol.* 2. *pag.* 50. *fig.* 50. VVinzterania, *Lin. Hort. Cliff.* 488. vulgo, *Canelle blanche*. Procera eſt ad 4. vel 5. hexapedas aſſurgens, ramoſa, cujus truncus ſæpe fœmoris humani craſſitudinem æquat, & ramorum plurimi deorſum propendent. Duplici cortice circumveſtitur, exteriori uno, lineam craſſo, cineraceo, maculis albicantibus variegato, rugis quibuſdam fuſcis circularibus exaſperato, aromatico; interiori altero, lævi Cinnamomo paulo craſſiori, albicante, friabili, ſapore acri, pungente, aromatico, ad Caryophyllos nonnihil accedente, abſque glutinoſitate. Folia ſummis ramulis inordinate naſcuntur, pediculis pollicaribus innixa, duas uncias longa, unciam unam lata, circa pediculum anguſtiora, verſus extremum latiora, & ſubrotunda, ex pallido vel flavo virentia, nitentia, glabra, ad Lauro-ceraſi folia nonnihil accedentia. Ex ramuſculorum extremis oriuntur pediculi, qui flores ſuſtinent umbellatim congeſtos, conſtantes ex calyce multifido, quinque petalis rubentibus aut purpuraſcentibus, quorum meditullium occupat piſtillum craſſum. His ſuccedunt baccæ calyculatæ, Piſi craſſitudine, ſubrotundæ, primo virides, dein purpuraſcentes, continentes in pulpa ſubviridi, mucaginoſa, quatuor ſemina (*a*), irregularis figuræ, nigricantia, lucida.

Omnes hujuſce arboris partes ſapore acri, aromatico, Caryophyllato, pungente, donantur. Naſcitur in locis humidis, & ſylvoſis, in Jamaica & cœteris Americanis inſulis.

Hujus arboris cortex ex trunco, & ramis eripitur, & exteriori ſeparato exſiccatur in umbra, & ſervatur ſub nomine Canellæ albæ ſeu Corticis VVinterani, licet non ſit genuinus VVinteranus Cortex, ut mox dicemus. Eo utuntur indigenæ in obſoniis, & ciborum condimentis, Piperis, & Caryophyllorum vice.

Canella alba oleo eſſentiali, aromatico; turgida eſt, quod per veſicam extrahitur diſtillationis ope, ex hoc cortice in aqua macerato. Aqua gravius eſt, flaveſcens, odorem olei Caryophyllorum odori proximum referens. Unde quidam oleum Caryophyllorum hoc oleo adulterant.

(*a*) Plumerius unicum tantum obſervavit, ſubrotundum, & amariuſculum, in inſula San-Dominicana & Toruoſa, ubi hæc vulgo dicitur, *Canelle batarde poivree*, *MM.* 5, 125.

Non ſolum in eduliis uſitata eſt tanquam ſtomachica, ſed etiam commendatur inter antiſcorbutica remedia. Flatus diſcutit, catharroſis affectibus medetur, & paralyticis. Doſis a ℈ß. ad ʒj. in ſubſtantia; ad ʒij. in infuſione. Cortici VVinterano vero ſubſtituitur, utpote magis vulgaris. Ejus uſus bilioſis, & calidis naturis noxius eſt.

ARTICULUS QUINTUS.

De Cortice VVinterano.

CORtex VVinteranus verus *Offic.* Craſſus eſt & in tubulos convolutus cortex, foris integumento cinereo, molli, fungoſo, inæquali, & multis rimulis hiante obductus; intus ſolidus, denſus, ferrugineus, ſapore acri, aromatico, pungente & exurente, odore fragrantiſſimo. In littore Magellanico detectus fuit a VVillelmo VVintero Anglo navis præfecto, qui anno 1567. Franciſcum Dracke ad Magellanicum uſque fretum comitabatur, ulterius non progreſſus, & ab eo in Europam primum allatus, unde nomen ſuum obtinuit.

Parkinſonus corticem hunc a Canella alba diverſum eſſe, contra multorum opinionem oſtendit. Ab ea enim differt craſſitie majore, colore obſcuriore, & ad Cinnamomum accedente, ſapore acriore quaſi Piperis vel Zingiberis.

Arbor dicitur, Laurifolia Magellanica cortice acri, *C. B. P.* Lauro ſimilis arbor, licet procerior; cortice; Piperis modo, acri, & mordenti; *de Bry Ind. Occid.* Periclymenum rectum, foliis Laurinis, cortice acri, aromatico, *Sloane Phil. Tranſ. n.* 204. Arbor eſt mediocris magnitudinis, Malo nonnihil ſimilis, radices late diffundens, ramis magis patula quam alta, cortice foris cineraceo, craſſo, intus vero ferrugineo. Folia ſeſquiunciam longa; unciam lata, ex utraque parte acutiora cum extremo obtuſo, & quaſi bifido, dilute virentia, pediculo ſemipollicari inhærent. Flores ex foliorum alis oriuntur duo, tres, quatuor, aut amplius, communi pediculo unciali affixi, candidiſſimi, pentapetali, Periclymeni floribus nonnihil ſimiles, Jaſmini odore fragrante. Floribus deciduis ſuccedit fructus conglomeratus ex duobus, tribus, vel plurimis acinis communi pediculo affixis, ſimulque congeſtis, dilute virentibus, maculis nigris nonnullis reſperſis; in quibus ſemina continentur nigra, aromatica, inæqualia, uvarum granulis nonnihil ſimilia.

Cortice VVinterano nautæ partim melle aut ſaccharo condito, partim exſiccato, & in pollinem trito, ut in eduliis Cinnamomi aliorumque aromatum vices ſuppleret, uſi ſunt; poſtea adverſus ſcorbutum optimo ſucceſſu eum uſurparunt.

Stomachicus eſt, alexipharmacus, & ſudoriferus: quas quidem facultates obtinet ab oleo eſſentiali, aromatico, & ſubtili copioſo, cum acido ſale volatili conjuncto. Adverſus ſcorbutum, paralyſim, & catharroſos affectus a frigore oriundos commendatur, & a VVilliſio frequenter uſurpatur. Præterea antidotus eſt adverſus venenatam piſcis cujuſdam freti

Magel-

Magellanici incolæ, Leonis marini dicti, carnem comeſtam. Qui ex hac carne comedunt, inter gravia, quibus affliguntur ſymptomata, hoc potiſſimum ſingulari afficiuntur; ſcilicet, cute fere tota per partes exuuntur non ſine ſummis doloribus. Pulvis exhibetur a ℈ß. ad ʒj. in decocto vero præſcribitur ad ʒij. Foliorum decoctum utile eſt ad partes ſcorbuticis maculis fœdatas, necnon etiam paralyticas fovendas.

In officinis rariſſime invenitur. In ejus loco Canella alba ſubſtitui ſolet, aut ſub eodem nomine uſurpari.

ARTICULUS SEXTUS.

De Cortice Peruviano Kina Kina dicto, & Caſcarilla.

INter opes quibus novus orbis abundat, ſane auro, & gemmis longe pretioſior eſt Cortex ille febrifugus Kina Kina dictus; in ſanitatem gentium a D. O. M. conditus, cujus arbor, Arbor vitæ, ſi qua nobis nota, jure merito dici poteſt. Quid enim frequentius quam ſanitatis integritatem febribus perturbari, & prorſus everti? Nihil intentatum reliquerant priſci Medici ad huncce morbum debellandum. Sed quid profuerant tot excogitata remedia ſub febrifugorum nomine? Nihilominus quotannis in Medicorum opprobrium ſæviebant febres omnibus febrifugis remediis obſtinate reſiſtentes, quando ex Peruviano regno tandem hocce novum, nec ſatis laudandum allatum fuit remedium, quod ſolum febrifugi nomen meretur.

Kina Kina, Cortex Peruvianus, & Cortex febrifugus *Offic.* vulgo *Quinquina*. Cortex eſt admodum ſiccus, duas aut tres lineas craſſus, foras ſcaber, fuſcus, aliquando muſco caneſcente obductus, intus lævis, nonnihil reſinoſus, colore ferrugineo vel rufo, ſapore intenſe amaro, leviter adſtringente, cum quadam aromaticitate non injucunda. Modo in craſſiores cortices affertur tres quatuorve uncias, & amplius longos, unciam latos, non convolutos, ex trunco avulſos: modo in cannulas paululum convolutas, non adeo craſſas, externe fuſcas, fiſſuris circularibus leviter inciſas, muſco obductas, interne rubentes, ex ramis tenuibus detractas; modo quoque advehitur in fruſtula tenuia ſeu minutim conciſa, interne flaveſcentia, externe caneſcentia. Hic vero ex radicibus extractus dicitur, & ab Hiſpanis plurimi æſtimatur.

Eligatur rufeſcens vel rubens, ſeu colorem Cinnamomi viſui referens, ſapore non ingrato, & aromatice amaro, odore quaſi mucido, leviter aromatico, dentibus attritus friabilis, non viſcidus, & glutinoſus, non ligneus, non effœtus, & annoſus, non inſipidus, nec adulteratus quocumque alio cortice ſucco Aloes intincto.

Arbor febrifuga Peruviana; China Chinæ, & Quinquina, & Ganna-peride dicta *Raii Hiſt.* Palo de calenturas *Hiſpanorum*, a nullo adhuc accurate deſcripta eſt, licet plurimi de ea ſcripſerint.

(In ſolemnibus vero Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis comitiis

anni 1738. arboris Kinæ-Kinæ deſcriptionem ex regno Peruviano a D. de la Condamine ejuſdem Academiæ Socio ſibi miſſam legit D. Dufay ejuſdem Academiæ ; ex qua compertum eſt arborem eſſe non admodum proceram , in plures ramos divaricatam caudice mediocri , cortice vero ut ſupra . Ramos veſtiunt folia ſimplicia , oppoſita , ovato-oblonga , anterius cuſpidata , integerrima , petiolata , tres uncias longa , duas lata , ſat craſſa , coſta per mediam longitudinem excurrente , ex qua nervi laterales ad oras ſucceſſive obliquant.

Extremis ramis e ſummo arboris prodeuntibus unus vel plures innaſcuntur florum faſciculi , figura , & colore cæruleo cinereo , antequam aperiantur , Lavandulæ floribus nonnihil ſimilium . Commmunis florum pedunculus ex alis foliorum emergit , & in plures pedunculos minores divaricatur , ſinguli ſingulum florem gerentes , perianthio donatum minimo , quinquedentato , perſiſtente , & embryoni inſidente . Corolla monopetala eſt , regularis , infundibuliformis , Hyacinthi flori aliquatenus ſimili magnitudine , & figura , tubo oblongo (9. circiter lineas) , limbo patulo , quinque , & aliquando ſexfido , laciniis acutis , margine attentius inſpicenti leviter ſerratis . Corolla intus colore eſt miniato circa medium vividiori , ad oras pallidiori , extus vero rubore ſqualido , cum lanugine albicante . Stamina quinque pallide lutea intra corollam recondita ſtylum circumdant albidum , filiformem , ſtigmate ſimplici , viridi & oblongo inſtructum , embryoni inſidentem , tubum non excedentem . Embryo autem abit in capſulam olivæformem , ab apice ad baſim dehiſcentem in duo loculamenta ſepto intermedio indiſtincta , in quibus ſemina continentur parva , compreſſa , margine cincta membranaceo pellucido . Capſula vi elaſtica rumpi ſolet , & ſemina ſpargere . Valvæ areſcendo breviores fiunt , & latiores .

Sponte naſcitur in Americæ meridionalis regione Peruvia dicta , præſertim prope Loxam ſeu Lojam , in montibus qui hanc urbem cingunt , ſexaginta leucas ab urbe Quito .

Vis febrifuga hujus corticis jamdiu caſu fortuito , ut jam diximus , Indis innotuerat , cum Europæi ad has regiones pervenerunt . Verum ab eo tempore , quo Illuſtris ille Genuenſis Chriſtophorus Columbus hanc plagam mundi primum detexerat , uſque ad annum ſalutis 1640. ex odio Indorum erga Hiſpanos concepto magnum hoc remedium de induſtria celabatur ; donec quidam Hiſpanus Loxæ perfectus , & de quodam Americano bene meritus , ab eo gratitudinis cauſa , hocce remedium accepit . Paulo poſt in urbe Lima , quæ eſt regni Peruviani metropolis , uxor Proregis , qui tum temporis erat Comes *Del Cinchon* , febre tertiana ſæviſſima (qualis illic loci epidemia eſſe ſolet) correpta funeſte decumbere videbatur . Rumor (uti ſemper de magnatibus) per urbem divulgatus , tandem per finitima loca ad Loxam uſque pervenit . Præfectus per litteras Proregem monet , in arcanis ſibi eſſe remedium cujus auxilio Proreginam illico revalituram ſpondebat . Lubentiſſime annuens Proregina , corticem præparatum ſumpſit & ſtupentibus omnibus , ſtatim convaluit . Hinc fama hujus arcani titulo *Pulveris Comitiſſæ*

inſi-

inſigniti ubique per civitatem Limenſem, totamque Americam Hiſpanicæ ditioni ſubjectam, brevi multumque inclaruit. Diſcedente autem Prorege ex India, ubi in Hiſpaniam reverſus eſt, illico percrebuit ubique rumor de novo hoc febrifugo, quod poſt experimenta frequenter fama votis ægrotum ſemper & ubique reſpondebat. Circa annum ſalutis 1649. cum Pater Provincialis Societ. Jeſu in Americanis regionibus, in Italiam redux ad generalem totius Ordinis conventum, magnam hujus corticis copiam ſecum attuliſſet, & plurimis ejus Ordinis Patribus ex diverſis mundi regionibus Romæ congregatis diſtribuiſſet, famam ſuam in dies magis provexit. Patrum enim unuſquiſque in patriam regreſſus, hoc ſpecifico medicamento febres omnes intermittentes profligabat magno cum ægrorum ſolatio, cum Medicorum & populorum ſtupore. Unde *Pulvis Patrum* dictus fuit, & adhuc hodie apud Anglos *Jeſuitici pulveris* nomen retinet, *The Jeſuits-Prowder*: necnon etiam *Pulvis Cardinalis De Lugo* audiebatur, ex eo quod cura & ſumptibus pii hujuſce Cardinalis, magna Kinæ Kinæ pulveratæ copia Romæ Religioſis & pauperibus gratis diſtribueretur.

Dum fama hujus febrifugi per totam Europam ſpargeretur, non defuerunt plures veteri humorum ſenſibilium & qualitatum hypotheſi obcœcati, qui de uſu Kinæ Kinæ multum ancipites hærebant; quandoquidem febres vel vehementiores nimis cito, & abſque ulla uberrima evacuatione curatas ejus ope obſervarent. Hoc febrifugum fœces deleterias fixiores reddere, & fermenta morboſa in corpore poſt ſe relinquere ſuſpicabantur: unde novas tragædias & funeſtiſſima ſymptomata pertimeſcebant. Sic, ſi quid mali unquam aliunde ſubſequebatur, id omne medicamini objiciebant; licet ſymptomata ad morbum primarium nimis parco corticis uſu imperfecte ſanatum reapſe pertinerent. Nam tunc temporis Kinæ drachma una tantum aut altera exhibebatur ad febrem fugandam: quæ quidem doſis minus ſufficiens erat ad febrilem humorem penitus extinguendum, ut poſtea compertum eſt.

Cum etiam inſuper Medici cœteroquin docti & probi animadvertiſſent, Pulverem febrifugum paroxyſmum tantum unum aut alterum, aut fortaſſe plures avertere, nec febrem penitus expugnare, verum, ægrotum plerumque recidivam pati; ob ſuſpiciones ſupradictas in crimen adduci cœpit, & præterea ob pretium Pulveris qui tunc grandi pecunia divendebatur, paulatim in deſuetudinem abivit, donec anno 1679. Robertus Tabor vel Telbot Eques Anglus, nova introducta corticis exhibendi ratione, & doſi ejus admodum aucta, non minus felici ſucceſſu, quam incepto audaci, febribus omnibus profligatis, Kinæ Kinæ uſum ſub *Anglici remedii* nomine, vulgo *le Remede Anglois*, in Gallia reſuſcitavit. Hic enim non intra ſcrupulos aut drachmas ſubſiſtebat, ſed ad uncias & libras aſcendebat; ſicque magnam ſibi, & remedio famam conciliavit. Summa autem cura remedium, illiuſque præparandi rationem occultabat; ita ut fortaſſe adhuc ignotum lateret, niſi Ludovicus Magnus populorum ſaluti ſemper conſulens, feliciſſimo ejus experimentorum ſucceſſu permotus, largam auctori mercedem rependendo, corticis Peruviani exhibendi rationem

omnibus notam feciſſet, juſſiſſetque ut cortex ille undique conquireretur, & ut exercituum noſocomiis totumque per regnum diſtribueretur, mandaviſſet. Sic optimi illius Principis diligentia atque providentia, præſtantiſſimi illius remedii dotes omnibus innotuerunt, ac tandem febrilis hydra, quæ in genus humanum ſæpe dire ſæviebat, debellata fuit.

Analyſi Chymica, Kinæ Kinæ craſſe contuſæ ℥iiijß. phlegmatis acidi ℥j. cum ʒiiijß. ſuppeditarunt: quarum priores portiones ſolius acidi notas præbuerunt, poſteriores vero non ſolum intenſi acidi, ſed etiam alcali urinoſi ſigna exhibuerunt. Nam Heliotropii tincturam cœruleam in rubrum liquorem mutaverunt, necnon etiam Sublimati corroſivi ſolutionem turbidam & lacteſcentem reddiderunt, & ex ea Pulverem album præcipitaverunt. Deinde olei craſſioris conſiſtentiæ & axungiæ porcinæ ſimilis ʒj. cum gran. lxviij. prodiit. In retorta reſidui nigri pondus fuit ℥j. ʒij. gran. viij. calcinatum vero ad albedinem pendebat ʒj. cum gran. xv. a quo ſalis fixi non mere alcali, ſed nonnihil ſalſi ʒß. per lixivium extracta fuit. Unde liquet hunc corticem multum ſalis acidi & olei craſſioris continere, perparum terræ, cum tantillo ſalis urinoſi. Non enim olei quantitas in hoc cortice contenta ad ʒij. circiter pondus reſtringitur; ſed diminutio capitis mortui, dum calcinatur, quod a pondere ℥j. ʒij. & gran. viij. ad pondus ʒj. gran. xv. redactum fuit, fit potiſſimum exhalatione oleoſæ ſubſtantiæ quæ comburendo ſalinas quaſdam partes & terreas ſecum abripit, ita tamen ut oleum majorem deperditæ ſubſtantiæ partem conſtituat.

Ex hac ſalium acidorum & oleoſarum partium mixtura in cortice reſina exſurgit, quæ, ſi ope menſtrui idonei extrahatur, fere quartam corticis partem æquat. Longe minor eſt gummoſæ ſubſtantiæ portio. Præterea infuſum Corticis Peruviani chartam cœruleam ſubrubro colore inficit: unde patet ſales acidos magna copia in Cortice Peruviano luxuriare inter oleoſas partes, & ab iis potiſſimum ejus energiam pendere.

Kina Kina, ſicuti pleraque amara medicamenta, inter ſtomachica numeratur. Ventriculum roborat, appetitum languentem excitat, ciborum concoctionem juvat, flatus diſcutit, vermes necat, necnon etiam urinas & menſes promovet. Sed maxime commendabilis eſt ſua febres intermittentes profligandi virtute. Eas enim rite exhibita, tuto, cito, jucundeque ſanat.

Præſcribitur ejus pulvis a ʒß. ad ʒij. vel aliquo liquore convenienti dilutus, vel ſub forma boli cum Syrupo quocumque. Infuſio vero ℥j. in vini generoſi rubri ℔j. ad ℥vj. pro doſi exhibetur. Eadem doſi quoque propinatur decoctum unius unciæ Corticis in aquæ comm. ℔jß. ad tertiæ partis conſumptionem. Nonnunquam etiam idem decoctum in enemate ad ℔j. pro adultis, ad ℔ß. pro infantibus præſcribitur, ubi ægrotantes a Corticis Peruviani hauſtu prorſus abhorrent.

Multa autem & diutina experientia compertum eſt Kinam Kinam in ſubſtantia, & in tenuiſſimum pollinem redactam, citius & efficacius vires ſuas exerere, atque finem optatum attingere, quam infuſum vel decoctum; ejuſdem infuſiones cum vino factas longe efficaciores eſſe,

quam

quam infuſa vel decocta in aqueis menſtruis ; eademque infuſa vel decocta imbecilliora eſſe , niſi turbida propinentur , ſeu adhuc tenuiſſima Kinæ Kinæ ſubſtantia turgida . Obſervandum quoque Kinæ Kinæ decoctum ſub enematis forma exhibendem eſſe percolatum , non vero pulverem cum decocto permixtum , ut quidam volunt ; quandoquidem ex nimia pulveris quantitate , unciarum nempe quatuor vel quinque ſingulis diebus injectarum in inteſtina , alvus nimis conſtringatur , obſtructiones fiant in viſceribus , inflammatio , ac tandem abſceſſus nonnunquam producatur.

Quocumque modo febrifugum hocce remedium adminiſtretur , iteranda eſt ejus doſis tertia vel quarta quaque hora , præmiſſis præmittendis . Nam in febribus intermittentibus ſimplicibus , tertiana ſcilicet vel quartana , obſervandum primo num adſit indicatio , quæ venæ ſectionem expoſtulet , aut catharſim ; tum enim æger venæ ſectione & purgatione diebus intermiſſionis præparandus erit . Sanguinis miſſio potiſſimum non parca manu celebranda eſt , & pro neceſſitate iteranda ante Corticis febrifugi uſum ; tunc enim tutius & citius operatur . Quin imo niſi debite vacuata fuerint vaſa ſanguinea , febris contumax diuturno Kinæ uſui vix cedet : aut ſi , iteratis per longum tempus febrifugi doſibus , tandem extincta videatur febris ; ægrotantis tamen vires non reſtituentur , & paulo poſt recidivam patietur , niſi iteretur ſanguinis miſſio , qua quidem intra Corticis uſum celebrata , ſtatim ceſſabit febris , & ægrotantis vires citiſſime reſarcientur . Hoc autem ratione comprobatur : nam Kina Kina ſanguinem expandit & rariorem efficit , ut obſervare licet in omnibus, qui hoc remedium aſſidue ſumunt , quorum pulſus magnus eſt & elatus , licet mollis ; tunc ergo ſanguini majore ſpatio opus eſt , eique venæ ſectionis ope conceditur . Verum non eadem eſt purgationis neceſſitas , niſi primæ viæ fœcibus turgeant ; quandoquidem Kina ſæpiſſime alvum primis diebus ſubducat , eodem fere modo, ac ſi catharticum medicamen exhibitum fuiſſet.

Itaque in febre tertiana vel quartana , præmiſſa debita ſanguinis miſſione , necnon etiam purgatione , ſi opus ſit , deſinente paroxyſmo , exhibeatur prima doſis Kinæ , & quarta quaque hora iteretur quinquies vel ſexies intra unius diei ſpatium , cibos euchymos & concoctu faciles duabus poſt febrifugi doſim horis oggerendo . Ubi febriles paroxyſmi prorſus ceſſaverint , tunc quatuor doſes ſingulis diebus per octiduum exhibeantur , deinde tres per alteram hebdomadam , ac tandem duæ per octo dies , habita tamen ratione magnitudinis & contumaciæ morbi , tempeſtatis, & ætatis . Etenim febris graviſſimis ſymptomatis ſtipata , cujus longiores ſunt paroxyſmi , quæ in Autumno aggreditur & ætate provectiorem aut jam valetudinarium , diuturniorem Kinæ uſum expoſtulat , quam ea cujus paroxyſmi breviſſimi ſunt abſque ullo gravi ſymptomate , quæ ineunte vere & juniorem invadit . Diæta debita , quæ quidem nonniſi boni ſucci & facilis digeſtionis cibos admittit , non ſolum durante febrifugi remedii uſu , ſed etiam per longum tempus poſt illius uſum obſervanda eſt.

Præterea a Corticis uſu , niſi urgente evidente indicatione , ſolemnis evacuatio per aliquot hebdomadas vel etiam menſes non inſtituenda eſt ,

ne febris recurrat. Tuncque ſi neceſſaria ſit, eo ipſo evacuationis die, & poſtea per aliquot dies duæ treſve doſes febrifugi ſingulis diebus exhibendæ ſunt, ut malum averruncetur.

Neque dumtaxat a carthartico febris Cortice fugata revocatur, verum ſæpenumero a levi errore in diæta vel a minimo frigore percepto, vel alia quacumque levi de cauſa; quapropter tutius eſt poſt febrem gravem Cortice prius fugatam, prophylaxeos gratia, ſolemnem ejuſdem repetitionem poſt intervallum octo vel decem dierum bis terve præſcribere; præſertim inſtante hyeme, quo febres inconſtante aeris intemperie faciliſſime revocantur. Ex hoc modo febrium intermittentium maxime pertinacium regreſſus præcaventur.

In febribus intermittentibus compoſitis, ſcilicet duplici tertiana, triplici quartana, vel quotidiana, (ſive adſit inter paroxyſmos febris intermiſſio, ſive inter exacerbationes febrilis æſtus remiſſio tantum deprehendatur; ita ut febris continua ſit, aut uno paroxyſmo nondum finito: alter recurrat:) tum celebrata ſanguinis miſſione, & adminiſtrata cartharſi ſurſum aut deorſum, vel etiam, ſi febris urgeat, neglecta purgatione, ſtatim ad Corticis febrifugi uſum confugiendum eſt. Nec alteram aut plures venæ ſectiones uſus ille excludit, ſi indicationibus requirantur; imo æger ſanguinis miſſionem facilius feret, & eo citius Corticis Peruviani effectum percipiet. Si tamen vacuatione opus ſit, & ab urgente febre ad exh ibendum catharticum tempus denegetur, poſt venæ ſectionem Cortex Peruvianus cum purgante medicamento idoneo conjunctus ſtatim exhibeatur.

At vero his in febribus tertia quaque hora iterandum eſt remedium febrifugum, & quidem nocte dieque indeſinenter, cibos una poſt febrifugum exhibitum hora ingerendo, donec febris omnino profligata ſit. Deinde per octiduum ſex doſes de die tertia quaque hora, poſtea quinque quarta quaque hora per hebdomadam, per alteram quatuor tantum, deinde tres, ac tandem duæ. Obſervandum victum tenuem eſſe debere, dum febris adhuc viget; nec prius ſolida alimenta offerenda eſſe, quam febris extincta fuerit, ægrotanſque eſurire incipiat.

Diuturnus Corticis Peruviani uſus raro febrem prius ſedat, quin aliqua inſignis ſuperveniat evacuatio, quæ quidem, ut plurimum, fit per alvum aut per urinas. Nec ullum eſt certius perfectæ curationis indicium, quam hæc vacuatio, cujus ope venenum febrile minuitur & amandatur: nunc autem citius, nunc tardius evenit. Nec de reſtituta valetudine certi eſſe poſſumus, donec apparuerit. Fatendum eſt tamen quoſdam perfecte ſanatos fuiſſe abſque ulla inſigni ſenſibili vacuatione: verum conjicere licet in his inſenſibilem perſpirationem uberiorem fuiſſe, & ſenſibilem ſuppleviſſe. Quod ſi non eveniat, febris revera ceſſat; ſed non tam extincta videtur quam ſopita: ægrotantis imbecilla eſt valetudo, vires languentes, appetitus proſtratus, donec febris regrediatur, aut hydrops, aliuſve affectus cacheсticus ægrotantem invadat, aut abſceſſus in aliqua corporis parte producatur.

Non inepte igitur pro humoris morbidi genio, Medici modo cathartica convenientia, modo diuretica, modo diaphoretica, modo ſudorifera

cum

cum Cortice conſociare ſolent, ad humorem noxium a febrifugo jam domitum foras eliminandum ea via, quæ maxime humoris genio conducit. Nam humor ille in febribus intermittentibus; tertianis præſertim, facilius per alvum, aut urinas propellitur: in malignis vero ubi humor ad cutis poros appellit, ſæpe felicius per diaphoreſim aut ſudores ejicitur. Qua ſuper re Medicus ad epidemicam conſtitutionem, vel ad peculiarem ægrotantis habitum attendere debet.

Cum ſæpe febris intermittentis genius ſit Protheiformis, (ut loquitur vir doctiſſimus R. Marton, *tractatu de febribus*,) & haud raro plerosque alios morbos, eosque acutiſſimos ſimulare ſoleat; licet Cortex Peruvianus ſit primum, & fere unicum remedium ad quod veluti ad ſacram anchoram confugiendum ſit, tamen atrocia ſymptomata, quibus febris ſtipatur vel etiam ſæpe abſconditur, & opprimitur, quædam alia remedia propria cum Cortice Peruviano conſocianda indicant; qualia ſunt cephalica, nacotica, pectoralia, ſtomachica, aperientia, uterina, & alia hujuſcemodi. Medicus igitur intentus eſſe debet ad hos morbos ſimulatos dignoſcendos, ut debitam eorum curationem rite inſtituat. Nonnunquam enim ſub larva algoris funeſti, vomitionis indeſinentis, diarrhææ, torminoſæ, morbi, colicæ ventriculi, hemicraniæ periodicæ, doloris lateris punctorii, pleuritidis peripneumoniæ, rheumatiſmi, ſpaſmi univerſalis, quandoque etiam ſyncopes, aut apoplexiæ, febris intermittentis genius deliteſcit; cujus rei exempla in Cl. Morton obſervationibus videre licet. Hæc autem ſimulata ſymptomata non ſemper facile diſtinguuntur: quocirca Medicus attendat oportet ad anni conſtitutionem epidemicam, aut ad valetudinarium habitum ægrotantis, qui antehac aliquoties febri intermittente interdum ſopita, recrudeſcente afflictus fuerit. Quæ quidem ſi non ſint certa ſigna, ſaltem Medicum inducunt ad omnia ſymptomata & varias morbi motiones attente conſideranda. Tunc enim periodicus ſymptomatum graviorum regreſſus ſtatis temporibus earum febrium ſimulatarum certiſſimum indicium erit.

Animadvertendum quoque utrum febris, quæ cum alio morbo conjuncta deprehenditur, ſit tantummodo ſymptoma hujuſce morbi, an vero morbus ſit idiopathicus, & cum altero complicatus. Si enim alterius morbi ſymptoma ſit, fruſtra ejus curatio Cortice tentabitur, niſi morbus idiopathicus ſimul cum febre viretur, remedia indicata Kinæ Kinæ conjungengendo. At in morbo complicato, vel utriuſque morbi curatio convenientibus remediis ſimul tentabitur, vel ope Kinæ ſanari poterit febris, vigente adhuc altero morbo.

Accidit nonnumquam, ut non ſufficiente Corticis doſis exhibita febrilis materia debilitata ſolitum paroxyſmum non amplius inducat, ſed nonnulla ſymptomata tantum excitet; quæ, licet exacerbationum, aut paroxyſmorum vehementia longe inferiora ſint, diuturnitate tamen ægrotantem non minus torquent, & angunt: qualia ſunt virium proſtratio, ciborum inappetentia, nauſea, anxietas circa præcordia, ventriculi gravitas, inflatio, ventris tormina, tuſſis, dolores capitis, ſudores nocturni, hydrops, affectus cachectici, rheumatici, aut alia hujuſcemodi; quæ ſymptomata ad Corticis Peruviani uſum ab imperita plebe referri ſolent, immerito tamen. Incuſanda tantum-

modo

modo, vel parcior remedii doſis, vel vitium Corticis qui non genuinus eſt, aut effetus. Et reipſa ſi optimus Cortex eligatur, aut ſufficiens ſelecti Corticis doſis exhibeatur, hæc omnia ſymptomata brevi evaneſcent.

Febribus inflammatoriis, putridis, malignis, & peſtilentialibus profligandi Cortex Peruvianus impar videtur; & ars Medici in eo potiſſimum verſari debet, ut morbum eo adducat, ut antidoto febrili ſanari poſſit. Attamen in morbillis, & variolis tempore declinationis morbi R. Morton Kinæ uſum ſuadet, nempe cum febris poſt veneni morbidi eruptionem adhuc perſeverat, & continuæ remittentis typum jam obſervare incipit.

Kinam Kinam quoque adverſus peſtem utiliſſimam cenſuit Medicinalis Facultas Neapolitana, (referente Sebaſtiano Badio Medico Gennenſi, in libro *Anaſtaſis Corticis Peruviani* dicto, ann. 1663. edito in quo Plempio Medico Amſtelodamenſi reſpondet, a quo ad Corticis Peruviani exequias vocatus fuerat in libro ſuo typis edito ann. 1655.) & in ejus curatione adhibendam juſſit.

Ea eſt ignari vulgi opinio, quod Kina Kina iis minus bene conveniat, quorum pulmones quocumque modo læduntur, aut qui ad phthiſim, & tabem proclives ſunt. Verumtamen quotidiana experientia comprobatur, Corticem Peruvianum felici cum ſucceſſu exhiberi in febri putrida remittente vel intermittente, quæ peripneumoniæ, aut pleuritidi ſuccedit, aut quæ empiema, aut pulmonum exulcerationem comitatur, & in quam febris inflammatoria ſæpe tranſmutatur. Hæc enim febris oritur a putridis, & infeſtis particulis quibus ſanguis per has pure turgidas partes tranſiens inquinatur, & ab his inquinamentis paroxyſmi febriles, aut exarcerbationes ſingulis vel alternis diebus accenduntur. Cortice autem Peruviano paroxyſmi febriles, ſaltem pro tempore ſupprimuntur; imo ſi cum pectoralibus, balſamicis, & abſtergentibus medicamentis conſocietur, febris prorſus extinguitur, pus excernitur, & ulcera ſanantur.

Quinetiam phthiſici nonnulli (teſte R. Morton) pro deploratis jam habiti, vitam frequenti hujus Corticis uſu cum aliis remediis intermixto, aut conjuncto, non ſolum per plures menſes verum etiam annos, protraxerunt; qui licet e ſtatu valetudinario numquam plane evaſerint, tamen ejus uſu a febre jam liberati muniis ſolitis ſatis bene fungi potuerunt.

Ergo Cortex Peruvianus antidotus febrilis merito dicitur; quippe qui ad omnes febres intermittentes, remittentes continuas ſeu continentes, in omni ſexu & ætate, in infantibus, pueris, adultis, & ſenibus, in virginibus, mulieribus gravidis, & puerperis tutiſſime, & prorſus innoxie exhiberi poſſit. Afferit enim R. Morton ſe intra 25. annorum ſpatium nuſquam noviſſe aliquid mali ab uſu corticis cuiquam eveniſſe præter levem ſurditatem tempore uſus nonnihil moleſtam, quæ ſponte illico a morbo evicto, vel pulveris omiſſione ſemper ceſſat; nec ſe unquam hujus remedii pœnituiſſe. Quod quidem quotidiana noſtra experientia confirmatum eſt.

℞. Corticis Peruviani electi, & in alcohol redacti ℥j. Syr. febrifugi, Limonum, Cydonior. Abſynthii, Papav. rhæad. Diacodii, de Cichorio comp. vel alterius cujuslibet quant. ſuffic. M. F. opiata mollis conſiſtentiæ,

cujus

cujus doſis ad ʒij. tertia vel quarta quaque hora exhibeatur, ſuperbibendo hauſtum vini aqua diluti, vel ptiſanæ pectoralis, aut alterius liquoris convenientis.

℞. Corticis Peruv. pulver. ℥ij. vini rubri generoſi ℔ij. Miſceantur, & macerentur in vaſe clauſo per duos treſve dies, identidem agitando. Liquor per inclinationem ſeparatus eſt vinum febrifugum, cujus ℥vj. pro doſi exhibeantur. Si adhuc valentius infuſum deſideretur, in ſingulis cyathis diſſolve Kinæ Kinæ in tenuiſſimum pollinem redactæ ℈j. & ſic turbidus liquor propinetur.

℞. Corticis Kinæ pulver. ℥j. Bulliat in aq. ſtillatitiæ Scorſonneræ vel Cichor. ſylv. ℔ij. ad ℥xxviij. F. colatura ad ℥vj. pro doſi ſumenda, vel ſola, vel cum vino febrifugo permixta. Vel

℞. Corticis Peruv. contuſi ℥j. Salis Nitri fixati ʒß. Bulliant in aq. Parietar. ℔ij. ad ℥xxviij. Colatura intenſe rubra per cyathos ad ℥vj. exhibeatur ubi diureſis promovenda eſt.

℞. Pulver. Kinæ Kinæ ℥j. Rhei pulver. ʒj. Syr. de Cichor. comp. vel de Pom. comp. q. ſ. M. F. Electuar. cujus doſis ʒij. quarta quaque hora exhibendæ, cum alvus eſt ſubducenda. Vel

℞. Pulver. febrifug. ℥j. Cremor. Tartar. ℥ß. pulver. Jalapæ ℈j. vel ʒß. Syr. febrifug. q. ſ. M. F. Electuar. Doſis a ʒj. ad ʒij. iteranda in febribus cum leucophlegmatia, aut hydrope.

℞. Corticis Peruvian. pulver. & Gieræ picræ Galeni ana ℥ß. Infunde in vini generoſi ℔j. Digerantur per 24. horas. Fiat colatura, & ſervetur ad uſum. Cyathum unum, aut alterum hauriat æger febre laborans, cum humores per ſeceſſum ſubducendi ſunt.

℞. Kinæ Kinæ tenuiſſime tritæ ℥ß. Gummi ammoniaci rite depurati ʒj. flor. Benzoin. ʒß. Balſam. Copaivæ ʒij. Syr. febrifug. q. ſ. M. F. El. Doſis ʒjß. quarta quaque hora exhibenda in febre cum pulmonum infarctu.

℞. Corticis febrifug. ℥j. Coq. in aq. ſtill. Verbenæ ℔ij. ad ℥xxviij. Sub finem coctionis adde folior. exſiccator. Hederæ terreſtris, Bugulæ, Saniculæ, Pervincæ, Alchymillæ, & Pyrolæ ana P. j. Fiat colatura in qua diſſolve Syr. Papav. rhæad. vel Tuſſilaginis ʒij. Fiat apozema in ſex doſes ſingulis quatuor horis exhibendas diſtribuendum, ad febrem intermittentem, aut continentem cum puris ſputo.

℞. Corticis Peruv. tenuiſſime pulver. ʒiiij. Theriacæ veteris ʒj. Syr. febrifug. q. ſ. M. F. bolus dividendus in quatuor doſes eodem die horis medicatis ſumendas in febribus maligni moris.

℞. Kinæ Kinæ pulveratæ ℥j. Diaphoretic. mineral. ʒij. Sal. ammon. purific. ʒj. Syr. Kermeſini q. ſ. Fiat El. cujus doſis a ʒjß. ad ʒij. ad diaphoreſim excitandam.

℞. Kinæ Kinæ in tenuiſſimum pollinem redactæ ℥j. Flor. ſal. ammon. martial. ℈j. Syr. febrifug. q. ſ. Fiat Electuar. Doſis a ʒj. ad ʒij. quater in die exhibenda in pallida virginum febre, & in febribus cachecticis, aut contumacibus.

℞. Cor-

℞. Corticis Peruv. ℥j. Croci Martis aper. ℥ß. pulver. Ari comp. ʒiij. Syr. febrifug. q. ſ. M. F. El. cujus doſis a ʒj. ad ʒij. ter quaterve ſingulis diebus iteranda, in febre cachetica, in menſium ſuppreſſione, & viſcerum obſtructionibus.

℞. Cortic. Per. pulver. ℥j. Diaſcord. Fracaſtorii ʒij. Syr. febrifugi q. ſ. Fiat opiata eadem doſi exhibenda in febribus, quæ diarrhæis, ventris torminibus, aut vomituritionibus ſtipantur.

Syrupus, Tincturæ, & Extractum Corticis Peruviani ſic præparantur.

Syrupus febrifugus.

℞. Corticis Peruviani pulver. ℥ij. Infunde in vini rubri generoſi ℔ij. Macerentur per duos treſve dies, identidem agitando. Liquori per inclinationem ſeparato affunde novi pulver. ℥ij. Digerantur denuo per duos treſve dies. Infuſio per philtrum pluries trajiciatur, donec liquor limpidus fiat, qui cum Sacchari albi in aq. Scorſonner. ſoluti, & in Electuarium ſolidum cocti ℔iv. permiſceatur; & erit Syrupus febrifugus non ingratus, cujus doſis ab ℥j. ad ℥ij. pro infantibus præſertim, majore commodo, & felici ſucceſſu uſurpatur.

Tinctura febrifuga.

℞. Corticis Peruviani ℥j. Aq. vitæ ℥viij. Digerantur in vaſe clauſo per triduum, identidem agitando. Tinctura a pulvere per inclinationem ſecernatur. Doſis ad cochlear unum in hauſtu vini generoſi ſæpius in die iteranda.

Extractum febrifugum.

℞. Cortic. Kinæ Kinæ ℔j. Spiritus vini rectificati ℔ij. Digerantur ſimul calore temperato, identidem agitando, donec ſpiritus vini colore intenſe rubro tinctus appareat. Tunc Tinctura etiam per expreſſionem ſeparetur a pulvere, cui reſiduo affunde vini generoſi ℔iiij. Digerantur igne arenæ per 24. horas. Fiat colatura cum expreſſione. Ambo liquores miſceantur, & in balneo arenæ ad mellaginem evaporentur. Huic Extracto liquido Syrupi Kermes ℥iij. adjiciantur, & accurate miſceantur, Mixtura ad Extracti ſolidi conſiſtentiam evaporetur. Doſis a ʒß. ad ʒij.

Quod ad Kinæ Kinæ operandi rationem attinet; vulgaris ea eſt opinio, febris intermittentis cauſam eſſe acidum ſalem coagulantem, & membranas nerveas lancinantem, unde tot naſcuntur febrium ſymptomata; Corticem vero Peruvianum alcalino ſale turgere, quo acidum ſalem febrilem abſorbet, & ejus effectus deſtruit, humores inpiſſatos, & coagulatos diſſolvendo. Sed hæc hypotheſis experientiæ prorſus repugnat. Etenim ſi febris ab acido oriretur, inde ſequeretur alcalia tum fixa, tum volatilia, ſalina vel terreſtria ad acidum febrile abſorbendum longe præſtantiora eſſe, & efficaciora; acida vero febrim intendere, & augere. At vero contrarium evenit, quandoquidem ad febrim profligandam alcalia acidis longe inferiora ſunt. Imo febres ab alcalinis valentioribus, nempe ſale Tartari, ſale volatili Cornu Cervi, oculis Cancrorum rariſſime ſedantur, ſæpiſſime autem a guttis aliquot ſpiritus

ritus Sulphuris, Vitrioli, Nitri; vel a ſuccis acidis Acetoſæ, Limonum, &c. compeſcuntur. Præterea Kina-Kina ſalis alcali tum fixi, tum volatilis portionem admodum exiguam continet, econtra vero plurimum acidi ſalis, & olei. Unde non veriſimile eſt hanc virtutem aliquot ſalis alcali granis acido ſulphure, & terra involutis & obrutis tribuere.

Contra opponere ſolent hujus Corticis amarorem, rati omnia amara eſſe ex ſalium alcali genere; ſed hallucinantur. Si enim Chymicos conſulant, ab iis diſcent amara non ex ſalium alcali proſapia eſſe, quin imo ex illis ſal acidum, aut ſalſum uberrimum per analyſim chymicam extrahi & amara arte facta intenſiſſima amaritie prædita, qualia ſunt cryſtalli lunæ, & ſal catharticum amarum, nihil alcali ſalis continere, ſed ex acidis valentioribus componi. Male igitur acido ſucco febris cauſam, ejuſque ſymptomata tribuunt; & vim febres fugandi, qua cortex Peruvianus donatur, ad ſalem alcali in eo contentum referunt.

Qui rectius de febribus, & Corticis Peruviani virtute febrifuga diſſeruit, eſt vir apud Anglos doctiſſimus, in praxi medica verſatiſſimus, accuratiſſimuſque motuum naturæ obſervator R. Morton, *Tractatu de febribus*. Is febrium cauſam eſſe particulas quaſdam venenatas ſeu deleterias, vitæ principio ſeu ſpiritibus animalibus inimicas arbitratur: unde expanſiva eorum facultas obruitur, & flamma vitalis neceſſario extinguitur. Kinam vero antidotorum more virulentiam febrilem ſubigere, miaſmata ſpiritibus impreſſa delendo, aſſerit.

Verum hæc hypotheſis ſupponit ſpirituum animalium exiſtentiam, quæ quidem a plurimis, & quidem peritiſſimis anatomicis in dubium revocatur. Præterea doctus ille Medicus nullam de Kinæ-Kinæ in ſpiritus aut in nervos actione rationem reddit; eamque inquirere inutile cenſet, quaſi in re tam obſcura veritatem aſſequi eſſet impoſſibile. Si tamen attendimus ad evidentes febrium intermittentium vel continentium cauſas, ad earum ſymptomata, necnon ea, quæ Corticis Peruviani exhibitionem ſequuntur, quaſdam de natura febrium, Corticiſque operandi ratione notiones conſequemur; quæ licet adhuc conjecturales ſint, tamen ad verum prope accedere videntur.

Febrium intermittentium cauſa efficiens, ſeu proxima, eſt ſuccus excrementitius nervis infenſus, in maſſam ſanguineam redundans, propter alicujus evacuationis ſenſibilis vel inſenſibilis ſuppreſſionem, quam efficit abuſus vel depravatio ſex rerum non naturalium, inter quas frigida, & humida aeris imperies principem locum obtinet, & hæc vulgatior eſt harumce febrium cauſa externa vel remota. Hujus ſucci natura ad ſalem alcali urinoſum proxime accedere videtur, quandoquidem omnes fere humores excrementitii maxima ſalis alcali urinoſi copia turgent. Ac proinde ſuccus ille in ſanguine redundans, maximam in eo ſalis urinoſi copiam coarcevat; quod verum deprehenditur, ſi febricitantium ſanguinis, analyſis inſtituatur: major enim ſalis urinoſi copia ex eorum ſanguine, quam ex ſanorum ſanguine extrahitur. Vis autem illius humoris nociva non a ſola ſalium acrium copia; ſed etiam a quibuſdam partibus bilioſis ſeu ſulphureis aduſtis cum ſalibus certa proportione permixtis magis intenditur vel remittitur; quæ quidem vis ab effectis tantum dignoſci poteſt.

Noxius

Noxius ille humor ſalino-oleoſus a ſanguine ſecretus, in nervoſum genus primario, & immediate irruit: unde ſymptomata naſcuntur, quæ primum ineunte febre percipiuntur; ſcilicet, algor, languor animi, deliquium, jactatio, horror, rigor, oſcitatio, pendiculatio, vertigo, dolores ſpaſmodici, debilitas pulſus, ardor, ſitis, linguæ ariditas. Deinde in humores nonniſi mediate, & ſecundario vim ſuam exerit, quandoquidem tota œconomia ſanguinis, & humorum debitæ fibrarum nervearum oſcillationi ſubjecta ſit: perturbato nervorum motu oſcillatorio, ſanguinis, & liquorum motus minuitur, ſecretiones ſolitæ prorſus ſupprimuntur. Verum dum vires ſunt huic impetui ſuſtinendo pares, ex hac ſanguinis ſegnitie, & mora intra vaſa, ſtatim totum nervorum genus commovetur, ſuccurritur, ac tanta vehementia oſcillationes ſuas reſtituit, ut tandem totum corpus brevi incaleſcat, ſanguinis motus retardatus reſtituatur, & lenior, quem mora contraxerat, diſſolvatur. Iiſdem ſuccuſſibus humor noxius nervis impactus repellitur, & foras cum ſudoribus aut alia excretione ſenſibili vel inſenſibili amandatur, vel in partem aliquam deponitur, in labia, nares, aut quaſcumque alias corporis partes: unde exanthemata varia, puſtulæ, maculæ petechiales, rubræ vel purpureæ efflorefcunt: vel bubones, alas, & inguina; cœteras partes, carbunculi, furunculi, tumores, abſceſſus, atque ulcera varii generis obſident.

Cortex Peruvianus febres maligni moris, & peſtilentiales non extinguit, aut ſaltem difficillime: intermittentes vero, & continentes rite adhibitus cito, & tuto ſanat. Hæc Kinæ energia partim ejus ſtyptico amarori, partim acidis, quibus donatur particulis, debetur.

Acida remedia febrem ſæpiſſime tollunt, veneni febrilis, & alcalini cauſticitatem retundendo: ſed nonnunquam febris recurrit ex eo, quod cauſa remota eadem ſæpe remaneat, non in integrum reſtituta debita evacuatione.

Amara medicamina febres quoque aliquando profligant, non tam acrem cauſticumve humoris febrilis ſalem infringendo, quam febris cauſam removendo. Diximus, febris cauſam internam, & antecedentem eſſe cujuſdam ſolitæ excretionis ſuppreſſionem, quæ oritur ex laxitate, & flacciditate fibrarum nervearum quibus emunctoria huic vacuationi deſtinata componuntur. Amara vero ſua ſtypticitate fibras nimis laxatas reſtringunt, & ſic ſuppreſſas vel imminutas excretiones reſtituunt.

Cortex Peruvianus amborum horumce remediorum virtutes in ſe ipſo conſociat: ſcilicet acido ſale, quo turgidus eſt, acres, cauſticos toxici febrilis ſales retundit, ſicque febrilia ſymptomata citiſſime ſupprimit; deinde diuturniori uſu omnes corporis ſuccos amarore ſuo ſtyptico perfundit, quo fibras ſolidas vel humica aeris intemperie, vel alia quacumque de cauſa laxatas conſtringit, roborat, & firmat, & ea ratione cauſam antecedentem tollit. Nec mirum, ſi citius interrupto Corticis uſu febris ſæpe recurrat, præſertim ſi aeris conſtitutio humida ſit, & frigida, laxatis denuo aſſiduo aeris externi contactu corporis fibris. Kinæ uſus per ſat longum temporis ſpatium continuatus humorem febrilem non tantum mutat, & fibrarum tonum firmat; ſed etiam humorem noxium jam domitum foras expellit per unum aut alterum e corporis emiſſariis.

Reſti-

Reſtituto nempe viſcerum tono, munia ſua obire incipiunt; redundantes, quibus turgebant, ſuccos excernunt, aut per alvum, aut per urinas, aut per ſudores, aut per inſenſibilem perſpirationem; ſicque Kina ſæpe cathartici, diuretici, ſudoriferi, aut diaphoretici vices adimplet. Febrium vero peſtilentialium malignitatem emendare nequit, aut ſaltem difficilius reprimit; quandoquidem harumce febrium cauſa antecedens non ſit fibrarum laxitas aut flacciditas, ut in intermittentibus, ſed earumdem criſpatura aut erethiſmus, cui ſedando impar eſt ille Cortex. Tunc enim cardiacis valentioribus opus eſt, ſcilicet ſalibus acidis tenujoribus, cum oleoſis aromaticis particulis conjunctis, quibus non tantum vis veneni craſſioris, & ſumme cauſtici infringatur, ſed etiam craſſiores, & fixiores ejus ſales attenuentur, & ut ita dicam, volatilizentur, ut facilius per cutis poros exhalari poſſint, ac tandem ſolidæ fibræ inordinate, & vehementer ſuccuſſæ blande ſtimulentur, & ad æquatam vibrationem reducantur. Sic ſucci venenati jam ſubacti ex ſanguinea maſſa ſecernentur, per cutis poros vel alia corporis emiſſaria excernentur, aut ſaltem, ut nonnumquam evenit, in partem minus nobilem ablegabuntur.

Relatum legimus *in Act. Medic. Edimb. tom.* 2. 3. *&* 4. Corticem Peruvianum in gangrenis, & ſphacelis a cauſa, tum interna, tum externa ortis, a Medicis atque Chirurgis peritis adhibitum mira præſtitiſſe, & ægros penitus deſperatos, aliis remediis fruſtra tentatis, priſtinæ ſanitati reſtituiſſe.

Præſcribitur ad ℥ß. ſub decocti vel boli forma, quarta quaque hora quotidie ſumendus, partem gangrena vel ſpacelo infectam, Therebentinæ oleo aut alio quovis remedio accommodato, illiniendo.

Paucis ab hinc annis Cortex alius arboris ignotæ Pariſios advehebatur, ſub nomine Kinæ Kinæ fœminæ, qui genuino denſior erat, magis ruber, & Tabaci Hiſpani colorem proxime referens, exterius albidior, febres etiam quandoque tollens. Cum vero longe minoris eſſet efficaciæ, & veræ Kinæ Kinæ doloſe immiſceretur a mercatoribus, lege cautum eſt, ne deinceps afferretur.

Alia eſt Kinæ Kinæ ſpecies, quæ Kina Kina aromatica, Caſcarilla, Schacarilla, & Cortex Peruvianus griſeus, Zagarilla, in officinis noſtris dicitur: Cortex Eleuterii *Joann. Andreæ Stifferi*: China China falſa, & Cortex Eleuterii *Dale Pharmacol.* Eleutheria *Lin. H. Cliff.* 486. vulgo, *Chachril* vel *Caſcarille*. Cortex eſt in tubulos convolutus, digiti vel pollicis latitudine, & duos, tres, quatuorve pollices longos, lineam unam aut alteram craſſos, colore foras cinereo caneſcente, intus ferrugineo, ſapore amaro, aromatico odore, dum comburitur, fragrantiſſimo, aromatico, ad Ambari odorem aliquantiſper accedente. Ex quibuſdam Americæ meridionalis regionibus ad nos affertur, præſertim ex illa regione, quæ *Paraguay* dicitur.

Primus qui de hoc Cortice mentionem fecit, eſt J. And. Stifferus, Medicinæ Doctor, & Profeſſor in Academia Julia, qui *in Actor. laboratorii Chymici ſpecimine ſecundo anno* 1693. *Helmeſtadii edito*, refert, ſe hunc Corticem aromatici odoris, & ſaporis, particulis balſamicis reſinoſis refertiſſimum, Corticis Eleuterii nomine inſignitum, a quodam viro

per-

perilluſtri ex Anglia reduce accepiſſe, & narrante in Anglia tunc moris eſſe raſuram hujus Corticis Tabaco admiſcere, ut fumum ejus haud omnibus gratum ſuaveolentia ſua corrigeret. Narrat quoque idem Stiſſerus ſe paulo poſt a Clar. viro Joanne de Breyn mercatore Amſtelodamenſi florentiſſimo, curioſo, & in exoticorum notitia verſatiſſimo, eumdem accepiſſe Corticem; nihil aliud de ejus uſu referente, niſi quod raſura ejus Tabaco admixta, facta ſuctione per tubulum, ingratum fumi odorem quodammodo corrigeret, ſimul tamen ebrietatem quoque induceret, ſi paulo largior portio admiſceretur. Poſt aliquot annos in nundinis Brunſvicenſibus idem Cortex pro Cortice Peruviano Kina Kina dicto, a mercatoribus nonnullis venditus fuit. Sic innotuit in Germania tanquam febrifugus.

Arbor ex qua ille Cortex depromitur, nobis adhuc ignota eſt.

Idem Stiſſerus primus hunc Corticem in uſum adduxiſſe videtur. Licet, inquit, virtute febrifuga notabili haud polleat Cortex ille Eleuterii, ideo tamen ejus uſus in totum haud rejiciendus, cum particulis reſinoſis, & balſamicis corpori noſtro haud ingratis refertus ſit.

Ejus tincturam paravit cum ſale Tartari, & ſpiritu vini, qua in calculo, aſthmate, phthiſi, ſcorbuto, arthritide, aliiſque affectibus feliciter uſus eſt, ejuſque vim diureticam, & carminativam expertus.

Aliam quoque tincturam cum ſale volatili Cornu-Cervi, & ſpiritu vini parabat, priori haud inferiorem, licet coloris minus ſaturati. Utramque tincturam mane, jejuno ventriculo, vel una hora ante paſtum in potu calido herbæ Theæ vel Coffe ad 20. vel 30. guttas aſſumendam præſcribebat; & arthriticis, ſcorbuticis, necnon calculoſis profuerunt.

Qui per prandium vel ſtatim poſt prandium tincturam cum ſale Tartari paratam in vino vel cereviſia permixtam hauſerunt, levem quamdam ebrietatem ab ea, ſine noxa tamen, experti ſunt.

Hujus Corticis vis febrifuga, cardiaca, & alexipharmaca plurimum commendatur a Joanne Ludovico Apino Medico Herſpruccenſi, in hiſtorica quam anno 1697. edidit Norimbergæ relatione febris epidemicæ annis 1694. & 1695. in Noricæ ditionis oppido Herſpruccenſi, & vicino tractu graſſari deprehenſæ, tandemque petechialis redditæ.

Hæc febris epidemica, cujus cauſam pluvias fuiſſe creberrimas autumat, quæ anno 1694. menſe Auguſto ingruentes, ad Decembrem uſque perſeverarunt, primum mitior fuit, febris intermittentis tertianæ vel duplicis tertianæ ſpeciem ferens: pueros, fœminas gravidas, atque pauperculas tantummodo infeſtaverat. At incrementum hæc lues epidemica ſub ipſis anni 1695. auſpiciis ſumpſiſſe, & maculas oſtendiſſe petechiales refert; quarum cauſam tribuit temperiei aeris mutatæ, & rigidiſſimo gelu ſupervenienti, negotium tranſpirationis ſubito ſufflaminanti, colluviemque ſeroſam incraſſanti. Quæ quidem febris petechialis æſtu ſolis intenſiori per æſtatem, dyſenteria ſuperveniente, ſublata fuiſſe videbatur, donec, Caniculis temperatis, priſtinam ſuſcepit iterum faciem; ſed rarior extitit, ac tandem ſpirantibus ex Oriente ventis ſub Autumno prorſus evanuit.

Has

Has febres intermittentes primum debellare conatus eſt alexipharmacis & ſudoriferis exhibitis, prius tamen purgatis ano & cato ventriculo & inteſtinis, quibus tamen febrile fermentum cedere noluit. Ideo Corticem hunc, ſeu Caſcarillæ pulverem aut ejus extractum illis, doſi conveniente, admiſcuit, ejuſque efficaciam, quæcumque ſupervenerint ſymptomata, ad eas curandas feliciter expertus ſummopere deprædicat; febreſque petechiales ipſas eodem ſe medicamento, in majori tamen copia exhibito, curaſſe fatetur, necnon dyſenteriis ſuccedentibus opitulatum fuiſſe.

Caſcarillam exhibuit ad ℥j. pro doſi, modo bis in die, modo ter quaterve iterata, quæ ſæpius ſudorem excitavit. Ejuſdem Corticis extractum cum aqua ſolum præparavit, cujus ſingularem efficaciam in his febribus perdomandis plurimum extollit, & propterea Specificum Lexipyretum nominavit, ἀπὸ τοῦ λήγειν τοὺς πυρετοὺς, finire febres.

Hic ſolemnis fuit illius Extracti exhibendi modus. Poſt peractum, ubi neceſſarius eſſet, vomitum, vel præmiſſo in ſubſtantia Cortice, vel eodem penitus etiam omiſſo, dicti Extracti Lexipyreti quinque, modo plura, modo pauciora grana, aut in pilularem formam acta, aut in potiuncula ſoluta, ſexta quaque hora, in leviore caſu mane ſaltem & veſperi præbuit. Hanc ita cœptam methodum raro ultra triduum continuavit, non comparente manifeſta in melius mutatione. Non pauci altera, tertiave doſi convaluerunt, aut eo ſaltem deducti ſunt, ut reliquum natura facillime confecerit, evaneſcentibus ubique luctuoſis & terrificis ſymptomatibus. Plerique, Cortice vel in ſubſtantia, vel in extracti forma ſumpto, largiter ſudarunt ſine ulla moleſtia vel virium jactura. Præter hanc manifeſtam per ſudores operationem alvus ægris ſervabatur aperta. In difficilioribus ad ſudandum alvus nonnumquam ter quaterve non minus ac ſumpto purgante ſolvebatur cum euphoria. Menſes mulierum ineunte febre ſuppreſſos revocavit, necnon etiam hæmorrhoidalem fluxum ſuppreſſum reſtituit. Apud Germanos pro genuino Cortice Peruviano ille Cortex ſæpius uſurpatur. A Medicis virtutes reſolventes, aliquantum diaphoreticæ, tonice, & ſedantes eis tribuuntur; quas obtinet a partibus ſuis conſtituentibus, tum ſulphureis, ſubtilibus, vaporoſis, tum reſinoſis, & terreis, aliquantiſper adſtringentibus, quas quidem odor, ſapor, & analyſis Chymica demonſtrant.

Speciatim vero clariſs. Stahlius hunc Corticem in pectoris morbis, ubi lenit, diſcutit, & ſedat, peripneumonia, pleuritide, imprimiſque in diarrhæa febrium acutarum, & dyſenteria, quam aliis omnibus remediis efficacius mitigat, præſtantem expertus eſt.

Præſcribebat initio eſſentiam Corticis Caſcarillæ cum reſolvente, & diſcutiente catharrali, v. gr. Pimpinellæ albæ remixtam a guttis xxx. ad xl. in incremento vero, & ſtatu pulverem reſolventem compoſitum infra deſcribendum, tempore nimirum matutino, & verſus noctem a ℈ß. ad ℈j. circa declinationem vero Caſcarillam in ſubtilem pulverem redactam, ſed in refracta, nec ſæpius repetita doſi a gr. ſcilicet x. ad xv.

Pulvis reſolvens compoſitus Stahlii.

℞. Pulveris reſolventis ex Teſtar. Conchar. ſine igne pp. Antim. diaph. & Ni-

& Nitri depur. ana partib. æqual. facti ℥jß. Extracti Caſcaril. cum aqua ℥ß. M. F. Pulvis.

In febre inteſtinorum inflammatoria ex meſenterio ſeu dyſenteria commendatur quoque pulvis Caſcarillæ cum Pilulis balſamicis.

Joannes Junckerus Medicus Hallenſis *in ſuo conſpectu Therapejæ generalis* profert ſingularem hujus Corticis præcellentiam ab Apino in febribus malignis & contagioſis celebratam, medentium votis non reſpondere. Majore cum fructu illum præbuiſſe aſſerit in febribus intermittentibus, quas cum aliis convenientibus remediis conſociatus ſæpe feliciter perſanat: in quo, genuino Cortici Peruviano validius adſtringenti, & plurimis, niſi caute detur, noxio, palmam præripit.

Obiter hic nobis obſervare liceat petechiales illas febres, in quibus Apinus hunc Corticem adeo feliciter exhibuit, licet malignæ fuerint, fuiſſe tamen de genere intermittentium, tertianarum nempe, vel dupliciumi tertianarum, ſubintrantium, quas nos quoque poſt Mortonem ſpecifice ſanare obſervavimus, modo non ſerius exhibeatur. Quapropter accurate diſtinguendæ ſunt febres malignæ, in quibus Cortex ille convenit ab illis, quibus prorſus inutilis eſt. Ex Apini & Junckeri itaque obſervationibus concludimus hunc Corticem omnibus febribus intermittentibus, tum benignis, tum malignis convenire, raro vero aliis febribus continuis, malignis, & contagioſis.

Idem Junckerus aſſerit, hunc Corticem conferre in omnibus inflammationibus, excepta angina, ubi paulo acrior eſt, doloribus, ſpaſmis hypochondriaco-hyſtericis, turbatione fluxus menſtrui & hæmorrhoidalis, hæmorrhagiis internis, vomitu cruento, lochiis nimiis, hæmoptyſi, item in hemicrania, debilitate ventriculi a morbis relicta, vomitu nimio, quovis alvi fluxu, & aliis. Et quamvis non ubique præſentem effectum edat, tamen vi ſua tonica & leviter anodyna ægros aliquantum ſolatur, atque ſaltem opiatis tutior eſt & convenientior.

Illud modo providendum eſt, ut juſto tempore ac decente methodo, neque largius aut nimium, (quia calefacit) hunc Corticem offeramus.

Caſcarilla accenſa fumum non inſuaveolentem ſpargit, quamquam is multis adverſus ſit, & caput tentare obſervetur.

Cœterum Germani hoc utuntur Cortice in pulvere, eſſentia, extracto, & infuſo.

Pulvis his in affectionibus a gr. vj. ad ℈ß. vel ℈j. Infuſum ʒß. vel ʒj. in liquore idoneo: Eſſentia ſeu Tinctura cum ſp. vini parata a guttis x. ad xx. Extractum a gr. iij. ad vj. vel viij. præſcribuntur.

Michael Alberti Profeſſor Medic. Hallenſis, *in introductione ad Medicinam*, idem de hoc Cortice refert: addit quoque ad febrium epidemicarum curam haud tam ſpecificam virtutem habere, qualis ab Apino allegatur; attamen ad mitiores febres intermittentes compeſcendas, poſt præmiſſam ſufficientem evacuationem, quantiſper conducere.

AR-

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Codaga-pala.

CODaga-Pala. *H. Mal. par.* 1. *pag.* 85. *tab.* 47. Nerium Indicum, ſiliquis anguſtis, erectis, longis, geminis, *Burm. Theſ. Zeyl.* 167. *tab.* 77. Apocynum erectum Malabaricum, fruteſcens, Jaſmini flore candido, *Par. Bat.* 44. Arbor Malabarica lacteſcens, Jaſmini flore odorato, ſiliquis oblongis, *Syen. in not. ad H. M.* Coneſti: *Act. Edimb. tom.* 3. *pag.* 32.

Apud Malabaros & Zeylonenſes frequens naſcitur hæc arbuſcula ex radice minus ſubmiſſe ſe demittente, fibras late diffundente, cortice rubro-fuſco & lacteo, qui ſaporis amari & minus pungentis. Caules firmi, lignoſi, rotundi, varios proferunt ramos, cortice nigricante, lignum albicans tegente, cinctos; folia gerentes bina, ſibi mutuo oppoſita cum brevi petiolo, oblongo-lanceolata, acuta, glabra, nervoſa, variæ magnitudinis, at utraque parte læte viridia, lacteum ſuccum fundentia. In ſummo caulium varii egrediuntur flores tubuloſi, in quinque ſegmenta diviſi, monopetali, ſtaminibus quinque in conum acutum collectis ornati, albiſſimi, jucundi odoris & aſpectus. Calyx flores ſuſtinens eſt ſtellatus, in quinque lacinias diviſus, qui ſatis longo & tenui ac varie multiplicato innititur pedunculo, & perpetuus eſt: floribus enim emarcidis ex uno tali calyce duæ ſimul eriguntur ſiliquæ anguſtæ, erectæ, longiſſimæ, miro modo in ſummo per apicem acutiſſimum circumvolutum ſibi junctæ & connexæ; quæ ſiliquæ lanugine albiſſima ſunt repletæ, qua ſemina coronantur plurima, longa, anguſta, ſtriata, cinerea, & pappo veluti funiculo umbilicali placentæ adhærentia.

Cortex contritus & epotus in lacte acido commendatur in fluxu ventris. Cortex radicis laudatur quoque eodem modo ſumptus, in fluxu ventris quocumque, ſive dyſenterico, ſive lienterico, & in fluxu hæmorrhoidali. Idem in aqua decoctus & epotus ſervit pro tumoribus corporis. Radix trita & cum aqua in qua Oryza lota fuit, decocta, confert pro angina gutturis & colli, facta lotione: ſervit quoque pro tumoribus corporis, eodem modo uſurpata uti & pro dolore arthritico, partibus affectis appoſita: dentium quoque dolores ſedat, vermes in iis necando, ejus decocto in ore detento. Semina in decocto data proſunt in febre calida, uti & ardore jecoris ac in podagra; lumbricos quoque enecat. *H. Malab.*

Commendatur in Act. Edimb. recentiorum, minorumque ramorum cortex, arboris muſco & quadam veluti tinea exteriori, & inſipida minime obductæ; hic cortex, muſco diligenter eraſo, in tenuiſſimum pulverem contritus, & cum Syrupo Aurantiorum in electuarium redactus, laudatur ut ſpecificum in diarrhæis. Hujus electuarii ℥ß. vel amplius, quarta quaque hora quotidie exhibetur per tres quatuorve dies. Dejectiones primo die frequentiores, & copioſiores evadunt, ſed abſque tormini-

minibus : altero die color fœcum in melius immutatur ; tertio vero vel quarto, ſi medicamentum penitus ſucceſſerit, fœces ad naturales proxime accedunt quoad conſiſtentiam.

Rariſſime fallit hocce remedium in diarrhæis recentibus, ab inordinato victu procedentibus, modo febris abſit, ſi prius Ipecacuanhæ doſis ægrotanti propinata fuerit. Non minori ſucceſſu, & eadem ratione præſcribitur electuarium iis, qui cum ſint laxo corporis habitu donati, dum pluvioſum ac humidum eſt cœlum, in diarrhæas facillime incidunt; imo per aliquot dies poſt curatam diarrhæam mane & veſperi continuandum eſt, aquam Oryzæ propinando pro potu conſueto, vel etiam emulſiones ex ſeminibus frigidis & ſale Prunellæ, ſi opus ſit.

At ſi febris diarrhæam comitetur, reprimenda erit prius febris V. S. & emulſionibus refrigerantibus, vel decocto albo cum ſale Prunellæ.

ARTICULUS OCTAVUS.

De Simarouba.

SImarouba cortex eſt arboris hactenus ignotæ, in Guiana creſcentis, & ab incolis *Simarouba* nuncupatæ. Coloris eſt ex albo flaveſcentis, nullo odore præditus, ſaporis ſubamari, lenteſcentibus fibris conſtans, candido, leviſſimo, inſipidoque radicum, ſtipitum, truncique ligno hærens, a quo facile ſeparatur.

Simarouba gummi-reſinoſarum eſt partium, ſaporis non ingrati. Levi amarore quo donatur, ventriculum corroborat; partibus ſuis balſamico-unctuoſis, quæ ex lacteo colore quem aquæ in qua decoquitur, impertit, dignoſcuntur; dolores, & tormina compeſcit; & virtute adſtringenti & vulneraria qua pollet, hæmorrhagias & alvi fluxus ſiſtit.

Noſtris primum appulit oris hic cortex anno 1713. ex Guiana miſſus, ubi frequentiſſimi eſt uſus in alvi fluxibus dyſentericis. Anno autem 1718. quo ardentiſſimos Æſtatis calores exceperunt quamplurimi dyſenterici fluxus, qui purgantibus, adſtringentibus, ipſique Ipecacuanhæ non modo reſtiterunt, ſed etiam ex eorum applicatione ingraveſcebant. Vir Clar. D. Anton. de Juſſieu D. M. Pariſs. Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ ac Pruſſiæ Socius, & Botanices in Horto Regio Pariſienſi Profeſſor ac Demonſtrator, eos Simaroubæ cortice feliciter debellavit. Decoctus primum ad ℥j. aut ℥ß. in minima aquæ copia, ſic apud nos, ut in Guiana propinatus, vomitus ſæpe, incommodoſque fere ſemper ſudores & majora, nonnumquam feri ſanguiniſque profluvia promovit; ſed correctis doſibus, experientia rerum magiſtra, ſalubritatis punctum attigit.

Exhibetur in decocto ad ʒij. in aquæ ℔ij. in pulvere qui radendo obtinetur, non conterendo, ad ʒß.

♃. Corticis Simaroubæ minutim ſecti ʒij. In aq. comm. ℔ij. ad tertiæ hu-

humiditatis conſumptionem decoque. Decocti in doſes quatuor diviſi unam tertia quaque hora tepidam propina. Vel

℞. Cort. vel ligni Simaroubæ pulverat. ʒß. In aquæ puræ ℥ij. dilue, aut cum Adyanthi Syrupo redige in bolum pro una doſi: hora opportuna præbe, repetitis hujus medicaminis ſub qualibet forma doſibus ad integram uſque ſanationem.

Perficitur illa abſque ullo decocti potus faſtidio, ulla per vomitum vel per ſeceſſum evacuatione. Sedantur tamen unius diei ſpatio dolorum cruciatus, redit cito ſomnus, urinæ fiunt copioſiores & limpidæ, rariores evadunt evacuationes, fœcum odor fœtidus ceſſat, color immutatur, e liquidis incraſſeſcunt, cibos æger appetit, brevi reficitur.

Cortex namque Gujaneus inteſtinis in decocto propinatus, balſamum ſuppeditat, ſtomachum etiam immoderatis & inveteratis alvi fluxibus debilitatum corroborat, ciborum appetentiam excitat, eorumque digeſtioni amaris, inciſivisve partibus favet, necnon & eroſæ inteſtinorum membranæ interiori ſublatum ab acrioribus excrementis mucum reſtituit. Singulari virtute antiſpaſmodica, ſtomachica, narcoticave vulgaribus antidyſentericis præcellit; adſtringentia longe ſuperat, quæ non impune fluentibus hæmorrhoidibus aut mulierum catameniis interius præbentur: hauſto vero Simaroubæ decocto, ceſſante noxio alvi fluxu, evacuanda fluentiaque cœtera libere ac ſecure eliminantur: unde & antihyſterica vi plerumque pollere pluribus probatum eſt experimentis.

Convenit præſertim in ſeroſo-bilioſis, ſanguinolentis, mucoſiſque alvi fluxibus, a continuo inteſtinorum convulſivo motu inveteraſcentibus, in quibus abeſt febris, & illæſa ſtomachi functio, & in teneſmis. Adminiſtrandi medicaminis forma & doſis variant, pro varia ægrorum, ægritudinumque ratione. Etenim ſi evacuatis jam ſtomachi primarumque viarum ſordibus, factum fuerit mitius malum, ſemidrachmæ ligni pulverati uni vel alteri doſi quandoque cedit, accedente vero cacochymia ad ſæva morbi ſymptomata, nonniſi pluribus repetitis decocti corticis doſibus, vincitur. *Ex Act. Ac. Reg. Scient. Pariſ. an.* 1729. 32. *& ex Quæſtione Medica D. Ant. de Juſſieu in Scholis Medicor. Pariſ. diſputata* 16. *Februarii an.* 1730.

CAPUT TERTIUM.

De Lignis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Agallocho, ſeu Ligno Aloes.

Licet apud Dioſcoridem Agallochi deſcriptio adeo brevis ſit; ut ex ea evidenter demonſtrari nequeat Agallochum unum & idem eſſe atque

Xyloaloen Græcorum recentiorum, Agalugen Arabum, & lignum Aloes officinarum: attamen rem ita eſſe veriſimile eſt; quandoquidem & Dioſcoridis deſcriptio officinali ligno Aloes ſat bene conveniat, & Arabica denominatio antiquæ Græce denominationi non admodum diſſimilis ſit, necnon etiam hac in re Botanici fere omnes conſentiant.

Itaque ἀγάλλοχον *Dioſcoridis*, ξυλάλον *Græcorum recentiorum*: Hoad, Agalugi & Agallugum *Arabum*: Agallochum, Xyloaloes, & lignum Aloes *Offic.* Lignum Aquilæ, Lignum Paradiſi, & Lignum ſanctæ Crucis *Quorumdam*. Lignum eſt reſinoſum, odoratum, prorſus diverſum ab Aloe, ſucco amaro cathartico, in officinis uſitatiſſimo. Neque etiam eſt lignum arboris ex qua ille ſuccus ſtillat, ut quidam exiſtimaverunt.

Ab Arabibus plures ligni Aloes ſpecies ratione bonitatis & loci unde affertur, diſtinctæ recenſentur. Nos vero cum C. Bauhino triplex genus diſtinguemus.

1. Agallochum præſtantiſſimum; *C. B. P.* Calambac Indorum: Kenam Cochinchinenſium: Suk-Hiang Sinenſium, *Dale Pharmacol.* Sokio G. Camelli, *R. Hiſtor.* Lignum eſt læve, reſinoſum, molle fere inſtar ceræ vel maſtiches, quod dentibus & unguibus cedit, pruniſque impoſitum veluti reſina fere totum colliqueſcit, ſuaviſſimum ſpirans odorem: ſapore eſt amaricante aromatico. Tres ejus ſpecies a D. Cunningham *in S. Dale Pharm.* conſtituuntur, ratione coloris: prima variegata ex nigro & purpureo colore: altera nigra & flava ſeu maculata inſtar Tigridis: tertia flava velut luteum ovi. Ex Cochinchinenſi ſeu Annamico regno afferuntur.

2. Agallochum officinarum, *C. B. P.* Lignum Aloes vulgare officinarum: Tehin-Hiang Sinenſium, *Dale Pharmacol.* Thimhio G. Camelli, *R. Hiſt.* Pao de Aguila, *Luſitanorum*. In fragmenta lignoſa affertur magnitudine varia, nonnunquam ſolida, denſa, ponderoſa, colore ſpadiceo, ſtriis nigricantibus & reſinoſis diſtincta, interdum foraminata, & quaſi carie exeſa, & quorum cavernulæ reſinam quamdam ſubrubram, odoratam continent; colore ligni fuſco ſeu ex purpura nigro. Sapor hujus ligni ſubacris eſt, amarus, aromaticus, odorque pergratus. Si prunis candentive ferro imponatur, liquorem exſudat reſinoſum in bullulas intumeſcentem, ſuavemque, & acidulum fumum effundit. Naſcitur in inſula Sumatra, in Cambaya, ſed præſertim in Cochinchina. Sæpius occurrit in officinis, quam lignum Calambac, quod ratione ſummi illius pretii rariſſime nobis affertur.

3. Agallochum ſylveſtre, *C. B. P.* Calambour vel Calambouc, *Officin.* Agallochum, ſeu Lignum Aloes Mexicanum G. Camelli, *Raii Hiſtor.* Lignum eſt levius & magis poroſum, minuſque reſinoſum quam Agallochum officinarum, colore quaſi ex ſubviridi fuſco, odore ſuavi & fragrante, ad Ligni Aloes odorem accedente, ſapore amaro. In prægrandes ſtipites affertur ex inſulis Solor & Timor. Rarioris eſt uſus in Medicina: frequentius uſurpatur ad conficienda ſcrinia, pixides, ſculptilia opera, ſphærulas ad coronas precarias, & cætera hujuſcemodi.

Nullam arborum, quæ Calambac & Agallochum ferunt, accuratam habemus

mus deſcriptionem (*a*). Diverſas enim eſſe arborum ſpecies quidam exiſtimant: alii vero unam tantum & eamdem eſſe. D. Jacobus Cunningham refert Calambac fieri ex arbore, cujus fructus fere pyriformis, lanuginoſus, magnitudine Myrobalani citrinæ, cortice craſſo & lignoſo vel fungoſo, bifariam dehiſcens, duo ſemina ſepto medio intercepto, turbinata, cum appendicibus membranaceis continet, calyci inſidens quinquifido.

Agallochum vero vulgare ſeu officinarum arborem eſſe ferunt Oleæ inſtar, fructu Piperis modo rotundo & rubente, ligno Thuyæ ſimili, maculato, odorato, quod cortice craſſo, aliquantulum verſicolore, veſtitur.

(*a*) De Agallocho hæc habet Kæmpferus, *Amœn. exot. faſc. v. p.* 903. Ex remotiſſimorum montium teſquis laborioſe delatam addimus arboris oppido raræ plantam, ſed tenellam, imperfectam, & adumbratione vix dignam, cui tamen acquieſcimus, dum perfectioris deſcriptionem dies aperuerit, *Sinkoo* nuncupatam, vulgo Japonum *Kavvoriki*, id eſt, Lignum ſive Arbor fragrans: Siamenſibus *Kiſſina*: Latinis Arborem Aquilæ & Aloes dictam, cujus fragrans lignum appellatur Agallochum.

Planta caudice conſtat cubitali, recto, tenuj, læte virenti, villoſo, ab imo folioſo, in duos ejuſdem conditionis ſurculos ad foliorum ſitum quodam modo inclinantes divaricato. Folia ex unciali intervallo adſunt ſingula, Perſicæ foliis ſimilia, ora integra piloſa, utraque facie vivido colore micantia, protuberante per dorſi longitudinem nervo medio, a quo venulæ laterales ad oram ſucceſſive obliquant denſiſſime, ſubtiliſſime, &, niſi probe attendas, vix conſpicuæ.

Sunt ex noſtratibus qui arborem hanc pingunt bacciferam & Oleæ ſimilem, credo ex fide Serapionis & Dioſcoridis. Verum abſtruſum eſt ejus natale & belluarum paradiſus, quem doctorum nemo unquam frequentavit. Patriam auctores noſtri variam regionem conſtituunt. Garzias ab Orto ſcribit ſe ramum obtinuiſſe ex Malaca, ſed ſine flore & fructu. Mihi ſicut nec fructum licuit, ita nec aliam hodie patriam explorare, quam Cambodiam & Siamenſis regni provincias *Tſiampa* & *Bonna*, prope oſtium maris. Coccintſinam quoque & huic conterminam Sinæ provinciam *Junam*, ex inacceſſis rupibus ſibi Agallochum cedere affirmant Sinenſes: ex quorum ac Siamenſium narratu mihi certo conſtat, arborem nonniſi per vetuſtatem acquirere fragrantem odorem ſuum, reſidentem in ſucco reſinoſo, qui marcente & putreſcente arbore interiores quaſdam ligni partes occupat, circa nodos vero cumulatius condenſatur: cujus proinde fragmenta auro contra cara ſunt, ſingulari dotata nomine *Calamba* vel *Calambak*; cum cœtera fragmenta, nomine ipſius arboris, appellentur *Kiſſina*. Atqui & hæc ſecundum bonitatis notas, videlicet ſubſtantiam reſinoſam, nigredinem & gravitatem, velut teſtes majoris fragrantiæ, in valore multum differunt. Hæc Europam noſtram, illa ob grave pretium nunquam appellunt. Pro Agallocho quærendo emiſſi mercenarii ſylvas certo tempore ſubeunt, armis & ſecuribus inſtructi: inventas arbores vetuſtiſſimas & caudices proſtratos, carie ac putredine fœdos operoſe findunt, repertaque hinc inde reſinoſa fragmenta eximunt, quorum primum quod inveniunt, idolis ſacrificant ſuis, quod credunt, ſoſpitatoribus. Magna eſt ligni *Calamba* in aulis Orientalibus, tum apud magnates Sinæ & Japoniæ, æſtimatio; ut ne convivium celebretur, quin ad affectandam magnificentiam, pretioſo ejus ſuffitu multum æris prodigant. Sinenſes in ſuis herbariis arbori, quamvis non ſatis cognitæ, characterem tribuunt; pro icone vaſtum & inconditum exhibentes caudicem arboris emortuæ, cum ſuperſtite ramuſculo, foliis deſcriptæ a nobis plantæ, ſed ad Laurina prope accedentibus, & quodam modo, ut apparet, pinnatis.

Serapio, Simeon Sethi, & poſt hos Jacobus Bontius narrant Agallochi truncos cœſos ab Indianis deponi in ripis fluviorum in cœno & luto, ut ligni cortex & alburnum putredinis interventu corrumpantur, remanente ligni meditullio, nempe magis compacto, reſinoſo, & putredini minus obnoxio.

Ex actis philoſophicis R. Societatis Londinenſis arbor lignum fert album, tenerum, ſucco lacteſcente ſumme nocivo turgidum. Si enim ſuccus ille in oculos incidat, cœcitatem cauſat: ſi in ullam aliam corporis partem, puſtulas excitat, & cutim inflammat. Calambac ſeu præſtantiſſimum Agallochum in ſolis arboribus reperitur, quæ ſponte in montibus computruerunt. Nec omnis arboris ſubſtantia in Agallochum convertitur: dum enim arbores exſiccantur, lignum carie paulatim exeditur, exceptis quibuſdam ligni partibus, circa quas ſuccus lacteus colligitur & in reſinam exſiccatur. Ab ea reſina conſervantur ligneæ partes, earumque albidus color in ſpadiceum vel nigricantem convertitur: Calambac vero maxime reſinoſum ex caudicis meditullio circa radicem extrahitur.

Lignum Calambac & Lignum Aloes tanti æſtimantur ab Indianis, ut ſæpe argenti & auri æquipondium cum pretioſiſſimo Calambac permutent. Hæc ligna inter thymiamata in templis deorum & palatiis regum comburuntur.

J. Bonitus refert ejus pulverem ad ℈j. pondus ſumptum choleræ mederi, & omnibus inteſtinorum & ventriculi affectibus frigidis; tineas & aſcarides puerorum efficaciter necare. Cerebrum, cor, ventriculum, uterum, omniaque viſcera roborare, ſpiritusque recreare exiſtimatur. Unde in plurimis cardiacis Arabum compoſitionibus uſurpatur. Revera oleo eſſentiali uberrimo pollet, quod diſtillationis ope extrahi poteſt. In lypothymia, ſyncope, & paralyſi convenit. A quibuſdam ad memoriam firmandam laudatur: apud Anglos ad podagram & rheumatiſmum ſanandum plurimum commendatur. Ejus ſubſtantia a ℈ß. ad ʒß. exhibetur. Decoctum propter amarorem raro præſcribitur.

Oleum eſſentiale ex Ligno Aloes paratum iiſdem viribus donatur. A guttis tribus quatuorve ad xx. exhiberi poteſt.

Tinctura quoque ope ſpiritus vini conficitur, a ʒß. ad ʒij. præſcribenda iiſdem in affectibus.

Attendendum tamen ad acredinem cauſticitatemve, quæ lacteo hujus arboris ſucco tribuitur: quod ſi verum ſit, fortaſſe hoc lignum non ſine cautione uſurpandum erit.

Agallochum uſurpatur in Pulvere aromatico roſato, Pulvere diamargariti frigidi, in Trochiſcis Alyptæ moſchatæ, & Galliæ moſchatæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Aſpalatho, & Ligno Rhodio.

AΣπάλαθος *Dioſcoridis*: Ἐρυσίσκηπτρον *Quorumdam*: Aſpalathus *Plinii*: Darſiſahan *Arabum*. Res eſt prorſus ignota in officinis noſtris; & ſi quæ ſub Aſpalathi nomine occurrunt lignea fruſtra, inter ſe prorſus diverſa ſunt, & incertæ originis. Neque mirum, cum etiam veteres de hoc ligno inter ſe diſſentire videantur. Dioſcorides enim Spalathum dicit fruticem eſſe lignoſum, ſpinis crebris aculeatum, naſcentem in Iſtro, Niſyro, Syria, & Rhodo, quo unguentarii ad ſpiſſanda unguenta utuntur. Probatur, inquit, ponderoſus,

detracto cortice rubens, aut in purpuram vergens, denſus, ſuaviter olens, & guſtu amareſcens. Alterum genus recenſet candidum, lignoſum, inodorum, quod etiam deterius. Dioſcorides caudicis lignum deſignare videtur, cujus cortex detrahendus eſt. Galenus vero *de Tractatu de Antidotis*, magma hedychroum deſcribendo, Aſpalathi corticem expoſtulat; & in vocabulorum Hippocraticorum explicatione μέλαιναν ῥίζαν de qua Hippocrates, *l.* 2. *de morbis mulierum*, Aſpalathi aromatici radicem interpretatur. Itaque Aſpalathus, ſecundum Galeni mentem, radicis cortex eſt.

Plinius majorem adhuc confuſionem affert: etenim dicit Aſpalathi radicem unguentis expeti, quæ probatur colore rufo vel igneo, tactuque ſpiſſo, & odore Caſtorei; qui quidem odor cum non adeo ſuavis ſit atque jucundus, eam a Dioſcoridis Aſpalatho diſtinguere videtur. Præterea duplicem Aſpalathum conſtituit, alium arboreſcentem, alium fruteſcentem; & alium Orientalem, alium vero in Niſyro, & Rhodo Inſulis naſcentem. Arabes Aſpalathum arborem eſſe craſſam, & ſpinis grandioribus armatam referunt, ac proinde a Græcorum Aſpalatho diverſam.

Nec magis conſentiunt neoterici in perſcrutando veterum Aſpalatho, ſiquidem Ruellius eſſe Lignum Rhodium exiſtimat: Sylvius cenſet Lignum Aloes officinarum eſſe verius Aſpalathum quam Agallochum: quidam Cythiſi veri a Marantha deſcripti lignum pro Aſpalatho vero uſurpant.

Neque etiam de Ligno Rhodio inter ſe conveniunt. Aliud enim Lignum Rhodium Ruellius deſcribit, aliud Cordus, aliud Matthiolus. Quis vero tantas lites dirimere audebit? Nobis ſufficit certo ſcire nullum medicamen Aſpalathi nomine hodie pharmacopoliis haberi, nec de veterum Aſpalatho quicquam certi doctioribus Botanicis innotuiſſe. Verum cum Aſpalathus in Trochiſcorum Hedychroon, & Trochiſcorum cypheos compoſitione præſcribatur, quid illi ſubſtituendum ſit, conſiderandum eſt.

Dioſcorides vim calefaciendi cum adſtrictione Aſpalatho tribuit. Scribit ejus cum decoctum vino ad terra ſordidaque ulcera colluenda convenire, ſubjectum in peſſo partum extrahere, ejus decoctum alvum ſiſtere, ſanguinis rectionem potu cohibere, urinæ difficultatem inflationeſque diſcutere. Galenus eumdem guſtu acrem & adſtringentem eſſe dicit, diſſimileſque facultates in illo agnoſcit, nempe partibus ſuis acribus excalefacientem: partibus vero aliis, auſteris ſcilicet, refrigerantem, & utriuſque ratione exſiccare, ac proinde ad putredines, & fluxiones utilem eſſe.

Idem Galenus *lib. de ſuccedaneis* Eryces fructum aut Viticis ſemen Aſpalatho ſubſtituit, Meſue Cinnamomum, aut Viticis ſemen; Nicolaus Myrepſus Meum; Valerius Cordus Lignum Aloes, vel Santalum citrinium, vel Viticis ſemen; Lundinenſes Santalum citrinium; Charas Lignum Aloes. Inter hæc omnia Lignum Aloes, & odore fragrante, & amaro ſapore, & viribus cum Aſpalatho veterum convenit; unde optimum ejus ſuccedaneum videtur.

Lignum odore roſeo occurrit in officinis, quod Rhodium dicitur, tum ratione odoris, tum ratione locis natalis, quod nempe ex Inſula Rhodo olim afferebatur. Cyprinum quoque dicitur, quia ex Inſula Cypro educitur. Idem a nonnullis pro Aſpalatho antiquorum uſurpatur.

Lignum eſt ſubflavum, palleſcens, per vetuſtatem rufeſcens, craſſum durum, ſolidum, tortuoſum, nodulis pinguibus, atque reſinoſis interſtinctum, odore Roſa ſpirans.

Quænam ſit arbor ex qua hocce lignum in Cypro, & Rhodo Inſulis extra-

extrahatur, prorſus incertum eſt. Anguillara, & Matthiolus Rhodium Oleaſtri ſpeciem eſſe volunt in Inſula Rhodo naſcentis, quibus ab Honorio Belli contradicitur, qui Rhodium Cytiſi veri Maranthæ, ideſt Cytiſi incani ſiliqua falcata, C. B. lignum eſſe affirmant; quod tamen minus veriſimile eſt, cum nullum gratum referat odorem.

Paul. Herman. *Tract. M. M. Mſ.* Cytiſi Canarienſis radicem eſſe dicit Lignum Rhodium, plantam vero non deſcribit. Et revera ex Canarienſibus Inſulis, ſicuti ex Antillis, & quibuſdam Orientalibus plagis hoc lignum Roſæ odorem fundens advehitur, quod ex quibuſdam arboribus extrahitur.

Ligni Rhodii ſpecies, quæ in Inſula Jamica naſcitur, arbor eſt ab eruditiſſimo viro, & naturalis hiſtoriæ peritiſſimo D. Sloane Reg. Societatis Londinenſis Secretario ſic deſcripta, *in Raii hiſtoria, Dendrologiæ fol.* 88. Lauro affinis, Terebinthi folio alato, ligno odorato, candido, flore albo, *Sloane Cat. Plant. Jam.* Truncum habet cruris humani craſſitudine, cortice fuſco, alias dilutiore, alias obſcuriore tectum, plurimis brevibus aculeis interdum armatum, ad viginti pedum altitudinem aſſurgentem, ramis terram verſus reclinatis, ligno intus candido, ſolido odore perquamgrato, & fragrante, medulla majore. Folia ramulis innaſcuntur alata, tribus, quatuor, aut etiam pluribus pinnarum conjugationibus ſemiunciam a ſe mutuo diſtantibus, ad mediam coſtam annexis, abſque ullo in extremo impari foliolo compoſita. Unaquæque autem pinna glabra eſt, colore obſcure viridi, ſubrotunda, unciam circiter longa, mediaque latiſſima partes tres quadrantes unciæ lata. Flores in ramorum cymis faſciculatim oriuntur, candidi, ſambucineis ſimiles, tripetali, petalis craſſis, cum ſtaminibus aliquot in medio; quorum unicuique ſuccedit fructus grani Piperis magnitudine, ſubtenui, arida, fuſca cute ſeu membrana in duas carinas dehiſcente, ſemen rotundum, nigrum, baccarum Lauri propemodum odore continens. In ſylvis ſaxoſis, & montoſis Jamajcæ reperitur. A colonis pro Ligno Rhodio vulgo habetur, quod odore quidem nonnihil refert; quamvis, ſi curioſe examinetur, ab eo differre deprehendatur. Incenſi hujus Ligni fumus odore eſt gratiſſimo. Batavi ex Ligno Rhodio oleum eſſentiale fragrantiſſimum per diſtillationem extrahunt, quod pro oleo eſſentiali Roſarum ſæpius uſurpatur in balſamis apoplecticis, cephalicis, & cardiacis.

Ligno ſicut ejus oleo eſſentiali cor, & cerebrum roborandi vis tribuitur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Guajaco.

EOdem tempore quo Europa nova orbis divitiis locupletata fuit, eodem etiam ægritudine nova, & illud uſque tempus incognita, contaminata eſt. Venera lues circa finem anni 1494. & initium 1495. tempore obſidionis Neapolis a Carolo VIII. Gallorum Rege, apparuit, & in utrumque exercitum, tum Gallorum, tum Hiſpaniorum ſerpere cœpit, & ab horumce exercituum diſceſſu a Neapoli per totum orbem diffuſa eſt. Unde a Gallis morbus Neapolitanus nuncupatus fuit, ab Hiſpanis vero, & Italis morbus Gallicus. Neque ante illud tempus ulla apud Medicos hujus morbi facta fuerat mentio.

Com-

Communis de hujus labis origine opinio eſt hunc morbum in America endemium ab Hiſpanis in Europam aſportatum fuiſſe. Verum hæc opinio nullis certis argumentis confirmatur. Imo nonnulli ſunt, qui ab Europæis apud Americanos hanc luem irrepſiſſe autumant. Saltem de hujus morbi origine plurimæ ſunt & diverſæ, tum hiſtoricorum, tum Medicorum ſententiæ prorſus incertæ, quas unuſquiſque legere poterit in Caroli Muſitani Medici Neapolitani de Lue venerea libris, & in doctis ac eruditis illius auctoris Gallici Interpretis, & peritiſſimi apud Pariſienſes Chirurgi J. Devaux notis & commentationibus. Ejus ſententia eſt Neapolitanum bellum inter Gallos, & Hiſpanos occaſionem præbuiſſe huicce morbo, fœdo, & aſſiduo concubitu tot militum quibus uterque exercitus compoſitus erat, cum ſcortis Neapolitanis, & inde contagioſum illud virus per totum orbem brevi ſerpſiſſe.

Quidquid ſit de hujus morbi exortu, conſtat poſt plurima in Europa fruſtra tentata remedia, tandem primum ejus remedium in America detectum fuiſſe. Hiſpanus quidam in Hiſpaniola Inſula magnis doloribus ob luem veneream ab Americana muliere contractam divexabatur. Ejus ſervus Americanus, qui in ea Provincia Medici officio fungebatur, decoctum ligni *Guajacan* dicti propinavit; quo non ſolum magnis illis cruciatibus liberavit eum, ſed priſtinæ ſanitati reſtituit. Illius exemplo plurimi alii Hiſpani eadem lue infecti, eodem remedio curati ſunt. Hæc Medicina per totam Hiſpaniam ab iis, qui ex ea Inſula redierant, ſtatim evulgata, orbi univerſo brevi innotuit, & maximo fuit uſui, uſque dum curatio per Hydrargyrum detecta foret, a quo tempore paulatim obſolevit, & ab uſu receſſit.

Guajacum *Offic.* Lignum ſanctum, Lignum Indicum, Lignum vitæ, & Palus ſanctus *Quorumdam*, Guajacum *Americanorum*, Gallice *Gayac*. Lignum eſt ſolidum, denſum, ponderoſum, reſinoſum, parte interna, quæ matrix vel medulla dicitur, quaſi ex viridi nigricans, aut variegatum ex pallido, viridi, fuſco, & nigro; externa vero, quæ alburnum, buxeum ſeu pallide flaveſcens, ſapore ſubamaro, nonnihil aromatico, miti acrimonia palatum ac fauces compungente, odore, dum incaleſcit, aut uritur, fragrante, non ingrato; coopertum cortice lignoſo, tenui, denſo, nitido, lævigato, nonnihil reſinoſo, & quaſi ex plurimis lamellis tenuiſſimis coagmentato, colore extus ex cinereo virideſcente, & nigricante, aut variegato ex maculis magis minuſve viridibus, intermixto colore livido plumbeove, intus pallido, ſapore acri, amaro ingrato.

Olim Guajaci genera plura in officinis diſtinguebantur. Lud. Oviedo aliud Guajacum vulgare dicit, aliud Lignum ſanctum. C. Bauhinus tria hujus ligni genera conſtituit: primum Guajacum magna matrice, *C. B. P.* Guajacan, Lignum Indicum ex Inſula S. Dominici *Monardi*: ſecundum Guajacum propemodum ſine matrice *C. B. P.* Guajacan genus alterum, quod Lignum ſanctum, illo præſtantius, & ex Inſula S. Joannis de portu divite affertur, a quo maxime utuntur, *Monardi*. Cujus plures obſervatæ fuerunt ſpecies inter ſe diſcrepantes tantummodo ratione coloris, magnitudinis, & ponderis, cum ex una, & eadem arbore excerpta ſint: cujus lignum, quanto minus adoleverit arbor, tanto magis albicat; & quo vetuſtior fuerit, eo magis nigricans, & ponderoſum evadit. Tertium Guajacum foliis Lentiſci, *C. B. P.* Guajacum, cujus ramulum cum floribus, & fructu pingit Cluſius notis ad Monardem. Sed illæ arbores unicum

cum tantum genus conſtituere videntur, cujus ſpecies revera plures ratione fructus diſtingui poſſunt; & ſi quæ alia obſervatur differentia, levioris eſt momenti, quam ut genus diverſum conſtituat. Saltem ſagax rei herbariæ ſcrutator P. Plumerius, *in novis Plantarum Americanarum generibus*, unicum tantum Guajaci genus conſtituit, quod definit, Plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante; e cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum carnoſum, ſubrotundum, oſſiculo aut oſſiculis fœtum ovatis, & in pulpa tenerrima involutis.

Ejus duas ſpecies recenſet, quas in ſua Plantarum Americanarum hiſtoria manuſcripta deſcribit.

Guajacum flore cæruleo, fructu ſubrotundo, *Plumerii nov. gen. 39.* Guajacum tetraphyllum fructu ſingulari: *Ejuſdem Hiſtor. Mſſ. 86.* Pruno vel Evonymo affinis arbor, folio alato, buxeo ſubrotundo, flore pentapetalo, cæruleo, racemoſo; fructu Aceris cordato; cujus cortex luteus, corrugatus, ſemen unicum, majuſculum, nigricans, nullo oſſiculo tectum operit: *Sloane Cat. pl. Jamajc.*

In arborem ampliſſimam quandoque creſcit, nonnumquam etiam in mediocrem, pro ſoli, in quo naſcitur, ubertate. Truncus ejus, ut plurimum rotundus: ſed harum, quæ apud Inſulam San-Dominicanam, verſus regionem Portus Pacis, non omnino teretes erant trunci; ſed qui, ſi tranſverſim abſcinderentur, ſectionem pyriformem efformarent. Eminus proſpectæ hæ arbores Ilicibus noſtratibus apprime aſſimilantur. Juniores cortice veſtiuntur pauliſper rugoſo; vetuſtiores vero glabro, craſſiuſculo, & veluti in laminas ſubtiles abeunte, foris variegato, ſeu colore pallido, maculis ſubvirentibus, & ſubcinereis reſperſo. Lignum ſolidiſſimum eſt, oleaginoſum, ponderoſum, odore non ingrato, ac tantilla acredine, & amaritudine pollens; alburno conſtans pauco & pallente, ac meditullio olivæ nondum maturæ callori ſaturiori ſeu viridi, ſaturo, fuſco infecto. Rami ejus frequenter nodoſi ſunt, ac ſæpius in duos ramuſculos etiam nodoſos divaricati, atque in ſingulis nodis duas coſtulas oppoſitas gerentes, fere pollicem longas, & quatuor foliis binis, & binis poſitis onuſtas, duobus ſcilicet in ſummitate, & duobus aliis circa medium. Singula folia ſubrotunda ſunt, ſeſquiunciam circiter longa, unciam ferme unam lata, lævia, firma & denſa Pergamenæ chartæ adinſtar, pallide virentia, ſubtus quinque nervulis pauliſper eminentibus prædita: pediculo prorſus carent, niſi illa coſta communi cui adhærent, ubi pauliſper ſunt rubicunda: guſtu etiam ſunt acriuſculo, & amariuſculo.

In ſummis ramuſculis flores multi enaſcuntur, omnino floribus Citriorum ſimiles & æquales, nempe quinque foliis conſtantes in orbem poſitis cæruleoque colore ſplendentibus; ex quorum calyce etiam quinque folio & ſubviridi ſurgit piſtillum pediculo longiuſculo ſupereminens, corculique acuminati præſeferens effigiem, & viginti circiter ſtaminibus etiam cæruleis, & apiculis luteis donatis ſtipatum, quod deinceps abit in fructum ungue indicis digiti paulo majorem cordiformem, carneum, cochlearis in modum pauliſper concavum, coloris miniati aut ceræ rubicundæ, & intus fœtum ſemine unico, duro, olivæformi, & nucleo olivæ paulo minori, pulpa tenerrima involuto.

Fere

Fere in omnibus inſulis Antillanis reperitur hæc arbor, potiſſimum in inſulis San-Dominicana & San-Cruciana.

Guajacum flore cæruleo fimbriato, fructu terragono, *Plumerii n. pl. Am. g. 39.* Guajacum polyphyllum fructu ſingulari tetragono, *Ejuſdem Hiſtor. Mſſ.* 87. Hoaxacan, ſeu Lignum ſanctum, *Hernandez.*

Minorem ſortitur hæc ſpecies magnitudinem, quam præcedens; eadem tamen ligni ſoliditate ac ponderoſitate pollet. Aſt lignum buxei eſt coloris; cortexque qui etiam craſſiuſculus extrinſecus nigricat, maculis cinereis interfunditur, ac rugis reticulatis & tranſverſalibus exaratur: intus vero pallet, guſtuque ſentitur tantiſper amaro.

Rami ejus eadem, ac in præcedente, ſerie ordinantur, ſimiliterque nodoſi ſunt, quatuorque aut quinque conjugationes foliorum in coſtulis exilibus, duos pollices circiter longis & virentibus, deferunt. Quæ quidem folia paulo ſubtiliora ſunt, minora, & acutiora, potiſſimum in junioribus, in quibus magis acuminata, minora, & numeroſiora cernuntur.

Flores prorſus ſunt ſimiles, æquales, cærulei, ſed pauliſper fimbriati. Fructus vero quadranguli ut fructus Evonymi vulgaris noſtratis, coloris cerei, intus in quatuor loculamenta diviſi, in quorum ſingulis ſemen unicum continetur oſſeum, rubrum, parvæ olivæ formam fere referens.

Ex utriuſque truncis conciſis reſina emanat fuſca, translucens, & acrimonia quadam valens. Harum ultima ſatis frequens viſitur in inſula San-Dominicana apud regionem Portus Pacis. Aprili florent: Junio vero fructus maturos proferunt.

Ex his arboribus in uſum medicum veniunt lignum, cortex, & lacryma reſinoſa. Probatur lignum recens, ponderoſum, reſinoſum, quod quamplurimum nigri habet; cui cortex proxime & fortiter adhæret, quod facile flammam concipit, & ignis calorem partim liqueſcit in reſinoſum magma. Rejiciendum eſt pallidius, nimis ſiccum & exſuccum, carioſum inſipidumque. Cortex vero eligatur, ligno fortiter adhærens, reſinoſus, durus.

Reſina quæ improprie Gummi Guajaci in officinis dicitur, foris fuſca eſt, interne pellucida, modo ſubrufa, modo ſubviridis, friabilis, ſapore nonnihil acri, odore dum accenditur reſinoſo non inſuavi, ad ligni Guajaci odorem accedente.

Chymica Guajaci analyſi inſtituta, ex hujus ligni nigricantis & reſinoſi in ſcobem redacti ℔v. diſtillationis ope extractæ ſunt phlegmatis tum acidi, tum alcali ℥xxviij. cum ʒiij. quarum prima portio ad ℥iiij. ʒvijß. Guajaci ligni odore & ſapore, meri ſalis alcali urinoſi notas præbuit, ſiquidem ſalis Saturni & Sublimati corroſivi ſolutiones turbidas & lacteas effecerit. Secunda portio ad ℥v. ʒij. ſapore magis acuto donata, præter ſalem alcali quem in examinibus exhibuit, acidum ſalem manifeſtum indicare cœpit, Heliotropii tincturam cæruleam in ſubrubram convertendo. Portio tertia, quarta, & quinta, ad ℥xviij. ʒijß. magis ac magis acide guſtu prodierunt, ac tandem Heliotropi tincturam igneo colore infecerunt. Nihilominus tamen ſalem alcalinum ſemper manifeſtarunt, ſcilicet Sublimatum corroſivum ſolutum præcipitando. Cum his liquoribus prodierunt olei nigricantis, craſſioris conſiſtentiæ

adin-

adinſtar Syrupi, & aquæ gravioris ℥ix. ʒviß. olei vero tenujoris flaveſcentis & aquæ ſupernatantis ʒiv. Maſſæ nigræ in retorta ſuperſtitis pondus fuit ℥xxxiij. ʒvij. ac proinde in diſtillatione inſenſibilis jactura fuit ℥vij. ʒvjß.

Materia reſidua nigra, ſeu Guajaci carbo, per duodecim horas igne aperto calcinatus, nempe donec nullum amplius fumum emitteret, & in albicantem cinerem deduceretur, pendebat ℥ij. ʒvj. gr. xij. Ex his cineribus, lixiviationis ope, ſalis fixi non mere alcalini, ſed ſalſi, qui nempe ex Mercurii ſublimati corroſivi ſolutione candidum pulverem præcipitabat, ʒj. gr. lxij. extracta fuerunt: in fumum itaque abierunt ℥xxxij. gr. lx.

Mirum ſane hac analyſi mediam tantum partem principiorum, quibus Guajacum componitur, extrahi; alteram vero partem fere dimidiam, conſtantem ex oleo craſſiori & ſale acido aluminoſo aut vitriolico ita condenſari, ut in vaſis clauſis igne licet vehementiſſimo ſurſum evehi non poſſit, nec niſi igne aperto reverberii & diutino duodecim horarum a terra ſeparari, & in flammam aut fumum diſſipari.

Necnon etiam obſervatu dignum eſt hunc Guajaci carbonem, ſeu maſſam nigram e retorta extractam, etiam poſt duos treſve dies & aeri expoſitam ſtatim exardeſcere, nullo admoto igne; modo, peracta diſtillatione, retortæ collum accurate obturetur, & vaſa furnuſque per ſe refrigeſcant.

Oleum Guajaci ſtillatitium ab acido quocum conjunctum eſt, adeo condenſatur, ut in maſſam terream, nigram, inſipidam facillime convertatur, & prorſus fixum evadat. Nam olei nigri Guajaci ℥viij. cum ʒvj. per retortam vitream diſtillatæ, olei tenujoris & magis fluidi ℥vij. ʒijß. præbuerunt, tanto acido ſpiritu turgidi, ut Heliotropii tincturam intenſe rubram vel igneam efficerent. Nihil vero ſalis alcali continebat, quandoquidem Sublimati corroſivi ſolutio ab eo non mutaretur. In retorta ſupererat maſſæ nigræ ℥j. ʒij. gr. xlviij. duræ, raræ tamen, pumicis adinſtar, cujus ʒx. in crucibulo igni fortiſſimo expoſitæ per horas duas cum dimidiam flammam emiſerunt: tandem caput mortuum in crucibulo reſidum, & per quatuor horarum ſpatium calcinatum, denſum erat, durum, inſipidum, nigricans, & ʒij. pendebat.

Oleum Guajaci ponderoſum & recens diſtillatum, permixtum cum anatica ſpiritus Nitri rectificati portione, ſtatim efferveſcit, intumeſcit, flammamque concipit. Peracta deflagratione, fungoſa quædam, rara, levis, nitens, & inſipida remanet ſubſtantia, quæ poſtea nullo modo immutari poteſt. Ambabus his in operationibus oleum & ſal acidus in terram ſeu in ſubſtantiam inſipidam, ponderoſam & friabilem convertuntur; ſive terreſtres illæ partes antea in ſale & oleo extiterint, ſive de novo in operatione ex oleo & ſale productæ fuerint.

Ex hac Guajaci analyſi ſequitur hoc lignum conſtare ex ſale acido vitriolico, oleo, & terra ſub denſioris reſinæ ſpecie ſtrictiſſime quidem unitis, ita ut difficillime a ſe invicem ſeparari queant; & præterea ineſſe ſalem quemdam ammoniacalem cum aliis principiis minus arcte conjunctum, cujus pars volatilis urinoſa primum avolat in diſtillatione.

Alburnum ſeu lignum album, quo fuſcum Guajaci meditullium circum-

cum-

cumveſtitur, longe levius eſt ipſo Cuajaco, & ad uſum medicum minus aptum; quod analyſi confirmatur.

Ex alburni Guajacini ℔v. per retortam diſtillarunt phlegmatis, tum acidi, tum urinoſi ℥xxxj. ʒij. gr. xviij. olei craſſi & ponderoſi ℥vj. ʒvjß. Pondus maſſæ nigræ reſiduæ fuit ℥xxiij. ʒiijß. Jactura vero ad ℥xviij. ʒiij. gr. liv. materiæ quæ in auras avolavit. Idcirco minus ſtricta eſt principiorum conjunctio in hac ſubſtantia quam in medio ligno, cum in eo jactura ℥viij. minor fuerit. Tandem maſſa nigra reſidua rite calcinata, cinerum albidorum ℥j. ʒiiij. gr. lxvj. reliquit; ex qua ſalis fixi ſalini non mere alcali, ſed ſalini ʒij. gr. ij. lixivii ope extracta fuerunt.

Cortex vero Guajaci a ligno, tum principiis, tum principiorum mixtione, multum diſcrepare ex analyſi Chymica demonſtratur, ſi quidem corticis Guajaci ℔v. diſtillatione ut moris eſt peracta, fuderunt phlegmatis, tum alcali urinoſi, tum acidi ℥xxiiij. ʒj. gr. xxxij. ita tamen ut primæ portiones debilioris acidi notas præberent, & multo uberiori ſale alcali urinoſo turgidæ viderentur, quam liquor e ligno elicitus. Deinde olei ſpiſſi & ponderoſi ℥viij. ʒiij. gr. lxiv. prodierunt, remanente in fundo retortæ maſſa nigra ponderis ℥xxix. ʒiv. gr. liv. quæ per undecim horas igne reverberii calcinata, cinerum albidorum ℥xiij. ʒvj. gr. lx. reliquit; qui ſalis fixi mere alcali ʒvij. gr. xij. continebant. Per eas analyſes manifeſtum eſt majorem ſalis alcali, tum urinoſi, tum fixi, copiam ineſſe in cortice, quam in ligno; terræ quoque fixæ, ſeu cinerum, quantitatem longe majorem eſſe; minus vero olei, minuſque acidi ſalis contineri; necnon etiam ſalis acidi naturam in his diverſam eſſe, cum ligni ſal acidus in ſalem ſalſum fixum condenſetur, corticis vero in ſalem mere alcalinum concreſcat. Unde recte concludi poteſt utriuſque vires diverſas eſſe, nec indiſcriminatim uſurpari debere, quod peritiorum Medicorum uſu & experientia confirmatur.

Guajacum craſſa incidit & attenuat, lenta detergit, obſtructa aperit & liberat, ſudores provocat, urinas ciet, ſputa adjuvat, ſtomachum reſolutum corroborat, ſicut & alia omnia viſcera: diuturnas & inveteratas jecoris & lienis obſtructiones, icterum, hydropem, aliaque vitia ex iis nata curat: omnium corporis partium ſuperfluos humores frigidos diſſipat atque abſumit: capitis diſtillationes exhaurit; ex iiſque natos dolores, rheumaticos dictos, tollit: podagram, chyragram, iſchiada, omnemque arthritim mire juvat; aſthmaticos, paralyticos, ſtupidos, & quovis modo reſolutos curat: nervorum affectionibus omnibus ſubvenit: tumores omnes frigidos & duros ad ſuppurationem perducit, ulcera cacoethea & chironia ſiſtit, exſiccat, & cicatrice obducit. Luis venereæ puſtulas, tubercula, ulceraque omnia, atque omnes ex iis natos dolores, aliaque ſymptomata, nulla corporis noxa, nullaque virium jactura, cohibendi ac tollendi vis & facultas ei tribuitur. Et re quidem ipſa calidis in regionibus huic morbo debellando ſufficit; modo, ut decet, curatio inſtituatur. Verum frigido ſub jove, ubi corporum perſpiratio minor eſt, & difficilius promoveri ſolet, minus tuta medicina deprehenditur. Eam ob rem in hujus morbi curatione Guajaco Hydrargyrum conſociant.

Cor-

Corticem Guajaci iiſdem viribus præditum vel etiam valentioribus quam lignum aſſerunt nonnulli. Alii vero, ut C. Hoffmann. Matthiolus, & Fallopius eum ligno longe inferiorem eſſe autumant. Fernelius vero majorem vim ſiccandi, attenuandi, ac ſudores promovendi ipſi tribuit; verum nimis calidum eſſe, & jecoris calida ſiccaque intemperie laboranti & febricitanti multum noxium exiſtimat. Revera quod Fernelius ſapore corticis ligno acriori & amarioris detexerat, quodque experientia multa comperierat, nobis analyſi Chymica comprobatum videtur; ſiquidem majori partium tenujorum, ſalium nempe acrium, tum volatilium, tum fixorum copia cortex quam lignum inſtruitur, ut jam diximus.

Hæc autem erat illius antivenerei exhibendi ratio.

Ligni in ſcobem lima redacti ℥xij. Corticis contuſi ℥ij. (A quibuſdam cortex omittitur) in aquæ ℔vj. diem unum maceratæ percoqui lento igne ſolebant ad dimidiam, aut etiam quartam partem. Decoctum perfrigeratum percolabatur, & in vaſe diligenter obſtructo conſervabatur. Hoc primum decoctum alii Guajaci Cremorem, alii Serapium appellabant. Ex relicta denuo ſcobe, cum ℔viij. aquæ novum decoctum parabant tenujus ad ℔iiij. pro potu ſolito. Ægrotans catharſi, vel etiam venæ ſectione rite præparatus, in conclavi aeri frigido minime, nedum ventis obnoxio, per totum curationis ſtadium incluſus, prioris, & valentioris decocti cyathum unum bis in die haurire ſolebat, mane & veſperi. Hauſto decocto, ſtragulis munitus & contectus, horis aliquot interquieſcebat, donec ſudor excitaretur. Sudore, quantum vires ferre poterant, effuſo, linteis calidis corpus extergebatur, exſiccabaturque. Bis in die cibus exhibebatur, tertiam vel quartam a ſumpto poculo poſt horam: & erat tenuis & exiguus, quique vires deficere tantummodo non ſineret. Quidam carnes omnino ablegare ſolebant, ſolum biſcoctum panem ad ℥ij. cum uvis paſſis Corinthienſibus aut Damaſcenis concedentes: alii carnes molliuſculas, pulli ſcilicet columbini aut gallinacei concedebant, ſed parca manu. Potus erat ſupradictum aquoſius alterum Guajaci decoctum. Vinum a nonnullis prorſus rejiciebatur tanquam infeſtiſſimum, ab aliis tamen Guajaco medicatum præſcribebatur. Servabatur alvus lubrica toto curationis tempore. Septimo quoque die catharticum aliquod validum exhibebatur. Per viginti aut triginta dies continuabatur hic uſus, vel etiam diutius, donec veneni radix foret avulſa, prorſuſque extincta ejus pernicies. Sedatis vero doloribus, omnibuſque ſymptomatibus ſublatis, adhuc per quadraginta dies in paſtu aquoſum ſeu tenue propinabant ligni decoctum, omiſſo fortiori, & ægrotantem ad priſtinam vivendi rationem paulatim & caute reducebant.

At vero cum longe tutior ſit lui venereæ medendi ratio Hydrargyri ope, hæc curandi methodus penitus obſolevit. Guajacum præſcribitur tantummodo in ptiſanis & decoctis ſudoriferis, diaphoreticis & exſiccantibus, in lue venerea, catharris, & defluxionibus, in paralyſi & viſcerum obſtructionibus.

Guajaci lignum, vel ſolum, vel cum cortice, vel etiam cum aliis medicamentis, tum ſudoriferis, tum diaphoreticis & exſiccantibus, tum etiam purganti-

gantibus præſcribitur. Raro in ſubſtantia exhibetur, ſæpius in decocto a ʒij. ad ℥ß. vel ℥j. Reſina vero a gr. viij. ad ℈ij.

℞. Raſuræ ligni Guajaci ℥iij. Corticis ejuſdem ℥j. Aqua fontis ℔vj. Macerentur per 24. horas, deinde bulliant ad mediæ partis conſumptionem. Colaturæ capiat cyathos tres, quatuor, vel quinque ſingulis diebus in lue venerea, rheumatiſmo, paralyſi.

℞. Pali ſancti ℥iiij. Corticis ejuſdem, & Ligni Saſſafras ana ℥ß. Ligni Aloes ʒij. Liquiritiæ raſæ & contuſæ ʒj. Semin. Coriandr. ʒjß. Macerentur in aq. limpidæ ℔vij. per 24. horarum ſpatium. Poſtea decoquantur ad medietatem, addendo ſub finem Paſſularum ℥ß. Decoctum per ſe refrigeratum per pannum tranſcoletur, & ſervetur ad uſum.

℞. Ligni ſancti in ſcobem redacti ℥iv. Macerentur per diem in aq. communis ℔iiij. Bulliant ad dimidii humoris diminutionem. Sub finem coctionis addantur Sennæ mund. ℥j. Turbith, Hermodactylor. ana ʒij. Colaturæ capiat ℔ß. mane, jejuno ventriculo, in paralyſi & rheumatiſmo.

Ex ligno Guajacino præparantur tinctura, extractum reſinoſum, ſpiritus & oleum.

Tinctura Guajaci, ejuſque extractum reſinoſum ſic parantur.

℞. Scobis Guajaci tenuiſſimæ q. pl. Indatur in matracium vitreum, & affundatur ſpiritus vini rectificatiſſimi ad ſupereminentiam trium quatuorve digitorum tranſverſorum. Macerentur temperato arenæ calore per dies & noctes octo. Tinctura intenſe rubra limpida a ſcobe caute ſeparetur, & ſervetur ad uſum, vel diſtilletur igne adeo tenui ac moderato ad extracti ſpiſſi conſiſtentiam. Tum extractum balneo mariæ, vel ſolis calore penitus exſiccetur: maſſa reſidua erit extractum reſinoſum.

Tinctura & extractum pro ſudoriferis & diaphoreticis habentur. Tinctura ad ℥ß. Extractum a gr. iiij. ad ℈ij. præſcribuntur.

Spiritus & oleum fœtidum ſic conficiuntur.

℞. Scobis Guajaci q. l. Immittatur in retortam cui recipiens vas amplum adhibeatur, & inſtituatur diſtillatio in furno reverberii; primum lento igne ſenſim procedendo ad ultimum ignis gradum, donec nihil amplius ſtillet, & recipiens non amplius nebulis obſcuratum appareat. Vaſis omnibus refrigeratis, recipiens amoveatur, & oleum craſſum & nigrum a ſpiritu rite ſeparetur. Spiritus rubicundi coloris per alambicem vitreum denuo diſtillatus, obtinetur limpidus, & ab omni oleo purgatus, guſtu ſubacidus, qui tamen poſt aliquot ſeptimanas iterum tingitur rubro colore ab occulto ſulphure quod continet oriundo.

Oleum craſſum nigrum & fœtidum, vel ſpiritu vini diſſolvitur, per chartam emporeticam tranſcolatur, & ſic ſervatur: vel cum triplo ſalis communis calcinati & pulverati permiſcetur, & ex retorta vitrea in balneo arenæ diſtillatum, prodit fluidum, rubrum, & minus fœtens, quod ad uſum reſervatur.

Aliud oleum eſſentiale non fœtidum, & translucidum ex Guajano ſic extrahitur.

℞. Raſuræ ligni Guajaci ℔iiij. Salis marini ℔j. Aq. comm. ℔xxiv. Macerentur-

rentur in vaſe clauſo per duos treſve menſes. Poſtea diſtillentur per alambicem refrigeratorio munitum, igne vehementi. Sic prodibit aqua turbida prægnans oleo eſſentiali, quod paulatim imum petit. Cum aqua prorſus limpida eſt, effunditur; oleum vero in fundo remanet flavum, odorum, pellucidum, & dicitur oleum eſſentiale Guajaci.

℞. Æthiop. mineral. Milleped. pp. ana ʒiiij. Ol. ſtillatit. Succini, Guajac. ana ʒß. Gumm. Ammon. pulver. ʒj. Syrup. Regis Sapor. ſ. q. Miſce. Fiat opiata ſ. a. ad tumores carcinomatoſos.

Spiritus Guajaci movet ſudores & urinam. Exhibetur a ʒj. ad ℥ß. in ejuſdem ligni decocto adverſus catharros, rheumaticos dolores, paralyſim: nonnunquam etiam conjungitur cum ſudoriferis & alexipharmacis, & in peſtilentialibus morbis, magniſque febribus laudatur.

Oleum nigrum ob fœtorem ad uſum internum rariſſime præſcribitur. Externe potenter diſcutit, reſolvit, & attenuat. Commendatur ad ulcera, præſertim venerea, detergenda, ad tumores reſolvendos, ad fungoſas carnes abſumendas, ad oſſium exfoliationem promovendam, cariemque ſiſtendam. Dentium carioſorum dolorem aufert, nervum abſumendo. Idem oleum ſpiritu vini dilutum ac temperatum cum ſudoriferis intus exhibetur a nonnullis a gutt. ij. ad xv. vel xx. ad ſudores proliciendos. Sed multo minus ingratum eſt, nec minus efficax oleum eſſentiale flavum Guajaci, ad ſanguinem ab humoribus noxiis purgandum: eos enim per diaphoreſim aut ſudores propellit. Necnon etiam a quibuſdam in lue venerea commendatur a gutt. iv. ad xij. in decocto Guajaci, vel ejuſdem aqua ſtillatitia, quotidie per aliquot hebdomadas exhibitum. Sed ut jam diximus, Hydrargyrus longe præſtat.

Decoctum Guajaci laudatur a quibuſdam in fluore albo mulierum ſub injectionis forma.

ARTICULUS QUARTUS.

De Ligno nephritico.

Lignum nephriticum, *Off.* Lignum peregrinum aquam cæruleam reddens, *C. B. P.* Candicans eſt ſeu ex flavo palleſcens, ſolidum, & grave, ſaporis ſubacris nonnihil amaricantis, cujus cortex nigreſcit, & meditullium ſpadiceum aut fuſcum eſt. In aqua limpida maceratum intra dimidiam circiter horam, eam mirabili Opalis gemmæ colore cæruleo, & flavo tingit; ita tamen ut liquor pro vario reſpectu ad lumen, modo cæruleus, modo flavus appareat. Ampulla enim vitrea hujus ligni tinctura repleta, & oculum inter & lumen conſtituta, liquor aureo colore tinctus apparet; cæruleus vero, ubi oculus lumen inter, & ampullam extiterit.

Obſervant quoque colorem cæruleum evaneſcere, ſi acidus humor infundatur; & tunc liquorem aureum omni ex parte videri: ſi vero oleum Tartari, aut alcali ſalis urinoſi ſolutio affundatur, ſtatim colorem cæruleum reſtitui.

Eligatus recens quod aquam duplici colore, aureo & cæruleo tingat. Reji-

cien-

ciendum vero quod hanc duplicem tincturam non exhibet. Sæpe enim adulteratur ligno ſimili, quod aquam croceo tantum colore inficit.

Arbor eſt Americana, *Coatli*, ſeu Aquens Serpens Hernandez dicta. A clariſſim. Tournefortio *Mater Med.* ſic deſcribitur: Pyro ſimilis eſt materia & magnitudine. Ejus folia in ramis alternatim naſcuntur, Ciceris forma, ſed craſſiora, ſemiunciam longa, quatuor lineas lata, non crenata, ſuperne obſcure virentia, & lenibus villis aſperſa, ſubtus lanugine argentea ſplendentia, cum nervo medio craſſiore. Flores ſummis ramulis hærent, quos exſiccatos illi deſcribere non licuit. Hos luteos elangueſcentes dicit Hernandez, parvos, longiuſculos & compoſitos in ſpicas. Calyces autem monotomi, quinquifidi, calathum referentes, lanugine rufa obducuntur. In Hiſpania nova naſcitur.

Ligni nephritici uſus ad renum vitia, urinæ difficultates & incommoda commendatur. Urinam enim leniendo movet. Scribit Hernandez hujus ligni tincturam epotam veſicam extergere, refrigerare, urinæ acrimoniam temperare, necnon etiam febres extinguere, & cholicis mederi. Addit Monardes in jecoris & lienis obſtructionibus utilem eſſe.

Lignum aſſulatim & minutim conciſum in optima & limpidiſſima aqua maceratur. Dimidia poſt injectum lignum hora aqua cæruleum dilutiorem colorem contrahit, qui ſenſim pro temporis ratione intenditur, tametſi lignum candidum ſit. Cum aqua a bibentibus exhauſta eſt, nova affunditur ſuper lignum; quod toties repetitur, donec aqua nullo amplius colore cæruleo inficiatur. Aquæ ſapor ligni maceratione nullatenus immutatur.

Quidam hujus tincturæ cyathum unum, ſeu ℥vij. ſingulo mane, jejuno ventriculo hauriunt: alii hac tinctura aſſidue utuntur, eaque etiam vinum diluunt. S. Pauli affirmat hoc lignum, citra ingentes naturæ motus, potenter ſatis urinam & calculum pellere, nec, ut alia diuretica calida, renes aut veſicam magis ac magis offendere. Per illius uſum non alia opus eſt victus ratione, quam temperata. Plurimi ejus mirabiles effectus in dolore nephritico, calculo, arenulis, & urinæ difficultates prædicant. Nonnullos tamen vidi, quos curationis ſpes fruſtrata eſt. Altius igitur inquirendum, quos illud lignum ſublevare valeat; quos vero nequeat ſanare. Verum de vi lithontriptica, quæ illi tribuitur, valde dubito.

ARTICULUS QUINTUS.

De Santalo Citrino, albo & rubro.

SAntalorum lignorum ſpecies veteribus Græcis & Latinis incognitas fuiſſe vulgaris eſt opinio. Apud Arabes tantum prima fit de iis mentio diſtincta ſub *Sandal* nomine. Græci recentiores Arabum veſtigia perſecuti, eorumdem meminerunt. Attamen Salmaſius *exercitationibus Plinianis* arbitratur Sagalina ligna de quibus auctor Peripli mentionem facit eſſe Santalina ligna, ac proinde Græcis non ignota. Verum cum Dioſcorides & Galenus de eis alte ſileant, ad uſum medicum aut nullatenus, aut ſal-

tem rariſſime tunc temporis adhiberi concludendum eſt. Hodie vero triplex lignum ſub Santali nomine in officinis reperitur colore diſtinctum; flavum ſcilicet vel citrinum, album, & rubrum.

Santalum flavum vel citrinum, *Offic.* Santalum pallidum, *C. B. P.* Santalum flavum, *Tabern.* Santalum citrinum, *J. B.* Gallice *Santal. citrin.* Lignum eſt ponderoſum, ſolidum, pectinibus rectis, quo fit ut facile in rectas aſſulas findatur; colore ex pallido ruſeſcente, aut flaveſcente, ac nonnihil ad citrinum vergente; ſapore aromatico, amaricante, cum acrimonia non inſuavi totum os implente; odore fragrante; moſchum & roſas aliquantiſper æmulante.

Santalum album, *Offic.* Santalum album, *C. B. P.* Lignum odoratum candidum, *Cæſalp.* Gallice *Santal blanc*, a citrino pallidiori colore differt & odore debiliori: alioquin ſubſtantia eadem, eademque textura.

Scribit Garzias ab horto inter utriuſque Santali, citrini ſcilicet & albi arbores tantam eſſe affinitatem, ut citrinum a candido diſcerni vix poſſit, niſi forte ab ipſis incolis, qui eas mercatoribus vendunt. Verum eruditus Botanicus P. Hermans utrumque ex una & eadem arbore produci aſſerit, cujus pars corticalis ſeu alburnum Santalum album dicitur; meditullium vero ſeu interior ſubſtantia a cortice & alburno ſeparata citrinum conſtituit.

Arbor quæ Sarcanda dicitur, innucis Juglandis magnitudinem attollitur: folia fert pinnata, virentia, Lentiſci æmula; flores ex cæruleo nigricantes, fructus ſeu baccas Ceraſorum magnitudine, primum virides, deinde per maturitatem nigras, inſipidas, & admodum caducas. Aves quædam, inquit Bontius, Turdis fere ſimiles, hos fructus avide comedunt, eoſque poſtea per alvum excernentes, novis arboribus arva, & montes conſerunt. Naſcitur in Indiis Orientalibus, potiſſimum in Siamenſi Regno, & in Thymor & Solor inſulis.

Idem Jacobus Bontius narrat eos, qui illas in inſulas, cædendarum Santalinarum arborum gratia, navigant, corripi febre quadam continua & ardente ex Synocharum putridarum genere, cum delirio ac mira mentis alienatione. Durante namque exacerbatione, quæ plerumque quatuor eſt horarum, ridiculas admodum actiones edere ſolent ægri, id opificii vel muneris imitantes quo ſani facti ſunt: adeſt præterea βουλιμος ſeu appetentia canina; ita ut dum in delirio ſunt, omnia etiam fœdiſſima devorent, quæ ipſis præbentur. Inter hujuſce febris cauſas ab auctore recenſitas præcipua eſt odor recenter cæſarum arborum Santali, quæ neſcio quid viroſum, ex cortice maxime, & cerebro inimicum exſpirant.

Santalum rubrum, *Offic.* Santalum rubrum, *C. B. P.* Lignum eſt ſolidum, denſum, grave, pectinibus modo rectis, modo criſpis, nodorum veſtigia imitantibus. Arboris meditullium eſt, cujus pali prægrandes afferuntur a cortice & lignoſa ſuperficie ſeparati, extus colore obſcure rubente & quaſi nigricante, intus vero intenſe rubro. Odorem nullum evidentem ſpirat: ſapore leviter adſtringente & auſtero donatur.

Arborem Santali rubri, *Pantaga* dictam, a nullo deſcriptam reperi, niſi quod Hermannus eam ſiliquoſam dicat. Naſcitur in ea Indiarum Orientalium parte, quæ dicitur *Coromandel.*

Santalo citrino nonnunquam ſubſtituunt lignum quoddam denſum, ponderoſum,

roſum, reſinoſum, colore flaveſcente ſeu citreo, odore fragrante ad Citri odorem accedente, quod vulgo, *Bois de Citron*, *Bois de Coco*, *Bois de Jaſmin*, *Bois de Chandele*, nuncupatur. Arbor ex qua hoc lignum educitur, dicitur Nerium arboreum altiſſimum, folio anguſto, flore albo, *Sloane Catal. pl. Jam. Raii Hiſt. tom. 3.* Nerium Americanum lacteſcens, longiſſimo folio, flore albo odoratiſſimo, *H. Beaumont.* Nerium Americanum Mexicanum, folio nonnihil mucronato, *T. B. Trod.* quod licet colore ad Santalum citrinum aliquantiſper accedat, ab eo tamen multum differt tum odore, tum pectinibus brevibus, & inæqualibus, tum reſinoſa, qua turget, ſubſtantia, cujus ope flammam facile concipit, nec facile extinguitur.

Sæpe etiam in officinis pro Santalo rubro Ligna rubentia reperiuntur, tum ex India, tum ex America allata. Alterum dicitur Ligno Braſiliano ſimile, ſeu Lignum Sapou lanis tingendis percommodum, *C. B. P.* Tſia Pangam, *H. Mal.* Erythroxylum ſeu Lignum rubrum Indicum ſpinoſiſſimum, Coluteæ foliis, floribus luteis, ſiliquis maximis, *P. Bat. Prodr.* Lignum Sappan, *Batavor.* Alterum dicitur Braſilium Lignum *J. B.* Pſeudoſantalum rubrum, ſeu Arbor Braſilia, *C. P. P.* Ibirapitanga Braſilienſibus, *Maregrar. & Piſonis.* Erythroxylum Braſilianum ſpinoſum, foliis Acaciæ, *P. Bat. Prodr.* Ab illis tamen Santalum rubrum facile diſtinguitur tum colore, tum ſapore: Santalum enim colore ſanguineo obſcure rubet, & guſtu ſubauſterum; Braſilium vero colore eſt rubro quadam flavedine diluto, & ſapore ſubdulci.

Tres Santali ſpecies ſale eſſentiali acido, oleo ſpiſſo, & aqua graviore cum in ea fundum petat, exigua ſalis volatilis portione, & multa terra donantur. In citrino tenujus eſt oleum, & uberius, minus tenue in albo, craſſius vero in rubro, in quo uberior terra, ut ex eorum odore, & ſapore ſatis conſtat.

De Santalorum virtutibus diverſa eſt auctorum ſententia; cum alii ea inter refrigerantia ſeu ſanguinis fervorem contemperantia, alii vero inter calefacientia recenſeant. Reipſa partibus tenujbus, & activis donantur, ut ex eorum analyſi manifeſtum eſt: quapropter jure meritoque Gaſpar Hoffmannus arguit Medicos, qui refrigerandi gratia Santala eorumque compoſitiones exhibent. Rectius igitur vis incidendi, attenuandi, adſtringendique ſimul, & roborandi ipſis tribuitur. Quas quidem operationes ſub diverſo reſpectu exercent, quod jam plurimis in medicamentis obſervavimus. Citrinum potentius incidit, album longe debilius, utroque rubrum potentius aſtringit. His tribus Medici fere omnes virtutem cor roborandi, hepatis obſtructiones reſolvendi, viſcerum tonum reſtituendi vel augendi tribuunt.

Riverius Santalorum decoctum commendat tanquam efficaciſſimum remedium, non ſolum in curatione tabis incipientis, ſed etiam in diſtillationibus ſalſis, præcipue autem tenujbus; & in diuturnis ſanguinis fluxibus ab illius ardore productis mira præſtare aſſerit. Paratur autem Santalorum decoctum, ut decoctum Guajaci, cum primarium, tum ſecundarium, & eodem modo exhibetur. Doſis citrini in ſubſtantia a ℈j. ad ʒj. rubri ad ʒij. in decocto a ℥ß.

℞. Santali citrini, & rubri minutim conciſor. ana ℥ij. Macerentur in aq. ℔ij. per horas 24. Coq. ſ. a. ad tertiæ partis conſumptionem. Fiat apozema pro potu ſolito.

℞. Raſuræ Ligni Santali rubr. ℥j. Coque in aq. limpid. ℔ij. ad medias. Colaturæ adde Syr. Granator. ℥ij. Fiat apozema in hæmorrhagiis aut hepatis obſtructionibus.

In febribus ardentibus ad capitis dolorem ſedandum, capiti externe admovetur Santalum rubrum ſub epithematis forma.

℞. Santal. rubr. pulver. ℥j. Miſc. panis ℥ß. Aceti roſati q. ſ. Fiat cataplaſma ſeu epithema. Cui adde ſp. vini camphorati ℥ß. Fronti applicetur in capitis doloribus a febri ardente oriundis.

Santalum citrinum uſurpatur in Pulvere aromatico roſato, Pulvere lætificante *Renodæi*, Pulvere Bezoardico ſeu contra peſtem *Ejuſdem*, Confectione Alkermes regia *Charas*, Syrupo hydragogo, & Syrupo myrtino *Ejuſdem*. Citrinum, & album in Pulvere diamargariti frigidi: rubrum in Syrupo lienterico *Charas*, & in Pulvere contra abortum *Ejuſdem*: album, & rubrum in Pulvere Diarrhodon *Abbatis*. Tria-Santala uſurpantur in Pulvere Electuarii Tria-Santali, in Electuario de ſucco Roſarum, in Confectione de Hyacinthis, & in Cerato Santalino.

ARTICULUS SEXTUS.

De Ligno Saſſafras.

SAſſafras, *Offic.* Saſſafras, ſive Lignum Pavanum, *J. B.* Lignum eſt ex rufo albicans, rarum, & leve, cortice fungoſo, foras cinereo, intus ferrugineo; ſapore acri, ſubdulci, aromatico; odore fragrante, ad Fœniculi odorem accedente. Ex Virginia, Braſilia, aliiſque Americæ Provinciis ad nos venit. Eligitur recens, odoratiſſimum. Cortex a nonnullis anteponitur propter odoris fragrantiam qua præ ligno pollet. Adulteratur nonnunquam Ligno Aniſato ſeu Ligno Aniſi, *J. B.* quod a Ligno Saſſafras odore ſeminis Aniſi, gravitate, reſinoſa denſaque ſubſtantia facile diſtinguitur.

Hoc Lignum abſcinditur ex arbore magna, Pini magnitudine, & forma, quæ dicitur Saſſafras arbor ex Florida, ficulneo folio, *C. B. P.* Laurus foliis integris, & trilobis, *Lin. H. Cl.* 54. Cornus mas odorata folio trifido, margine plano, Saſſafras dicta, *Plukn. Alm. p.* 120. *Tab.* 222. *fig.* 6. *Catesby Hiſt. tom.* 1. *p.* 55. *c.* 55. Anhuiba ſive Saſſafras major, *Piſonis*. Radicibus donatur nunc craſſis, nunc tenuibus, pro arborum magnitudine, per ſummos terræ ceſpites expanſis, ita ut facile evelli poſſint: unico trunco nudo, valido, recto, non admodum procero, ramis in cacumine expanſis, ut Pinus repurgata; cortice craſſo, interius fungoſo, nonnihil molli, fulvi coloris, quem integit tenuis quædam cinerea pellis ſeu ex gilvo nigricans; veluti odore ita, & ſapore aromatico acri, ad Fœniculaceum accedente. Materia trunci ac ramorum eſt alba, vel ex albo rufeſcens, aliqua interdum etiam ex parte ad cinereum vergens, mollitie & pectinibus Tiliaceis, minus odora quam cortex. Ramis folia adhærent triloba, Ficulneorum aut

Vitis

Vitis albæ æmula, inciſa, & in tres cuſpides diviſa, ſuperne virentia, ſubtus caneſcentia, odorata: tenera adhuc Pyri foliis ſimilia ſunt, vixque ullum angulum oſtendunt: perpetua fronde eſt. Flores racematim congeſti, longis pedunculis inſidentes, parvi ſunt, quinquefidi, laciniis, deciduis, quos excipiunt baccæ Lauri bacci ſimiles, corolla rubra veluti cupula comprehenſæ.

Duas etiam alias hujus arboris ſpecies deſcribit Guillelmus Piſo. Una Anhuypiranga Braſilienſibus Piſoni dicitur: foliis eſt parvis, anguſtis, tenuibus, ligno albicante, & flaveſcente. Altera ſeu tertia ſpecies Piſonis dicitur Anhuiba miri: folio eſt Lauri, ſed minori; fructu odorifero, & nigro, ubi maturuerit; eoque ſimul cum foliis, ligno, cortice, & radice guſtu intenſe calidis.

Analyſi Chymica, ex Ligni Saſſafras ℔v. extractæ fuerunt olei eſſentialis odoratiſſimi, limpidi, flaveſcentis, gravioris, & in aqua præcipitis ʒx. olei craſſioris, empyreumatici, & rufeſcentis ℥vij. ſpiritus acidi ℥xxxij. circiter: ſpiritus urinoſi ℥ij. ʒv. In retorta reſidua ſuperfuit maſſa nigra in carbonem redacta ad ℥xxiij. & ʒj. Dum hæc maſſa calcinabatur, ſi vel leviter ſpatula agitaretur, in ſcintillantes favillas ſtatim avolabat. Cineres albicantes poſt calcinationem ſuperſtites pendebant ʒvij. cum gr. lx. ex quibus ſalis fixi mere ſalſi gr. xlij. lixivii ope, elicita ſunt. In diſtillatione jactura fuit ℥xiiij. in calcinatione vero ℥xxij. ʒij. Summa igitur partium deperditarum in hac analyſi fuit ℥xxxvj. cum ʒij. Unde liquet præter partes actuoſas ſenſibiles hujus Ligni, alias adhuc ineſſe minus ſenſibiles, quæ ex operantis manibus, & vaſis effugiunt. Vis autem hujus mixti fere tota pendet ab oleoſis partibus tenuibus, ſumme volatilibus, &, ut ajunt, eſſentialibus cum acido tenuiori, raro & expanſo conſociatis.

Saſſafras diaphoreſim, ſudorem, & urinam promovet. Humores lentos, & craſſos incidit, & reſolvit, viſcerum obſtructiones reſerat, valet ad cachexiam, chloroſim, hidropem. Podagricos dolores lenit, paralyſi, & catharroſis affectionibus frigidis medetur. In morbis venereis utiliter adhibetur.

Doſis pulveris ʒj. raro tamen in ſubſtantia præſcribitur, ſed ſæpius infuſum vel decoctum ab ℥ß. ad ℥ij. Sæpe uſurpatur in decoctis ſudoriferis, & exſiccantibus.

℞. Ligni Saſſafras cum cortice in ſcobem redacti ℥j. Infunde per noctem in vini generoſi ℔j. Exhibeatur colatura per cyathos in catharro, & omnibus fluxionibus frigidis.

℞. Ligni Saſſaffras minutim inciſi ℥ij. Infunde per horas duodecim in aquæ limpidæ ℔ijß. Coque ad ℔ij. Fiat colatura, & exhibeatur per cyathos horis medicis.

℞. Saſſafras, Guajaci, & Salſaparillæ ana ℥jß. Macerentur per noctem in aq. comm. ℔iiij. Coq. ad ℔iij. Fiat colatura, de qua æger hauriat tres cyathos die in paralyſi, catharris, & mobis venereis.

Oleum eſſentiale ex Ligno Saſſafras arte Chymica elicitur limpidum, fragrantiſſimum, Fœniculum redolens, quod aquæ fundum petit. Conficitur autem, Lignum raſum cum cortice in magna aquæ co-

pia maceratum diſtillando. Ejus doſis a gutt. iij. ad xx. Sudores movet.

Hujus olei pars una cum ſpiritus Nitri rectificati partibus duabus commixti, ſtatim vehementiſſime effervеſcit, flammam concipit; & extincta flamma, reſinoſa ſubſtantia remanet.

CAPUT QUARTUM.

De Plantis quibuſdam maritimis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Corallis, & Madrepora.

COrallum, & Corallium, *Off.* Κοραλιον *Theophraſti*: Κοράλλιον & Λιθόδενδρον, *Dioſcoridis*: Curalium, & Gorgonia, *Plinii*. Planta eſt maritima, ſub undis abſque foliis naſcens, fere lapidea, ramoſa, denſa, & ſolida, fragilis, cortice ſeu potius cruſta quadam tartarea, molli tamen obducta; colore diverſo; aliud enim ſanguineum eſt, aliud carneum, aliud flavum, aliud fuſcum, aliud album, aliud variegatum. Duo tantum in officinis uſitata ſunt, rubrum, & album.

Corallum rubrum, *Offic.* Corallum rubrum, *C. B. P.* 366. In Gallico maris Mediterranei ſinu circa Gallo-provinciæ littora a promontorio Coronæ ad Santropezii promontorium, in Hiſpanico ſinu circa Baleares inſulas ad meridionale littus Siciliæ, & ad oras Africanas in mari Mediterraneo prope Gallorum caſtellum, vulgo *le Baſtion de France*, & in Æthiopico Oceano circa promontorium Mauritanicum, vulgo *le Cap negre*, invenitur. Urinatores qui ad expiſcandum Corallum aſſidue operam navant, referunt Coralli ramulos in antris tantum reperiri, quorum ſitus terræ ſuperficiei parallelus eſt, & oſtia ad meridiem ſpectant; nec niſi tectis, & fornicibus cavernarum adnaſci, atque deorſum verſus tantum creſcere. Verum maximum ad contrarium eſſe poteſt argumentum, quod Coralli ramuli, teſtis vaſorum fictilium, craniis mortuorum, ligneis fruſtis, ferreis inſtrumentis, conchis, aliiſve rebus ejuſmodi adnati reperiantur; quæ quidem res in fundo maris ſubſident, & quibus adhærens Corallum nonniſi ſurſum creſcere poteſt.

Duabus machinis urinatores in Gallo-provincia ad piſcandum Corallum utuntur. Una quam adhibere ſolent ad Corallum ex rupibus præruptis ſub alto deliteſcentibus evellendum, crux eſt lignea prægrandis, cujus centro, ut in aquis prompte ſubſidat, affigitur globus plumbeus magni ponderis: huic autem adnectitur funis validus prælongus. Unicuique cruci, ſeu extremo crucis brachio, recte orbiculare appenditur. Demiſſa in aquas cruce, cum urinatores in imo mari rupem invenerunt cavernoſam Coralli fœtam; is cui machinæ regendæ cura demandatur, in ejus

ejus cava unum vel alterum machinæ crus impellit, adeoque Corallum, ſi quod inibi reperitur, retibus implicitum abrumpunt, & extrahunt illi, qui ſuperne in lembis præſtolantur. Altera, qua Corallum ex profundioribus antris extrahitur, machina, trabes eſt prælonga, cujus extremo circulus ferreus diametri ſeſquipedalis affigitur, ſaccum reticularem ferens cum duobus orbicularibus retibus utrimque diſpoſitis. Duobus longiſſimis funibus lembi proræ, & puppi annectitur trabes, quæ globi plumbei adjuncti pondere in aquas immerſa cymbæ motu dirigitur, & in remotas ſaxorum littoralium cavernas introducitur. Ramuſculi Corallini cavernarum fornicibus adnati cochlearis vel circuli ferrei ope abraduntur, cœteri vero retibus impliciti extrahuntur. Interdum, ſed rariſſime ramos vel arbuſculas tres quatuorve libras pendentes inveniunt, & expiſcantur.

Dubitant nonnulli, an Corallum inter plantas annumerandum ſit, necne. Verum plantarum more creſcit, & nutritur, flores fert, & ſemina, aut ſeminalem quamdam ſubſtantiam cujus ope propagatur. De vegetatione nullus dubitabit, qui attente conſideraverit diverſa Corallorum incrementa: ſaxa & ſcopuli e fundo maris afferuntur punctulis ſeu germinibus Corallinis fœta, ramuſculis duas treſve lineas longis, & aliis ramulis aliquot uncias altis; ita ut non ſit dubitandi locus quin prima hæc germina Corallina ad aliquot linearum, unciarum, & pedum altitudinem per tempus germinare, & creſcere potuiſſent.

Succum nutritium lacteſcentem ſub cortice variis in cellulis deliteſcentem jam diu obſervavit Paulus Boccone: flores vero accurate deſcripſit vir illuſtris Aloyſius Ferdinandus Comes Marſigli, *in eruditorum virorum Ephemeridum Gallicarum ſupplemento anni* 1707. & præterea abſolutam Coralli hiſtoriam compoſuit in ſua naturali rerum ſubmarinarum hiſtoria manuſcripta, nondum edita.

Rubrum igitur Corallum planta eſt maritima, duplici ex ſubſtantia conſtans; interiori una denſa, lapidea, non poroſa aut ſpongioſa, nec fibrata, ad ſuperficiem ſtriis per longitudinem ſulcata, intenſe rubra, inodora, inſipida: exteriori altera molliori, fungoſa, corticoſa, & dum ſub aquis latet, ſucco lacteo acri turgida, colore virideſcente, vel flaveſcente, vel ex flavo rubente. Truncus in ramos quampluirimos dividitur. Nulla fronde donatur, nulla radice. Sed ſaxis, lapidibus, aut aliis corporibus inhæret baſi larga, tenui, ex propria ſubſtantia lapidea expanſa. Cortex quo Coralli baſis, truncus, & rami conteguntur, dum recens eſt Corallum ex aquarum ſinu extractum, ab ejus ſubſtantia lapidea facile divellitur, exſiccatus vero difficilius. Externe inæqualis eſt, ſcaber; & quaſi granulis conſperſus. Singula grana in medio tenui foramine perforantur; & totidem ſunt oſtiola ad ſuccum nutritium ex aquis, quibus quibus Corallinus frutex undequaque circumdatur, ſuſcipiendum. Papillæ præterea ſeu glandulæ hinc inde diſſeminatæ in corticis ſuperficie eminent, intus cavæ, & in plures cellulas diviſæ, quarum orificium in ſumma papilla deprehenditur apertum, modo oblongum, modo rotundum, ſed ſæpius in ſex rimulas diviſum; ita ut ſtelliforme appareat. Interna corticis ſuperficies ſtriata eſt ſeu per longitudinem excavata ſulcis, qui ſuperficialibus lapideæ ſubſtantiæ ſulcis ſive ſtriis reſpondent, ut alter alteri ſuperimpoſitus

tubu-

tubulos efficiant, quorum ope ſuccus nutritius per totam plantam diffunditur. Hinc inde etiam in lapidea Coralli ſubſtantia excavatæ ſunt cavitates ſeu cellulæ quædam, quæ ſicut papillæ corticis ſuccum continent. Dum ſub aquis viget planta, ejus tubuli, papillæ, & cellulæ ſucco turgent lacteo, viſcido, ſaporis acris cum aliqua adſtrictione, ad Piperis, & Caſtaneæ ſaporem accedentis. Cum per aliquod tempus aeri expoſita fuit planta, ſuccus ille inſpiſſatur, exſiccatur, & in flaveſcentem ac friabilem ſubſtantiam acrimonia deſtitutam, ſed tantummodo leviter adſtringentem convertitur.

In ramorum ſummitatibus adſunt mollia tubercula compacta ex corticali ſubſtantia, in varias cellulas diſtincta, & eodem lacteo ſucco repleta. Mollia ſunt ſicut cortex, cum ex maris fundo Corallum educitur, paulatim in aere exſiccantur, & friabilia evadunt. Hæc tubercula pro fructibus ſeu ſeminum receptaculis a plurimis habentur; ſed organa potius videntur eſſe ad ſuccum nutritium plantæ præparandum, & perficiendum a natura deſtinata.

Flores in corticis papillis continentur. Dum Corallum recens ex æquore extractum in aqua marina ſervatur in loco moderate calido, papillæ ſenſim intumeſcunt, & expanduntur, lactei ſucci guttulas fundentes. Tum ex ſingulis papillis calyx oritur albus, ſeſquilineam longus, octo ſuſtinens foliola alba, radiatim diſpoſita, & veluti ſtellulas repræſentantia. Tandem poſt octo, decem, vel duodecim dies, marceſcentes flores flaveſcunt, in globulos contrahuntur lacteo ſucco turgidos, qui Coralli corticem deſerunt, & decidui aquæ fundum petunt. Corpuſcula hæc ſubrotunda fructus eſſe ſuſpicatur illuſtris Comes Marſiglius, ſemen vero in eorum ſucco deliteſcere autumat.

Sagaciſſimus ille rerum naturalium ſcrutator hos flores menſe Decembri anni 1706. primum obſervavit in Corallo in littore Maſſilienſi recens expiſcato, & adhuc cortice obducto. Illud enim in vaſe aqua marina repleto per aliquot horas ſervatum, floribus albis ſtellatis hinc inde conſperſum reperit. Aqua detracta evanuerunt flores, remanentibus tantum papillis rubentibus: aqua marina denuo affuſa, flores iterum apparuerunt. Sicque per decem vel undecim dies Corallum floridum conſpiciebatur.

Corallum fere omni tempore floridum in mari deprehenditur: ſaltem illuſtris Comes Marſiglius Hyeme, Vere, & Autumno illud floribus conſperſum reperit. Falſum eſt quod veteres tradiderunt, nempe Corallum ſub undis molle fuiſſe, & quo primum contigit auras tempore, in lapidem dureſcere. Non minus enim ſub undis quam extra undas durum, & lapideum deprehenditur. Revera ſub undis molliori tegitur cortice, qui aere exſiccatus paululum indureſcit, licet ad lapideam duritiem non perveniat.

Humor quo tubuli, cellulæ, & papillæ corticis adimplentur, cum primum ex aquis Corallum educitur, lacteus eſt, & glutinoſus, ſapore acri cum aliqua adſtrictione ad Piperis, & Caſtaneæ ſaporem accedente, qui in recens extracto Corallo manifeſte ſentitur, in exſiccato evaneſcit, adſtrictione tantum reſidua. Ille humor intra ſex circiter horas poſtquam Corallum ex maris ſinu extractum eſt, flaveſcit in aere, inſpiſſatur, ac tandem indureſcit, & in friabilem ſubſtantiam croceam convertitur.

Suc-

Succus eſt nutritius ad fructicis Corallini nutritionem, & incrementum inſerviens. Qui vero in capſulis ſubrotundis florum continetur, Coralli germine impraegnatus videtur, & pro fructu vel ſemine haberi poteſt; ſiquidem hae capſulae ex Corallinis ramis deciduae, ſaxis, conchis, aut aliis corporibus quibuſcumque in quae cadunt, adhaerentes, paulatim expanduntur, germinant, novamque Coralli plantam ibi producunt.

Lapidea Coralli ſubſtantia non iners eſt, nec actis principiis orbata, multo minus cortex. Et quidem Corallum recens extractum e maris ſinu, principiis donatur actuoſis, & volatilibus, quibus ſpoliatur per longum tempus in aere ſervatum. Cortex vero majori harumce partium copia donatur quam ipſa Coralli ſubſtantia, ut ex analyſi Chymica patet.

Ex Coralli rubri corticis recentis, & lacteo ſucco praegnantis ℥iij. per retortam diſtillatis, prodierunt phlegmatis fere inſipidi ʒv. cum gr. xxx. ſpiritus urinoſi ʒix. cum olei craſſioris, & bituminoſi tantillo permixto. Maſſae in retorta reſiduae pondus fuit ℥j. ex qua rite per tres horas calcinata ſalis fixi gr. xxv. extracta fuerunt. Jactura partium volatilium tum in diſtillatione, tum in calcinatione fuit ʒj. gr. xxx.

Coralli recens e maris ſinu extracti, & cortice ſpoliati ℥iij. phlegmatis albicantis gr. xviij. ſuppeditarunt, ſpiritus urinoſi gr. xlviij., cum tantillo olei bituminoſi. Reſidui in retorta pondus fuit ℥ij. ʒvj. gr. xxxviij. ex quibus per lixivium ſalis fixi gr. xxxv. extracta fuerunt. Jactura in calcinatione, & diſtillatione fuit circiter gr. xxxv.

Ex Coralli a ſeſquianno e mari educti ℥iij. phlegmatis urinoſi oleo bituminoſo permixti gran. xxx. prodiere. Reſidua maſſa ℥ij. ʒvij. gran. xxx. pendebat; ex qua poſt calcinationem ſalis fixi ſalſi gran. xxv. per lixivium elicita ſunt. Ex ℥iij. Coralli, gran. xxxvj. in operatione avolarunt.

Spiritus urinoſus Syrupum violaceum viridi colore tingebat, cum acidis liquoribus efferveſcebat, & Sublimati corroſivi ſolutionem in lacteum coagulum tranſmutabat. Sal fixus ex capite mortuo extractus coagulum album in ſolutione Sublimati corroſivi excitabat. Unde liquet, fixum Coralli ſalem non mere alcalinum eſſe, ſed ſalſum.

Corallum rubrum igne aperto calcinatum, rubro colore ſpoliatur, & pallidum fit vel album: albeſcit quoque oleoſis quibuſdam ſubſtantiis diutius maceratum, & coctum, ut oleo Aniſi, Foeniculi, Mali Citrei, &c. Menſtrua vero rubro colore inficiuntur: non idem evenit ſi cum aqueis liquoribus incoquatur.

Ex his analyſibus concludere licet, Corallum non tanquam mere abſorbens terreſtre habendum eſſe, ſed ſale volatili urinoſo, & oleo bituminoſo donari cum terra conjunctis, a quibus ejus energia pendet; rubram Coralli tincturam a bituminoſa ſubſtantia oriri, quam a parte terreſtri ſeparare non eſt impoſſibile; deinde non parum intereſſe diſcriminis inter Corallum recens ex aquis extractum, & Corallum diutius aſſervatum; imo plus fortaſſe energiae ineſſe in cortice, quam in propria Coralli ſubſtantia, quod quidem experimentis foret explorandum.

Dio-

Dioſcorides Corallo adſtringendi, & mediocriter refrigerandi virtutem tribuit, excreſcentias coercendi, oculorum cicatrices abſtergendi, ulcera cava, & cicatrices explendi, ſanguinis rejectiones inhibendi, urinæ difficultati medendi. Quæ quidem vires non a ſolo terreo principio abſorbente, & exſiccante pendent, ſed etiam ab ejus oleo bituminoſo, & balſamico proficiſcuntur. In hæmorrhagiis quibuſcumque, in alvi profluviis, & fluore albo utiliter præſcribitur. Doſis a ℈j. ad ʒj. Præterea vis ipſi tribuitur cor roborandi, venenis reſiſtendi, humorumque malignitati, non ſolum intus ſumpto, ſed etiam extus appenſo. Verum de ea virtute non plane conſtat.

Plures Corallorum præparationes ab auctoribus recenſentur, ut ſunt Magiſterium, Sal, Tinctura, Syrupus, quæ quidem hodie fere ab omnibus rejiciuntur. Solum Corallum tenuiſſime tritum, & ſuper porphyriten in alcohol redactum in uſum venit, & cœteris omnibus præparationibus anteponendum eſt, diciturque Corallum præparatum. Cœteris præparationibus Corallum adeo mutatur, ut ſit a ſeipſo prorſus diverſum. Magiſterium enim eſt Coralli ab acidis liquoribus ſolutio, & ab alcalinis præcipitatio. Sal Corallorum non eſt vere ſal ex Corallis extractus, ſed cryſtalli oriundæ ex acido ſale cum Corallo per diſſolutionem, & evaporationem conjuncto. Syrupus eſt Corallorum acida ſolutio in Syrupum cum Saccharo cocta. Tincturæ fere omnes non tam a Corallo colorem, & vim obtinent, quam a menſtruo aut aliis rebus, quæ Corallo conſociantur. Si quis tamen Coralli tincturam ſinceram deſideret, ſic præparari poteſt.

♃. Coralli rubri contuſi q. l. Bulliat in olei eſſentialis Aniſi vel Fœniculi q. ſ. per ſex ſeptemve horas in vaſe clauſo, donec Coralli fruſtula albeſcant, & oleum rubro colore tingatur. Oleum a Coralli fragmentis ſeparatum diſtilletur igne modico, uſquedum guttulæ olei rubræ prodeant. Tum reſinoſæ maſſæ in retorta remanenti affunde olei Tartari per deliq. ad em. duor. vel trium digitor. Digerantur ſimul, donec reſina prorſus diſſoluta fuerit. Solutio evaporetur ad ſiccitatem: tum maſſæ ſalinæ reſinoſæ affunde iterum ſpiritum vini rectificati q. ſ. ad ſupereminentiam trium, quatuorve digitor. Macerentur in balneo cinerum, & tinctura a ſalina maſſa ſeparetur. Nobum ſp. vini affunde, & digerantur: affuſiones repete, donec nulla amplius tinctura extrahatur. Tincturæ omnes ſimul mixtæ evaporentur ad medietatem. Liquor ſervetur ad uſum tanquam ſincera Coralli rubri tinctura, cujus tamen effectus Agyrtarum promiſſis non reſpondebunt. In hoc liquore ſulphurea, & bituminoſa Coralli pars continetur.

Corallum album, *Offic.* Corallum album, *Lobel. Icon.* 253. A rubro nonniſi lacteo candore differt. Raro his in maribus reperitur: & plerique auctores, qui Corallum album in mari Mediterraneo naſci ſcripſerunt, pro eo Madreporæ ſpecies deſignaverunt. Comes Marſiglius in piſcationibus, quibus interfuit, Corallum album nullum reperit. Cum vero Corallini ramuli partim rubri, partim albi reperiantur; nonne conjicere liceret Corallum omne naſci rubro colore tinctum, nec alio colore inficì, niſi cum aliquo vitio afficitur, aut cum præ ſenectute exſuccum, & exſiccatum tandem incaneſcit?

Quod

Quod tamen affirmare non auſim, niſi prius plurimis obſervationibus confirmatum fuerit. Illud idem clariſſimus Marſiglius aſſerit de Corallis fuſcis, flaveſcentibus aut cinereis, quæ nihil aliud ipſi videntur quam Corallorum ſtirpes diſruptæ, & in fundo maris intra limum diutius aſſervatæ. De Corallo albo nulla apud Dioſcoridem & Galenum mentio; unde ipſis ignotum fuiſſe videtur.

Corallo albo eædem facultates, quæ rubro, tribuuntur, ſed debiliores. Sæpe ſimul præſcribuntur.

An verum & genuinum Corallum nigrum reperiatur, ſubſtantia nempe lapidea, dura, denſa, colore nigro ſplendente, marmori nigro ſimile dubitant. Saltem nullum ejuſmodi Corallum in officinis vel cimeliarchiis reperi: & quicumque ramuli qui ſub Coralli nigri nomine in illis exhibentur, nihil aliud ſunt quam trunci aut rami plantæ marinæ, quæ dicitur Lithophyton nigrum, arboreum, *Inſt. R. H.* 574. Corallum nigrum, *C. B. P.* 366. Corallum nigrum, ſive Antipathes, *J. B.* 3. 804. cujus ſubſtantia eſt veluti cornea, denſa, dura, fractu contumax, & cortice contegitur fibris contexto & ſæpe Tartari æmulo. A Corallis facile diſtinguitur, quod igne comburatur haud diſpari ratione ac cornu, & ſimilem odorem emittat, non item Coralla. In officinis nullius, aut ſaltem rarioris eſt uſus. Diſtillatione multum ſalis volatilis urinoſi ſuppeditat.

Corallum rubrum uſurpatur in Confectione de Hyacintis, Pulvere e chelis compoſito *Londinenſium*, Pulvere dyſenterico *Charas*. Rubrum & album in Pulvere Diamargariti frigidi, & Pulvere Pannonico *Charas*.

Sub Coralli albi nomine in officinis ſæpius occurrunt Madreporæ ſpecies, quæ plantæ ſunt maritimæ fere lapideæ, candidæ, in ramos diviſæ, Coralli æmulæ, a quo tamen in eo diſcrepant quod ſint foraminibus perviæ, intus cavæ, & ſine cortice creſcant. Species Madreporæ quæ ſæpius occurrit in officinis, dicitur Madrepora vulgaris, *Inſt. R. H.* 573. Corallium album oculatum officinarum, *J. B.* 3. 805. Corallo blanco, fiſtuloſo, *Imper.* 627. A clariſſimo Comite Marſiglio ſic deſcribitur, *in rerum ſubmarinar. hiſtor.* Hæc Madrepora intus cava eſt, & in varias cavernulas ſeu concamerationes ſeptis intermediis tranſverſis quamplurimis diſtincta. Unaquæque concameratio in ſeptem cellulas aliis longitudinalibus clauſtris adhuc dividitur: tandem ramorum extrema cupulam exhibent concavam, radiatam, & tenuibus foraminulis in ambitu perforatam. Succo lacteo glutinoſo, dum recens e mari educitur, turgida videtur.

Ex hujus Madreporæ ℥iij. jam ab aliquo tempore e mari extractis per retortam diſtillaverunt ſpiritus volatilis urinoſi gr. l. & ex maſſa reſidua ſalis fixi gr. x. per lixivium fuerunt extracta. Nihil aut perparum bituminis prodiit.

Quidam Madreporas iiſdem viribus donari atque Corallum album exiſtimant.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Corallina.

Corallina *Off.* Βρύον θαλάσσιον *Dioſcoridis & Galeni* : Corallina, *J. B.* 3. 818. Corallina altera *Tabern. Icon.* 813. Planta eſt maritima minima, ramuſculis numeroſiſſimis, gracilibus, fragilibus geniculatis ſeu ex plurimis articulis inter ſe connexis compoſitis, ſubſtantia foris tanquam e limo quodam albicante circumnato lapideſcente, colore vario, nunc albo, nunc rubente, nunc flaveſcente, nunc cinereo, aliquando nigro, nonnumquam herbaceo, odore nauſeoſo piſculento, ſapore ſalſo, ingrato, ſub dentibus lapillorum inſtar crepitans, & facile vel attritu digitorum in pulverem fatiſcens. Vix ſeſquiunciam aut uncias duas aſſequitur. In ſcopulis maris reperitur, modo lapillis, modo conchis, modo Corallo aut aliis fruticibus marinis inhærens. Naſcitur abſque radice: uberime creſcit in Oceani, & maris Mediterranei littoribus. Eligitur recens, candicans vel cinerea.

Ex hujus plantæ ℥xxiiij. per retortam diſtillatis prodierunt phlegmatis albicantis odore piſculenti ℥iij. ʒv. ſpiritus urinoſi ruſeſcentis ℥x. In retorta materia reſidua nigricans pendebat ℥x. Jactura fuit ʒiij. in diſtillatione. Ex reſiduo ſalis fixi lixivioſi ſalſi pondus fuit ʒiij. gr. xxx. Per hanc analyſim patet Corallinam virtutem ſuam obtinere a ſale volatili oleoſo copioſo, multa terra implicito.

Corallina a Dioſcoride commendatur ad collectiones cohibendas, & podagræ ardorem contemperandum. De virtute vermes enecandi, quæ ei tribuitur alte ſilet. Hodie vero hæc facultas vermifuga plurimum celebratur. Exhibetur ſola in craſſiuſculum pulverem contrita a ʒß. ad ʒj. vel cum aliis medicamentis vermes enecantibus.

℞. Corallinæ, corticis Mori arboris ana ʒj. Rhei pulver. Rad. Filicis fœmin. ſummitatum Tanaceti ana ʒß. Æthiopis mineral. ʒij. M. F. pulvis, cujus doſis a ʒß. ad ʒiij.

CAPUT QUINTUM.

De Surculis quibuſdam, Foliis, & Floribus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Calamo aromatico vero.

Calamus aromaticus verus *Off.* Κάλαμος ἀρωματικὸς *Dioſcorid. & Galeni* : Κάλαμος μυρεψικὸς *Hippocratis* : Calamus Alexandrinus, *C. Celſi* : Caſab aldharira, *Arabum* : Dharira, *Avicennæ* : Dirimguo Malaiis,

Gar-

Garziæ. Caulis eſt plantæ arundinaceæ, inſtar calami aut tubi cavus, tenuis, Avenæ vel Calami ſcriptorii craſſitie, geniculatus, foris pallide flaveſcens, intus candidus, medulla fungoſa, levi, aranearum retis ſeu filamentis in ſe collapſis & convolutis ſimili repletus, ſapore acri ſuaviter amaricante, odore fragrante. Probatur fulvus, denſe geniculatus, odoratus.

Per ſat longum temporis intervallum in officinis fuit incognitus: & quamplurimi Medici, inter quos Fuchſius, Braſſavola, Valer. Cordus, Acorum eſſe legitimum Dioſcoridis Calamum aromaticum arbitrati ſunt. Garzias Luſitanus legitimum Calamum aromaticum in Indiis repertum accurate deſcripſit: idem quoque a Paludano & a Proſpero Alpino deſcribitur, in Ægypto natus. Ab hiſce temporibus in officinis rurſus innotuit; ac tandem nullus ſupereſt dubitandi locus, quin Calamus aromaticus noſter, licet rarius occurrat, ſit verus & genuinus Dioſcoridis Calamus, ſi præſertim ejus comparatio cum Dioſcoridis deſcriptione inſtituatur.

Planta quæ hunc ſurculum profert, dicitur Caſſab Eldereira *Paludani*, *annotation. in Linſchot. navigationes*: Caſſabeldarrira, *P. Alpin. Exotic.*

Ex radice inutili trium quatuorve unciarum longa, ſummo capite nonnihil extuberante, & in paucas fibras deſinente, caulis (modo unus, modo plures,) fere bicubitalis aſſurgit, rectus, rotundus, lævis, craſſitie pennæ anſerinæ, aut ad ſummum, digiti minoris, multis geniculis diſtinctus; odore dum recens eſt exiguo, non ingrato tamen; ſapore amaro cum quadam acrimonia: qui intus cavus, ſpongioſus, ſeu medulla levi, tenuiſſima, alba repletus aſſulatim frangitur. In plures ramos dividitur, hique in tenuiores ſubdividuntur binos & oppoſitos. Folia pauca ſemper bina ex adverſo ad ſingula genicula ſita, caulem amplectentia, unciam lata, ſeſquiunciam longa, & in acutum deſinentia, nervis aliquot per longum excurrentibus inſignita conſpiciuntur. Ex cauliculorum geniculis utrimque duo ramuli exeunt ſubtiles, qui flores parvos foliaceos plurimos, floribus luteæ Lyſimachiæ ſimiles, ſingulis tenuiſſimis pedicellis inſidentes ſuſtinent: quibus ſuccedunt parvi folliculi, oblongi, in acutum deſinentes, nigri, ſemen nigrum & minutum continentes. Apud Indos naſcitur, Teſte Garzia, necnon etiam apud Ægyptios, Alpino teſte.

Calamus aromaticus ab Indianis populis uſurpatur in condiendis piſcibus & carnibus elixis: ventriculum enim roborat, & ciborum concoctionem juvat. Dioſcorides refert Calamum aromaticum urinam potu ciere, potum & appoſitum menſtrua provocare, tuſſi ſuffitu mederi per ſe aut ex reſina Terebenthina, hauſto per arundinem fumo. Familiaris ejus uſus eſt, referente Garzia, mulieribus Indianis in uteri affectibus & nervorum doloribus. Raro noſtris in officinis uſurpatur, niſi ad Theriacæ confectionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Schœnantho, ſeu Junco odorato.

SChœnanthus & Squinanthum, *Off.* Σχοῖνος *Dioſcoridis* & *Galeni*; σχοινὶς ἡδύοσμος, καὶ εὐώδης *Hippocratis*: σχοῖνος ἀρωματικὸς καὶ μυρεψικός

Ψιχός *Græce recentiorum* : σχοίνανθος *Actuarii* : Juncus odoratus , *Plinii* : Juncus rotundus, *C. Celſi* : Adher ſeu Adcher , *Arabum* : Palea de Mecha, Paſtus & Fœnum Camelorum , *Nonnullis* . Culmus eſt cum foliis & nonnumquam floribus ex Arabia delatus, aridus , rigidus, teres , nitidus, geniculatus , pedem circiter longus , medulla fungoſa farctus , colore ad radicem pallido, vel ſubflavo, prope verticem viridi aut purpuraſcente ; ſapore fervido, ſubacri , amaricante , aromatico non inſuavi , Pulegio ſimili, multo tamen vehementiore, odore inter Roſas & Pulegium medio, fragrantiſſimo. Plurimi ex una radice aſſurgunt.

Dubitaverunt nonnulli num noſter Schœnanthus idem ſit cum antiquorum Junco odorato. Verum Andreas Matthiolus , Gaſpar & J. Bauhinus eumdem eſſe variis argumentis comprobaverunt , nullumque dubitationi locum reliquerunt. Dioſcorides & Galenus σχοῖνον ſeu Juncum ſimpliciter, hunc Culmum per excellentiam dixerunt . C. Celſus *lib.* 3. *cap.* 21. eumdem Juncum rotundum nominat ad differentiam Junci quadrati , Cyperi a Græcis appellati. Σχοίνου ἄνθος antiquitus nominabatur apud Græcos, id eſt Junci flos; quod quidem Galenus *notis ad Theriacam Andromachi* miratur, cùm floris copia tum fere nulla eſſet , nec ſoleret afferri. Unde manifeſtum eſt , monente ipſo Galeno , priſcos ſcriptores ſub hac denominatione non Junci florem , ſed ipſum Juncum odoratum intellexiſſe. Veriſimile autem eſt apud Græcos per excellentiam ſic nominatum fuiſſe , ut a cœteris Juncis diſtingueretur . Non ſolum enim ἄνθος florem deſignat, ſed aliquid præcellens, ut obſervat Salmaſius . Nihilominus mirum eſt, quod aſſerit Galenus, Junci odorati florem non vidiſſe , nec ſuo tempore afferri ; cum tamen Dioſcorides inter electionis conditiones, hunc Juncum floridum expoſtulet . Hodie vero culmi cum floribus ſæpe afferuntur.

Planta dicitur Schœnanthos ſive Juncus odoratus , *J. B. T.* 2. 515. Juncus rotundus aromaticus , *C. B. Th. Botanici* 163. Gramen Dactylon aromaticum multiplici panicula , ſpicis brevibus tormento candicantibus ex eodem pediculo binis , *Pluk. phytograph. T.* 191. *Fig. I.*

Radicibus nititur albicantibus, parvis , lentis , duris , lignoſis , multis fibris exilibus ſummo ceſpite ſparſis . Foliis eſt palmum excedentibus , triticeis, robuſtis , craſſis , ad radicem latis , convolutis & ſquamatim interſitis, quæ in tenuem , ſubrotundum, firmumque mucronem deſinunt , & culmos ut in Arundine multis veluti tunicis arcte cingunt. Culmi multi ex uno radicum ceſpite, pedales, rotundi , nodis longe ab invicem diſtantibus diſtincti , aliquando lignoſi, non cavi intus , ſed medulla fungoſa juncea farcti, & in ſummo graciles aſſurgunt; quibus ſecundum caulem gemina ſerie Lolii modo flores ſpicatim hærent, decidui , in quorum glumis aut caliculis foris rubellis papposi tenueſque floſculi inſident , quibus ſemina ſuccedunt. Tota planta ſuavem & aromaticum odorem ſpirat. In quibuſdam Arabiæ provinciis tanta copia naſcitur, ut commune ſit camelorum pabulum.

Junci hujus partes omnes olim ad Medicinam expetebantur, culmi videlicet, flores, & radices : earum enim Dioſcorides meminit. Quidam ſola folia commendant, floribuſque præſtantiora eſſe aſſerunt. Verumtamen omnes par-

partes odoratæ & efficaces ſunt: folia enim jucunda & aromatica quadam acrimonia linguam mordicant: radix guſtu eſt fervido & aromatico: floribus recentibus aromatica tenuitas ineſt, quæ exacto anno perit, ita ut poſt duos annos penitus inutiles ſint. Necnon etiam hiſce partibus facultates diverſæ tribuuntur. Radix floribus magis adſtringit, flos vero utpote tenuium partium foliis calidior eſt. Itaque in compoſitionibus pharmaceuticis Juncus odoratus uſurpandus & eligendus eſt recens, floridus, odoratus, aromaticus, guſtu fervidus.

Oleo eſſentiali aromatico copioſo turget, quod diſtillatione extrahitur; ſed rarioris eſt uſus in officinis.

Dioſcorides & Galenus Junco odorato in fomentis, aut potu adhibito vim urinam menſeſque provocandi, jecoris, ſtomachi, & ventris inflationibus medendi tribuunt. Ejus uſus apud neotericos præcipue in obſtructis viſceribus, utero ſcilicet, hepate, liene, in ventriculi inflatione, vomitu, ac ſingultu, & in urinæ difficultate. Exhibetur ejus pulvis ad ʒj. decoctus ad ʒij. in vino vel aqua. Extrinſecus ſacculis incluſus, vel ejus decoctum lotione caput, ventriculum, hepar, cœteraque viſcera roborat. Simon Paulli refert *in Quadrip. Botanico*, Henricum Meibomium Schœnanthum & Cyperi radices tanquam ſpecificum ad veſicæ ulcera adhibere.

In Theriaca Andromaci, & in Mithridatio Damocratis uſurpatur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Malabathro, ſeu Folio Indo.

MAlabathrum, Folium, & Folium Indum, *Off.* Μαλάβαφον & φύλλον Μαλαβάθρου *Dioſcoridis & Galeni*: Μαλάβαφρυν Ἰνδικόν *Ejuſdem Galeni*: φύλλον Ἰνδικὸν *Actuarii*: Malabathrum, *Plinii*: Sadegi, *Avicennæ*: Talamapatra, *Garziæ*. Folium eſt folio Cinnamomi ſimile, a quo nonniſi odore & ſapore differt, oblongum nempe, acuminatum, denſum, & glabrum, tribus a pediculo ad apicem diſcurrentibus nervis diſtinctum, odore non ingrato aromatico, ad caryophyllos aliquantulum accedente.

Eligatur recens, denſum, craſſum, majus, atque integrum, quodque non facile in partes minutas frangatur.

De Malabathro antiquorum auctores inter ſe non conſentiunt, nec certo conſtat, noſtrum Folium Indum fuiſſe Malabathrum antiquorum. Dioſcorides ſcribit Malabathrum Lentis paluſtris modo aquis innatare, nulla fultum radice. Verum aut fabulas ab aliis enarratas nobis tradidit auctor, aut ejus Malabathrum nunc nobis prorſus ignotum eſt. Plinius Nardi Folium eſſe aſſerit; quam quidem opinionem ut falſam ipſe Dioſcorides jam rejecerat. Itaque inter horum diſſenſum Garzias denominationum ſimilitudine inductus, conjicit neotericorum Folium Indum, atque veterum Malabathrum, rem unam eſſe & eamdem. Ab Indianis enim Tamalapatra dicitur; unde Μαλάβαφρον Græcorum derivatum exiſtimat. Huic autem libenter aſſentimur.

Arbor quæ hoc folio donatur, dicitur Canella ſylveſtris Malabarica, *Raii Hiſtor.* 1562. Katou-Karua, *H. Malab. P.* 5. 105. Canella arbor ſylveſtris, *Muntingii*: Tamalapatrum ſive Folium, *C. B. P.* 409. Canellæ Zeylanicæ ſeu Cinnamomo haud abſimilis eſt tum odore, tum ſapore, niſi quod major ſit altior. Folia itidem prægrandia, oblongo rotunda, longitudine duas ſpithamas, latitudine duos palmos circiter æquantia: a pediculo ad apicem folii tres nervi craſſiores tranſeunt, ex quibus tranſverſæ multæ venulæ excurrunt. Floſculi in umbellas expanſi extremis ramulis proveniunt, inodori, viridi-albicantes, pentapetaloides, quinque viridibus brevibuſque ſtaminulis, viridi-flavis, apiculis ornatis medium occupantibus. Floſculis ſuccedunt baccæ exiguæ Ribium noſtratium inſtar. Provenit in locis montanis Malabaricæ regionis: Julio & Auguſto menſibus floret, Decembri autem & Januario maturos fert fructus.

Malabathrum Dioſcoridis eaſdem cum Nardo vires ſortitur, ſed efficacius omnia præſtare dicitur. Hodie rariſſime medicum in uſum venit. Uſurpatur tantum in Theriaca, Mithridatio, & Hiera Diacolocinthidos.

ARTICULUS QUARTUS.

De Senna.

SEnna, Sena, & Folium orientale, *Offic.* Σένα *Actuarii*: Sene, *Arabum*: Abalzemer, *Perſar.* Gallice, *Senne*. Folia ſub his nominibus proſtant in officinis parva, ſicca, ſubpinguia, firma, acuta, & veluti lanceolata, ex viridi flaveſcentia; odore tenui, non prorſus ingrato; ſapore ſubacri, amaricante, nauſeoſo.

Duplex Senna nobis affertur, Alexandrina ſeu Zeydenenſis aut Sidonia, quæ Gallis *Senne de Syede ou de la Palte*, vectigalis nempe nomine huic folio a Turcarum Imperatore impoſiti: alia vero quæ foliis eſt minus acutis, Tripolitana nuncupata, *Senne de Tripoli*, priori longe inferior, foliis læte virentibus, amplioribus, ſed acumine obtuſo, aſpero tactu. Præter eas nonnunquam occurrit Senna Mochana, cujus folia anguſtiora ſunt, longiora, & acutiora; necnon etiam Senna Italica, cujus folia majora, latiora, extremo ſubrotunda, & venulis eminentibus diſtincta. Sed raro afferuntur: prioribus enim longe minus efficaces ſunt.

Eligatur Alexandrina, recens, ex viridi flaveſcens, odorata, tactu dulcis, foliis integris, non contritis, non maculoſis, a ſtipitibus mundata ac repurgata: cujus tinctura aqua communi parata, intenſe colorata deprehendatur.

Nec ſola folia in uſum medicum veniunt, ſed etiam fructus qui folliculi Sennæ dicuntur: ſiliquæ ſunt membranoſæ, oblongæ, incurvæ, planæ, compreſſæ, colore ex viridi rufeſcente aut ſubnigro, in quibus continentur acini uvarum acinis fere ſimiles, compreſſi, pallentes aut nigricantes.

Anti-

Antiquiores Græci & Latini Sennam non cognoverunt. Nonnulli tamen dubitant an Dioſcoridi & Galeno ignota fuerit. Dubitandi ratio eſt quod quidam Meſuæi interpretes in decoctione Sennæ Galenum citent: ſed reipſa Sennæ nulla apud Galenum mentio deprehenditur. Nec Arabes ea ſola vice Græcorum teſtimonium falſo adducunt. Ruellius tamen Sennam cum Colutea Theophraſti confundit: ſed ejus error a Matthiolo ſufficienter redarguitur. Et revera Averrhoes novam eſſe herbam aſſerit & veteribus ignotam: itaque Sennæ uſus Arabibus debetur. Serapio primus de ea mentionem fecit, deinde Meſue. Inter Græcos junjores Actuarius primus Sennæ meminit, illiuſque tradit facultates.

Planta dicitur Senna Alexandrina, ſive foliis acutis, *C. B. P.* 397. Sena, *J. B. I.* Sena orientalis, *Tabern. Icon.* 517. Fruteſcens eſt, duos cubitos æquans, caulibus lignoſis, in ramos lentos abeuntibus ex quibus alternatim exeunt pediculi tenues, palmo longiores, ad quos ex mediocribus intervallis adnexæ ſunt foliorum quatuor, quinque, aut ſex conjugationes, nullo impari alam claudente folio, ſingula autem folia dilute virent, proximeque coſtæ adhæreſcunt. Glycyrrhizæ foliis ſimilia, ſed acutiora, pollice breviora, tres lineas lata ſaporis glutinoſi leviter amaricantis non ſine nauſea aliqua. Flores longa ſerie ſummis ramulis innaſcuntur roſacei, ex quinque ſcilicet petalis conſtantes paululum cavis, luteis & venis purpureis diſtinctis, calyce pentaphyllo ſuffulti. Horum medium occupant ſtamina decem & germen incurvum, quod deinde mutatur in ſiliquam valde compreſſam, ut plurimum incurvam, ex duabus membranis compoſitam, quas inter ſemina nidulantur vinaceorum acinis fere ſimilia, depreſſa, pallide virentia, duas circiter lineas longa, altera parte acuta, altera vero obtuſa, una ſerie diſpoſita, tenuibus veluti diſſepimentis inter ſe diſtincta. Seritur in Perſia, Syria, & Arabia, unde in Ægyptum & Alexandriam deportatur.

Inſtituta Sennæ analyſi Chymica, foliorum Sennæ ℔iiij. & ℥iiij. exhibuerunt liquoris alcalini urinoſi ℥xv. acidi vero humoris ℥ix. circiter, qui quidem promiſcui prodierunt ex retorta; olei craſſioris ℥vj. ʒj. gr. xij. ſalis volatilis urinoſi ʒj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥xviij. ʒvijß. Hæc maſſa per 14. horas calcinata, per 4. horarum ſpatium flammas emiſit. Tandem cineres colore ſubcinereo fuſco educti, pendebant tantummodo ℥iiijß. ex quibus per lixivium ſalis mere alcalini ℥j. gr. lvj. elicita ſunt.

Olei ſupradicti ℥iiij. cum ʒv. per diſtillationem rectificatæ, olei liquidi ʒiiij. craſſioris vero & butyroſæ conſiſtentiæ ℥iij. ʒv. effuderunt, remanente in retorta terra nigra ponderis ʒiij. gr. viij.

Ex hac analyſi liquet, Sennam conſtare ex duobus ſalium generibus, ammoniacali uno, & tartareo altero, oleo craſſiori copioſo ſimul junctis: unde compoſitum exſurgit gummoſo-reſinoſum, a quo purgandi facultas pendet. Ex Senna enim ope aquæ Extractum educitur, quod acrimonia forti pollet, & exſiccatum facile accenditur.

Senna virtute purgandi per inferiora inſigni donatur. Nec ullum eſt medicamentum purgans frequentius, uſitatius, utilius. De ejus qualitatibus diverſe ſentiunt auctores, ſicut & de humoribus quos vacuat. Actuarius bilem & pituitam excernere aſſerit, licet diſſentientem habeat

 Aver-

Averrhoen, qui negat pituitam ab hoc medicamento purgari; Meſue melancholiam & bilem aduſtam ducere ab omnibus viſceribus dicit: aquas vero ſæpe purgare Jacobus Sylvius Medicus Pariſienſis obſervavit. In hac auctorum diſſonantia Rolfincius pronunciat eum a Senna purgari humorem, qui abundat & naturæ moleſtiam affert. Vix aliud quicquam medicamentum æque valide corruptos atque craſſos humores, prolicit, aut obduratos evacuat, & diuturniores obſtructiones expedit. Diuturnorum atque lentorum morborum, quos viſcerum impuritas aut vetus obſtructio genuit, ſingulare eſt præſidium, inquit Fernelius, ut lentarum veterumque febrium, melancholiæ, epilepſiæ, ſcabiei, impetiginis, vitiliginis, elephantiaſis, & omnis denique impuritatis. Torſionibus ſæpe moleſta, non quod flatulenta ſit; ſed quod firmiter hærentes humores, ac plerumque acres nequeant ſine ſenſu doloris evelli. Medici tamen hanc Sennæ noxam corrigere tentant variis rebus, quibus, licet non prorſus deleatur, ſaltem minuitur. Alii autem permiſcent, quæ ventriculum & inteſtina roborant, cujuſmodi ſunt Zingiber, Cinnamomum aut Spica Nardi: alii quæ leniendo ſine torſionibus facile deducunt, qualia ſunt juræ pinguia, Pruna, Jujubæ, Uvæ paſſæ Viola, Althæa, Polypodium: alii vero quæ flatus diſcutiunt, lentos & glutinoſos humores incidendo, cujuſmodi ſunt Aniſum, Fœniculum, Coriandrum, Salia Tartari, Abſynthii, aut alia hujuſcemodi. Revera, cum Sennæ vis purgatrix a ſubſtantia gummea & reſinoſa pendeat, quæ duplici modo actionem ſuam exerit, tum humores ſpiſſos, ac lentos ſolvendo, tum etiam & præcipue nerveas inteſtinorum fibras irritando, & ad contractionem ſollicitando, quo minus hæc reſina extenditur, eo magis partibus adhæret, eaſque vividius lancinat & irritat: quo magis vero extenditur, eo minor eſt ejus adhærentia, eo minor irritatio. Itaque quæcumque hanc reſinoſam ſubſtantiam extendere valent, qualia ſunt major humoris copia, quo Senna maceretur; Salia alcalia quæ ſulphurea & reſinoſa dividere valent; olea quoque, in quibus reſinoſa facile diſſolvuntur: ea omnia ventris torſiones minuunt. Sic Tinctura Sennæ in ptiſanis aut juſculis largo hauſtu epota, egregie & minus moleſte purgat, quam in parva aquæ doſi exhibita. Lenientia & mucilaginoſa reſinoſas Sennæ partes involvendo irretiunt, earumque actionem retundunt; ſed vim purgatricem quoque minuunt, unde minor effectus.

Obſervatum eſt, Sennam valde nocere iis morbis, in quibus humores æſtuant, & ſolidæ partes inflammantur. Ab ea igitur abſtinendum in hæmorrhagiis, inflammationibus quibuſcumque, & in morbis pectoris. His demptis, nullum fere eſt morbi genus, ubi, ſervatis artis legibus, convenire non poſſit.

Alia adhuc inter ſcriptores Medicos movetur controverſia, an Sennæ folia, an folliculi præferendi ſint? Meſue, Actuarius, & Serapio ex veteribus; Fernelius, Lobelius, Pena ex recentioribus palmam folliculis concedunt: ſed refragatur Monardus, cui nunc aſſentiuntur Medici fere omnes. Reipſa folliculi inteſtina minus torquent, ſed longe debilius purgant.

Sennæ ſubſtantia, vel infuſio, vel decoctum exhibentur. Datur in ſubſtantia ſeu pulvere a ℈j. ad ʒj. ſed raro; quoniam nimia moles eſt &

ægro-

ægrotantibus importuna, & præterea majora tormina parit. Sennæ tincturæ maceratione vel decoctione extractæ præferendæ ſunt, modo diuturniorem ignem perpeſſæ non fuerint. Meſue enim obſervat Sennæ vim purgantem eſſe in ſuperficie, unde fortiori coctione evaneſcit. Præſcribitur Senna in infuſione vel decoctione levi a ʒj. ad ℥ß. vel ſola, vel cum aliis purgantibus medicamentis.

Ingratum Sennæ ſaporem emendare ſolent quidam foliis Iquetajæ ex Braſilia allatis, quas D. Marchand Regiæ Scientarum Academiæ Socius eſſe folia Scrophulariæ aquaticæ majoris, *C. B. P.* detexit. Hujus plantæ folia cum foliis Sennæ in aqua communi tepide macerantur, & extrahitur tinctura non ingrata.

♃. Folior. Sennæ mundator. & folior. Scrophular. aq. in umbra exſiccator. ana ʒij. His affunde aq. calidæ ℔j. Macerentur, donec aqua refrigerata ſit. Hauriat æger per vices ad alvum ſubducendam.

♃. Folior. Sennæ a ſtipitibus repurgatorum & mundator. ʒij. Sal. Abſynthii ℈j. Macerentur per noctem in aq. comm. ℥vj. F. colatura, quam ſumat æger mane, jejuno ventriculo, vel ſolam, vel cum juſculo permixtam.

♃. Folor. Orientalium ʒij. Mann. Cal. ℥jß. Rhei el. minutim inciſi, & Tartari ſolubilis ana ʒj. Affunde decocti Prunor. vel Paſſular. ℥xij. Macerentur tepide per ſex horas. F. colatura in duos hauſtus dividenda.

♃. Sennæ Oriental. ʒij. Salis polychreſti ʒj. Infunde in aq. tepid. ℥vj. per ſex horas. F. colatura, qua diſſolve Electuar. diaprun. ſolutivi ʒij. Syrup. Flor. Perſicor. ℥j. F. potio cathartica mane duabus horis ante juſculum exhibenda.

♃. Senn. mundat. ʒiij. Mann. Cal. ℥ij. Tartar. ſolubilis ʒjß. Seminis Coriand. ʒj. Glycyrrhizæ exſiccatæ, raſæ, & contuſæ ʒj. Malum citreum in taleolas conciſum unum. His affunde aq. bullientis ℔ij. Macerentur per ſex horas, & fiat colatura per vices haurienda.

Extractum Sennæ paratur eodem modo ac Extractum Rhabarbari. Præſcribitur a ʒß. ad ʒij. ſed perraro: leviſſimæ enim eſt operationis, & majores ventris torſiones excitat, quam foliorum tinctura.

Senna uſurpatur in Extracto Sennæ dicto *Schroderi*, in Extracto panchymagogo *Crollii*, in Electuario Sennato, El. de Tamarindis, lenitivo, catholico, de pſyllio, Confect. Hamech, Electuario de citro, in Pilulis panchymagogis, & Pilulis tartareis *Quercetani*, Hydragogo eximio *Renodæi*.

ARTICULUS QUINTUS.

De Dictamno Cretico.

DIctamnum Creticum & Dictamnus Cretica, *Off.* Δίκταμνον, *Theophraſti*: Δίκταμνος, *Dioſcoridis*: Δίκταμνον *Galeni*: Dictamnum, *Plinii*:

Dictamnus, *Virgilii*. Sub his nominibus in officinis proſtant folia ſubrotunda, uncialia, ſubvirentia, tomento quodam, ſpiſſaque lanugine pubeſcentia, cauliculis ſæpe inhærentia, ex quorum ſummitatibus velut ſpicæ ſquamatis foliolis compactæ dependent purpuraſcentes; odore fragranti nec ingrato donata, ſapore acri, aromatico, fervido. Ex Creta inſula efferuntur. Eligenda ſunt recentia, vegeta, integra, non ſitu obducta, undique tomentoſa, guſtu ferventia, & odorata.

Dictamnum a Dioſcoride triplex deſcribitur. Δίκταμνος κρητινὴ, Dictamnum Creticum, ſeu γλύκων ἀγρία, Pulegium ſylveſtre, *Quorumd.* Ψευδοδίκταμνος, Dictamnum ſpurium, & Δίκταμνος κρητικὺ ἕτερη, Dictamnum Cretenſe alterum, foliis Siſymbrii: quas quidem tres ſpecies Plinius recenſet. Prima ſpecies ea eſt, quæ in officinis reperitur, licet nec florem, nec fructum ferre aſſerant.

Sed aut Dioſcoridem ab aliis in errorem inductum fuiſſe, aut textum corruptum & ejus verba mutata fuiſſe, ut cenſuit Matthiolus, exiſtimandum eſt; ſiquidem Theophraſtus Dictamnum fructus ferre ſupponit, cum *l.* 9. *Hiſtor. C.* 16. dicat folia tantum in uſum venire, non ramulos, neque fructum: & Damocrates apud Galenum, *l.* 5. κατὰ γένη, Dictamni meminerit, quæ florem habeat ἄνθος ἔχουσης. Præterea ipſe Virgilius florem habere, caulemque cecinit, *l.* 12. *Æneid.*

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo.

Neque etiam Plinius audiendus eſt, qui Dioſcoridis errorem ſecutus, *l.* 25. *c.* 53. ſic loquitur: „ Flos ei nullus, aut ſemen, aut caulis. Et ſibi ipſi contradicere videtur, cum prius dixerit poſt Theophraſtum: „ Foliis tantum utuntur. Et revera folia tantum afferuntur, rariſſime ſummitates floridæ.

Planta dicitur Origanum Creticum latifolium, tomentoſum, ſeu Dictamnus Creticus, *Inſt. R. H.* 199. Dictamnus Creticus, *C. B. P.* 222. Radicibus eſt fibroſis & fuſcis, caulibus duris, incana lanugine pubeſcentibus, dodrantalibus, ramoſis. Folia bina ad eorum nodos naſcuntur rotundiora, unciam longa, tomento incano ſpiſſo obducta, odoris jucundi, saporis deurentis, & acerrimi. Flores in ſummo naſcuntur in capitulis foliaceis, ſpicatis, & quaſi ſquamoſis, exterius purpuraſcentibus, monopetali, labiati, eleganter purpuraſcentes, cum calyce ſtriato, cavo, in quo continentur ſemina quatuor minutiſſima rotunda. In Creta & Græcia ſponte naſcitur, in rimis ſaxorum.

Dictamnum oleo eſſentiali uberrimo cum ſale volatili conjuncto donatur, ut ex odore & ſapore conjicere licet.

Apud veteres plurimum commendatur tum ad fœtus mortuos educendos, ſecundinas expellendas, & menſes evocandos, tum ad vulnera ſananda, tum etiam adverſus venena, & morſus, ictuſque venenatos. Hippocrates, referente Galeno, ad ſecundas remorantes inter præſtantes, quas novit medicinas, ponit Dictamnum, Vetus fabula eſt capras in Creta ſagittis vulneratas ejus paſtu eas excutere.

Exhibetur ejus pulvis a ʒß. ad ʒj. infuſum vero in vino a ʒj. ad ℥ß. tum ad partum accelerandum, molam, fœtum mortuum, vel ſecundas

pro-

propellendas, tum etiam in febribus malignis, & adverſus animalium venenatorum morſus aut ictus.

Uſurpatur in Theriaca *Andromachi ſenior*. Mithridatio *Damocratis*, Orvietano *Hoffmann.* & Opiata *Salomonis*.

ARTICULUS SEXTUS.

De Foliis Theæ.

THe & Thea, *Offic.* Folium eſt parvum, exſiccatum, convolutum, ſaporis ſubamaricantis, leviter adſtringentis, non injucundi, odoris blandi, fœnum recens & violas æmulantis, quod ex Sinarum Imperio, & Japonia affertur.

Horumce foliorum ſpecies tres in officinis occurrunt. Vulgatior Thea viridis dicitur, cujus folia arctiſſime convoluta ſunt, ſubviridia, guſtu leviter adſtringentia, odorata, & colore pallide viridi aquam inficiunt. Altera ſpecies pretioſior, Thea Imperialis dicitur, ex eo quod pro Imperatore & magnatibus apud Sinas & Japones reſervetur. Folio eſt amplo, laxo ſeu minus convoluto; colore virente, vivido, & odore ſubtili & grato. Apud Indos plurimi æſtimatur.

Tertia ſpecies rubra dicitur vel ſubnigra, vulgo *Bohe*. Folium eſt parvum, convolutum, ſubnigrum, quod aquam colore fuſco tingit, & ſaporem, odoremque Theæ viridis, ad Roſam tamen nonnihil accedentem, refert.

Omnes hæ ſpecies unius & ejuſdem arboris folia eſſe exiſtimantur, differe vero tantummodo tempore colligendi & præparandi ratione.

The Sinenſium, ſive Tſia Japonenſibus. *Breynii Centur. prima*. *C.* 52. Chaa, *C. B. P.* 147. Theæ frutex, *Bontii*: Evonymo adfinis arbor orientalis nucifera, flore roſeo, *Plukn. phytogr.* Frutex eſt, qui ex radicibus tenujbus, fibroſis, per terræ ſuperficiem ſparſis, ad tres quatuor vel quinque pedes ad ſummum aſſurgit compluribus & denſis ramis. Folia profert obſcure virentia, acuminata, unciam longa, quinque lineas lata, ſerrata; flores vero plurimos roſaceos, Roſæ ſylveſtris floribus ſimiles calyce comprehenſos ſexpartito, minimo, plano, foliolis rotundis, obtuſis, perſiſtentibus, ex petalis ſenis albicantibus, aut pallidis conſtantes, quorum medium occupat numeroſa (ducentorum circiter) ſtaminum flaveſcentium congeries. Piſtillum autem mutatur in fructum ſphæricum, nunc trigonum, & tricapſularem, alias dicoccum, ſæpe unicapſularem. In qualibet capſula ſemen continetur, Avellanam quodammodo referens magnitudine & forma, tenui putamine, lævi, ſubrufo (excepta baſi albida) conſtans ex nucleo ſubalbido, pallidove, rugoſo, oleoſo, guſtu primum dulci, poſtmodum amaro & nauſeabundo, tandemque calido, & valide exſiccante, cuticula tenui & cinerea obducto. In Japonia & Sina colitur. Humo gaudet neque arenoſa, neque lutoſa nimis, ſed aprica & temperata planitie.

Ea eſt apud Japones hujus fruticis colendi ratio. In terra ſcrobes rotundos ad ſeptem octove pollicum altitudinem effodiunt, quibus ſingulis a 40. ad 50. ſeminales folliculos confertim injiciunt, exinde ſcrobes operientes. Hæc autem ſeminalia capitula in ſex, decem, vel quatuordecim, & quandoque plures, paucioreſve frutices propullulant, quos abſque ulteriore cultura naturæ relinquunt agricolæ, niſi quod eos ab inutilibus herbis repurgent. Raro intra primum triennium folia colliguntur. Sed poſt hocce tempus ex hiſce foliis meſſis luculenta annuatim redit. Circa Aprilem & Majum matres-familias cum infantibus & ancillis ſicca tempeſtate novella & recens edita folia decerpunt, quacumque diei hora, in primis intenſiore ſolis æſtu, & calathis circa veſperam portant domum. Tum ſingula folia in ferream patellam, nitidam, & candentem injiciunt, & manibus aſſidue verſant, uſquedum flacceſcant, mundis tunc ſtoreis papyrove imponenda, ac perflanda flabello ut frigeſcant. Hinc in planis ex Arundine Indica confectis corbibus, conteruntur, donec compacte criſpentur. Hinc iterum in pura, & modice candefacta patella uti antea manibus continua verſantur, donec mediocriter induruerint: deinde eximunt & flabello frigefaciunt, & in tertia, & quarta patella per gradus minus calefactis revolvunt, ut majorem ſiccitatem, duritiemque contrahant; tandem ollis vitreatis bene clauſa ſervant. Poſtquam autem per ſextiduum circiter ollis reſervata fuere, eaſdem aperiunt, foliorumque delectum, minora, & teneriora a majoribus, & durioribus ſeparando, faciunt, ultimaque vice in quinta patella ſecuritatis ergo ſiccant, in annos tunc durabilia, ſi accurate obturata teneantur.

Pro Imperatore & magnatibus majore ſtudio & cura colitur. Congrua tempeſtate ſcupuloſa fit foliorum electio. Tenerrimi fruticum ramuſculi primævis in apice foliis nudantur, quæ potentioribus reſervantur emptoribus, cœtera mediocribus. Omnia in umbra ſiccantur, & ſervantur ſub Imperialis Theæ nomine. Inter hæc minora majuſculis adhuc ſegregantur. Pretium enim pro foliorum magnitudine variat, quantum magnitudine ſurſum decreſcunt, tantum pretio accreſcunt.

The rubrum *Bohe* dictum, majorem contritionem & coctionem ſeu uſtulationem expertum fuit, unde coloris & ſaporis diverſitas.

Ruricolæ & plebeji folia eo, quo diximus modo præparata, promiſcue in aheneo cacabo aqua repleto, lento coquunt igne, & ſic toto die pro communi potu in foco ſuſpenſum ſervant, donec iteratis tincturis folia prorſus inertia & debilitata rejiciuntur, ingeſtis protinus novis. Primates autem, & locupletiores cives nullum in re domeſtica opus majore diligentia, faſtu, atque nitore, & artificio curant, quam hujuſce potus præparationem.

Japones ſuum *Tchja* in tenuem pollinem ope molæ ex electo ophite conterunt aut potius commolunt, viridemque illum & bene fragrantem pulverem exiguis cochlearibus calycibus ſuis infundunt, ac ſuperfuſa cum mundato hauſtro infundibulove aqua fervida, pulverem hunc minutulis ex Arundine Indica crenarum forma artificioſe conciſis ſetis tamdiu quaſſant, donec in ſpumam elevetur.

Sinenſes autem, quorum methodum noſtrates ſequuntur, fervefactam aquam

quam ſiccis integriſque foliis Theæ ſingulari ollæ prius injectis ſuperfundunt, tincturamque extrahunt, quam limpida aqua ad gratam amaritudinem temperatam calide ſorbent, ſaccharumque ut plurimum una maſticant; rarius autem Japones. Deinde nova affuſa aqua, tincturam iterum eliciunt, quæ debilior eſt prima: poſtea folia abjiciunt.

Sinæ Theæ virtutes eximias tribuunt: Depravatam ſanguinis craſim reſtituit, vertiginem, capitiſque dolores, præſertim a crapula ortos mitigat, hydropicis conducit; eſt enim diuretica. Capitis rheumata ſeu catharros exſiccat, humorum acrimoniam demulcet, obſtructiones viſcerum tollit, aduſtos humores temperat, calidam jecoris intemperiem emendat, induratum emollit lienem, ſomnum coercet, in iis præſertim, qui rarius ejus infuſionem bibunt: corpora reddit vegetiora; hebetiores ſenſus a ſomno & torpore excitat; cor exhilarat; inteſtinorum tormina ac flatus compeſcit; viſcera roborat, reminiſcendi vim exſuſcitat; ingenium acuit; nephritidem ſedat; & tanquam lithontripticum remedium habetur. Saltem Vvilhelmus ten-Rhyne nullum apud Japones calculi renum aut veſicæ indicium reperiſſe aſſerit, licet diligenti hac de re facta inquiſitione. Primarium etiam Japonenſibus eſt antidotum contra viſus imbecillitatem, ac oculorum vitia his in regionibus frequentiſſima.

Conſtat tamen noſtris in regionibus tantam non eſſe potus Theæ efficaciam, quantam eam Sinæ & Japones prædicant. Hujus defectus cauſam nonnulli ad noſtratium intemperantiam, aut ad parciorem hujus tincturæ uſum referunt. Verum exiſtimo, Theæ virtutes ab hiſce populis nimis extolli, ut hominum mos eſt & conſuetudo in his rebus, a quibus nonnihil levaminis & emolumenti perceperunt; deinde ſi quid utilitatis ab hocce potu accipere ſolent, deberi in primis aquæ calidæ largo potu ſumptæ; licet hanc plantam non omni virtute prorſus deſtitutam cenſeam.

Blanda donatur adſtrictione, odorem ſubtilem & pergratum exhalat; unde concludere licet conſtare ex mediocris ſalis volatilis oleoſi portione cum terra adſtringente conjuncti. Sua adſtrictione ventriculum roborat, & impedit, quominus largior aquæ calidæ potus ventriculi fibras nimis laxet. Eadem adſtrictione viſcerum obſtructiones reſerat, modo tenaciores non ſint, eorum nempe fibrarum tonum & oſcillationem reſtituendo. Alvi fluxibus, necnon etiam dyſenteriis confert folium Rheæ, vel per ſe exhibitum, vel ejus decoctum in aqua vel lacte. Partibus vero actuoſis & volatilibus ſanguinem rariorem efficit, lympham paulo ſpiſſiorem attenuat & ſolvit: ſic diureſim vel tranſpirationem promovet, capitis dolorem ſedat, ſomnum arcet, & catharris laborantes ſublevat, ſi poſt largam Theæ decocti potationem ad ſudorem ſe componant. Virtus autem, quæ ipſi tribuitur antinephritica, non a foliis, ſed ab aqua calida potius deducenda eſt, qua nempe ſales acres ſanguinis arenularum & calculorum cauſæ diſſolvuntur, & foras amandantur.

Nec prorſus innocuus exiſtimandus eſt uſus potus Theæ. „ Nulli, inquit „ Dan. Crugerus, *Miſcellan. curioſ. Dec. II. ann. IV. obſerv. LXIV.* „ auctor ero, ut potui Theæ largiori quotidiano indulgeat, qui ventri- „ culum habet pituitoſum, debilem, calidum innatum debile „. Quod

com-

comprobat obſervationibus quorumdam interiori frigori in abdomine ex ejus nimio correptorum. In India quoque obſervavit Hermann. Nicolaus Grimm, immoderatos Theæ potatores in diabetem & marcorem delapſos. Ipſe tandem nonnullos ab ejus nimia ingurgitatione in ſomniis, vertigine, & ſpaſmodicis membrorum ſubſultibus affectos fuiſſe plus ſemel obſervavi. Ergo, etiamſi potus Theæ pluribus conducat, non omnibus tamen æque convenit, & in ejus uſu modus & menſura ſunt cuique ſervanda.

Foliorum Theæ ʒj. infunditur in aquæ ferventis ℔j. Aliquantiſper macerantur, donec aqua pallide viridi colore ſit tincta; & ſorbillando ſumitur cum, vel ſine ſaccharo.

Qui tuſſi moleſta laborant, aliquam lactis portionem cum Theæ infuſione permiſcent ad eam compeſcendam.

℞. Folior. Theæ pulverator. ℥ß. Sacchari ℥ij. Projice in lactis ferventis ℥viij. Digerantur, donec lactis fervor imminutus fuerit. Hauriat æger in alvi fluxu & dyſenteria, præmiſſis præmittendis.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Stœchade.

STœchas, Stœchas Arabica & flores Stœchados, *Off.* Στοίχας, *Dioſcoridis*: Στοίχας, *Galeni*. Sic nuncupantur ſummitates floridæ, ſeu capitula exſiccata plantæ Stæchados dictæ, oblonga, ſquamata, purpuraſcentia, ſapore ſubacri, amaricante, odore fragante non ingrato. Ex inſulis Stœchadibus & Gallia Narbonenſi afferuntur. Eligantur recentia, odorata, ſubamara.

Planta quæ Stœchas purpurea, *C. B. P.* 216. Stœchas Arabica vulgo dicta, *J. B.* 3. 277. Stœchas brevioribus ligulis, *Cluſii Hiſtor.* 344. Suffrutex eſt cubitalis aut bicubitalis, caulibus lignoſis, quadrangulis, ad quorum nodos folia bina ex adverſo oriuntur Lavandulæ forma, unciam ſuperantia, & duas lineas lata, caneſcentia, acria, odora, & aromatica. In ſummis caulibus adeſt capitulum unciam longum, craſſum, ex plurimis foliolis e rotundo acuminatis & incanis denſe conflatum: ex quorum ſinu quaterno verſu prodeunt flores atro-purpurei, monopetali, labiati, quorum labium ſuperius erectum eſt, bifidumque, inferius vero tripartitum: ſic tamen ſecantur ambo, ut primo aſpectu flos quinquepartitus videatur. Ex calyce autem monophyllo, ovato, obſcure dentato, brevi, perſiſtente, & ſquama ſuffulto ſurgit piſtillum poſticæ floris parti adinſtar clavi infixum, & quatuor embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina ſubrotunda, & in capſula recondita. Summo autem capitulo inſident foliola aliquot purpureo-violacea.

Ex Stœchade oleum eſſentiale aromaticum per diſtillationem non parva quantitate extrahitur; a quo pendet ejus odor & energia.

Stœ-

Stœchadis uſus præcipuus in affectibus capitis & nervorum præſertim frigidis : inſuper urinam & menſes ciet, & venenis reſiſtit. Meſue hanc herbam pituitam & atram bilem purgare aſſerit, ſed tarde admodum & imbecilliter. A recentioribus vero inter purgantia medicamenta non annumeratur. Oleum eſſentiale ex hiſce capitulis floridis eodem plane modo extrahitur, ac ex ſummitatibus Lavandulæ; & iiſdem viribus donatur. Sed rarioris eſt uſus in Medicina.

Stœchas uſurpatur in Syrupo de Stœcade *Fernel.* Hyera diacolocynthidos, Theriaca *Andromachi ſenioris*, Mithridatio *Damocratis*, Unguento martiato, & Emplaſtro de Ranis.

Alia planta Stœchas citrina dicitur in officinis, nempe Elichryſum, ſeu Stœchas citrina anguſtifolia, *C. B. P.* 264. quæ cum noſtra, nec forma, nec viribus convenit.

ARTICULUS OCTAVUS.

De Croco.

CRocus & Crocum, *Off.* Κρόκος, *Dioſcoridis* : Zahafaran, *Arabum* : Gallice, *Safran.* Hoc nomine in officinis occurrunt filamenta quædam exilia, inferius tenuiora, albicantia, aut pallide flaveſcentia, ſuperius latiuſcula, ſubtiliter crenata, e rufo punicea; odore peculiari, jucundo, acri, aromatico, ſubtili, & late ſpirante, oculos aliquantulum mordicante, modice caput gravante, ſoporemque conciliante, ſapore amariuſculo: quorum parva portio magnam aquæ aut vini quantitatem luteo aut citrino colore ad puniceum inclinante tingit.

Eligitur Crocus recens, fragranti odore, colore rutilo, manus fricantis inficiens, pinguis, flexilis, tritu difficilis. Rejicitur qui ex locis humidis & ſubterraneis nimiam contraxit humiditatem, colorem obſcurum, ſitumque redolet. Ad uſum pars albicans a crocea ſeparatur & rejicitur; in vaſe mundo tenui calore exſiccatur, & pulverizatur.

Planta, quæ Crocus ſativus, *C. B. P.* 65. Crocus, *Dodon. Pemptad.* 213. *J. B.* 2. 637. *Raii Hiſtor.* 1176. Radice eſt tuberoſa, carnoſa, Avellanæ, interdum etiam Juglandis magnitudine; alba, dulci, gemina; quarum ſuperior, quæ minor eſt, inſidet inferiori, majori, multiſque fibris inferne capillatæ : utraque vero tunicis nonnullis aridis, rufeſcentibus & reticulatis obducitur. Ex his folia emergunt quinque vel octo, palmum aut etiam dodrantem longa, anguſtiſſima & obſcure virentia. Caulis inter hæc oritur brevis, florem ſuſtinens unicum, liliaceum, monopetalum, inferius tubulatum, album, ſuperiori vero parte in ſegmenta ſex ſubrotunda, ex purpura rubente-cærulea ampliatum. Stamina e fundo floris tria aſſurgunt cum apicibus flaveſcentibus, necnon etiam piſtillum candicans, quod in tria capillamenta capitata, & criſtata dividitur, carnoſa, e rufo punicea, & quaſi Aurantii colore fulgentia, quæ propter excellentiam

Croci

Croci nomine donantur. Germen vero florem ſuſtinens, abit deinde in fructum oblongum, trigonum in tria loculamenta diviſum, ſeminibuſque fœtum ſubrotundis.

Naſcitur Crocus in pleriſque regionibus, tum calidis, tum frigidis: in Sicilia, Italia, Pannonia, Germania, Anglia, Hybernia, Gallia; & in diverſis Galliæ Provinciis colitur, in Agennenſi agro, Narbonenſi, Arauſionenſi, Vaſtinio, vulgo *Gaſtinois*, & in Normannia. Crocus Vaſtiniacus hic optimus cenſetur, & Orientali, qui in Pharmacopœis expoſtulari ſolet, non immerito ſubſtituitur.

Crocus commodiſſime & vulgatiſſime per bulbos propagatur, quibus quotannis nova ſobole luxuriat; ex ſemine enim ejus tardior eſt proventus. Hi bulbi verno tempore terræ committuntur per ſulcos æquales interſtitio unius palmi. Folia tantum viridia hoc anno proferunt, flores vero anno ſequenti menſe Octobri. Flores unum aut alterum tantum diem, poſtquam expanſi fuerint, durant. A floribus prodeunt ſubinde folia, quæ tota Hyeme vireſcunt: areſcunt hæc, ac prorſus deperduntur Vere, & nunquam per Æſtatem apparent.

Quamprimum Croci flores expanduntur, leguntur oriente vel occidente ſole, & crocea florum filamenta e medio flore avelluntur: tum exſiccantur ſeparata ab omni immunditie, & ſervantur. Aliquot poſt diebus novi flores oriuntur iterum colligendi, & ſic per menſem.

Radix menſe Octobri, cum planta floret, bulbo conſtat ſingulari; ſequente autem Vere & Æſtate, duplici, quorum alterum alteri ſuperius inſidet. Cum enim Veris initio folia increſcunt, ſuperior radicis pars ex qua folia exeunt, creſcit pariter, donec Æſtate parentem cui inſidet, mole æquet. Hac itaque ſolidam, plenam, ſuccoſamque conſtitutionem nacta, ipſa parens ſeu bulboſa radix inferior languida, exſucca, & flacida redditur, atque Autumno tota evaneſcit.

Poſtquam defloruerint bulbi, eximuntur e terra; quod Octobri exeunte contingit. Servantur per totam Hyemem in ſicco loco nulla terra involuti, & procul a radiis ſolaribus, ne coquantur, ſed ut plenius matureſcant, quod ex foliis, ſi ſicca evadant, dignoſci poteſt. Dehinc, redeunte Vere, iterum in terram inferuntur.

Crocus analyſi Chymica ſpiritum acrem exhibet tenuem & ſumme volatilem, qui primo prodit in diſtillatione, licet parva quantitate; deinde phlegma ſubacidum, cum Heliotropii tincturam rubro colore inficiat; perparum olei cum ſalis volatilis urinoſi tantillo. Nonnihil ſalis alcali fixi ex capite mortuo lixivii ope extrahitur. Acidus ſal a ſulphure non adeo obvolvitur, quin ſe manifeſtum prodat, colorem intenſe rubrum ſolutioni Heliotropii conciliando. Solutioni Croci ſuperaffuſum oleum Tartari nullam mutationem affert: ſed aqua calcis colorem album contrahit cum leviſſima effervescentia, tenuique coagulo, ratione acidi in Croco deliteſcentis; nullus tamen calor deprehenditur. Croci tinctura, tum aqua, tum ſpiritu vini æque extrahitur.

Crocus a populis quamplurimis pro optimo ciborum condimento habetur. Præterea frequens in uſum medicum venit; & ob eximias ejus dotes Rex vegetabilium, & Panacea vegetabilis a nonnullis Medicis dictus fuit. Aperit, digerit, reſolvit, & nonnihil adſtringit; ſanguineam molem attenuat, ſpiri-

tus

tus recreat, unde cordialis dicitur: & in ſyncope palpitatione cordis, & adverſus venena præſcribitur. Ventriculum roborat, & difficilem ciborum concoctionem juvat: pulmones a pituita nimis ſpiſſa liberat, ſerum acre & irritans demulcet, tuſſim compeſcit; unde anima pulmonum audit apud quoſdam: & in aſthmate, & tabe feliciter uſurpatur. Hepatis obſtructiones reſolvit, icterum ſanat; uteri affectibus quamplurimis medetur, menſes movet, partum difficilem ſpecifice juvat, fœtum pellendo; quod quidem obſervatione ſingulari Amatus Luſitanus confirmat. Refert enim mulierem quamdam ab epoto medicamento cui Crocus admixtus eſſet, duas puellas colore luteo tinctas peperiſſe, qui quidem color aquæ tepidæ lotione evanuit. Experimentum haud diſſimile Joann. Ferdin. *in ſua Crocologia* proponit. Canem gravidam cum aliquamdiu multo Croco nutriviſſet, appropinquante partus tempore, eam in theatro publico diſſecuit, & non catellos ſolum, ſed & ſecundinas Croco penitus flaveſcentes reperiit.

Crocus inter hyſterica medicamenta recenſetur. Vi præterea donatur anodyna; ſiquidem dolores mitigat, & ad ſomnum provocat. Sæpe etiam cum Opio conſociatur, an ad ejus effectum contemperandum, an ad augendum? Externe in collyriis uſurpatur ad oculorum inflammationem compeſcendam, præſertim in variolis, & morbillis, in cataplaſmatibus ad tumores reſolvendos, inflammationes, & eryſipelata demulcenda, & ad membra paralytica excitanda.

Illius tamen uſus debet eſſe, & moderatus, & opportunus. Alioquin non innoxius deprehenditur. Ab eo abſtinere debent mulieres gravidæ, nimis menſtruatæ. Inſuper vi inebriante, & narcotica donantur: odore caput gravat, & nimia doſi intus ſumptus, non ſolum capitis gravitatem, & ſomnum, ſed etiam nonnumquam cachinnos immoderatos, & riſum convulſivum, ac tandem letum infert. Galenus 2. κατα τοπȣς 1. ex ſolo Croci odore capitis dolorem invehi aſſerit, & *eodem capite* Crocum habet inter ea, quæ non tantum caput offendunt, ſed & mentem perturbant. Tandem 5. *Simplic.* 19. inter illa, quæ liberalius ſumpta, vel dementant, vel mortem inferunt, ubi ait eſſe quantitate venenum. Ex neotericis Joannis Michaelis refert, quoſdam ex nimio Croci odore & uſu in morbos, & temulentiam incidiſſe. Borellus *obſervat. Centuria 3. fol. 303.* narrat de quodam famulo mercatoris, qui juxta magnam Croci copiam decumbebat, & dormiebat, tantum dolorem capitis, tantamque cordis debilitatem contraxiſſe, ut vitam cum morte commutaret. Coſtæus ſimiliter ſcribit, multos qui Croci ſacculo pulvinaris inſtar uſi eſſent, oborto inſigni capitis dolore cum incredibili gravitate interiiſſe. De interno Croci uſu immoderato aut nimia doſi Emmanuel Konig Medicinæ Profeſſor Baſileenſis refert quoſdam Baſileæ cives ex nimia Croci doſi cum vino permixta, riſu nimio, & involuntario affectos fuiſſe. Quidam Aromatarius, teſte Amato Luſitano, plurimum Croci in ollam carnes, quæ pro cœna decoquebantur continentem injecit, & poſt illarum eſum in tantum eſt ſolutus riſum, ut non multum abfuerit, quin medios inter cachinnos animam efflaverit. Aliam quoque obſervationem affert Simon Paulli *Quadr. Botan.* cujuſdam virginis, quæ cum menſium ſuppreſſione laboraret, Croci uſu hos ſibi concitare voluit, & ab illo tempore, licet poſtea viro nupſerit,

enormi-

enormibus, & continuis capitis doloribus per totam vitam afflicta fuit? Nec omni noxa vacua eſt ejus externa applicatio; quandoquidem C. Hoffmannus de Emplaſtro Oxycroceo monet, ne in fracturis uſurpetur initio, dum affluxus metuitur: experientia enim docuit, inquit magna mala inferre. Quod etiam ſua experientia Simon Paulli *Quadr. Botanic.* confirmat. Crocus igitur caute & moderate ſumendus eſt.

De ſalutari vel noxia Croci doſi auctores inter ſe non conveniunt. Alii ℈ß. alii ℈j. alii ℈jß. intus exhiberi poſſe ſine noxa aſſerunt. Rhazis tamen Croci ʒij. feliciter exhibuiſſe aſſerit ad partum promovendum. Sed errorem hìc eſſe autumat C. Hoffmannus ex parte librariorum, qui pro ℈ij. ʒij. poſuerunt. Dioſcorides enim & poſt eum Serapio, Avicenna, & alii ejus tres drachmas interimere ſcribunt. Verumtamen apud Polonos, teſte Etmullero, adeo familiaris eſt uſus Croci, ut eum ad ℥j. ſæpe cibis ſuis immiſceant. Sed quid conſuetudo valeat, ex Opii uſu diuturno ſatis liquet, cujus drachma una aut altera a nonnullis huic paulatim aſſuefactis quotidie impune aſſumitur; licet grana tria, quatuor aut quinque ad enecandum ſufficiant. Itaque Croci ſubſtantia a ℈ß. ad ℈j. & ℈jß. tuto præſcribi poteſt, & quidem ſine periculo. Ejus Tinctura, & Extractum nonnumquam etiam præſcribuntur, ſed rarius.

Tinctura fit affundendo ſuper Crocum tenuiter inciſum, & oleo Tartari aliquantiſper madefactum ſpiritus vini q. ſ. ad duorum tranſverſorum digitorum eminentiam, & digerendo per ſex octove dies in vaſe clauſo. Spiritus a Croco ſeparatur, novuſque affunditur, donec nullam amplius tincturam extrahat. Tincturæ croceæ diſtillantur calore modico, donec liquor reſiduus croceus appareat: qui tunc ſervatur ad uſum. Ejus doſis a guttis quatuor ad xx.

Quidam ſpiritum, qui primus in hac diſtillatione extrahitur, ſervant ſub ſpiritus Croci nomine; & revera ejus odorem retinet, tenuioribuſque ejuſdem partibus donatur: unde ad ſpiritus recreandos; eorumque ac ſanguinis motum concitandum commendatur.

Alii tincturam Croci cum aliqua cordiali aqua præparant, quæ a Frid. Hoffmanno in melancholia commendatur.

Extractum Croci fit evaporando ticturam ad extracti mollioris conſiſtentiam, cavendo, ne comburatur. Iiſdem quam Crocus ipſe virtutibus donatur. Exhibetur a gr. ij. ad x. In dyſenteria tanquam ſpecificum medicamentum & præſtantiſſimum a Jac. Bontio, *in Tractatu de Medicina Indor.* commendattur,

℞. Croci ℈ß. Cinnamomi ℈j. Dictamni Cretic. ʒß. M. F. pulvis in partu difficili exhibendus. Vel

℞. Croci pulver. gr. xv. Myrrhæ, & Boracis ana ℈ß. cum q. ſ. Conſervæ florum Lavandulæ, aut Calendulæ, Fiat bolus.

℞. Croci pulver. & Myrrhæ ana gr. xv. Aloes ℈j. cum Syr. de Arthemeſia. Fiat bolus ad menſtrua ſuppreſſa provocanda.

℞. Croci ʒß. Infunde in vini albi generoſi ℥v. cum ſucco mali Aurantii unius permixti. Digerantur per noctem. Colaturam capiat mane ad menſos ſuppreſſos revocandos.

℞. Croci ℈j. Antithectici Poterii ʒij. radic. Ireos Florentin. ʒß. cum Balſami ſulphuris aniſati gutt. xx. Conſerv. Helenii ℥ß. M. F. Opiata Doſis ʒj. bis terve die ſumenda in phtyſi incipiente.

℞. Mil-

℞. Millepedum ʒiij. Gumm. Ammon. purgati ʒjß. Flor. Benzoin. ʒj. Croci, Balſami Peruviani ana gr. xv. Balſam. ſulphur. q. ſ. Fiat maſſa pilularum. Doſis gr. xviij. ter in die ſumenda in tuſſi chronica, ſcrophuloſa, & phtyſica, & ad tubercula cruda pulmonum præcavenda, A. D. Mortono ſub nomine Pilularum balſamicarum commendatur.

℞. Croci, Sal. volatil. Succini, florum Benzoini ana ʒß. Gumm. Ammon. ʒj. Conſervæ flor. Anthos ℥ß. M. F. bolus, cujus doſis ʒj. bis terve die ad aſthma.

℞. Croci pulver. ʒj. ſemin. Aquilegiæ ʒvj. Tartar. vitriolati ʒß. Conſerv. Cynorrhodon q. ſ. ad Opiatam mollem conficiendam dividendam in ſeptem doſes, per totidem dies mane, jejuno ventriculo, ſumendas pro ictero.

℞. Aquar. Roſar. & Plantag. ana ℥ij. Croci pulverati gran. vj. F. collyrium, quo illiniantur oculi, dum variolæ erumpere incipiunt.

℞. Aq. Fœniculi ℥iiij. Croci gr. xv. Tere in mortario, donec aqua aureo colore tincta appareat; tum liquor a pulvere per inclinationem ſecernatur, & cum vini ſtibiati tantumdem miſceatur. Fiat collyrium in ophtalmia.

℞. Micæ panis albiſſimi manibus attritæ ℔j. Lactis vaccini q. ſ. Coquantur ſemper movendo, & addendo ſub finem coctionis vitellum ovi unum, & Croci in tenuem pollinem redacti ʒj. Fiat cataplaſma anodynum ad tumores inflammatorios reſolvendos, doloremque ſedandum.

R. Croci ʒß. Tacamahacæ ʒj. Fuliginis ʒij. Terebinthinæ q. ſ. ad emplaſtri conſiſtentiam febricitantium carpis admovendi, paulo ante paroxyſmum.

℞. Croci, Caphuræ ana ʒß. Includantur ſimul ſacculo ex panno ſcarlatino, & de collo ſuſpendatur circa ſcrobiculum cordis, tanquam amuletum ad febrim profligandam.

Uſurpatur Crocus in Theriaca *Andromachi ſenioris*, Mithridatio, Confectione de Hyacinthis, Philonio, Benedicta laxativa, Hiera picra *Galeni*, Hiera Diacolocynthidos. Electuar. Orvietano *Hoffmanni*, Pulvere *Comitiſſæ Kanth*, Pulvere lætificante, Pulvere Diarrhodon, Trochiſcis Hedichroi, de Carabe, de Caphura. Pilulis de Ammoniaco *Quercetani*. Pilulis *Ruffi* aureis de Cynogloſſo, contra gonorrhæam virulentam *Charas*, Elixir proprietatis *Paracelſi*, Laudano liquido *Sydenham*, Laudano liquido cydoniato *Londinenſium*, Oleo Scorpionum compoſito *Charas*, Unguento aureo, Emplaſtro de Mucaginibus, de Galbano, de Meliloto, Oxycroceo.

CAPUT SEXTUM.

De Fructibus, & Seminibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Palmulis ſeu Dactylis.

PAlmulæ, & Dactyli, *Offic.* Φοινικοβάλανοι, *Dioſcoridis* : Δάκτυλοι, & φοίνικες, *Græcorum*. Tamar, *Arabum* : Caryotæ : & Caryotides, *Quorumdam* : Gallice, *Dattes*. Sunt fructus oblongi, rotundi pollicis craſſitie, digiti longitudine, figura Glandium, compoſiti ex pellicula tenuj fulva; carne ſeu pulpa pingui, firma, eduli, dulci : & oſſiculo craſſo, oblongo, duro, per longitudinem ſulcato.

Eligendi ſunt magni, flaveſcentes, parum rugoſi, molliuſculi, pleni tamen carne multa, intus ſubdura, ad nucleum candicante, ad corticem rubeſcente, ſapore vinoſo, & qui concuſſi parum, aut nihil ſonant. Rejiciendi vero flaccidi, duri & excernes, pertuſi, vermiculoſi, aut carie exeſi. Optimi ex Tunetano Regno huc afferuntur. Qui in Hiſpania naſcuntur, numquam bene maturi ſunt: qui vero ex Regno Salonæ, vulgo *Sale*, facile corrumpuntur, & brevi vermibus ſcatent, aut exſucci fiunt.

Fructus ſunt arboris, quæ dicitur Palma major, *C. B. P.* 506. Palma dactylifera major vulgaris : *Jonſton*, *Dondrol* : Palma Dachel : *Proſp. Alpin.*

(Palmæ dactyliferæ radix trunco conſtat medio ſimplici, craſſo, lignoſo, & interdum gemino, &, ubi ſoli conditio patitur, in terram demiſſo; quem in ſumma tellure brachia circumdant tortuoſa, tenuja, per terræ ſuperficiem longis vagiſque flexibus repentia, ut plurimum nuda & ſimplicia; alia ramoſa, & fibris breviſſimis ſtipata, quæ ſubſtantia gaudent exteriori corticea, interiori lignea, utraque lenta, fibrata, & firma, coloris in rufum nigricantis, ſaporis ſylveſtris.

Caudex eſt rectiſſimus, ſimplex, individuus, figuræ ad oſſem cylindraceæ, niſi verticem verſus pauxilliſper gracileſceret; variæ pro ætate craſſitiei, & longitudinis, excelſiſſima orgyias octo vix ſuperante. Cortice donatus caudex non eſt, ſed ab injuriis junior tuetur, partibus frondium ab amputatione reſiduis, quæ *pollices* nuncupantur. Horum accurata eſt diſpoſitio, ſenis ſemper numero ſuperficiem juxta in orbem ambientibus, ita ut ex interſtitiis ſeni ſuperiores alii, atque alii decuſſato ordine provehantur; quibus tandem ſucceſſu temporis ex ſenio & tempeſtate abſcedentibus, nuda prodit ſuperficies, ingrata ad tactum aſperitate, pulloque colore terra, tum fœdis quoque frondium ſignata veſtigiis perinde atque Braſſicæ capitatæ caulis ex defluvio foliorum. Interior ſubſtantia a ſumma cervice, qua comam ſuſtinet, ad radicem uſque, ex fibris compacta eſt continuis, craſſis, ligneis, firmis, levibus tamen & fungoſa carne laxe adeo cohærentibus, ut vix digitis poſſent diſſolvi : inde lignum ſoliditate carens aſciæ ægre obedit.

dit . Medullam annoſus caudex nullam exhibet : ſuccedaneus ei conſpicitur per medium demiſſus ligneus quidam nervus , multo craſſior , firmiorque , quam ſunt fibræ carnis reliquæ , a qua ita laxe comprehenditur , ut unguibus facile evellatur . In tenello caudice omnis pars interior ; in adulto ea , quæ per comam deſinit ; in provectiore , ſaltem quæ in verticis gemma conſpicitur , medullæ ſimilis , mollis , & edulis eſt . Subſtantia ejus albiſſima eſt , tenera , carnoſa , fragilis , ſubdulcis ac ſapida : unde Perſis vocatur *Magſi ſer* , id eſt, Medulla capitis ; Dioſcoridi ἐγκάρδιον , ſeu Medulla ; Theophraſto & Galeno , ἐγκέφαλον , ſeu Cerebrum appellatur : quo exciſo , arborem interire neceſſe eſt , quandoquidem expectatæ productionis germen eſt , ac frondium futurarum rudimentum.

Coma Palmæ una eſt , & perennis , licet in Ægypto multiplicem aliquando produci auctor ſit Theophraſtus , *H. Pl. lib.* 2. *c.* 8. quando nempe poſſeſſoris incuria , circa comam præter naturæ ordinem enatus ſtolo unus aut alter invaleſcit . Coma , pro arboris diverſo ſtatu , 40. ad minimum , ad ſummum 80. abſolvitur frondibus ſpecioſo & cœteris arboribus inſolito ordine ſparſis in orbem . Primo enim in ſummo vertice gemma exiſtit ingens , cono ſimilis , ex frondibus proxime naſcendis compacta , bicubitalis circiter longitudinis, anguſta & in acutum apicem producta . Hanc proxime frondes ſtipant recentiores , nondum ſatis explicatæ , nec ultra gemmæ longitudinem protenſæ , quas ambiunt inferiores aliæ atque aliæ , perfectæ longitudinis , alternatim poſitæ , magiſque ſemper a vertice reflexæ , donec poſtremæ in arcum curvatæ horizontem verſus extendantur : eas non raro excipiunt ſenio marcentes quædam , indecore propendentes , niſi prævio cultoris ſtudio amputatæ fuerint . Ex frondium axillis prodeunt ſuis quique ſpathis ramoſi ſpadices , floribus in Palma maſculina , fructibus in fœminea fœcundi .

Frons autem palmea ingens eſt , & ramorum æmulæ magnitudinis ala, tres circiter orgyias longa , utrinque ex foliis arundinaceis ſecundum longitudinem pinnata , ex coſta , ſpinis , & foliis conſtans .

Coſta ex principio brevi , lato , & compreſſo in anguſtam trium orgyiarum longitudinem extenditur : ſuperficiem exhibens glabram , & nitentem , coloris herbei , in baſi annoſa luteſcentis ; ſupernam faciem convexam , inferiorem in principio concavam , in progreſſu quodammodo canaliculatam . Subſtantia illi eadem eſt , quæ caudici , ſed levior & minus compacta , tum fibris donata candidioribus & ſubtilioribus . Coſta componitur ex baſi , ſcapo, & virga . Baſis appellatur ima pars coſtæ , quæ caudici imbricatim adhæret , figuram obtinens utcumque triangularem , oblongam , interiori ſuperficie concavam , exteriori gibbam ; longitudinem ſeſquiſpithamæ , latitudinem in una parte dodrantalem , craſſitiem biuncialem . Ora utrinque tenuis eſt , in fibras deſinens copioſiſſimas , reticulato textu in naſſæ ſpeciem cohærens , qua latera vicinæ cujuſque baſeos invicem nexa , ac connata ſunt ; dum ſubinde ordinis ſuperioris intermedia quæque baſis eadem conveſtitur , ut ſaltem exigua ſui parte nuda promineat . Scapum ea coſtæ pars conſtituit , quæ a baſi ad aculeos foliis prævios nuda porrigitur & a caudice declinare incipit . Hæc eſt illa portio, quæ a prima frondium reciſione

remanet ; in altera vero a curioſis inſtituta Palmicolis ſuperne amputatur, ne imbres hauriat, a Plinio *pollicis* nomine inſignita. Cubitalem refert longitudinem, craſſitiem pollicarem, latitudinem in ima parte trium, in progreſſu duarum circiter unciarum. Virga vocatur reliquum corpus longum, ac paulatim tenuius, quod ultra ſcapum extenditur, & in adverſo margine ſpinis primum, mox longa foliorum ſerie conſeritur.

Spinæ foliorum rudimenta ſunt, quæ in ipſa coſta utrinque prodeunt, primo rara, ac brevia, mox denſiora, & longiora, donec abſoluto cubitali ſpatio, foliorum formam lenta mutatione induant. Sunt autem ex conoide informes & anguloſæ, craſſæ, duræ, & quodammodo ligneæ, ſuperficie nitida & ex herbaceo in luteum pallente, ſumma facie canaliculata ; apice tereti & fuſco, donec paulatim in folia expandantur.

Folia ſunt perennia, pennata, arundinacea, denſiſſima & indefiniti numeri, primum brevia, vix ſpithamam longa, mox in majorem longitudinem producta, donec mucronata extremitatum circumſcriptione ad finem coſtæ deficiant. Pediculis qualibuſcumque nituntur, ſemiunciali intervallo diſſidentibus, ligneis, craſſis, longitudinis fere pollicaris, inconditæ, & in quadratum vergentis figuræ, coſtæ firmiter adnatis, ne ab ea niſi violenta manu poſſint avelli. Situm folia habent obliquum, in æqualem ſeriem alternatim locata, cubitum circiter longa, duas uncias lata, figura arundinacea acute mucronata, & ſuperiori facie per per mediam longitudinem plicata ; utraque ſuperficie cum exiguo nitore obſcure virente, & quadantenus ſtriata. Præterea dura ſunt, tenſa, rigida & exſucca, nervis per longitudinem excurrentibus craſſis, ac bene firmis.

Reticulatum, quod dixi, involucrum ex filis inæqualibus, craſſis, polygonis, parum compreſſis, rigidis, & velut ex ſtupa vel cannabe rudiori ductis conſtruitur, figura naſſam, denſitate ſtupam, uſu faſciam referens, aſperum, & inconditum ; in Palmis adoleſcentibus, præſertim circa frondes faſtigii coloris obſcure lutei, denſum, & ſpithamam latum ; in ſeneſcentibus, præſertim circa annoſas frondes, ex ruſo nigricans, detritum & anguſtius : illis ornamento & uſui ; his noxæ & dedecori. Non eſt faſcia hæc una & ſimplex, ſed pro frondium denſitate multiplex ; adeo ut tres, quatuor, aut quinque invenias invicem impactas. Etenim cum frondium ordines anguſtis invicem incumbant intervallis, fieri aliter non poteſt, quin telæ iſtæ multiplicentur, & inferiores proxime ſequentes plurali numero complectantur. Id in caudicis parte ſuperna maxime obvium eſt ſpectare : in inferna enim ſenſim obſoleſcentes, una cum pollicibus ſuis defluunt, poſtquam eis (apud ſocordes ruſticos) laceræ & putridæ diu inhæſerant. Longitudinem æque, ac figuram reticuli cujuſque metiri licet ex interſtitio baſium frondearum, quarum oras invicem connectebat. Conſtat ex tribus fibrarum parallelarum ordinibus ; quorum uterque exterior tertium velut tramam incluſam, obliquo fibrarum ductu decuſſat ; fibris quidem non textili modo implicatis, ſed capillamentis perexiguis, inſtar aranearum telæ, invicem connexis. Uſu retium potiſſimum coma fruitur,

tur, in qua ut frondium, ſic præſertim ſpadicum novellorum baſes firmant quodam modo, & ab externis injuriis præſidio ſuo tuentur.

Palma ex alius Palmæ radicibus tanquam ex materno ſinu ſponte genita, quarto a tranſplantatione anno, ſi ſolum fœcundius, ſexto, ſeptimove ſi ſterilius nacta eſt, primitias profert: at ſerius fœtat, quæ oſſi debet originem. Fœtus autem ſuos in ſummo tantum caudicis faſtigio e frondium axillis egerit, racemis, ſcoparum inſtar, ingentibus conſitos; quibuſcum adhuc tenelli, vagina quaſi coriacea arcte compacti obvolutique, reconduntur.

Amant Romani racemos ſive termites hos appellare *ſpadices*; thecas eorum *ſpathas*, propriis, ſed ex Græcia translatis vocabulis. In ortu ſuo Palmæ maris fœtus a fœminea, externa facie, non eſt diſcretus: quin utraque ſpathas fert ſimillimæ prorſus figuræ, & in utriſque prolem, dum eximitur, intus & extrinſecus candidiſſimam, facie utraque glabram, nitidam, & in unjus quaſi tuberis ſoliditatem, ſtrictura thecæ compactam, gemmulis nimirum una cum virgulis, quibus adhærent, adhuc tenerioribus, molliculis, & edulibus.

Ordinem in pariendo uterque ſexus tenet ſequentem. Principio menſis Februarii, forte & citius, arbores intra ſinus frondium rudimenta partus ſui concipiunt, ſpathas nimirum ſurrectas, compreſſa ſui facie caudici accumbentes, ſed adhuc intra texturas & involucra frondium reconditas; ex quibus emergentes & ſenſim accreſcentes, ex prolis quam ferunt copia ſic intumeſcunt, ut ſequenti menſe in longum dehiſcant, & per fiſſuram alterutro latere, rarius utroque factam, incluſum tuber excludant: quod ipſum clauſtro ſolutum paucos intra dies ſpadicis habitum induit, in virgulas reſolutum numeroſiſſimas, floſculis in mare, in fœmina prunulis refertas, ſecundum longitudinem inordinate & ſigillatim conſitis; illis uſum pro imprægnandis Palmis fœmineis ex tempore præſtantibus, his a tardiori incremento, demum menſe abhinc quinto matureſcentibus. Spathæ uſu ſuo defunctæ brevi deformes extabeſcunt, ſedula hortulani manu reſcindendæ, ad reddendam arboribus gratiam. Spadices paucos habent Palmæ adoleſcentes & decrepitæ: integræ autem ætatis 8. vel 10.

Spatha figuram habet utcumque clavæ ligneæ ſimilem. Externa ſuperficies lanugine tegitur molli, denſa, breviſſima, coloris obſcure rufi; qua abraſa, diluto colore gratioſo viret. Interna alba eſt, glabra, humida, & quodammodo mucoſa. Subſtantiam obtinet corticeam, in fibras dividuam, nonnihil inciſam, cum exaruit, lentam, & corio non diſſimilem: craſſitiem habet culmi avenacei, tenujor exiſtens in parte gibboſa quam reliqua, & in ſpatha fœminea quam in maſcula. Spatha conſtat tubo & ventre. Tubus qui ſpadicis ſcapum inveſtit, compreſſus eſt, ex ventris gravitate incurvus, vaginam acinacis referens, cubitum longus (in fœmina paulo brevior), pollicem craſſus, latitudine triunciali. Venter longitudinem aſſequitur cubitalem; latitudinem palmarem & amplius, craſſitiem, dum rupturæ proximus, triuncialem, utraque facie tumentem, faſtigio obtuſe mucronato; ora ubique ad digitalem latitudinem ſolida, ſubſtantiæ fragilis; ambitu acuto. Interiorem ſuperficiem exhibet convexam, albam, glabram, & æqualem.

Maſculinis ſpadix numeroſa floſculorum congerie veſtitur : virgulas ducentas continet , quarum breviſſimæ floſculos habent 40. mediæ 60. longiſſimæ 80. floſculi Lilii convallium floſculis minores ſunt , oblongi , tripetali , coloris albidi in luteum palleſcentis , & ingrati ; petiolis non nitentes , ſed herbei coloris , carnoſo quodam principio . Petala floſculorum ſurrecta ſunt , oblonga , concava , obtuſe mucronata , ſuccoſa , carnoſa , rigida . Stamina lanuginoſa ſunt , rigida , breviſſima , albicantia , cum brevibus antheris multo polline refertis.

Vergente Februario , ac ineunte Martio , ſpathis rumpentibus , primum emicant fœminei ſpadices , clauſtroque non multis poſt diebus relicto , nudi in lucem prodeunt , rudimenta fructuum gerentes ſubtus duplici induta membranula ſeu calyculo , uno exteriori & breviori , altero interiori , qui fructum proxime , & pene integrum involvit , utroque oram habente inæqualem & ſuperficiem ſubaſperam . Copioſiſſima uni ſpadici inſident , granorum Piperis magnitudinem , & rotunditatem habentia , ſuperficie nitente , alba ; ſapore ſubauſtero . Menſe Majo fructus noſtri Ceraſorum adipiſcuntur magnitudinem , colore in herbeum virente . Junio ineunte , olivas figura , & magnitudine exprimunt , dum oſſicula indureſcunt ; & caro , imminuta humiditate , fit ſolidior , ſapore & colore nihil mutatis . Menſe Auguſto matureſcunt , non tota ſimul ſubſtantia molleſcentes ; ſed primo , putreſcentis inſtar pomi , maculam mollem ut plurimum in extremitate acquirentes , quæ ſenſim proripiens , omnem ſubſtantiam crudiorem paucis diebus in dulcem pulpam convertit.

Dactyli ſeu fructus maturi glandium quercinarum figuram ut plurimum obtinent ; ſed iis fere majores ſunt , pellicula veſtiti tenui , pellucida , nitida , coloris pro diverſo carnis colore varii . Caro eis multa eſt , pinguis , pulpoſa , ſaporis vinoſi , dulciſſimi , oſſiculo ſuo laxe inhærens , intercedente membranula albicante , tenera , molli , & quaſi bombycina in plures pelliculas dividua . Oſſiculum ſolidum eſt , cornu inſtar , tenax & durum , ſuperficie granis uvarum concolori vel ex cinereo magis minuſve diluta , interiori ſubſtantia ad ſimilitudinem Nucis Myriſticæ variegata . Figura ejus quodammodo eſt turbinata , incurva , una facie gibba & æqualis , altera inſigni pulvinatæ figuræ ſulco in longum diviſa . Facies gibba notabili cælatur lineola , tenui , per mediam longitudinem decurrente , cujus in medio punctum quaſi umbilici conſpicitur , albam fovens cartilaginem , quæ ad mediam oſſiculi ſubſtantiam penetrans , futuri germinis rudimentum eſt . In oſſium viſceribus medulla talis non eſt , qualem ineſſe , ac terra emollitis eximi poſſe perſuaſum eſt Rajo.

Cœlo Palma gaudet torrido , & æſtuoſo , terra autem ſabuloſa , & limoſa , levi & nitroſa . Ex plantato Dactyli oſſiculo progerminat , vel ex radicibus alius Palmæ prodit . Ex oſſiculis progenies utriuſque ſexus naſcitur : quæ vero ex radicibus , ſexum refert parentis . Locis lætatur planis , irriguis , in quibus affluxus aquæ fontanæ vel puteanæ , ſi ea deficiat , debite ſiſti , & per arborum quincunces derivari poſſit . Stolones biennes vel triennes tempore verno vel alio quovis terræ committuntur , per Æſtatem diligenter irrigandi . Qui in ipſo caudice pullulaſcunt , extir-

pentur : tineæ , formicæ & locuſtæ inſectorum genus huic arbori maxime infeſtum , ſumma cura expurgandæ ſunt. Pubertatem adeptis arboribus , cum flores fructuſque in diſtinctis naſcantur , Palmicolis incumbit , ut iis imprægnandis quotannis impendant operam , ſi annonam in ſe redundare cupiunt . Vergente igitur Februario , ſpathas maſculas , incluſo tumente flore & ad thalami conſortium maturo , ex arboris faſtigio legunt ; quibus in longum diſſectis , eximuntur ſpadices , floſculis nondum oſcitantibus , ſed in unam maſſam compactis , conſerti . Hos protinus in ſurculos , ſive bacillos , ſpadicibus fœmininis inſerendos , divellunt , quantum quidem fieri poteſt , in bifurcos , quoniam hac forma commodius uſui ſerviunt . Bacillos alii amant recentes , quos illico inſinuant ſpadicibus , ſi qui jam lucem nacti ſunt : alii eos prius exſiccant , & in Martium uſque menſem cuſtodiunt , quo hiantibus uteris ad unum omnibus , inſitionem uno actu & opera inſtituant . Surculi floridi bifurci medio ſpadicis fœminei racemo per tranſverſum infiguntur vel intexuntur , ita ut procellis evelli non poſſint , ſed infixi aliquamdiu retineri , dum omni depoſita virtute , embryonum rudimenta fœminali floſculorum polline perfuſi , vigorem adepta ſint . Inſitionem quandoque iterant cives deſertorum : at reliqui Perſæ & omnes Arabes unica acquieſcunt inſitione rite celebrata . Imprægnatio quoque ultronea contingit ſine ſtudio & manu cultoris , translato per aerem polline ex Palma florida non procul exſtante a fœminea . Hinc cum toti Palmeto virgas diſtribuunt Palmicolæ , eas omnes habent inſuper , quæ marem proxime circumſiſtunt , ex floribus halitum ultro ſuſcepturæ . Hæc ſummatim de Palmarum imprægnatione dicta ſint : jam de Dactylorum excuſſione , inſolatione , expreſſione, & conſervatione dicendum.

Dactyli maturi , pro triplici maturitatis gradu , triplicis cenſus diſtinguuntur . Primi ſunt , qui ad maturitatem inclinare vel extremitate ſua matureſcere incipiunt : ſecundi , quorum mediam circiter partem maturitas occupat : poſtremi , qui integre maturuerunt . Omnes autem triplicis ordinis Dactyli una opera arbore eximendi ſunt, ne ultro decidentes conquaſſentur : hi , quia præmolles, carpendi dilationem minime ferunt ; illi iſtique , quod in lapſum proni ad deciduam quoque claſſem biduo triduove tranſgrediantur . Ruſticus ergo Palmæ verticem ſcandit, & Dactylos , quocumque gradu maturuerint , manu decerpit , crudioribus in arbore relictis alia vice carpendis . Nonnulli ſpadicibus manu comprehenſis, Dactylos motu excutiunt , inferius expanſo reti excipiendos ; qui legendi modus in Palmis obtinet humilioribus dumtaxat . Lectionem per Autumnum ſingulæ Palmæ binis terniſve vicibus ſubeunt , donec omnium exactio fructuum trimeſtris intra decurſum abſoluta ſit .

Excuſſi Dactyli ſecundum triplicem maturitatis gradum ſeliguntur , in ſtragulis ex folio palmeo textis acervatim deponendi , ut ulteriori inſolatione excoquantur . Ita primum in pulpæ colliqueſcunt mollitiem : mox eodem ſole rurſus ſpiſſantur magis magiſque , donec corruptionis genium deponant evaporatione abundantis humidi ; quo alioquin retento, conſervari tam induſtrie non poſſent , quin brevi fracerent , & aceſcerent .

Conſervandum Dactylorum hæc eſt ratio . Aut enim poſt inſolationem

torculare & melliflui roris orbitatem paſſi, inculcantur utribus caprinis, vitulinis, ovinisve, vel oblongis fiſcinis ex agreſtis Palmæ foliis ad ſaccorum formam & capacitatem conteſtis, pro cibo plebejo: aut expreſſione emaciati, rurſus aliqua ſyrupi ſui portione prius irrorantur, quam prædicta ſubeant receptacula: aut præli omnino expertes, alio inſuper ſyrupo copioſe perfuſi, in fideliis condiuntur, inter obſonia ditiorum locum habituri. Hos omnes Latini Medici appellare amant *Caryotas*, Græci φοινικο-βαλάνος, his nominibus eos diſtinguentes a ſiccis & rugoſis Dactylis ex Syria, Ægyptoque in Europam delatis, qui vel in arborum ſpadicibus exaruerunt, vel proxime ante maturitatem decerpti, perforati, filoque ſuſpenſi exſiccantur.

Ex Dactylis eo quo ſupra modo excuſſis & inſolatis, expreſſione elicitur Syrupus dulci pinguedine Butyri vices, embamma, obſoniorum condimentum ſuppeditans. Illius vero eliciendi non una omnibus eſt ratio. Alii enim cratem vimineam ſupra declivem lapidem, tabulamve ſtatuunt, ſuffoſſoque pavimento, diotam Syrupo excipiendo ſupponunt fictilem. Tum crati inſolatos Dactylorum cumulos, quotquot capere poteſt, ingerunt; qui ſuamet mole gravati & aliquot dierum æſtu macerati, (nam & in aprico hoc negotium peragitur) humorem plurimum tranſmittunt, & in receptaculum deponunt. Syrupum qui avarius expetunt, fune circumducto cratem arctius ſubinde conſtringunt; ſaxiſque impoſitis, profluvium extorquent copioſius. Ita melle ſuo penitus vel majori ex parte exuti, reconduntur in receptacula, quibus aſſervari poſſint. Toties autem crates replendæ & expreſſionis labor iterandus eſt, donec Palmulæ arboribus ſubinde excuſſæ & inſolatæ, torcularis vim omnes expertæ fuerint. Baſrenſes, Arabumque cœteri, quibus amplior Palmarum & donec copia eſt, compendio rem expediunt. Nimirum, torcularium loco, cameris utuntur ſordialibus, deſuper patentibus, pavimento contabulato vel gypſato, parietibus cœmentitiis, quibus intus ramalia opponunt, ne impuritas officiat. His omnem Dactylorum molem, quanta ſatis inſolatione emollita eſt, una opera inferunt, & confluentem ex iis Syrupum lacu ſubtus facto excipiunt; ſicque is parcior pro deſiderio effluat, aquam ferventem ſuperfundunt, qua dulcedinis ſpiſſitudo magis eliquetur. Eliciendi modus eſt alius monticolis uſitatus, quibus Ceres invida Palmæ negat proventum. Nimirum Dactylos Palmicolarum præla jam dudum expertos contundunt, mox aqua percoquunt copioſa, donec ſolvantur in pultem, quam, abjectis ſordibus, coquunt ad ſpiſſitudinem Syrupi, ſed qui bonitate neutiquam reſpondet illi, qui ex cratibus funditur.

Ruſtici Palmicolæ in conſtruendis tuguriis, Palmarum caudices pro palis, ac trabibus adhibent, quibus tectum & tota ædificii fabrica innitatur; cœtera omnia ex palmeis frondibus ſine clavis & normis, ſine arte & induſtria clathrata ſunt & rudi manu compacta. Supellectilia ædiculis Palma etiam ſubſtituit: pro cremio enim ramalia, pro ſcopis racemi, pro urceis, & ſcutellis inanes ſpathæ ſerviunt, in formam deſideratam flectendæ. Ex ſpadicum vero ſcapis bene præparatis torquentur funes firmiſſimi ad navalem apparatum neceſſarii, necnon & calceamenta.

Varia

Varia ex variis Palmæ partibus parantur edulia. Ipſius comæ medulla Græcis ἐγκέφαλον dicta, necnon & frondes in Palmæ adoleſcentis faſtigio recens naſcentes, & in coni figuram convolutæ cibum præbent delicatiſſimum. His bonitate nihil cedit novelli ſpadicis in utroque ſexu principium, ad unius palmæ longitudinem. Nec poſtremas inter bellaria laudes merentur exciſi illi fœtus. Omnes hæ partes manducari & crudæ poſſunt, & cum carne vervecina coctæ; ut taceam varia ex iiſdem bellaria parari. Omnem vero palmeas inter cupedias paginam abſolvunt ipſi Dactyli, ferculorum varietatem ſuppeditantes non contemnendam. Menſibus enim æſtivis Dactyli fere crudi & recentes, cœteris vero inſolati & expreſſi ventres vulgi exſatiant, quos varia pinguedine, mollitie, colore, ſapore, aliiſque virtutibus, tum nativis, tum ab inductæ ſiccitatis, conditura, & expreſſionis gradu & modo conciliatis, recreant. Nec alimentum quod præſtant, pondere aliquo vel mora longiori gravat ventriculum, nec vapore inebriante caput turbat; ſed aquæ bibulis perquam ſalutare & maxime temperatum ſuppeditant alimentum.. At exſiccati duritie compagem nanciſcuntur firmiorem, & concoctu difficilem. Oſſa ad aliquam excocta mollitiem, dejugatis bobus dantur pro pabulo. Syrupo e Dactylis elicito plebs in cruſtulis, Butyri loco in oryza & pulte pro condimento utitur in conviviis, & feſtivitatibus, quibus genialiter epulandum eſt.

Vinum ex Dactylis aqua perfuſis fermentabant veteres, teſtibus Strabone & Dioſcoride. Nec artis hodie oblita eſt Natolia quæ eam rarius & clanculum exercet, rigore prohibita religionis Mahumetanæ. Spiritus vero diſtillatur frequentius, licet & ipſe vetitus ſit, ſub medicamenti nomine, ad ventriculi cruditates & tormina levanda: quod ut præſtet efficacius, adduntur ante diſtillationem a ditioribus radix Chinæ, Ambra, & aromata; a plebejis radix Glycyrrhizæ & herba Abſinthii Perſici vel radiculæ Schœnanthi veri, tum herba alterutrius Sementinæ, Perſicæ nimirum vel Turcicæ.

Medicas virtutes Palma in fructibus recondidit. Primaria venditatur qua moderate adſtringunt. Hac conciliare vires ventriculi, cohiberi alvi fluxiones, inteſtina, uterum, & fœtum roborare, experientia docuit. Eidem facultati acceptum ferendum eſt, ſi quid iidem fructus præſtant extrinſecus adhibiti. Dulcedinis ſed adſtrictione temperatæ beneficio, Caryotæ opem ferunt egregiam tuſſientibus: nam catharros tenues, acres, & vagos blanda coagulatione ſub naturæ reducunt obedientiam, ut abſque inani concuſſione thoracis excerni valeant, dum abſtergunt leniter, & organa pneumonica demulcent. Hinc Decocti pectoralis, Syrupi de Hyſſopo, Syrupi reſumptivi, Specierum Diathamaron Nicolai, Lohoc ſani & experti, atque his pares noſtratium medicamentorum formas ingrediuntur. Eidem virtuti debetur, quantum ſuccurrat renibus aut veſica dolentibus. Dactylorum ſocietatem nec purgantia reſpuunt. Electuarium Diaphœnicum, quod Meſue ſanitatis, ac ſalutis medicamentum vocat, ſatis magna quantitate illos recipit, eo conſilio, ut Scammonii ferocitatem mitigent, & detergant pituitam inteſtinis adhærentem in affectu colico. Idem Electuarium eodem fructu nobilitatum proſtat etiam in tabellis inſignitum nomine Diaphœnici in ſolido. Ad arthritidem curandam ipſos

Dactylos commendat Solenander. Oleum ex iis Joelius elicit, quo procidentem anum, & excoriatas corporis partes inungit. Pulpam Dactylorum imponunt populares extrahendis ex pede feſtucis & aculeis. Pulverem contuſorum oſſium partum expellere Foreſtus auctor eſt. Cinerem oſſium uſtorum in urinæ incontinentia propinat Riverius. His tot virtutibus utut Dactylorum nomen clareat, apud alios tamen male audiunt, quod crebrius manducati cephalalgiam & graviſſimam viſioni noxam inferant. Sunt ſane oculorum vitia omni genti Dactylis & Oryza veſcenti, ſub dio & in rore dormienti, balneis denique crebrioribus aſſuetæ, familiaria & vernacula. Sed cur, tot mali cauſis præſentibus, eo nomine infamandi Dactyli. *Huc uſque Kæmpforus Amæn. exot. faſciculo V.*)

In Africa ſponte naſcitur hæc arbor, ubi ſuaves & copioſos fructus progenerat, necnon etiam in Judæa, Syria, & Perſia. In Græcia, Italia, & meridionalibus Galliæ Provinciis colitur: ſed raro fructus profert nec unquam maturos, forte ob maris abſentiam.

Dactyli ſucco pollent viſcido & dulci quaſi melleo, ut facile ex ſapore dignoſcitur & ex decocto aqua parato, quod in Syrupi aut etiam Mellaginis conſiſtentiam inſpiſſatur; quodque ad fermentandum reponatur, vinum fit, ac tandem acetum.

Dactylos Ægyptii, & Africæ populi comedere ſolent: nec ingratus eſt cibus. Nondum maturi adſtringunt: bene maturi, præter ſaporem dulcem & viſcidum, blanda adhuc adſtrictione donantur; atque nutrimentum ſatis laudabile ſuggerunt, necnon etiam ſtomacho & thoraci proſunt. Si tamen liberalius edantur, difficilius coquuntur in ventriculo, capitis dolorem promovent, & quibuſdam tormina in ventre excitant. Succum craſſum & viſcidum gignunt, quo jecur, lien, aliaque viſcera obſtructionibus implicantur, & longiori eorum uſu cachexia melancholica ſenſim inducitur. Ratione blandæ adſtrictionis & glutinoſitatis in fœminarum profluviis, hæmorrhoidumque fluxibus, ſanguinem exſcreantibus, ſtomachicis, & dyſentericis in cibo utiles prædicantur.

Dactyli ad decocta pectoralia cum Jujubis, Paſſulis, & Ficubus frequenter adhibentur.

℞. Dactylos a nucleis mundatos n. x. Ficus n. vj. Glycyrrhizæ raſæ & contuſæ ʒij. Orizæ mundatæ & lotæ ℥j. Decoquantur ſecundum artem in aquæ limpidæ ℔iiij. ad ℔iij. Fiat colatura per cyathos propinanda.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Jujubis.

JUjubæ & Zizypha, *Off.* ζίζυλαζῖν, ζυφα & ζίτζηφα, *Græcorum recentiorum*: Hanab, *Avicennæ*: Hunen & Zufaizef, *Serapionis*: vulgo *Jujubes*. Fructus ſunt ſub ſole aliquantiſper exſiccati, rugoſi forma & magnitudine olivari, conſtantes pellicula craſſiuſcula ex luteo rubente pulpa ſubalbida, molli, fungoſa, & oſſiculo oblongo, utrinque acuto, rugoſo, ſaporis dulcis, & vinoſi.

Eli-

Eligantur recentiores, majores, ponderoſiores, minus flaccidæ, carne intus multa, ſucculenta, laxa, & dulci, vinoſa tamen.

An veteribus Græcis cognitæ fuerint, an iidem ſint fructus, qui *σηρικά* a Galeno dicuntur, ambigitur. Joannes Bauhinus autumat Jujubas fuiſſe Lotum Athenæi, *l. xiv. Deipnoſoph*, de quo cenſet etiam Theophraſtum egiſſe ſub Loti nomine *l. iv. c. iv.* Pliniumque ſub oſſea Loto, *l. iij. ſect. xxxij.* Ziziphorum autem vetuſtiſſima memoria apud Columellam, & Plinium. Columella duas Ziziphorum ſpecies diſtinguit: unam rutilam, quæ videtur eſſe noſtra; alteram albam, quæ creditur eſſe Ziziphus alba, *Cluſii Hiſtor.* 29. Elæagnus Orientalis anguſtifolius, fructu parvo, olivæ-formi, ſubdulci, *Coroll. Inſt. R. H.* 53. Salmaſius exiſtimat Plinium ſub Ziziphorum nomine Zizipha alba *Columellæ* deſignare voluiſſe, per tuberes vero Jujubas noſtras rutilas; eumdemque erraſſe, diſtinctionem Ziziphorum *Columellæ* ſolis tuberibus applicando. Plerique Medici *σηρικά Galeni*, Jujubas quoque fuiſſe arbitrantur, ducti potiſſimum auctoritate Avicennæ, qui, quæ Galenus de Sericis dixit, eadem, de Jujubis recenſet. Difficile eſt has lites dirimere, cum arbores de quibus Athenæus, Theophraſtus, Galenus, Columella, Plinius, & Arabes egerunt, nondum cognoſcamus, neque etiam diverſas Ziziphorum ſpecies, ut certo dijudicare poſſimus, quas ex his arboribus aut Ziziphorum ſpeciebus hic vel ille auctor deſignare voluerit. At vero præter duas Ziziphorum ſpecies, rutilam, & albam, ſupra recenſita, tres alias in Ægypto obſervavit Auguſtinus Lippi doctiſſimus Botanicus, qui in urbe Senaar miſere trucidatus fuit, dum verſus Æthiopiam iter faceret Botanices ſtudio ſerviens. Hæ autem ſunt Ziziphorum ſpecies ex Epiſtolis ad Illuſtriſſimum virum D. Fagoni Archiatrorum comitem. Ziziphus humilior Alexandrina, latifolia, majori fructu, forma Ceraſi, purpuraſcente, *D. Lippi*: Nabca, Paliurus Athæi credita, *Proſp. Alpin.* 8. Ziziphirus humilior Alexandrina, latifolia, minori fructu, luteo, forma Ceraſi, *D. Lippi*: Ziziphus latifolia Memphitica, gigas, majori fructu, forma Ceraſi, purpuraſcente, *D. Lippi*. Quidquid ſit, illud tantummodo conſtat Jujubas noſtras officinales ab Arabibus, & Græcis recentioribus in uſum medicum vocatas fuiſſe.

Arbor, quæ Jujubas officinales profert, dicitur Ziziphus, *Dod. Pemptad.* 807. Jujubæ majores oblongæ, *C. B. P.* 446. Zizipha ſativa, *J. B.* 1. 40. Oleæ magnitudine æquant, cortice contorto, ſcabro, & ramoſo: ramis patulis, & inæqualibus, aculeis rigidiſſimis munitis. Folia alterna naſcuntur ſubrotunda, unciam, aut ſeſquiunciam longa, ſemiunciam, aut unciam fere lata, acuminata, ſplendentia, tribus nervis donata, & crenis acutis inciſa. Flores in eorum alis terni aut quaterni apparent roſacei ex petalis quinque in orbem poſitis vix lineam longis & flaveſcentibus conflati. Calyx monotomos, quinquepartitus, ex quo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum oblongum, Olivæ æmulum, fulvum aut ex fulvo rubentem, conſtantem ex cortice membranoſo, & pulpa intus vireſcente & ſubacida, dum recens eſt, ſub qua deliteſcit oſſiculum perdurum, bicapſulare, in quo duo nuclei molles, ſubrotundi, compreſſi. Lentis majoris inſtar, medulla albicante & ru-

& rufa pellicula compoſiti, continentur, quorum unus ut plurimum exareſcit. Colitur vulgo in Gallo Provincia, & Gallia Narbonenſi. Fructus maturitatem adepti leguntur, & recentes cibum præbent hiſce populis familiarem nec injucundum. Inſolantur quoque cratibus tegetibuſque inſtrati tamdiu, quouſque rugoſi fiant, & exſiccati, tuncque ſervantur ad medicos uſus.

Analyſi Chymica, ex ℔iiij. ℥iij. pulpæ Jujubarum a nucleis ſeparatæ, & in mortario contuſæ, ita ut in maſſam tenacem admodum, & viſcidam redigerentur, prodierunt per retortam phlegmatis limpidi, inodori, ſubacidi, & nonnihil auſteri ℥xij. liquoris limpidi, inodori, acidi ſaporis ℥xvj. & ʒv. liquoris rufeſcentis, ſaporis acidi valentioris ℥iv. ʒv. humoris ſubrufi, odoris empyreumatici ℥ij. qui tum acidorum ſalium, tum alcali-urinoſorum ſigna præbuerunt in examine, præcipitando nempe Mercurii ſublimati corroſivi ſolutionem, & cæruleum Heliotropii colorem in puniceum convertendo; olei vero conſiſtentiæ, & ſpiſſioris, & butyroſæ ʒiij. Nullus ſal urinoſus concretus apparuit. Maſſæ nigræ in retorta reſiduæ pondus erat ℥xviij. Licet hæc maſſa igne reverberii per retortam diſtillata, nulla principia volatilia amplius largiatur, licet aqua tepida diu macerata perparum ſalis lixivii ope ſuppeditet; nihilominus tamen principiis activis, & volatilibus non deſtituitur, imo multas adhuc partes oleoſas ſalinas, & terreſtres continet adeo ſtricte inter ſe cohærentes, ut ab invicem difficillime ſeparari queant. Ignea vis in vaſis clauſis longe debilior eſt, quam ut oleoſas a ſalinis, & terreſtribus disjungere, & attollere valeat: igne aperto valentiore, & diuturno opus eſt. Aqua vero tepida ſalinas partes diſſolvere nequit, utpote quæ oleoſis prorſus involvantur. Reipſa hæc maſſa igne aperto per ſexdecim horas calcinata, & poſtea refrigerata, nigra adhuc erat, & ℥viij. pendebat; quæ iterum per totidem horas calcinata pendebat tantum ℥j. ʒvijß. & color niger in fuſcum mutatus fuerat. Tandem poſt tertiam calcinationem per duas horas hæc maſſa magis denſa, & compacta ponderis erat ℥j. ʒvj. ex qua ope lixivii ſal fixus mere alcali extractus fuit ad ʒiij. gr. liv. Porro in diſtillatione jactura fuit ℥xiij. partium nempe aquoſarum plurimarum, ſalinarum pauciorum, & nonnihil oleoſarum: calcinatione vero partium exhalatio fuit ad ℔j. ℥iiij. oleoſarum plurimarum, ſalinarum pauciorum, & aliquantiſper terreſtrium. Hæc autem condenſatio partium oleoſarum cum particulis ſalinis, & terreſtribus in omnibus fere mixtis viſcidis, tenacibus, & quaſi reſinoſis obſervatur.

Itaque Jujubæ conſtant ex partibus oleoſis ſalino-acidis & terreſtribus eo involutis, ut mixtum dulce, & glutinoſum inde exſurgat, a quo earum vis & energia pendet. Mixtum autem illud a melle aut ſaccharo differt lentore qui major eſt in Jujubis propter uberiorem terram cum ſalinis, & oleoſis partibus intime permixtam. Terra enim multo minori copia in melle, & ſaccharo deprehenditur.

De Jujubarum qualitatibus & ſalubritate inter Græcos & Arabes non plane conſtat. Galenus, ſi per σηρικὰ Jujubas noſtras intelligat, eas ſtomacho inutiles eſſe, imbecillime nutrire, & difficile concoqui ſcripſit. Arabes vero

& ex

& ex recentioribus Græcis plurimi eas ad varios uſus commendant. Revera dulci quadam mucagine abundant, quæ humores leniunt, eorumque acrimoniam obtundunt. C. Hoffmannus practicos monet, ne Jujubis in pectoris affectibus indiſtincte, & tanquam appropriatis utantur; imo in ſolis locum habere, in quibus humores inſpiſſatione indigent, non vero attenuatione. Ad pectoris, & pulmonum irritationes compeſcendas, tuſſes aſperas ſedandas, pituitam acrem demulcendam plurimum conferunt. Renibus quoque proſunt, ardori urinæ, & veſicæ dolori.

Uſurpantur in Decoctis pectoralibus cum Dactylis, Sebeſten, Paſſulis, &c. in Syrupo Jujubino, Syrupo reſumptivo, Lohoc ſano, & Electuario lenitivo.

ARTICULUS TERTIUS.

De Sebeſten ſeu Myxis.

SEbeſten, Myxa, & Myxaria, *Off.* Μύξα, *Pauli Æginetæ*: Μυξάρια *Aetii & Actuarii*: Sebeſten, Motheica, Mokaita, & Mukeita. *Arabum*: vulgo *Sebeſtes*. Fructus ſunt parvis Prunis ſimiles, nigricantes, turbinati, in vertice acuminati, rugoſi, ſemiexſiccati, calyci inſidentes facile cedenti, acetabuli inſtar concavo, & cinerei fere coloris, ſub pelle tenuj, membranoſa, nigricante. Conſtant ex pulpa fuſca, viſcida, dulci ſapore prædita, pertinaciter adhæreſcente oſſiculo, quod alias tribus coſtis donatur, alias compreſſum Pruni noſtratis oſſiculum imitatur; in quo nonnumquam nuclei duobus loculis duo ſeorſim continentur oblongi, triangulares, albi, ſapore non inſuaves in recentibus: unicus nonnumquam nucleus tantummodo clauditur. Eligendi ſunt pleni, majores, pingues, carnoſi, calyci adhærentes, & dulces. Amaricantes enim, ſitum redolentes, & teredine exeſi, rejiciendi.

De his Dioſcorides, & Galenus nihil prodiderunt. Nonnulli ſuſpicantur fructum eſſe, qui σαμαμυξις, apud Athæneum appellatur, quod tamen pro certo haberi nequit. Frequens vero de iis a poſterioribus Græcis facta fuit mentio.

Arbor quæ dicitur Sebeſtena domeſtica, *C. B. P.* 446. Myxa ſive Sebeſten, *J. B.* 1. 197. Sebeſten domeſtica, *P. Alpini.* 30. Vidimaram, *H. Malab. v.* 4. 77. Prunus Malabarica, fructu racemoſo, calyce excepto, *Raii Hiſt.* 1563. ad mediocrem aſſurgit altitudinem caudice craſſo: cortice ſcabro, ſubalbido. Rami deorſum incurvantur frondoſi: folia alternatim ramuſculis inhærent ſubrotunda, firma, tres uncias circiter lata ſuperiore ambitu per ſpatia inæqualia variis inciſuris dentata, & nonnumquam ſegmento veluti ſubducto mutilata, læte virentia, ſupra glabra & ſplendentia, ſubtus venulis diſtincta innixa pollicari pediculo, qui cum ramuſculo conjungitur geniculo quodam adeo debili ut folium facile ſeparetur. Flores *ex Auguſtini Lippi Epiſtolis* numeroſi, quaſi racematim congeſti, ramorum extrema occupant candidi, ſuave olentes, monopetali, quinqueſi-

queſidi, inferne tubulati, & veluti infundibuliformes, florum *Styracis* ſimiles magnitudine, & forma, excepto quod inciſuræ extrorſum multum incurventur. Calyx monophyllus, leviter inciſus, ex quo ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod in fructum abit fere ovatum ſeu turbinatum cum cuſpide in vertice, Olivæ magnitudine, cujus pars inferior cinereo calyce obtegitur, glabrum, carnoſum, mollem, ſemipellucidum, primo viridem, deinde nigricantem, ſucci viſcidi plenum, dulcem, pertinaciter adhærentem oſſiculo oblongo, modo compreſſo, Pruni noſtratis oſſiculo ſimili, modo tribus coſtis diſtincto, in quo modo unicus nucleus, modo duo nuclei uno duobuſve loculis ſeorſim continentur, oblongi, albi, dulces. In Ægypto, & Oriente naſcitur.

Altera eſt hujus arboris ſpecies, quæ Sebeſtena ſylveſtris, *C. B. P.* cujus minora ſunt folia, fructuſque minores & minus grati.

Ex eorum pulpa optimum viſcum conficitur, Sebeſten matura contundendo, & aqua lavando: aqua enim, quia Sebeſten macerata fuere, admodum glutinoſa fit.

Analyſi Chymica ex pulpæ Sebeſten cum corticibus membranoſis ℔iij. ℥xiv. per B. V. ex alambice diſtillatæ ſunt humoris limpidi fere inſipidi ℥xviiij. ʒvß. qui tamen acidi ſigna præbuit, Heliotropii cæruleam tincturam in rubram convertendo; deinde liquoris guſtu ſubacidi ℥ij. ʒvij. qui Heliotropii tincturam puniceam effecit. Jactura in hac diſtillatione fuit ℥ij. ʒiijß. in cucurbita reperta eſt maſſa nigra, & exſiccata ad pondus ℔ij. ʒvij. quæ per retortam igne vehementiori diſtillata præbuit liquoris acidi limpidi, & ſub finem rufeſcentis ℥xij. ʒv. gr. liiij. liquoris ſalis urinoſi, & empyreumatici, rufeſcentis, & cum ſpiritu ſalis efferveſcentis ℥ij. ʒjß. olei vero ſpiſſioris conſiſtentiæ axungiæ porcinæ ſimilis ℥ij. ʒvj. gr. lviij. Maſſa reſidua pendebat ℥xiij. ʒij. quæ per 43. horas calcinata cinerum ex cinereo nigricantium ℥ij. ʒvij. reliquit; ex quibus ſalis alcali acerrimi ℥j. ʒvj. lixivii ope extractæ fuere. Hac in diſtillatione partium deperditio fuit ℥j. ʒvij. non ſolum aquoſarum, ſed & ſalinarum oleoſarum. In calcinatione vero ℥x. ʒiij. partium oleoſarum, & ſalinarum avolarunt.

Ex hac analyſi liquet Sebeſten componi ex partibus oleoſis, ſalino acidis & terreſtribus inter ſe adeo intime conjunctis, ut exinde mixtum dulce & glutinoſum exſurgat. Magis lentum eſt & tenax quam Jujubæ, ob majorem olei quantitatem: majorem quoque ſalis alcali, tum volatilis, tum fixi copiam præbet; & ab his ſalibus pendet vis attenuandi, & reſolvendi, qua Sebeſten donantur.

Sebeſten uſus familiariſſimus eſt ad humoris acrimoniam demulcendam, præſertim in tuſſi ex acrimonia tenuis ſalſæque pituitæ nata, in dyſpnœa, pleuritide, peripneumonia, vocis raucedine, & urinæ ardore, parato ex eis decocto. Alvum quoque emolliunt & laxant. Sed hæc dejectoria facultas adeo debilis eſt, ut a quibuſdam ipſis prorſus denegetur.

Sebeſten ſæpe uſurpantur cum Jujubis in Ptiſanis & Decoctis pectoralibus, in El. lenitivo & El. Diaſebeſten dicto.

℞. Hordei mund. ℥ß. Glycyrrhizæ raſæ & contuſæ ʒjß. Bulliant. aq. comm. ℔iij. ad 3. partis diminutionem. Sub finem coctionis adde Jujubas & Sebeſten ana n. xij. Decocto ab igne ſemoto injice flor. Tuſſilag. & Papa-

Papav. rhæad. ana p. . Macerentur per aliquod tempus : & percoletur decoctum pectorale per cyathos exibendum.

℞. Radicis Graminis mundatæ, & contuſæ ℥j. Sebeſten n. xv. Jujubas n. xx. Bulliant in aq. comm. ℔iiij. ad 4. partis conſumptionem. Fiat colatura per vices exhibenda in ardore urinæ.

Ægyptii viſco ex Myxis extracto utuntur emplaſtri modo ad omnes ſchirroſos tumores : reſolvit enim & emollit omnem duritiem. Nonnulli etiam ad tuſſim ex eo paratos bolos cum ſaccharo candido & radicis Liquiritiæ pulvere multis diebus ſumunt. Hocce viſcum raro nobis affertur.

ARTICULUS QUARTUS.

De Uvis paſſis, ſeu Paſſulis.

UVæ Paſſæ, ſeu Paſſulæ ſunt fructus maturi Vitis viniferæ vi caloris exſiccati: ſive calore ſolis exſiccatio illa peracta ſit, unde Paſſulæ dulciores efficiuntur; ſive calore clibani, unde dulco-acidæ ſunt. Hæ rarius in officinis ad uſum medicum uſurpantur, illæ ſæpiſſime.

Itaque Uva paſſa, *Off.* ςαφὶς *Dioſcoridis*, eſt omnis Uva inſolata, cujus duo genera a veteribus Græcis diſtinguebantur : Uvæ ſcilicet, quæ, poſtquam racemi pediculus cultro ad medium uſque leviter reſectus fuerat, vel filo fortiter ligatus, diu in vite ſolem paſſæ veluti excoctæ fuerant, & exſiccatæ. Hæ ςαφυλαὶ πατεθαῖσαι dicebantur; quæ autem a ſua vite detractæ ſoli exponebantur exſiccandæ, ςαφυλαὶ θηλοπευθεῖσαι vocabantur. Sed hæc exſiccationis differentia in vite vel extra vitem cum nullum inter Uvas ſiccas diſcrimen eſſentiale afferat, nullius momenti nobis videtur. Hodie in officinis noſtris tria potiſſimum Paſſularum genera diſtinguuntur: Paſſulæ ſcilicet maximæ, ſeu Damaſcenæ; Paſſulæ minores, ſeu vulgares noſtrates; & paſſulæ minimæ, quæ Corinthiacæ.

Uvæ paſſæ maximæ, ſeu Paſſulæ Damaſcenæ, *Off.* Zibib *Arabum* : Zibebæ *Quorumdam*: vulgo *Raiſins de Damas*. Uvæ ſunt exſiccatæ, rugoſæ, depreſſæ, pollicem circiter longæ lateque, fulvæ, ſemipellucidæ, carnoſæ ſale eſſentiali dulci ſaccharo, ſimili conſperſæ, ſeminibus paucis, & ſapore dulci, ſed parum grato. Damaſcenæ dicuntur, quod in Syria prope Damaſcum colligantur, & præparentur.

Eligendæ ſunt recentes, amplæ, fulvæ, carnoſæ. Rejiciendæ immodice pingueſcentes, & digitis hærentes, farina conſperſæ, carioſæ, aridæ, & exſuccæ.

Planta dicitur Vitis Damaſcena, *Horti Reg. Pariſ.* A cœteris Vitium ſpeciebus differt, præcipue Uvarum magnitudine eximia, forma Olivæ Hiſpanicæ aut Pruni æmula.

Uvæ paſſæ minores ſeu vulgares *Offic.* Paſſulæ Maſſilioticæ *Quorumdam* *Raiſins paſſes, Paſſerilles, Raiſins de Provence*, Uvæ ſunt in ſole exſiccatæ prioribus ſimiles, ſed minores, ſapore dulci, grato, quaſi Saccharo conditæ. Pro Uvis Damaſcenis ſæpius ſubſtituuntur, & revera illis proximæ ſunt. In Gallo-Provincia, & in Gallia Narbonenſi præparantur, non quidem

ex

ex una & eadem Vitis ſpecie. Alii enim Vitis Apianæ, *C. B. P.* 298. fructus, vulgo *Muſcats*, ſumunt: Alii fructus Vitis, quæ *Picardant*: alii fructus aujubinos dictos: alii alios.

Monſpeſſulani Uvas paſſas hoc modo parant. Racemos binos hinc illinc filis ligatos, vitioſis acinis forfice detractis, ferventi lixivio addito olei paululo immergunt, quoad flacceſcant tantum, & corrugentur: deinde perticis imponunt, ut ſicceſcant, ac poſt triduum quatriduumve inſolant.

Ex Uvis paſſis in aqua fervente contuſis, maceratis ac fermentatis vinum artificiale non ingratum in regionibus Septentrionalibus conficitur generoſum, ex quo Aqua vitæ, & Spiritus vini extrahuntur.

Uvæ paſſæ minimæ, Paſſulæ Corinthiacæ, *Off.* vulgo *Raiſins de Corinthe*, Uvæ ſunt exſiccatæ atro-purpuraſcentes, parvæ, grana Ribeſia vel Sambuci baccas æquantes, gigartis carentes, ſapore dulci cum quadam levi, & grata aciditate. Eligantur recentes, bene habitæ. Rejiciantur, quæ inſperſo melle madent, vel muco obductæ, ſitum repolentes, aut nimis exſiccatæ, & carioſæ.

Corinthiacæ dicuntur ab urbe Corintho circa quam olim excolebantur. Verum circa eam urbem hodie non inveniuntur creſcentes, ab incolis forte neglectæ.

Vitis cui inaſcuntur Uvæ, aliarum ſimilis eſt, foliis dumtaxat majoribus, in pauciores lacinias obtuſas diviſis, craſſioribus, ſubtus incanis, acinis minoribus, Ribeſios acinos vix ſuperantibus, & apyrinis. In Zacintho, Cephalonia, aliiſque Inſulis Venetæ ditionis colitur. Vites Uvis nigris tantummodo conſeruntur, licet aliæ ſint plantæ albis Uvis.

Auguſto menſem cum maturuerunt Uvæ, decerptæ, & humi ſtratæ rariore ſitu in ſole exſiccantur: ſiccatæ, & a ſordibus repurgatæ colliguntur, & ad apothecas deportantur, & per foramen in tecto ad id relictum immittuntur, donec ad ſummum uſque repletum fuerit cubiculum. Ibi ſuo pondere ſubſidentes, brevi adeo cohæreſcunt, ut ferramentis acutis effodi requirant: cum in dolia infarciendæ ſunt, ut alio tranſmittantur, nudipes aliquis in vas inſilit, Uvaſque ſenſim immiſſas conculcando premit, ut in anguſtum coactæ majori copia dolio excipiantur, & aere excluſo diutius incorruptæ ſerventur.

Magna eſt hujus mercimoniæ conſummatio, quæ quidem tota non in Pharmacopœorum officinis, ſed in popinis, & coquinis ad ciborum condimenta pro majori parte abſumitur.

Uvæ paſſæ ſucco dulci, & melleo pollent, minus viſcido quam Jujubæ aut Sebeſten. Magis nutriunt, ſuccumque producunt minus craſſum. Cum tamen facile fermenteſcant, non mirum ſi majori copia comeſtæ alvum turbent; bilem enim rariorem efficiunt ac fluidiorem, ſicuti cœtera dulcia quæ bileſcere dicuntur: inſuper cœteros humores craſſos, & tenaces dividunt & attenuant, crudoſque ad concoctionem diſponunt. Commendatur itaque gigartis exemptis ad alvum leniendam, & thoraci, pulmonibus, aſperæ arteriæ, renibus, veſicæ ac hepati utiles prædicantur: faucium aſperitudines demulcent, adſputi concoctionem facilemque expurgationem in quocumque thoracis, & pulmonis morbo conducunt. Admodum adſtrictoriæ ſunt, ſi cum acinis ſeu gigartis edantur, ventriculi concoctionem juvant, in dyſenteria, & quocumque alvi fluxu, vel etiam hepatico conveniunt.

Vitan-

Vitandæ ſunt Paſſulæ in febribus inflammatoriis, & æſtuante bile; humorum enim effervefcentiam adaugerent. Frequentiori earum comeſſatione gingivas vellicant, male afficiunt, & ad putredinem diſponunt.

In ptiſanis pectoralibus ad humorum acrimoniam demulcendam, & in decoctis quamplurimis ad acrem, & ingratum quorumdam medicamentorum ſaporem leniendam uſurpantur. Præſcribuntur ad ℥j. pro ſingulis libris liquoris.

℞. Paſſular. Damaſcenar. exacinatarum, & minutim conciſarum ℥iiij. Coque in aq. limpid. ℔iiij. ad ℔iij. Colatura ſervetur pro decocto pectorali.

℞. Hujus decocti, & aq. Calcis ana partes æquales. Miſceantur, & ad ℥vj. bis terve die exhibeatur tanquam efficax remedium ad catharrales affectus.

℞. Rad. Sarſæparillæ ℥vj. Uvar. Corinthicar. ℥viij. Coquantur in aq. ℔xij. ad quartæ partis conſumptionem. Colatura extinguatur Calcis vivæ ℔ß. Subſidat liquor, & limpidus per inclinationem ſeparetur. Servetur ad uſum. In affectibus catharroſis, pulmonum ulceribus, & ſtrumis propinentur ℥iij. pro doſi ter quaterve die iteranda.

℞. Uvarum paſſarum, gigartis demptis, ℥ij. Liquiritiæ raſæ, & contuſæ ʒj. Coq. in aq. comm. ℔iij. ad ℔ij. Sub finem add. folior. Sennæ ʒiiij. Macerentur tepide per horam unam aut alteram. Fiat colatura per cyathos exhibenda. Blandum erit purgans medicamentum, nec ingratum.

Uſurpantur in Syrupo de Althæa *Charas*, Syrupo de Eryſimo *Lobel*, Syrupo de Hyſſopo *Meſues*, Syrupo antihectico ſeu de Teſtudinibus *Lazar. Riverii*, Electuar. lenitivo, & Confectione Hamech.

ARTICULUS QUINTUS.

De Caricis, ſeu Ficubus paſſis.

Ficus paſſæ, ſeu Caricæ, *Off.* Ἰσχάδες, & καρίκας *Græcorum*, ſunt Ficus maturæ, in ſole exſiccatæ, quarum tria genera in officinis reperiuntur; magnæ, & flavæ, quæ Ficus pingues dicuntur; magnæ & violaceæ; ac tandem parvæ, quæ Maſilienſes dicuntur, guſtuſque ſuavitate præſtantiores ſunt.

Eligantur molles, tractanti facile cedentes, graves, cute tenui, molli, ſucco intus & ſemine flavo; & plane melleo ſapore. Rejiciantur duræ, vermiculoſæ, graveolentes, nigræ.

Arbor Ficus ſativa, *Inſt. R. H.* 662. Ficus communis, *C. B. P.* 457. dicta mediocris eſt altitudinis, ramoſa, patula, non omnino recto caudice aſſurgens, nec cortice lævi, ſed aſperiuſculo, præſertim cum adolevit: lignum ei albicans eſt, molle, medulloſum, & inutile: folia ampla, palmata, in quinque partes diſterminata, & totidem angulis conſpicua, aſpera, dura, obſcure virentia: fructus ſine prævio flore appparente

juxta

juxta foliorum exortum erumpunt, initio parvuli, tempore majores; colore primum virides, dein vel palleſcentes, vel ſubrubentes, aut ad violaceum accedentes, omnes vero molles, medulloſi, granulis innumeris ſeu ſeminibus referti. Ex hiſce fructibus immaturis, foliorum pediculis, & cortice tenello vulneratis lacteus ſuccus effluit acer, & amarus. Flores autem huic plantæ non deſunt, ut plurimi exiſtimaverunt, ſed in ipſo fructu deliteſcunt: quod quidem poſt Valerium Cordum clariſſimus Tournefortius ſuſpicatus fuerat, licet genuinæ, & eſſentiales florum partes ipſum, & cœteros Botanicos adhuc latuerint, uſque ad annum nuper elapſum 1713. quo Dom. De la Hire Doctor Medicus Pariſ. & Reg. Scientiar. Academ. Socius, Ficuum ſtamina apiceſque pulviſculis repletos detexit, & coram Regia Scientiar. Academia palam commonſtravit. Tournefortius enim pro floribus deſignaverat, tum capillamenta quædam tenuja prodeuntia ex involucris, quæ ſemina complectuntur, tum etiam eorumdem ſeminum piſtilla. Verum cum genuinæ florum partes ſint potiſſimum ſtamina, & apices pulverulentis corpuſculis fœti, hæc autem filamenta hiſce careant apicibus; immerito ſane flores dicuntur, ſi præſertim hæc ſtamina cum ſuis apicibus alibi reperiantur. Flos, inquam, hac in planta in fructu ipſo incluſus continetur, aut potius fructus ipſe calyx eſt, quo flos introverſus, & ſemina ſimul reconduntur.

(Hæc eſt autem Ficuum fructificationis ratio juxta Cl. Linnæum, *Gen. plant.* 776. Calyx florum communis, ſeu ipſa ficus, eſt turbinato-ovatus, maximus, carnoſus, concavus, ſquammis clauſus plurimis, ſemilanceatis, acutis, ſerratis, inflexis; cujus interna ſuperficies undique tecta eſt floſculis, quorum exteriores ſeu margini calycis propiores, maſculi ſunt, pauciores; reliqui inferiores fœminei numeroſi. Singuli flores maſculini pedunculo inſident, perianthio inſtructi proprio, tripartito, (quadripartito, & quinquepartito,) laciniis lanceolatis, erectis, æqualibus, abſque corolla: ſtaminibus ſive filamentis gaudent tribus (quinque juxta celeb. Pontederam,) ſetaceis, longitudine calycis, antheras gerentibus didymas, & rudimento caduco, intorto. Fœminini flores ſinguli inſident pedunculo, perianthio donati proprio, quinquepartito, laciniis lanceolato-acuminatis, erectis, fere æqualibus; corolla vero deſtituti. Germini ovali, & magnitudine perianthi proprii inſidet ſtylus ſubulatus, inflexus, ad latus apicis e germine prodiens, ſtigmatis terminatus duobus, acuminatis, reflexis, altero breviore. Calyx obliquus in ſinu continet ſemen majus, unicum, ſubrotundum, compreſſum.)

Mirum eſt ſane quod de Ficuum caprificatione veteres ſcripſerunt, quodque doctiſſimus Tournefortius propriis obſervationibus obſervavit. In Inſulis maris Ægei duæ Ficus ſpecies excoluntur: Ficus domeſtica, quæ fructus profert numeroſus, verum abortivos, niſi quadam induſtria ad maturitatem perducantur; & Ficus ſylveſtris, quæ ἐρινεός veteribus Græcis, hodie Grȩcis Inſularum incolis Ορὶς, Caprificus Latinis, quȩ tres producit fructuum ſpecies, quȩ nunquam ad maturitatem perveniunt, ſed ad domeſticȩ Ficus fructuum maturationem promovendam & accelerandam tantummodo inſerviunt.

Hȩ tres ſpecies dicuntur fornites, cratitires, & orni. Fornitibus cratitires ſuccedunt, cratitiribus orni, his Fici caprificantur. Ea autem eſt hujus caprifi-

prificationis ratio a clariſſimo Tournefortio, *Commentariis Reg. Scient. Acad. ann.* 1705. recenſita.

Fornites menſe Auguſto germinant, & uſque ad Novembrem creſcunt, perſeverantque, immaturi tamen. Interim a calicibus quibuſdam vulnerantur; unde paulo poſt vermiculis ſcatent. Hi vermiculi circa menſes Octobrem & Novembrem in culices tranſmutati, novos fructus ſub finem Septembris germinantes & cratitires dictos aggrediuntur & vulnerant: tum fornites a vermiculis ſuis derelicti pereunt & decidunt. Cratitires vero vermiculis & culicibus referti vigent uſque ad Hajum ſequentem, quo tempore tertia fructus ſpecies pullulare incipit in eadem arbore, quæ alias duas protulit: orni dicuntur; cæteriſque craſſiores ſunt. Cum ad certam craſſitiem pervenere, aperto in umbilico vulnerantur a culicibus, qui, cratitiribus deſertis, ova ſua his in fructibus recondunt. Tandem orni circa Junium & Julium a ruſticis Ficcum cultoribus leguntur, eo ſcilicet tempore, quo ovula culicum jam excludi incipiunt, & Ficuum domeſticarum ramis appenduntur. Tunc culices ex ornis exeuntes Ficuum domeſticarum fructus vulnerant, ſuiſque vulneribus eorum maturitatem promovent, quæ quidem intra quadraginta dies perfici ſolet; ſin minus, immaturi exſiccantur, & decidunt.

Ficus ſic ad maturitatem provectæ recentes edules ſunt, cibumque præbent non injucundum: ſed ruſtici maris Ægei inſularum incolæ eas per aliquot dies ſoli exponere ſolent, deinde in clibano exſiccare; iiſque pro alimento uſitatiſſimo cum pane hordeaceo veſcuntur. Attamen Ficubus, quæ in Gallo-Provincia, Italia, & Hiſpania exſiccantur, multo deteriores ſunt; quandoquidem ex clibani calore ſaporem injucundum contrahant. Igneus tamen calor neceſſario requiritur ad ovula culicum interimenda; alioqui hi fructus brevi vermiculis ſcaterent, & corrumperentur.

Nec ſatis admiranda ſunt ruſticorum labor, & patientia, qui duorum menſium intervallum, & amplius inſumunt ad horumce culicum nidos, ornos nempe, quæritandos, & prout matureſcunt, legendos, & ex Ficu agreſti in Ficum domeſticam transferendos. Verum hæc pœna infructuoſa non eſt: ſiquidem Ficus domeſticæ, quæ apud nos in Gallo-Provincia viginti quinque libras Ficuum vix referunt, ſic excultæ, & præparatæ ducentas, & octoginta libras, & amplius referre ſolent.

Ficus, tum recentes, tum exſiccatæ, cibum præbent uſitatiſſimum, præſertim meridionalibus in regionibus. Recentes, modo maturæ ſint a ventriculo facillime digeruntur, & quovis alio horario fructu celerius concoquuntur. Galenus, ut ſalubrem vitam degeret, ab omni fugaci Pomo ſe abſtinuiſſe tradit a 28. ætatis anno ad ſenectutem uſque, exceptis exacte maturis Ficubus atque Ulvis. Mediocriter nutriunt, alvum molliunt, pulmonibus, renibus, & veſicæ conducunt, abſtergendi facultatem habent, & arenulas deturbant: ſed ſanguinem valde laudabilem non gignunt. Earum frequentior uſus flatum generat, atque jecori, lienique officit, carnem laxam, turgidiuſculam & fungoſam efficit. Ea cavere debent, qui viſcerum obſtructionibus ſunt obnoxii, illi quoque, qui humidioris ſunt alvi. Eſt autem poſt Ficus ſumptas affatim biben-

dum, ne in ventriculo ſubſiſtant aut in inteſtinis: mora enim putreſcunt, & febres putridas accendunt.

Exſiccatæ Ficus ſeu Caricæ in uſum medicum recentibus frequentius adhibentur. Eas pectoris & pulmonum vitiis, aſthmati, tuſſi conducere inter Medicos convenit: mellei nempe, quo turgent, ſucci ope, alvum & faciliorem reddunt & ad excretionem irritant, præſertim ante alios cibos præſumptæ: ſpiſſiores qui pectori inhærent, humores concoquunt, maturant, & expurgant: renes ab arenulis liberant: veſicæ dolores mitigant: gravidæ, ſi Ficubus aliquot ante partum diebus veſcuntur, facilius parere exiſtimant; eas vero toſtas, appropinquante partu, frequenter comedant. Exanthemata ſeu papulas & ſudores provocant, unde in decoctis pro puerorum variolis & morbillis a Medicis quamplurimis præſcribuntur. Earumdem decoctum in colicis plumbariorum doloribus affatim epotum, a quibuſdam multum commendatur: oris ac faucium tumores, & abſceſſus cito facileque ad ſuppurationem perducit, ſæpius in ore detentum aut gargarizatum. Vis venenis letalibus reſiſtendi a Galeno ipſis tribuitur; & ex his Mithridates inſignem illam antidotum paravit, qua ſe contra venena præſervare ſolebat. Conſtabat autem ex viginti foliis Rutæ, Caricis duabus, & nucibus Juglandibus ſiccis duabus ſimul contritis cum grano ſalis.

Caricarum frequentem uſum pediculos generare, præter Galenum, Paulus Ægineta, Oribaſius, & recentiorum quamplurimi ſibi perſuaſum habent. Obſervat tamen Athenæus, *l. 2. Deipnoſoph.* Anchimolum, & Moſchum Philoſophos & Rhetores in Elide huic morbo non fuiſſe obnoxios, licet per totam vitam aquam bibere, & Ficubus tantum veſci ſoliti fuerint. Addit tamen illorum ſudorem adeo graviter oluiſſe, ut eos in balneis omnes averſarentur, unde Simon Paulli monet illos qui hircum ſubalarem olent, ut a Ficuum eſu ſeſe abſtineant. Bilem vero fermentant & rareſaciunt, unde bileſcere dicuntur ſicut mel, ſaccharum, & cœtera dulcia: quapropter bilioſis minime conveniunt; & in febribus a bile exortis, aut in hepatis aut lienis inflammationibus vitandæ ſunt.

Præſcribuntur n. v. vel vj. pro liquoris ſingulis libris ad decocta pectoralia. Cavendum ne Caricæ aut alii fructus ſupradicti nimia quantitate uſurpentur in decoctis; ne viſcidiora facta & ſpiſſiora, ventriculum gravent, nec facile urinarias vias permeent.

℞. Liquiritiæ exſiccatæ, raſæ, & contuſæ ℥j. Caricas n. xij. Coquantur in aquæ communis ℔j. ad medias. Percoletur liquor, & fiat Julap. cochleatim exhibendum in tuſſi vehemente, ad humorum acrimoniam demulcendam, & expectorationem promovendam.

℞. Ficuum pinguium ℥ij. Contuſæ macerentur in Sp. vini ℔jß. per diem integrum. Tincturam exprime & accende ad Syrupi conſiſtentiam. Per cochlearia exhibeatur in tuſſi, raucedine, & aſthmate.

℞. Caricas duas treſve Macerentur per noctem in aqua vitæ. Aſthmaticis mane comedendæ exhibeantur.

℞. Folior. Hyſſopi, M. j. Caricas n. vj. Bulliant in aq. limpid. ℔ij. ad medias. Coletur decoctum in aſthmatis paroxiſmo calide exhibendum.

℞. Orizæ mund. & lotæ ℥ß. Ficus pingues & Dactylos enucleatos ana n. vj.

n. vj. Jujubas, Sebeſten ana n. xij. Paſſular. ab acinis purgatar. ℥vj. Folior. Pulmonar. Capilli Vener. ana M. j. Flor. Papaver. rhæad. & Tuſſilagin. ana pug. j. Glycyrrhizæ exſiccatæ, raſæ, & contuſæ ℥jß. Bulliant in aq. comm. ℔vj. ad tertiæ partis conſumptionem; & coletur decoctum pectorale.

℞. Raſuræ C. C. ℥ß. Caricas ping. n. vj. Semin. Aquileg. Fœniculi ana ℥ij. Fiat decoctum ſ. a. in ſ. q. aq. comm. per cyathos calide exhibendum, ad variolarum & morbillorum eruptionem adjuvandam.

℞. Ficus pingues exſiccatas n. xij. Minutim conciſæ macerentur calide per horas duas treſve in lactis ℔j. Deinde bulliant leviter, & decoctum percolatum ſervetur pro gargariſmate in faucium & tonſillarum inflammatione.

Caricæ externe admotæ ſub cataplaſmatis forma, vel torrefactæ, vel in lacte coctæ, tumores vel coquunt vel diſcutiunt, abſceſſuſque maturant & rumpunt: cum fermento & ſale tritæ, bubones peſtilentiales ad ſuppurationem brevi perducunt. Eædem torrefactæ gingivarum tubercula maturant. Si vero hæmorrhoidibus dolentibus admoveant, dolorem cito ſedant.

ARTICULUS SEXTUS.

De Myrobalanis.

MYrobalani, *Offic.* fructus ſunt inter ſe diverſi, exſiccati, exotici, veteribus Græcis incogniti, ab Arabibus in uſum medicum advocati, & ex Græcis recentioribus ſoli Actuario noti. Illi autem diſtinguendi ſunt a Myrobalano *Plinii*, quod Glans unguentaria ſeu Nux Ben in officinis hodie dicitur, & a Dioſcoride Βάλανος μυρεψική nuncupatur, de qua ſuo loco agemus.

Avicenna & Serapio Myrobalanorum quatuor ſpecies recenſent, quas *Helilegi* nominant; flavas ſeu citrinas, nigras ſeu Indicas, Chebulas, & Sinas. Citrinas & nigras ejuſdem generis exiſtimabant, maturitatis ratione inter ſe diverſas tantummodo; rati nempe immaturas flavas eſſe, nigras vero maturas, quæ Indicæ quoque ratione colori dicebantur. At vero quæ Seni aut Sinicæ vocabantur, nunc prorſus ignotæ ſunt, niſi eaſdem cum Emblicis eſſe velis, ut Garzias putat. Belliricæ vero & Emblicæ inter Myrobalanos ab iiſdem non annumerantur; de his enim Serapio & Avicenna ſeorſim agunt. Poſterior ætas hoſce ambos fructus Myrobalanorum numero adjunxit, prætermiſſis vero Sinicis, utpote ignotis. Recentiores ergo quinque Myrobalanorum ſpecies conſtituerunt, quæ adhuc in officinis reperiuntur, & in uſum medicum uſurpantur; ſcilicet Citrinæ ſeu flavæ, Indicæ ſive nigræ, Chebulæ, Belliricæ, & Emblicæ; quæ quidem ſpecies quinque non ejuſdem arboris, ut quidam exiſtimaverunt, ſed diverſarum plane arborum fructus, ex Indiis orientalibus afferuntur.

Myrobalani Citrinæ, *Off.* Myrobalani teretes citrini bilem purgan-

tes, *C. B. P.* 445. Helilegi Azafar, *Arabum:* μυροβαλανα ξανθα, *Actuarii:* vulgo *Myrobolans citrins*. Fructus ſunt exſiccati, oblongo-rotundi, turbinati, quindecim lineas longi, novem lati, utrinque obtuſi, coloris flaveſcentis ſeu citrini. Quinque ut plurimum ſtriis majoribus diſtinguuntur cum totidem minoribus intermediis, & includunt ſub cortice glutinoſo & veluti gummoſo, ſeſquilineam craſſo, amaro, auſtero, & ſubacri, oſſiculum dilutioris coloris, anguloſum, oblongum, & ſcrobiculis quaſi excavatum, cujus nucleus corneus aut candidus membrana tenuiſſima fulva obducitur. Eligendi ſunt graves, recentes, & gummoſi. Cortex tantum ſeu caro exſiccata in uſum ſolummodo venit: nucleus lignoſus ut plurimum rejicitur. Naſcuntur in arbore, Pruni ſylveſtris magnitudine, foliis per conjugationes Fraxini aut Sorbi modo diſpoſitis; quæ Myrobalanifera Sorbi foliis. *Joſton Dendrol.* Nullam hujus arboris accuratam habemus deſcriptiotem.

Myrobalani Chebulæ, *Off.* Myrobalani maximi, oblongi, anguloſi, pituitam purgantes, *C. B. P.* 445. Helilegi Kebuli, *Arabum:* μυροβάλανα κεβουλὰ *Actuarii:* vulgo *Myrobolans chebules*. Fructus ſunt exſiccati, citrinis ſimiles, majores, magiſque turbinati, in quinque ſimiliter coſtas elevati, rugoſi, colore foris obſcuriore, & ad fuſcum inclinante, intus ex ruſo nigricante, ſapore conſimili, pulpa craſſiore, cui putamen ſubeſt anguloſum, craſſum, cavernoſum ut citrinorum, nucleum continens pinguem, oblongum, & eodem ſapore præditum. Eligantur recentes, magni, pleni, non valde rugoſi, graves, cortice ſeu carne lenta & fractu contumace.

Arbos quæ hos fructus profert, folia gerit ſimplicia, non conjugata, & Perſicæ ſimilia. Dicitur Myrobalanifera Perſicæ folio, *Jonſton. Dendrol.* cujus nulla deſcriptio. Aliam arborem ſub Myrobalani Chebuli nomine Joannes Veſlingius, *Annotationibus in librum P. Alpini de Plantis Ægypti*, deſcribit in urbe Cayro excultam, ſed ab illa prorſus diverſam; ſiquidem folia profert bina communi petiolo inſidentia & conjuncta, ſubrotunda & obtuſe acuminata, a Perſicæ foliis prorſus diſcrepantia, & cujus rami ſpinis armantur longis, peracutis, firmis. An genuina ſit Myrobalani Chebulæ arbor, pronuntiare non auſim.

Myrobalani Indicæ ſeu nigræ, *Off.* Myrobalani nigræ octangulares; *C. B. P.* 445. Myrobalani Indæ, nigræ, ſine nucleis, *J. B. T.* 1. 2^4. Helilogi Aſuad, *Arabum:* Μυροβάλανα Ινδικὰ δαμασώνια *Actuarii:* Gallice *Myrobollans Indiens ou noirs*. Sunt fructus exſiccati, citrinis minores, novem lineas oblongi, quatuor aut quinque lineas lati, rugoſi potius, quam ſtriati; utrinque obtuſi, foris nigri, intus bituminis aut picis inſtar ſplendentes, ſolidi, ſulco tamen inani intus excavati, unde fructus immaturi potius videntur, quam perfecti; quandoquidem illa cavitas ad nucleum excipiendum deſtinata videatur, & revera nuclei rudimentum in nonnullis obſervetur: ſapore donantur ſubacido, acerbo, acerbo, amaricante cum acredine obſcura; dentibus adhærent & ſalivam exprimunt. Cum his permixti aliquando inveniuntur in officinis *alii* fructus anguloſi magis, & paulo majores nucleo donati, qui eædem *Indicæ* Myrobalani videntur eſſe, ſed ad maturitatem provectæ. Eligendæ ſunt recentes, nigræ, graves, carne dura, firma, denſa.

Eas

Eas profert arbor, Pruni ſylveſtris magnitudine, quæ folia gerit Salici ſimilia. Dicitur Myrobalanifera Salicis folio, *Jonſton. Dendrol.*

Myrobalani Belliricæ, *Off.* Myrobalani rotundæ Belliricæ, *C. B. P.* 445. Belilegi *Arabum*, μυροβαλανα βελερικὰ *Actuarii*: Gallice *Myrobolans Bellirics*. Fructus ſubrotundi ſunt, nonnihil anguloſi, Nucis moſchatæ forma, & quodammodo colore, ad flavedinem paulo vergentes, unciam pene longi, decem circiter lineas lati, in pediculum craſſiorem Ficus inſtar deſinentes, cortice amaro, auſtero, & adſtringente, lineam craſſo ac molliore, ſub quo latet oſſiculum dilutius, in cujus cavitate continetur nucleus Avellanæ nucleo ſimilis, ex rotundo acuminatus, & mucronatus. Eligantur recentes, cortice denſo, & carne minus ſolida Chebulis aut citrinis.

Arbor quæ Myrobalanus Lauri folio ſubcinericeo, *Jonſton. Dendrol.* foliis eſt Lauri, ſed pallidioribus, eaque Pruni ſylveſtris magnitudine.

Myrobalani Emblicæ, *Off.* Myrobalani Emblicæ, *C. B. P.* 445. Myrobalani Emblicæ in ſegmentis nucleum habentes, anguloſæ, *J. B. T.* 1. 206. Amlegi, vel Emlegi, *Arabum*: μυροβάγχνα εμπελιτικὰ vel εμπλικὰ *Actuarii*: vulgo *Myrobolans Emblics*. Fructus ſunt exſiccati, ſphærici ferme, ſex angulis diſtincti, e cinereo nigricantes, diametri ſemjuncialis, etiamſi majores quandoque occurrant: continent ſub pericarpio carnoſo in ſex partes per maturitatem dehiſcente oſſiculum leve, albidum, Avellanæ magnitudine, anguloſum, in tres cellulas diſtinctum, & quod per maturitatem in tres partes dehiſcit. Ut plurimum carnis ſeu pericarpii ſegmenta exſiccata afferuntur, nigricantia, ſaporis aciduli, auſteri, cum acredine quadam obſcura. Eligendæ ſunt Emblicæ recentiores, carnoſiores, craſſiores, ponderoſiores.

Arbor quæ Myrobalanifera foliis minutim inciſis, *Jonſton. Dendrol.* non ſolum cœterarum proceritatem ſuperat, ſed foliorum etiam forma ab iis longe differt: hæc enim minutim inciduntur, & parum longa ſunt. Nulla accuratior ejus deſcriptio reperitur. Samuel Dale, *in ſua Pharmacologia*, exiſtimat, arborem eſſe Nilicamaram, *Horti Malabarici vol.* 1. deſcriptam. Rajus vero eſſe arborem Tani, *Ejuſdem Horti Malabarici vol.* 4. deſcriptam ſuſpicatur. Sed de his nobis non plane conſtat.

Indi his utuntur Myrobalanis ad depſanda coria, & atramentum conficiendum: iiſdem quoque veſcuntur muria conditis, appetentiæ excitandæ cauſa.

Omnes Myrobalanorum ſpecies in Indiis orientalibus naſcuntur, Bengala nempe, Cambaya, Malabara.

Aqua in qua Myrobalani maceratæ fuerunt, chartæ cæruleæ colorem purpureum affert, propter ſalem eſſentialem acidum.

Myrobalani omnes analyſi Chymica ſulphuris copiam non mediocrem præbent, multumque liquoris acidi, ſalis vero fixi paululum cum abundante terra permixtum. Præterea aqua, in qua Myrobalani macerata fuerunt, chartam ſubcæruleam purpuream efficit: unde concludendum Myrobalanos vim ſuam adſtringentem obtinere a ſale quodam eſſentiali aluminoſo, oleoſis partibus mediocriter involuto; quod etiam ſapore adſtringente confirmatur.

Myrobalani a Medicis fere omnibus recenſentur inter ea medicamenta

quæ alvum citra noxam ſolvunt. Nam etſi purgandi facultate polleant ; nulla tamen virium imbecillitate aut moleſtia ſumentes afficiunt, ſed ſua adſtrictione viſcera roborant, quin etiam univerſum corpus. Eamobrem in alvi profluviis, & dyſenteria, ubi ſimul purgatione, & adſtrictione opus eſt, commendantur, & ſpecifice proſunt. Iiſdem inſuper infrænantur medicamenta omnia, quæ dejiciendo laborem inferunt, quo fit ut utiliter admiſceantur Scammonio, & aliis purgantibus valentioribus. Id tantum illis noxæ adſcribunt, quod obſtructiones, & viſcerum infarctus augeant; proinde ne obſtructis exhibeantur, præcipiunt.

Omnes ſimul præſcribuntur anatica doſi ad ℥j. vel ℥jß. in infuſo, vel decocto leviore: in ſubſtantia vero ad ʒiij. vel ʒiv. ſed raro. Minime enim in ſubſtantia purgare aſſerunt, ſed vehementer adſtringere. Infuſum blande purgat abſque multa adſtrictione: Decoctum magis purgat, & adſtringit ſimul. Earumdem toſtarum pulvis potentius adſtringit, & nullo modo purgat.

Præterea utiles ſunt ad dentes vacillantes firmandos, earum decocto os ſæpius colluendo. Feliciter præſcribuntur in affectibus oculorum, & in ventriculi, hepatis, & viſcerum atonia, ad eorum fibras nimis laxatas roborandas, & reſtituendas. Ibi vero a Meſue tantopere commendatur, ut dicat ab earum uſu ſenectutem remorari, & corpus floridum, & juvenile ſervari.

℞. Myrobalanor. citrinar. pulveratar. ʒj. Rhei pulverati ʒß. Syrup. de Cichorio comp. q. ſ. M. Fiat bolus ad purgandum in alvi fluxu.

℞. Myrobalanorum citrinarum toſtarum, & pulveratar. ʒj. Nucis moſchatæ ʒß. Laudani Opiati gr. ß. Conſerv. Roſar. rubrar. q. ſ. M. F. bolus adſtringens in alvi fluxu.

℞. Quinque Myrobalanorum craſſiuſcule contritarum ana ʒj. Rhabarbari ʒj. Macerentur in aquæ calentis ℥vj. per ſex horas. Fiat colatura, cui adde Syrupi Roſar. pallidar. ℥j. Fiat potio purgans in alvi fluxu.

℞. Quinque Myrobalanor. craſſiuſcule pulveratar. ana ʒij. Roſar. rubrar. ʒiij. Macerentur in aq. comm. ℔ij. ſupra cineres calidos. Fiat colatura, cui adde Syrup. Berberis vel Granatorum ℥j. Hauriat æger per cyathos in alvi fluxu, & hæmorrhagiis.

℞. Myrobalanor. citrinar. contuſar. ʒij. Macerentur in aquar. Roſar. & Plantagin. ana ℥iij. Fiat colatura pro collyrio in ophtalmia incipiente.

Myrobalani uſurpantur in Confectione Hamech, Pilulis aggregativis; Pilulis lucis, Pilulis ſine quibus, & Pilulis tartareis *Quercetani*.

Poſt recenſitas Myrobalanorum ſpecies, de fructu exotico mentionem facere non dubitavi, qui ſæpe cum Myrobalanis citrinis reperitur, quique Samueli Dale videtur eſſe ipſa Myrobalanus citrina abortiva, & alterata propter cujuſdam inſecti animalis puncturam.

Dicitur Faba Bengalenſis, Myrobalani ſpecies a nonnullis credita; *Samuelis Dale*, *Raii Dendrolog.* 134. Faba Bengalenſis, *Anglorum*. Eſt excreſcentia denſa, rugoſa, rotunda, compreſſa, cava umbilici in modum, unciam circiter lata, foris fuſca, intus nigricans, ſaporis ſtyptici & adſtringentis, odoris nullius.

Do-

Doctor Marloe Medicus Anglus primus, inquit Samuel Dale, exoticum hocce medicamentum orbi litterato ejuſque uſum publicavit ſub ænigmatico nomine Fabæ Bengalenſis. Unde nonnulli fructum ex Bengala, *Cluſii exoticor. lib. 2. cap.* 14. eſſe opinati ſunt: alii Myrobalani quamdam ſpeciem: alii denique florem Myrobalani citrinæ, quia perſæpe inter fructus illos invenitur. Sed Sam. Dale exiſtimat eſſe excreſcentiam quamdam ex punctura inſecti alicujus excitatam, aut potius ipſum Myrobalani citrinæ fructum vulneratum, qui venenati hujuſce ictus occaſione monſtruoſam hanc formam aſſumit. Pruni ſæpe obſervantur hujuſmodi ictu ab inſecto quodam inflicto formam naturalem amiſiſſe, & cavos intus fieri abſque ullo oſſiculo.

Ille fructus fortiter adſtringit, & ad omnes hæmorrhagias, præſertim ad hæmoptyſim ſiſtendam ſumme utilis, ſanguinem modice incraſſans, venarum, & arteriarum oſcula conſtringens, & rupturas conſolidans, humores acres, & erodentes contemperans.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Colocynthide.

Colocynthis, & Pulpa Colocynthidos, *Off.* κολοκυνθίς, *Dioſcoridis*, & *Galeni*, σικυώνη & σικαυωνης σπόγγον, *Hippocratis*: Haanthal, *Arabum*: Kandel, *Serapionis*: Fel terræ, & Nex plantarum, *Quorumdam*: vulgo, *Coloquinte, ou Pommes de Coloquinte*. Fructus eſt ſphæricus, pugni circiter vel Mali Aurantii magnitudine, cujus pulpa exſiccata fungoſa, quaſi cellularis, & foliolis membranaceis compoſita, arida, candida, læviſſima ad nos affertur, exempto cortice flaveſcente, ſapore intenſe amaro, acri, nauſeoſo, fauces lædens, cum immerſis ſeminibus parvis, compreſſis, duris, albis vel rufeſcentibus, Cucumerinorum magnitudine, verum rotundioribus, tumidioribus, durioribus. Ex Alepo affertur.

Eligenda eſt hæc medulla candida, arida, rara, lævis, & intenſo amarore prædita.

Planta, quæ dicitur Colocynthis fructu rotundo minor, *C. B. P.* 313. per terram ſpargitur flagellis aſperis ſtriatis: folia per intervalla profert ſingularia, pediculis longis hærentia, aſpera, incana, & hirſuta, Citrulli diviſura, ſed minora, & ad quorum alas naſcuntur pediculi tortiles. Flores luteoli, campaniformes, patentes, in quinque partes diſſecti: ex his alii ſteriles ſunt, nulli embryoni adhæreſcentes: alii fœcundi ſeu inſidentes calyci, embryonive, qui deinde abit in fructum ſphæricum, pugno æqualem, primum colore viridi herbaceo, & ubi ad perfectam maturitatem pervenerit, flaveſcentem, odore viroſum, guſtu amariſſimum, qui ſub cortice tenuj coriaceo includit medullam candidam, fungoſam, & quaſi membranaceam, in tres partes diviſam; quæ ſingulæ bina comprehendunt loculamenta, in quibus ſemina reperiuntur Cucumerinis ſimilia, verum rotundiora, tumidiora, & duriora, nucleum album, oleoſum, dulcem includentia. Naſcitur in inſulis maris Ægei, & ora maritima orientali.

Analyſi Chymica, ex pulpæ Colocynthidis a ſeminibus ſeparatæ ℔ij. ℥vij. prodierunt phlegmatis limpidi, inſipidi, & inodori ℥ix. ʒvijß. quod tamen ſalis alcali urinoſi nonnihil continebat, ſiquidem Sublimati corroſivi ſolutionem turbidam & leviter lacteſcentem effecerit : liquoris empyreumatici, ſubrufi, tum acidi, tum urinoſi ℥iij. ʒijß. ſpiritus urinoſi ℥j. ʒvjß. olei fœtidi, amari, acris ℥iij. gr. xij. Maſſæ nigræ carbonis inſtar in retorta reſiduæ, & guſtu prorſus inſipidæ pondus erat ℥x. ʒiiijß. quæ per horas octo igne reverberii calcinata ℥iiij ʒijß. tantum pendebat. Ex ea per lixivium extractæ fuerunt ʒiij. gr. lx. ſalis mere alcalini & cauſtici, qui ex Sublimati corroſivi ſolutione pulverem croceum intenſum præcipitavit. Jactura partium in diſtillatione fuit circiter ℥xij. ʒj. in calcinatione vero ℥vj. ʒij.

Principia, quæ in hac Colocynthidis analyſi manifeſta ſe præbent, inter ſe mixta compoſitum reſinoſo-gummoſum conſtituunt : ſcilicet ſal alcali qui in Colocynthide luxuriat, cum olei acris portione compingitur in maſſæ gummoſæ conſiſtentiam, dum alia olei portio mediocris cum acido ſale pauciore quidem in reſinam faceſſit. Et ex his cum terra condenſatis compoſitum exſurgit reſinoſo-gummoſum acre ; quod variis experimentis a D. Boulduc R. Sc. Acad. Socio Chymico in Colocynthide tentatis confirmatur, *Commentariis ejuſdem Academ. anni* 1701.

Ex pulpæ Colocynthidis ℥viij. Extracti gummoſi fere ℥iij. obtinuit; ex eadem vero pulpæ quantitate, ope ſp. vini, Extracti reſinoſi ℥ß. Spiritus vini pulpæ diutius in aqua fervente maceratæ affuſus, & cujus gummea ſubſtantia ſeparata fuerat, nullam ex tinctura extraxit. Econtra vero ex pulpa in ſpiritu vini macerata, & cujus tinctura reſinoſa abſtracta fuerat, Extractum gummoſum ope aquæ adhuc elicitum fuit a ℥ij. Colocynthidis decoctum per diſtillationem, aquam limpidam, inodoram & inſipidam præbuit, nulla virtute cathartica donatam. Sed cum pulpæ Colocynthidis in muſti ℔vj. infuſæ ℥iiij. per duodecim dies fermentatæ fuerint, liquor fermentatus in diſtillatione præbuit primum liquoris ſpirituoſi, odori & amari guſtu ℥viij. deinde liquoris minus amari portiones quaſdam, poſtea phlegma mere inſipidum. Denique humor in alambice reſiduus rite percolatus, & evaporatus ad extracti ſolidi conſiſtentiam, ℥ijß. maſſæ reliquit; quod quidem extractum non ex ſola Colocynthide, ſed ex ſapæ portione non mediocri productum fuit.

Liquoris ſpirituoſi ℥j. viro robuſto propinata nauſeas & moleſta ventris tormina abſque ulla ventris vacuatione excitavit. Ejuſdem ſpiritus ℥ij. vehementer purgaverunt cum ventris torſionibus. Extracti vero gr. x. abſque ulla vi, aut inteſtinorum corroſione, alvum blande ſubduxerunt. Extractum autem reſinoſum perparum purgat, ſed violentiſſimos ventris cruciatus ſuſcitat ; gummoſum vero alvum mitius & copioſius movet, vehementius tamen quam extractum pulpæ fermentatæ ſupra recenſitum.

Tandem ſi pulpæ Colocynthidos ℔j. exemptis ſeminibus, bulliat in aq. limpida ℔xij. per ſex vel octo horas, & fiat colatura cum forti expreſſione ; tum maſſæ reſiduæ nova affundatur aqua eadem quantitate, bullianrque ſimul per horas duodecim, & fiat colatura ; ac tandem tertio bulliat pulpa reſi-

dua

dua cum aq. ℔viij. per horas 14. ac percolatur decoctum cum forti expreſſione : quæ remanebunt in colatorio fœces , vix quartam libræ partem æquabunt pondere. Decoctiones vero ſimul mixtæ & ad medias evaporatæ , deinde refrigeratæ , concreſcent in maſſam mucilaginoſam glutinis inſtar , firmam ac denſam ; quæ tandem ulterius evaporata in extractum ſolidum exſiccatur , oleo quodam eſſentiali aromatico irrorandum ; quod pro genuino & præſtantiſſimo extracto Colocynthidis ſervari poteſt , & blande purgat a gr. iiij. ad xv.

Ex his omnibus concludere licet duplex ineſſe in Colocynthide partium genus , a quibus hujus mixti vis cathartica potiſſimum pendet, oleoſarum nempe & ſalinarum acrium. Quæ quidem principia non in ſola Colocynthide , ſed etiam in aliis medicamentis purgantibus valentioribus obſervare licet , in Tabaco , ex. gr. Elleboro , &c. Hæc enim medicamenta oleo acerrimo pollent , cujus proprium eſt nervos irritare & vehementer convellere . Si enim ex. gr. olei Tabaci guttula vel minima in animalis vulnus inſeratur , convulſiones ſtatim patitur per totum corpus , & brevi convulſum moritur . Nec in ſalis purgantibus fortioribus hoc oleum acre & nervis infenſum deprehenditur ; ſed amara quamplurima ex vegetabilium familia nervis infeſta deprehenduntur , & quorumdam animalium , avium præſertim , nervos tanta vi aggrediuntur & convellunt , ut iis mortem inferant , ut ex Vvepferi obſervationibus *Tractatu de Cicuta aquatica* ſatis patet. Horum autem mixtorum amarities ab oleo acri potiſſimum pendet, ut eorum analyſis teſtatur.

Itaque ab oleoſis hiſce particulis catharticorum valentiorum actio potiſſimum pendet . Ab iis enim nervoſæ inteſtinorum membranæ , cæterorumque viſcerum nervi vehementer ſuccutiuntur. Unde fortius compreſſæ omnium viſcerum glandulæ , humores propter ſuam ſpiſſitudinem in illis ſtagnantes exprimunt & ad inteſtina propellunt . Ad illud quoque non parum confert alterum catharticorum principium , ſcilicet particulæ ſalinæ acres, tum fixæ , tum volatiles, quæ in illis deprehenduntur : quippe quæ vaſorum oſtiola ſubeuntes , vaſa peragrantes , cum ſuccis permiſcentur , eos ſolvunt , & colliquant , quin etiam ſæpe totam maſſam ſanguineam nonnihil laxant . Hinc uberior ſeroſorum humorum affluxus ex toto corpore ad inteſtina jam oleoſis partibus ſtimulata : hinc copioſæ illæ per alvum evacuationes poſt catharticum exhibitum.

Verum oleoſæ illæ partes majori copia per acidos ſales in concretum reſinoſum coactæ , majorem , dum expanduntur in membranas nerveas , irritationem iis inferunt : inde inteſtinorum torſiones aut ſpaſmodici motus , quos quidem nullæ aut parciores ſequuntur alvi dejectiones ob humorum lentorem . Contra vero ſales acres, qui majorem gummoſi concreti partem conſtituunt cum paucioribus oleoſis particulis , & maxime expanſis conjuncti , non tam nervoſas membranas irritant , quam ſuccos, quibuſcum permiſcentur , ſolvunt , ac fluxiliores efficiunt . Attamen cum ſæpe ſtimulo indigeant reſinoſo ad inteſtina torpentia excitanda , & ſolutos humors hac irritatione valentius excernendos : ea propter medicamina purgantia officio ſuo felicius funguntur , ſi reſinoſæ partes a gummoſis non ſecernantur , quam ſi eorum concretorum alterutrum ſeorſim exhiberetur.

Illæ

Illæ partes oleoſæ amaræ, & nervis infeſtæ quæ magna copia in Colocynthide deprehenduntur, ſive in reſinam cum acidis ſalibus ſint condenſatæ, ſive a ſalibus acribus in gummoſam ſubſtantiam expanſæ, ſive ab his ſalibus diſtillationis ope ſecretæ fuerint, ſive rariores factæ, & fermentationis ope in ſpiritum æthereum converſæ, ſubtiliatæ ſint; ſuam ſemper indolem retinent, amarorem nempe, & nervos irritandi virtutem, ut ſuperius obſervavimus.

Colocynthis medicamentum eſt Medicinæ coævum, Hippocrati, Dioſcoridi, Galeno, Plinio, Græcis tandem, & Arabibus notiſſimum. Purgans eſt valentiſſimum, & violentiſſimum. Ab omnibus Medicis commendatur ad humores craſſos ac lentos vacuandos, pituitoſos potiſſimum, quos ex diſtantiſſimis, & reconditiſſimis partibus educere opinantur. Paulus Ægineta ſcribit Colocynthidem non tam ſanguinem, quam nervos purgare. Illius uſus prædicatur in morbis inveteratis, & contumacibus, quos neque Agaricum neque Turpethum ſolverit; in affectibus nervorum, articulorum, viſcerum obſtructionibus, in cephalalgia, hemicrania inveterata, apoplexia, epilepſia, vertigine, aſthmate, diſpnœa, morbis articularibus frigidis, dolore iſchiadico, dolore colico flatulento, hydrope, lepra, ſcabie, denique ubi malo nodo malus cuneus quærendus eſt, inquit C. Hoffmann. Non enim curamus graves morbos, quia numquam expedimus nos a lenientibus, inquit idem poſt Maſſariam. Præter ejus vim catharticam Medici nonnulli ſpecificam quamdam, & mere alterantem qualitatem in ea agnoviſſe videntur; cum eam in primis Scribonius Largus laudet ad menſes movendos, ad lumborum dolorem, & ad comitiales morbos; & Helmontius vocet Colocynthidem chronicorum morborum curatricem egregiam, ob vim reſolutivam.

De Colocynthidis qualitate deleteria aut ſaltem periculoſiſſima Medici quoque inter ſe conveniunt. Vehementer enim ventriculum, viſcera, corpuſque totum conturbat, nervos lædit, & nonnumquam vehementer concutit, venas aperit, & ſanguinem elicit, inteſtina corrodit, & gravibus torſionibus excruciat. Quocirca nonnulli hocce medicamentum tanquam viroſiſſimum, & tantum non mortem ipſam, ut ait C. Hoffmannus, ex foro medico procul ablegandum eſſe ſuadere volunt. Sed ab his diſſentit Simon Paulli, qui eos tanquam meticuloſiores condemnat; quandoquidem multi magnæ quidem in Medicina auctoritatis viri, ſecuti veterum veſtigia, in morbis curatu contumacibus felici ſucceſſu eam uſurpaverint. Et revera hæc pharmaca cathartica potentiſſima ſunt præſidia, modo rite, & opportune adhibeantur: quapropter Symphorianus Campegius junioribus Medicis conſulit, ne Colocynthide utantur; ſolis antiquioribus ejus exhibitionem permittens.

Ejus noxas variis modis emendare tentarunt tam veteres, quam neoterici, tam Græci, quam Arabes. 1. Optime, & accurate hanc pulpam triturando, & in tenuiſſimum pollinem redigendo. 2. Addendo Tragacanthum, Gummi Arabicum, Maſtichen, & alia adſtringentia. Sed hæc ut nociva Dodonæus rejicit, qui Colocynthidem aliorum purgantium additione corrigi autumat. Quidam acidos liquores ad ejus vim catharticam temperandam adhibent: alii ſales alcalinos, alii fermentationem, & nonnulli putrefactionem. Quidam extracta cum ſpiritu vini

vel

vel cum aqua præparant. Verum enim vero cum Colocynthis, non ad alvum blande tantummodo ſubducendam, ſed ad catharſim potentiſſime promovendam ſæpius uſurpetur; præparationes, quibus ejus vis purgatoria nimis debilitatur, prorſus inutiles ſunt, ac proinde rejiciendæ. Illæ tantum emendationes admittendæ nobis videntur, quæ ejus ſubſtantiam extendere valent; ne ejus particulæ craſſiores inteſtinorum membranis alicubi adhæreſcentes, nimis violentam irritationem, inflammationemque ibi excitarent, aut eam partem eroderent. Sic ſi fortiter purgare velis, Colocynthidis pulpa adhibeatur accurate trita, & diviſa, qualis ſub trochiſcorum forma adhiberi ſolet; & uſu diuturno compertum eſt nullam ab ea noxam inferri, modo opportune, & debita doſi adhibeatur. Sæpiſſime etiam ſtimuli loco tantum cum aliis purgantibus medicamentis conſociatur, & parciore doſi. Si vero non minus efficaci, ſed minus vehemente opus ſit catharſi; tum decoctum Colocynthidis ex aqua, vel vinum in quo eadem infuſa fuerit, vel etiam extractum cum aqua paratum, vel extractum ejuſdem cum muſto fermentatæ feliciter uſurpantur. Extracta vero ſæpius in uſum veniunt quam infuſiones vel decoctiones, quæ ob intenſum amarorem ægrorum palato ſæpe minus arrident. Extractum vero cum ſpiritu vini paratum minus purgat, ut jam diximus, quam ipſa ſubſtantia; & longe majores ventris cruciatus gignit.

Dioſcorides hanc pulpam proponit ad quatuor obolorum pondus cum aqua mulſa, melle cocto, Myrrha, & Nitro ſub forma boli vel pilularum exhibendam: ſi vero mitius purgandum ſit, aquam mulſam, vel paſſum in pomo excavato coctum propinare jubet. Aetius eamdem fere methodum ſecutus pro mitiori purgatione Colocynthidem juſtæ magnitudinis ſumit, & ex ea ſuperne aperta ſemen eximit: deinde pulpa omni citra ſemen in ipſa recondita, pomum replet ſapa aut vino dulci veteri, & per diem ac noctem macerari ſinit: tandem tranſcolatum per pannum vinum calefactum bibendum exhibet.

Pulpa Colocynthidis in ſubſtantia per os exhibetur a gr. v. ad ℈j. & quidem tenuiſſime trita. In decocto vel infuſo a ℈ß. ad ʒj. ſed raro propter amaritiem: & tunc decoctum vel infuſum accurate percolandum eſt. In decocto pro enemate ad ʒj. vel etiam pro apoplectico ad ʒjß. vel ʒij. Obſervandum quoque decoctum pro clyſteribus rite percolandum eſſe, ne quædam ſuperſint Colocynthidis ramenta aut membranulæ, quæ inteſtinorum membranis adhærentes horrenda excitant ſymptomata, ut Etmullerus obſervavit.

Si nimia Colocynthidis doſis exhibita fuerit, ita ut hypercatharſis aut convulſiones ſuperveniant, vel metuendæ ſint; præcaveri poſſunt vel curari oleo tum affatim epoto, tum in inteſtina injecto.

Hoc autem Pharmacum morbis acutis raro prodeſt, nec convenit biliosis naturis, nec præfervidis viſceribus. Nec puerorum, nec ſenum, nec prægnantium, (fœtus enim vel ſuppoſita enecat,) ſed ætate dumtaxat florentium, & robuſtorum medicamentum eſt.

Trochiſci Colocynthidis, vulgo in officinis ab Arabica denominatione Trochiſci Alhandal dicti, ſic præparantur.

℞. Pul-

℞. Pulpæ Colocynthidis albæ, levis, & a ſeminibus repurgatæ quantum libuerit. Incidatur forcipe ut decet, poſtea manibus cum olei Amygdalar. dulcium q. ſ. fricetur, dein teratur in mortario, donec in pulverem tenuiſſimum redigatur; qui excipiatur ſ. q. mucilaginis gummi Tragacanthi aqua Roſar. extractæ. Formentur Trochiſci parvi, qui in umbra exſiccati, rurſus in tenuiſſimum pollinem redigantur: & cum eadem mucilagine fiant rurſus Trochiſci, qui ſiccati tertio pulverizentur, & ſimiliter in Trochiſcos formentur ad uſum ſervandos. Doſis a gr. vj. ad ʒß.

Uſus apud Pharmacopæos Pariſienſes invaluit, & quidem laudandus; ut in ſingulis Compoſitis Pharmaceuticis ubi Colocynthis deſideratur, pro cruda Colocynthide hi Trochiſci curioſe elaborati ſubſtituantur.

℞. Pulpæ Colocynthidis minutiſſime conciſæ ʒß. Infunde in vini albi ℥vj. Macerentur per noctem. Trajiciatur vinum per chartam emporeticam, quo diſſolvatur Mann. Calabr. ℥j. Fiat potio cathartica.

℞. Trochiſcor. Alhandal gr. xij. Pulpæ Caſs. recens extractæ, & mundatæ ℥j. M. F. bolus ex pane azymo devorandus.

℞. Trochiſcor. Alhandal gr. x. Scammon. gr. vj. El. Diaprum. ℥ß. F. bolus.

℞. Trochiſcor. Alhandal gr. vj. pulver. Jalap. gr. xv. Aquilæ albæ gr. x. Conſ. Roſar. q. ſ. M. F. bolus.

℞. Extracti Colocynthidis gr. vj. Aloes lotæ ℈j. Croci pulver. gr. xv. cum Syr. de Abſynthio. M. F. bolus ad menſtrua ſuppreſſa provocanda.

℞. Pulpæ Colocynthidis ʒjß. Radic. Pyrethri ℥ß. Coque in aq. comm. q. ſ. ad ℥xij. Colaturæ adde vini ſtibiati ℥iij. Salis gemmæ ʒij. Fiat enema in affectibus ſoporoſis, & in apoplexia.

Uſurpatur Colocynthis in Hyera Diacolocynthidos, Confectione Hamech, Extracto Panchymagogo *Crollii*, & *Hartmanni*, Pilulis de Euphorbio, & de Sagapeno *Quercetani*, Pilulis ex duobus *Pharmacop. Londinenſis*, Pilulis cachecticis *Charas*, Pilulis de Agarico, aggregativis, polychreſtis, cochiis, fœtidis, aureis, mercurialibus, & in Unguento de Artanita.

Tanta purgandi facultas eminet in Colocynthide, ut exterius umbilico admota ejus pulpa cum felle bubulo, non ſolum alvum dejiciat, ſed vermes in inteſtinis nidulantes enecet, & expellat: quin etiam odore vel tactu alvum movere dicitur.

ARTICULUS OCTAVUS.

De Caſſia ſolutiva.

Caſſia ſolutiva, Caſſia nigra, Siliqua Ægyptiaca, *Off.* & Caſſia fiſtula, *Quorumdam*: Eiarxamber, *Serapionis*: Chaiarſandar, *Avicennæ*: Κασσία μέλαινα *Actuarii*, & *Græcorum recentiorum*. Siliqua eſt, quæ non debet confundi cum Caſſia aromatica veterum Græcorum, quæ Caſſia Syrinx dicebatur, nunc vero Cinnamomum, neque etiam cum Caſſia lignea recentiorum. Hæ enim inter cortices aromaticos, illæ vero inter fructus

ca-

catharthicos annumerandæ ſunt. Caſſia ſolutiva veteribus Græcis prorſus ignota fuit. Ejus ſalubrem uſum Arabes cum eſſent experti, omnium primi valde commendaverunt. Fructus eſt exoticus, ſeu ſiliqua teres & cylindracea, cubitalis, unciam circiter craſſa, compoſita ex putamine lignoſo, tenui, duriuſculo, foris ex ſpadiceo nigricante, intus flaveſcente, in varia loculamenta a diſſepimentis tranſverſim poſitis, parallelis, ligneis, tenujbus, interius diviſo, & medulla in his incluſa molli, nigra, mellea, ſubdulci, cum quadam acredine; in qua deliteſcunt ſemina oblongo-rotunda, depreſſa, dura, fulva, nitida. Duplex Caſſia ſolutiva in officinis reperitur: altera Orientalis ſeu Alexandrina, vel Ægyptiaca, nempe quæ ex Ægypto nobis affertur: altera Occidentalis, quæ ſcilicet in Americanis inſulis exculta, maxima copia & minore pretio huc devehitur. Hæc cortice eſt craſſiore, magis aſpero & rugoſo; medulla vero acri & nauſeoſa. Illa vero cortice donatur tenujore, intenſius nigricante; pulpa vero dulci, nec ingrata guſtu: quapropter Occidentali anteponitur.

Eligendæ ſunt Siliquæ ponderoſæ, recentes, plenæ, mutæ, id eſt, quæ ſuccuſſu agitatæ commotis intus ſeminibus non reſonent; quarum pulpa pinguis ſit, nigredine ſplendens, dulcis, non acerba ob immaturitatem, non aceſens ob vetuſtatem, non exſiccata nimis, non nimis humida, non ſit obducta: in cellis enim vinariis aut latebris a mercatoribus reponi ſolet, vel arena opertis; & aqua inſpergi, quo plenior ac recentior videatur: ſed ibi citiſſime aceſcit, aut ſitum contrahit.

Medulla in uſu ſola venit, rejectis acinis & cortice ac diſſepimentis lignoſis. Quapropter extrahitur ex ſiliquis, & per ſetaceum trajicitur; & flos Caſſiæ dicitur, vel Caſſia mundata nuncupatur.

Arbor, quæ hanc Siliquam gerit, dicitur Caſſia fiſtula Alexandrina, *C. B. P.* 403. Caſſia purgatrix, *J. B. T.* 1. 416. Caſſia nigra, *Dodon. Pemptad.* 787. Arbor Caſſiam ſolutivam ferens, *Bontii*: Conna, *H. Malabar. T.* 1. Quauhayohuatli 2. ſive Caſſia fiſtula, *Hernandez*. Sic autem a R. P. Plumerio, *in ſuo Botanico Americano manuſcripto*, *vol.* 7. *fol.* 103. accurate deſcribitur. Nucibus Juglandibus noſtratibus ſimilis ſit arbor, ſi ſitum ramorum ſeriemque foliorum ſpectes; licet cortice tenujori, politiori, deforis leucophæo, intus vero carneo, truncus ejus veſtiatur, Ejuſdem autem trunci materies ſolida, e rufo intus nigricans, alburnoque pallido circumdato. Folia fere Nucum noſtratum proferunt rami bina ſcilicet & bina, juxta ramuſculos ſeu coſtas tenues virentes, pedem & ſemis circiter longas, & ad exortum tumeſcentes. Quinque aut ſex foliorum conjugationes ut plurimum unicuique adhæreſcunt coſtæ. (Finiri tamen quaſdam unico ſingulari folio ſæpe contingit.) Singula folia Nucum foliorum colorem fere, ſoliditatemque obtinent, licet propter coſtularum tenujtatem paulo magis in ſuperficie uniantur. Formam cuſpidis lanceæ referunt etiam, quinque aut quatuor ſcilicet pollices longa, duos circiter lata, in ſummitate acuminata, & ad baſim rotundata.

Circa eoſdem foliorum ramuſculos aut coſtas, ramuſculi alii paulo longiores tres aut quatuor ſimul enaſcuntur, plurimis onuſti floribus jucundo

do ſane ſpectaculo conſpiciuntur. Quilibet autem flos pediculo appendet duos pollices circiter longo, calycemque obtinet concavum, quinque foliolis fere ovatis, e viridi luteſcentibus, & dimidiæ ungulæ magnitudinem vix ſuperantibus efformatum. Ex illo calyce quinque exoriuntur petala in orbem poſita, perpulchre luteſcentia, & cochlearis in modum omnino excavata, & cochlearis etiam modo ſubrotunda. Ex his tamen quinque petalis duo paulo aliis ſunt ampliora, ſingulaque pollicis amplitudinem vix excedunt, coſtuliſque levibus per totum ſunt venoſa. Ex eodem calyce decem ſtaminula luteo-pallida, & apice luteo ſingula pollentia exſurgunt, ſed varia & inæqualia: quædam ſcilicet aliis longiora, & aliis breviora: tria tandem adunca ſunt, ſeptem vero recta. Inter hæc ſtamina piſtillum prominet vermiculo virenti & adunco ſimile, quod tandem in ſiliquam evadit teretem, rectam, paulo minus pollicem craſſam, & pedem & ſemis circiter longam. Lignoſa materia, tenui tamen conſtat jam dicta ſiliqua; tubuſque ligneus proprie ineſt undique clauſus, cuticula indutus e nigro caſtaneo, minutiſſimiſque rugis tranſverſim exarata, exceptis ventre & dorſo, quorum longitudinem percurrit faſciola omnino glabra & unita. Innumeris etiam intus diſcernitur cellulis ille tubus, quas laminæ tenues, etiam lignoſæ, orbiculares & parallelæ efformant; pulpa medulloſa, dulci, primum albicante, dein flaveſcente, tandem per maturitatem nigricante oblinitæ. In qualibet cellula ſemen continetur durum, ſubrotundum, compreſſum, fere cordiforme, caſtaneoque colore delibutum, ac tandem filo tenuiſſimo ad cellulæ parietes alligato.

Aprili & Majo potiſſimum floret hæc arbor in Americanis inſulis; dumque foret, foliis ſuis omnino viduatur, ut Amygdalis, Pomis, Perſicis, multiſque aliis noſtratibus arboribus contingere in Europa demiramur.

Ex floribus optima Conſerva conficitur leniter purgans, ſicut & juniores ſiliquæ ſaccharo conditæ.

Americæ proprie indigena non eſt hæc arbor, ſed aliunde translata ex Africa, aut ex Indiis orientalibus. In Ægypto & omnibus fere Indiæ orientalis Provinciis calidis naſcitur.

Analyſi Chymica, ex ℔ij. ℥v. ʒiiij. pulpæ Caſſiæ Alexandrinæ per B. V. diſtillatæ prodierunt phlegmatis limpidi & fere inſipidi, cum exiguo admodum Caſſiæ odore ℥vj. ʒv. gr. xij. acidi tamen notas præbuit, Heliotropii tincturam cæruleam in rubrum immutando: deinde phlegmatis prorſus inſipidi & inodori ℥j. ʒvijß. Maſſa reſidua exſiccata & indurata pendebat ℥xxviij. ʒiiij. quæ per retortam diſtillata exhibuit ſpiritus acidi rufeſcentis ℥x. ʒiiij. ſpiritus tum acidi, tum urinoſi ʒix. ſpiritus mere urinoſi ʒiiij. gr. lx. olei empyreumatici craſſioris ʒiiij. gr. xlvij. Maſſa combuſta nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥x. ʒjß. quæ per 20. horas calcinata; donec nullum amplius fumum emiſerit, cineres reliquit ex fuſco rubentes ad pondus ℥j. ʒv. ex quibus ſalis lixivioſi mere alcali fixi ʒvj. cum gr. xij extractæ fuerunt.

Jactura partium avolantium in diſtillatione per B. V. fuit ʒiiij. & gr. xxiiij. In diſtillatione vero per retortam ℥iiij. tandem in calcinatione ℥viij. ʒiiij. gr. xxxvj. in flammam & fumum abierunt.

Præ-

Præterea pulpa Caſſiæ facile aceſcit; eademque pulpa aqua plurima diluta, & per plures menſes in dolio aſſervata, ſalem eſſentialem cremori Tartari plane ſimilem deponit.

Per hanc analyſim patet ineſſe in pulpa Caſſiæ acidum ſalem volatilem & tenuem, qui primum exit in diſtillationem, alium vero fixiorem, qui nonniſi igne vehemente cum oleo propellitur: perparum ſalis urinoſi, mediocremque ibi reperiri terræ portionem; ac proinde pulpam Caſſiæ vim ſua obtinere a ſale quodam eſſentiali cremori Tartari ſimili, ſed tenujore, ſeu terreis particulis minus implicito, & oleoſis blandis magis temperato.

Ex omnium fere Medicorum conſenſu medulla Caſſiæ catharticum eſt benignum & innoxium, omni ſexui, ætati, temperiei, gravidis, & puerperis conveniens. Ex hujus medicamenti purgantis aliorumve ſimilium benignitate Arabes ad purgandum audaciores facti ſunt, quam Græci veteres, qui vehementioribus catharticis uti ſolebant. Utiliter autem præſcribitur in febribus ardentibus & inflammatoriis, in affectibus pectoris, renum & veſicæ, & omnibus inflammationibus, tum externis, tum internis, quando purgationi locus datur; iiſque ſuccurrit affectibus, quos alia medicamenta purgantia exacerbarent.

Non ſolum ut catharticum magna doſi exhibetur, ſed etiam ut alterans parva doſi & uſu diuturno ſæpe præſcribitur, modo ad alvum duram & ſiccam emolliendam & ſubducendam, modo ad humores ad aliquam partem contra naturam affluentes per patentes inteſtinorum vias utiliter revocandos & expellendos, ut in affectibus quibuſdam contumacibus & diuturnis, arthritide, catharro, calculo, hæmorrhoidibus, cephalalgiis diuturnis, hemicrania, &c.

Pulpa Caſſiæ cum ſaccharo Cando & Liquiritia tanquam arcano utuntur Ægyptii ad renum veſicæque vitia. Ægyptiorum veſtigia ſecuti Monardes & Matthiolus, pro infallibili, ut ajunt, præſervativo habent, ſi ℥iij. quotidie tribus horis ante prandium devorentur.

Renibus & veſicæ inter remedia purgantia nullum eſſe Caſſia convenientius, præter Meſuen, inculcat Fallopius. Verum non omnes Medici ea de re idem ſentiunt; quandoquidem Pigræus & Fabricius Hildanus his partibus infeſtam Caſſiam ſtatuant, & Ballonius ſcribat *in Ephemeridibus* Lithothomos Pariſienſes obſervaſſe inimiciſſimam eſſe Caſſiam illis, quibus ſectione detractus eſt calculus. Quotidiana tamen experientia didicimus nihil iiſdem a Caſſia rite exhibita hodie metuendum eſſe. Revera Fallopius ipſe, qui in veſicæ affectibus Caſſiam laudat, ardorem urinæ excipiendum eſſe monet. Nec dubitandum eſt quin renum & veſicæ morbis inflammatoriis nimium adhuc vigentibus non ſecus ac alia omnia purgantia medicamenta quæ hoſce morbos exacerbant, utpote ortus vel a ſpaſmodica nervorum aut membranarum diatheſi, quam calculorum colliſio aut attritus inducit, aut a ſeri ſalſugine quæ ureteres ac veſicam moleſte vellicando lædit. Sed ſi aliqua purgandi neceſſitas ſub his morbis occurrat, nullo certe medicamento minus noxio felicius levabitur.

Alia ſunt inſuper incommoda, quæ Caſſiæ exprobrantur. Diſſolvit, inquiunt, tonum ventriculi; tormina parit, & flatus gignit. Unde nonnulli

li eam humidis ventriculis aut hypochondriacis & flatulentis minime convenire putant: bilioſis quoque, ob dulcedinem, nocivam aſſerunt. Sed hæc vitia facile corriguntur, ſi optima ſeu Alexandrina eligatur, & recens ac bene matura adhibeatur: talis enim nulla tormina ventris ſuſcitabit. Americana vero, quæ ſapore minus grata eſt, tormina quandoque excitat, ſicut & Alexandrina immatura & jam præ vetuſtate aceſcens. Præterea ſi humidior ſit ventriculus, & nimis laxatus ipſius fibrarum tonus, feliciter cum Rhabarbaro conſociatur. Cum medicamentum ſit ſaporis dulcis, tardæque, & ut ajunt, teſtudineæ operationis; non mirum, ſi effervefcentiam & intumeſcentiam nonnumquam concipiat in ventriculo & inteſtinis, & flatus gignat: quod quidem vitium vitabitur, ſi pro Caſſiæ ſubſtantia ejuſdem decoctum percolatum tantummodo exhibeatur, & quidem fervens propinetur; ſic enim neque flatus generat, neque ructus, minuſque moratur in ventriculo & inteſtinis. Neque etiam eſt, unde illius uſum reformident melancholici & mulieres hyſtericæ, quaſi vaporibus, quos vocant, movendis apta nata eſſet. Imo Caſſia ipſis erit admodum proficua, ſi cum cremore Tartari miſceatur, aut cum Tamarindis decoquatur: iiſdem quoque acidis medicamentis temperata, bilioſis innoxia fiet. Tandem ejus ſegnitiem utiliter excitant cœtera purgantia medicamina acriora, velut Scammonium, Senna, Jalapa, Manna, necnon etiam ſtibiata Emetica, quæ ſtimuli loco ei adjunguntur, aut quibus conjungitur Caſſia ad eorum vim obtundendam. Sic in pleuritide, peripneumonia, cœteriſque affectibus inflammatoriis, quibus emeticorum aut catharticorum exhibitio convenit, maximi eſt præſidii. Mira quoque præſtat in illa doloroſa abdominis tenſione, quæ ſtibiatis præpoſtere exhibitis interdum ſuccedit; tuncque pro omni potu, intermediis juſculis, ſorbitio ex Caſſia feliciter propinatur.

Medullam Caſſiæ infantibus recens natis exhibitam, coloſtrum in inteſtinis ſtagnans purgando, eos a variolis immunes facere plures fide digni Medici aſſerunt. Drachmæ duæ vel tres juſculi vitulini aut ſeri lactis ℥vj. diſſolvuntur, & cochleatim exhibentur intra octo vel duodecim horarum intervallum, antequam mammis admoveantur.

Præſcribitur medulla Caſſiæ e cannis extracta & per ſetaceum trajecta a ʒij. ad ℥jß. tum ad alvum blande ſubducendam, tum ad purgandum, vel ſola, vel cum aliis medicamentis purgantibus ſub forma boli, vel in liquore conveniente diligenter ſoluta. Decocta vero ab ℥ß. ad ℥iiij. in potionibus propinatur, vel ſub enematis forma injicitur.

℞. Medullæ Caſs. recens extractæ & mundatæ ℥j. Rhei pulverati ℈j. Cremoris Tartari ʒß. M. F. bolus ex nebulis mane jejuno ventriculo devorandus, ſuperbibendo juſculum ex carne vitulina, ad purgandum. Vel

℞. Medullæ e Siliqua Ægyptiaca extract. ʒvj. Pulver. Cornachin. ℈j. F. bolus, ſuperbibendo ſeri lactis vel ptiſanæ cyathum unum. Vel

℞. Pulp. Caſs. ℥ß. Rhei pulver. ℈j. pulver. Jalap. gr. xij. Aquilæ alb. gr. x. Syr. flor. Perſicor. q. ſ. F. bolus purgans.

℞. Caſs. mundatæ ℥ß. Sacchar. Candi & Glycyrrhizæ pulver. ana ʒß. Fiat bolus

bolus ineunte prandio vel cœna ſumendus ad alvum emolliendam ; ad arthritidem præcavendam ; aut lithiaſim ; & ad catharroſos affectus ſanandos.

℞. Floris Caſſiæ & pulpæ Tamarindor. ana ℥ij. M. F. bolus paulo ante paſtum exhibendus ad melancholicorum aut hyſtericarum alvum ſegniorem aut nimis adſtrictam emolliendam & ſubducendam.

℞. Medull. Caſſ. Alexandr. ℥j. Syr. Violarum , vel Flor. Perſicor. ℥j. Diſſolv. in ſeri lactis, vel ptiſan. pectoral. vel tincturæ folior. Sennæ aut decocti Tamarindor. ℥vj. F. potio.

℞. Folior. Sennæ ʒij. Rhabarbari & Tartar. ſolub. ana ʒj. Macerentur per noctem ſuper cineres calidos in decocti Gram. ℥xij. Tum Mann. Cal. ℥jß. in hac infuſione liqueſcat. Fiat colatura, qua diſſolvantur Syr. Roſar. pallidar. ℥j. Medull. Caſſ. ℥jß. Dividatur liquor in duas doſes quatuor horar. intervallo exhibendas, interjecto juſculo, ad catharſim promovendam.

℞. Medull. Caſſ. cum nucleis extractæ ex fiſtulis ℥j. Mann. Cal. ℥jß. Rhei el. & Salis vegetabilis ana ʒj. Bull. leviter in liquoris convenientis ℥vj. Fiat colatura calide exhibenda tribus horis ante juſculum.

℞. Medull. Caſſ. cum nucl. ℥iij. Mann. Cal. ℥ij. Bull. leviter in decocti pectoral. ℥xij. Fiat colatura, qua diſſolv. Syr. de pom. comp. ℥j. aut Tartar. ſtib. gr. vj. Dividatur in duos hauſtus quatuor horar. intervallo exhibendos, interjecto juſculo.

℞. Medull. Caſſ. extractæ, non mund. ℥iij. Tamarindor. ℥jß. Bull. leviter in ſeri lactis ℔ij. Colatura per cyathos exhibeatur.

℞. Pulp. Caſſ. ℥j. Mell. violati ℥ij. Diſſolve in decocti emoll. ℔j. F. enema. Vel

℞. Medull. Caſſ. cum nucl. ℥iiij. Bull. in ſeri lactis ℔j. Colatura diſſolv. Cryſtall. mineral. ʒj. Mell. nenuphar. ℥ij. Fiat clyſter.

Pulpa Caſſiæ ad externos uſus nonnumquam uſurpatur. Recens extracta hæmorrhoidibus externis inflammatis utiliter admovetur ſub cataplaſmatis forma, aut lacte tepido diluta injicitur ad internam inflammationem compeſcendam. In jecoris inflammationibus & articularibus doloribus externe applicata commendatur.

Uſurpatur in Electuario Diacaſſia dicto, Electuario catholico, lenitivo, Diapruno, de Pſyllio, Confectione Hamech.

Alia Caſſiæ ſpecies in officinis aromatariorum, & in curioſorum muſæis deprehenditur, quæ Caſſia Braſiliana dicitur. Siliqua eſt Ægyptiaca multo craſſior, nonnihil compreſſa, duriſſima, quæ ex Braſilia affertur.

Arbor dicitur Caſſia fiſtula Braſiliana, *C. B. P.* 403. Tapyracoaynana Braſilienſibus; *Piſon. & Marcgrav.* Caſſia fiſtula Braſiliana flore incarnato, *Breyn. Centur. prim. cap.* 21. Elegantia & magnitudine inſignis eſt, caudice recto, lævi, ex cinereo albicante, ramis longe lateque luxuriantibus; quos folia amœniſſima veſtiunt cylindracea, multa uni coſtæ dodrantali, breviſſimis pedunculis directe ſibi oppoſita, dilute vireſcentia, lanuginoſa, paulatimque ſemper ſurrectim ſtantia; quorum cujuſvis longitudinem ſubrubicunda permeat coſta, & latitudinem

venulæ complures, quæ directe ſemper ſibi imminentes paribus interſtitiis ita diſponuntur, ut ſubrotundis inflexiſque extremitatibus proxime folii marginem concinna ſerie, & ordine concurrant. Flores ex alarum ſede originem ducentes, teneriſque ſuis ſurculis pene ſeſquipalmaribus, velut in ſpicam digeſti, uncialibus, lanuginoſis, teneris pedicellis appenſi, ex capitulis Capparum paribus erumpunt, Caſſiæ Alexandrinæ floribus longe minores, quinis etiam petalis, ſed incarnati coloris compoſiti. Horum umbilicum ſtamina decem occupant, apicibus magnis prædita, & ſurſum reflexa, quorum inferiora tria ſuperioribus duplo longiora; inter quæ ſtylus conſpicitur ſemilunaris, longus ac lanuginoſus, ſucceſſu temporis in ſiliquam evadens. Siliquæ immaturæ quidem colore ſunt virides; maturæ nigræ ſeu fuſcæ, deorſum propendentes. Quælibet circiter duos pedes longa, quinque digitos craſſa, paulatim incurvata. In uno ejus latere eminentia duplex eſt, ſecundum longitudinem; in altero ſimplex, quaſi chorda agglutinata eſſet ſub cortice. Cortex exterius aſper eſt inſtar corticis exteriori arboris, interior lignoſus & albus. Non poſſunt hi cortices ſimul frangi, ſed malleo concuti debent: ſiliqua porro intus tranſverſim multas habet diſtinctiones, quarum quælibet craſſitiem pennæ anſerinæ capit. In qualibet autem cellula nucleus latet magnitudine & figura Amygdalæ, coloris ex albo flaveſcentis, ſplendens, lævis, durus, per longitudinem linea ſubrufa in uno latere diviſus, nucleum continens album, corneæ ſubſtantiæ. Quælibet præterea cellula continet ſubſtantiam glabram, glutinoſam, brunnam ſeu ſubnigram inſtar Caſſiæ ſolutivæ, ſed amari ſaporis, & ingrati. Pulpa hæc primo ante maturitatem adſtringit; ubi vero gradum ulteriorem maturitatis acquiſiverit, laxat alvum. Marcgravius illi vim adſtringendi tantummodo tribuit, fortaſſe qui eam immaturam expertus fuerat. At Piſo has virtutes contrarias obſervat; & Lobelius aſſerit hujus pulpæ unciam unam plus purgare quam uncias duas alterius Caſſiæ Ægyptiacæ: quod etiam C. Bauhinus *in Pinace* annotavit. Inſuper doctiſſ. Tournefortius ejus vim purgantem in Luſitania ſe expertum fuiſſe teſtatur. Male igitur a celeberrimo Jonſtono, *Hiſt. natural. de Arboribus* 384. Caſſia fiſtula non purgans Braſilienſis dicitur.

ARTICULUS NONUS.

De Tamarindis.

TAmarindi, *Off.* Tamarhendi, *Arabum*: Οξυφοινιξ *Actuar.* & *Græcorum recentiorum*. Fructus ſunt, quorum pulpa ſeu medulloſa ſubſtantia lenta, & viſcida in maſſas coacta ad nos affertur, coloris nigricantis, ſaporis acidi, cum permixtis ſiliquarum corticibus, & membranis, nervis aut filamentis cartilagineis, necnon etiam ſeminibus duris, ſpadiceis, nitidis, majoribus quam Caſſiæ ſolutivæ, & fere quadrangulis depreſſis.

Eligenda eſt hæc pulpa recens, pinguis ſeu lenta, ex rufo nigricans, acida, non exſucca, non Prunorum carne adulterata. Mundatur a membranis,

branis, filamentis & ſeminibus, antequam in uſum adhibeatur. Ex Ægypto & Indiis nobis affertur.

De hocce medicamento apud veteres Græcos nulla mentio habetur. Arabibus *Tamar hendi* dictum fuit, quaſi fructus Indicus: vox enim *Tamar* late ſumpta fructum omnem ſignificat. Male ergo a quibuſdam Arabum interpretibus ille fructus Palmula Indica & Dactylus Indicus dicitur, cum & fructus & arbor a Dactylis & a Palma arbore longe diſcrepent.

Arbor dicitur Tamarindus, *Raii hiſtor.* 1748. Siliqua Arabica, quæ Tamarindus, *C. B. P.* 403. Tamarindus Detelſide appellata, *P. Alp. de Pl. Ægypt.* 351. Jutay ſive Tamarindus, *Piſon.* 157. Tamarindus, *Marcgr.* 1071. Balampulli ſive Maderam-pulli, *H. Malabar. T.* 1. Ex radice brachiata; late ſeſe ſpargente, fibrata, & capillata, aſſurgit hæc arbor ad Juglandis altitudinem, patula & denſa. Truncus amplexum duorum hominum nonnunquam æquat: cortice craſſo, ex cinereo fuſco & hiulco circumveſtitur, materia firma, rufeſcente, brachiis concinno ordine ad latera expanſis, in ramos tenujores ſe explicantibus. His innaſcuntur folia alterno ordine diſpoſita ex novem, decem, & quandoque duodecim conjugationibus pinnarum coſtæ adhærentium compoſita, nullo ſane folio impari claudente, etiamſi folium impar in iconibus P. Alpini & Horti Malabarici exhibeatur. Pinnæ autem novem circiter lineas longæ ſunt, tres vel quatuor latæ, obtuſæ, ad baſim rotundiores & velut auritæ, tenues, guſtu ſubacidæ, læte virentes, inferne & in oris nonnihil villoſæ: Flores ex foliorum alis quaſi racematim oriuntur tenujbus ſurculis cohærentes: ſinguli autem flores ternis petalis conſtant roſeo colore veniſque ſanguineis perfuſis, ſemipollicem longis, tres aut quatuor lineas latis, & veluti criſpis, quorum unum cœteris minus eſt. Calyx autem craſſus & quaſi pyriformia quatuor folia ſubalbida aut rufeſcentia, deorſum plerumque inflexa, & petalis longiora ſuſtinet. Piſtillus e medio petalorum ſurgit aduncus, tribus tantum ſtaminibus ſtipatus, & abit in fructum ſiliquis Fabarum ſimilem, magnitudine & forma, tribus aut quatuor protuberantis diſtinctum, gemino cortice donatum, externo quidem craſſiuſculo & rufo, & ovi putaminis inſtar tenuj, ac fragili, interno viridi & tenujori. Intervallum quod inter illos cortices occurrit, ſeu diploe, pulpa molli, nigricante, acida, vinoſa, & ſubacri occupatur. Capillamentis plurimis ſeu fibris in longum a pediculo ad apicem fructus productis, interior cortex ſemina condit perdura, quadrangula, ferme plana, Lupinorum æmula, depreſſa, ex fuſco ſplendentia, & macula quadam notata.

Naſcitur Tamarindus in Ægypto, Arabia, utriſque Indiis, Æthiopia, eaque Africæ parte quæ Senega vocatur. Afferuntur ad nos fructus contuſi, ſeu potius pulpa nucleis commixta, quæ Tamarindorum nomine venit.

Subſtantiam quamdam viſcidam, acidam, & rufeſcentem aliquando per æſtates calidiores producit hæc arbor; quæ deinde cremorem tartari, tum duritie, tum albedine imitatur.

Ex acidiſſimo, ut ita dicam, Tamarindorum ſapore patet acidum in illis late dominari: idem confirmat analyſis Chymica: vix aliquid alcalici ex illis extrahitur. Sed præter acidum multum olei ſuppeditant. Ex

℔vj. Tamarindorum in aquæ communis ℔viij. ſolutorum, poſt duos menſes ℥vj. ſalis eſſentialis ad latera dolioli adhæſerunt, multoque major quantitas poſt plurium menſium intervallum. Nec a cremore tartari differt; ſaporis enim eſt acidi, nec niſi in aqua fervente ſolvitur. Poſt digeſtionem aliquot dierum, ex Tamarindis extrahitur ſpiritus aceto diſtillato non abſimilis: unde liquet, Tamarindos acido & ſulphure abundare, ſed majori quantitate acidi; contra vero in pulpa Caſſiæ ſulphur acido copioſius adeſt.

Turcæ & Arabes æſtate longinquum iter ſuſcepturi; (ait Bellonius) Tamarindos coemunt, non medicinæ, ſed ſitis reſtinguendæ gratia. Eumdem quoque ob finem Tamarindorum ſiliquas, tum parvas & virides; tum etiam grandiores factas & jam maturas ſaccharo aut melle condiunt, & ſecum per Arabiæ deſerta iter facientes ferunt.

Tamarindos vi purgante donatos eſſe uno ore aſſerunt Arabes; licet quidam hanc illi denegare velint, qui fortaſſe non juſtam eorum doſim exhibuerunt. Confitendum eſt catharticum eſſe mite, ac blandum. Quod autem paucis purgantibus conceſſum eſt, præter alvum ſolvendi facultatem, quamdam etiam leviter adſtringendi potentiam obtinent.

Tamarindi, præter vim purgantem, inſigniuntur facultate humorum acrimoniam temperandi, bilis & ſanguinis fervorem compeſcendi, febres acutas, ardentes, & peſtilentiales, icterumque ſanandi, ſitim & omnem ventriculi, hepatis, & viſcerum ardorem extinguendi, & vomitum ſiſtendi. Illos etiam commendavit uſus in hæmorrhoidibus, inflammationibus, hydrope ab inflammatione, diarrhæis bilioſis, renum morbis & gonorrhæa; quod probat obſervatio Fallopii, qui illis hoc in morbo feliciter utebatur.

Non ſolum per ſe purgant Tamarindi, ſed etiam aliorum purgantium vitia corrigunt. Acriorum & vehementiorum, qualia ſunt Scammonium, Tithymalorum ſpecies, Laureola vis infringitur, eorum enim partes ſalinæ, acres & oleoſæ acido Tamarindorum ſale eſſentiali ſaturantur, figuntur & minus activæ fiunt. Tardorum vero & dulcium, qualia ſunt Caſſia, Manna, vis purgandi, eorumque fermenteſcendi facultas coercetur; quandoquidem acida efferveſcentiam minus prompte concipiant. Emeticorum ex ſtibio præparatorum virtus non a Tamarindis coercetur, ut nonnulli autumant, imo augetur: acida etenim ex vegetabilium regno ſtibiatorum vim emeticam intendunt, cum e contrario eamdem acida mineralia minuant aut prorſus extinguant.

Quidam ſunt morbi, in quibus ſpecifice commendantur, ut in febribus ardentibus & putridis, in ſcorbuto, in diabete, in verminoſis puerorum morbis, in ictero. Hoc in morbo ſimplex medicamentum ex Tamarindis & Caſſia cum ſaccharo ab Indis exhibetur. In ſcorbuticis affectionibus, tum ad purgandum, tum etiam ad nimiam humorum diſſolutionem coercendam, & acrimoniam compeſcendam, utiliter præſcribuntur: at vero nocent, ſicut acida omnia, tuſſientibus, ventriculis frigidis, inteſtinis exulceratis, dyſentericis.

Tamarindorum pulpa exhibetur ab acinis, membranis & filamentis purgata, & per ſetaceum trajecta, ſub forma boli, ſaccharo nebuliſve involuta, vel liquore conveniente diluta a ℨij. ad ℥j. infuſa vel decocta ad ℥iij.

♃. Ta-

℞. Tamarindor. mundator. & medullæ Caſſ. mundatæ ana ℥ß. Rhei pulverati gr. xxx. M. F. bolus purgans.

℞. Pulpæ Tamarindor. mundator. ℥ß. Scammonii pulver. gr. xij. M. F. bolus.

℞. Tamarindor. pinguium ℥ij. Seri lactis ℔ij. Bulliant leviter. Fiat colatura, qua diſſolv. Syr. Violar. ℥ij. F. potus per cyathos propinandus, ad ſitim extinguendam in febribus ardentibus, & ſanguinis aut bilis æſtum compeſcendum.

℞. Tamarindor. pinguiſum ℥j. Bulliant leviter in aquæ communis ℥vj. Hoc decocto macerentur folior. Sennæ ʒij. Rhei minutim conciſi ʒj. Deinde diſſolvatur Mannæ Calabr. ℥jß. F. colatura mane jejuno ventriculo propinanda, ad purgandum.

℞. Tamarindor. ℥ij. Medull. Caſſiæ cum nucl. ex fiſtul. extractæ ʒiij. Bulliant leviter in ſeri lactis ℔j. Colatura dividatur in duos hauſtus æquales.

Pulpa Tamarindorum uſurpatur in Electuario catholico, El. lenitivo, Diapruno, de Pſyllio, Confectione Hamech.

Ægyptii, referente Proſp. Alpino, foliis Tamarindi utuntur ad puerorum vermes necandos: & Medici Indi, teſtantibus Garzia & Acoſta, folia trita partibus corporis eryſipelate affectis imponunt.

ARTICULUS DECIMUS.

De Vanilla, ſeu Araco aromatico.

VAnilla, Vaniglia, & Aracus aromaticus, *Off.* Gallice *Vanille*, eſt ſiliqua anguſta, pene teres, nonnihil compreſſa, ſex circiter uncias longa, quatuor lineas lata, rugoſa, ruſeſcens, molliuſcula, oleo , pinguis, fragilis tamen, exterius quaſi coriacea; intus pulpa ſubrufa & ſeminibus innumeris, minutiſſimis, nigris & lucidis referta, ſapore ſubacri, pingui, & aromatico prædita, pergratum balſami Peruviani odorem referens. Ex Peruuia & Mexicano regno affertur.

Triplicis ſpeciei Vanilla diſtinguitur: prima, cujus ſiliqua craſſior, & brevior ab Hiſpanis *Pompona* vel *Bova* dicta; ſecunda, cujus ſiliqua, & tenuior eſt & longior quæ legitima; tertia, cujus ſiliqua ex omni parte omnium minima, & *Simarona* ſeu notha dicitur. An vero ſpecies diſtinctæ ſint, an varietates tantum a ſolo & tempore quo colliguntur, vel ab aliis accidentibus pendentes, adhuc ignoratur.

Prima odore eſt graviori, ſed minus jucundo, quæ hominibus capitis dolores, mulieribus vapores & ſuffocationes excitat; liquorem continens fluidiorem & ſemina craſſiora, Sinapis fere craſſitie. Tertia minus odora eſt, parciorem liquorem, paucioraque ſemina continens.

Secunda, (quæ legitima, ſola in uſum venit.) Eligenda recens, odorata, molliuſcula, non nimis exſiccata aut arida, nec oleo madens, quæ colore ſit atro-rubente.

Nec rejiciendæ ſunt, quæ ſalino flore conſperſæ deprehenduntur, ſeu ſpiculis ſalinis, tenuiſſimis, floribus Benzoini prorſus ſimilibus: qui quidem flos nihil aliud eſt præter ſalem eſſentialem quo turgent, foras erumpentem, cum tempeſtate nimis calida advehuntur.

Planta dicitur Volubilis ſiliquoſa Mexicana foliis Plantaginis, *Raii Hiſtor.* 1330. Aracus aromaticus, Tlilxochitl, ſeu flos niger, Mexicanis dictus, *Hernandez* 38. Volubilis herba eſt, ut ait Hernandez, albores conſcendens, & amplectens, foliis undecim uncias longis, ſeu latis, figura Plantaginis, ſed pinguioribus, longioribus, & ſaturatius virentibus, ſingulis ex utraque parte caulis alternatim exorientibus, floribus nigricantibus, ſiliquis longis, anguſtis, pene teretibus, nigricantibus, fragrantibus.

Huic plantæ ab Hernande deſcriptæ non diſſimilis eſt Vanilla in inſula San-Dominicana naſcens, quam R. P. Plumerius Botanicus Regius in ſuo Botanico Americado manuſcripto accuratiſſime deſcripſit.

Vanilla flore viridi & albo, fructu nigreſcente, *Plumer. nov. Pl. Amer.* 25. Radices huic plantæ inſunt digiti minimi pene craſſitie, duos pedes circiter longæ, terræ longe lateque immerſæ, e pallido rufeſcentes, teneræ ac ſucculentæ, quæ caliculum unicum ut plurimum emittunt, altiſſime Clematitum more ſuper altas arbores conſcendentem, eaſque ſcandendo ſuperantem. Ipſe tandem cauliculus dimidii digiti craſſitiem obtinet teres eſt, virens, intus nervulo & humore glutinoſo plenus, intervalliſque tres circiter pollices diſtantibus nodoſus. Ad ſingulos autem nodos alternatim ſingularia enaſcuntur folia cuſpidis lanceæ forma, novem aut decem pollices longa, & tres pollices lata ubi latiſſima, quæ glabra exiſtunt, læteque virentia, craſſiuſcula, nervi loco inferius canaliculata, veniſque arcuatis, & internis per totam longitudinem diſcurrentibus prædita, ac tandem foliorum Scillarum inſtar mollia, guſtuque tantiſper acria.

Cum planta jam multum adoleverit, e ſuperiorum foliorum alis longos depromit ramos alternis etiam foliis inſtructos, ramoſque alios emittentes iiſdem foliis, ſed multo minoribus ad geniculos ſuos, pollentes: & ex ultimorum foliorum alis ſingulis ramuſculus exoritur ſemipede paulo longior, varie geniculatus, ac in unoquoque geniculo flore adornatus elegantiſſimo, polypetalo, anomalo, ſex petalis ſcilicet conſtante; quorum quinque ſimilia ſunt & in orbem fere poſita, oblonga, anguſta, convoluta & ſinuoſa, intus candidiſſima, deforis vero ſubviridia: ſextum autem, ſeu nectarium, quod & candidiſſimum, meditullium occupat, æqualiſque in modum convolvitur, germinique oblongo, carnoſo, & contorto inſidet proboſcidi ſimili. Hæc vero proboſcis ſcrobicula perfoditur ſatis profunda, antheis duabus veluti quodam cucullo contecta. Singula hæc folia germini inſident longo, virenti, tereti, carnoſo, qui deinde abit in fructum ſeu corniculam mollem, carnoſam, digiti auricularis fere craſſitie, ſemipede paulo magis longam, per maturitatem nigricantem, ac tandem innumeris minutiſſimis ſeminibus nigris fœtam. Tam flores quam fructus hujuſce plantæ inodori ſunt. Pluribus in locis inſulæ San-Dominicanæ reperitur: Majo floret.

Hanc

Hanc Vanillæ San-Dominicanæ ſpeciem a Mexicana ab Hernande deſcripta diſcrepare tantum aſſerunt colore florum & ſiliquarum odore : hujus enim flos albus eſt & ſubviridis, ſiliqua inodora; Mexicanæ vero flos niger, ſiliqua jucunde odorata.

Vanilla colligitur a Septembri exeunte, uſque ad finem Decembris : per quindecim vel viginti dies exſiccanda reponitur, ut humor ſuperfluus, vel potius noxius (utpote qui ſiliquæ putredinem induceret) evaporetur.

Vanilla oleoſo reſinoſo quodam humore donatur, ſubtili & odorato, qui facile extrahitur ope ſpiritus vini. Siliqua poſt tincturæ extractionem inodora & exſucca remanet. Analyſi Chymica, plurimum olei eſſentialis aromatici, liquoris acidi portionem non mediocrem, perparum vero liquoris urinoſi & ſalis fixi continet.

Vanilla ventriculum roborat & calefacit, ciborum concoctionem promovet; flatus diſcutit, humores crudos concoquit, cerebri affectibus frigidis & catharroſis confert, memoriam firmat, urinas & menſtrua provocat, partum juvat, ſecundas, mortuumque fœtum expellit. Rarioris tamen eſt uſus in Medicina; frequentiſſime vero uſurpatur in illa compoſitione quæ Chocolata dicitur, cui gratiam conciliat.

Tanquam ſpecificum habetur apud Anglos, ad melancholicos affectus debellandos. Exhibetur in ſubſtantia a gr. xij. ad ʒß. infuſa vero vel decocta in lacte, ſero lactis, vino, aqua, vel alio liquore conveniente ad ʒij. Attamen nimia doſi & uſu immoderato ſumpta ſanguinem accendit.

ARTICULUS UNDECIMUS.

De Cardamomo, ejuſque ſpeciebus.

Nulla res eſt fortaſſe in re Pharmaceutica magis litigiata quam Cardamomi notitia. Græci & Arabes, veteres, & neoterici diverſimode ea de re ſentire videntur. Græci unum tantum Cardamomi genus conſtituerunt; Plinius quatuor genera facit. Dioſcorides Cardamomum non deſcribit, ſed dumtaxat quibus in locis naſcatur optimum; qualeque illud ſit, docet. Inter Arabes etiam Avicenna duo Cardamomi genera diſtinguit, alterum Cacula vel Cacule, alterum Cordumeni : huic eaſdem vires quas Dioſcorides Cardomomo tribuit, aſſignat. De Cacula duplex facit genus, majus, & minus. Præterea agit de Helbua ſeu Hilbua, & de Chairbua, quas voces Cardamomum quoque ſignificare nonnulli exiſtimant, aut ſaltem Meleguettam. Serapio Cardamomum Cacule dicit, cujus duæ ſunt apud eum ſpecies, altera quæ major eſt, Hil aut Heil vocetur; altera, minor nempe, Hilbane aut Hilbave, aut Hilbua. Græci omnes recentiores Καρδάμωμον vocant, quod Arabibus Cacula dicitur, & Nicolaus Myrepſus poſt Arabes ſimiliter καρδαμώμȣ μεγάλȣ καί μίκρȣ omnibus fere locis meminit.

Eo igitur quæſtio redit, an Cardamomum noſtrum & Græcorum recentiorum idem ſit cum Cardamomo veterum?

 Cum

Cum nullas Dioſcorides notas proponat , ex Galeno & Paulo Ægineta id elici debet. Quod ſi ergo ea perpendamus quæ Galenus, *l.* 2. *de Antidotis*, in compoſitione Zenonis habet, καρδαμώμȣ τῶν καρβῶν, χωρὶς τῆς ἐντεριώνης, Cardamomi abſque folliculis, partis interioris, & *in verſibus Damocratis* Cardamomum ſemen eſſe, quod ſit incluſum folliculo: dein ſi color albicans ex Ægineta addatur, tum ex Dioſcoride, quod eligendum ſit plenum, frangenti contumax, (dum adhuc in folliculo eſt) occluſum, quod odore caput feriat, guſtu acre ſit & amarum; hæc ſi cum noſtro conferantur minore Cardamomo, omnes in eo notæ apparebunt, licet nonnulli afferant vero nos Cardamomo carere.

Verum Dioſcorides, & Serapio fructus integros ſeu utriculos granis refertos, ut olim afferebantur, deſcripſere, ſicut etiam hodie ut plurimum afferuntur. Seminibus vero utebantur tantummodo, rejectis folliculis; cum Græci, ut videre eſt apud Galenum, *L.* 7. *de compoſitione Medicam. ſecundum locos*, & in Confectione Pamphylii καρδάμωμον ἐξεντερισμένον, Cardamomum exenteratum, & aliquando τὴν ἐντεριώνην interiorem partem, & καρδάμωμον γεγαθαρμένον Cardamomum deglubitum requirant. Præterea idem Galenus in Theriaca Andromachi, *Lib.* 1. *de Antidotis*, & *Lib.* 1. *de Theriaca ad Piſonem*, Indæum Cardamomum expoſtulat, ſeu in India natum, unde etiam nobis adhuc advehitur.

Matthiolus tria Cardamomi genera proponit, quæ adhuc hodie in officinis proſtant; ſcilicet Cardamomum majus, Cardamomum medium, & Cardamomum minus.

Cardamomum majus *Matthioli*, fructus Longouze, *Steph. de Flacourt*, *Hiſtor. inſulæ Madagaſcar.* Fructus eſt exſiccatus, oblongus, Ficum magnitudine, & figura a ferme referens, cum umbilico in ſummitate lato, & circulari, in medio tripartito; includens ſub involucro tenui, membranaceo, tenaci, lento, fibroſo, rugis nonnullis ſecundum longitudinem ſtriato, coloris fuſci vel ſubrubri, ſemina copioſa in tria loculamenta diſtributa, inæqualia, nitida, ſubrubra, multis intercurſantibus membranis, quibus ipſa ſemina conteguntur, quæ Melegettas appellavere quidam, quod Milium Indicum referant, Italis Melegam appellatum, inquit Matthiol. ſaporis acuti, aromatici, ad Camphoram, Lavandulam, & Thymum accedentis, odoris jucundi & ſuavis: quo factum eſt ut Grana Paradiſi a quibuſdam vocitentur.

Matthiolus exiſtimat Meleguettam, *Off.* eſſe hujus Cardamomi ſemen, quod ex folliculis extractum magna copia nobis affertur. Verum Cordus longe aliter ſentit: errare enim pronunciat eos, qui dicunt Melligettam majus Cardamomum eſſe. Cardamomis enim, inquit, tenuis minimeque fervens, ſed gratus ac jucundus eſt ſapor; Melligetæ vero, Piperis inſtar, acerrimus. Et reipſa non parva guſtu deprehenditur differentia inter Meleguettæ ſemen guſtu acerrimum urenſque, & Cardamomorum ſemina quæ minus acria ſunt, & magis aromatica, ad Lavandulam & Camphoram accedentia. Quoniam tamen Melligettæ fructus ſeu utriculi, ipſo confitente Cordo, magnam figuræ cum majore Cardamome ſimilitudinem habeant, qui ovi plerumque magnitudine conſpiciuntur, & granis onuſti ſunt Cardamomi inſtar, idcirco Meleguet-

guettæ fructum ad majoris Cardamomi genus referendum cenſemus; qui a genuino Cardamomo ſic diſtinguendus foret: Cardamomum majus ſemine piperato.

Meleguetta autem, Maniguetta *Offic.* Grana Paradiſi *Quorumdam*: Mellegetta ſeu Cardamomum piperatum *Cordi*. Semen eſt nitidum, angulosum, Pipere minus, ſuperficie rufum ſeu ſpadiceum, intus candidum, guſtu acre, fervidum, & urens ut Piper Zingiber, quibus odore etiam non diſſimile eſt. Magna copia huc affertur, & Piperis vices implet in ciborum condimentis: nonnulli etiam in compoſitionibus Pharmaceuticis illud Cardamomis perperam ſubſtituunt. Naſcitur in Africa, inſula Madagaſcar, & Indiis orientalibus, unde a Batavis advehitur.

Quænam ſit planta quæ majus Cardamomum producat, adhuc nos latet. Ejus folia *in C. B. prodromo* ſic deſcribuntur. Craſſa ſunt, uncias quatuor longa, tres lata, per quorum longitudinem coſta elata fertur, a qua fibræ plurimæ per tranſverſum abeunt, ut in Caryophyllorum foliis, cum quibus maximam ſimilitudinem habent: folii pediculus ſapore eſt aromatico, ipſis granis correſpondente.

Fructus recens Cardamomi majoris, referente Stephano de Flacourt, cortice donatur coloris rubri, vividi & rutilantis, carne vero intus alba, ſaporis acidi, non ingrati, ſemine ſubrubro vel nigreſcente.

Cardamomum medium *Matthioli*: Cardamomum majus *Bontii*. Fructus eſt ſeu folliculus oblongus, unciam aut ſeſquiunciam longus, gracilis, triquetrus, ſtriatus, retuſo in ſummitate cacumine, coloris cinerei, fractu contumax, in tres cellulas diſtinctus, in quibus ſemina numeroſa reconduntur, membranis tenuiſſimis candidis obvoluta, oblonga, preſſa, anguloſa, canaliculo quodam altera parte diviſa, pluribus tranſverſim interſecantibus lineis, colore ex albo rufeſcente, ſubſtantia alba, ſapore acri, aromatico. Hæc Cardamomi ſpecies raro ad nos venit.

Planta quæ hunc fructum profert, ſimilis eſt ei, quæ Cardamomum minus gerit, mox deſcribendæ. Ab illa tantum in eo differt, quod ſit excelſior, foliis majoribus, & flores faſciculatim in cacumine gerat; altera vero ſurculos ſingulares floridos & ſquamatos emittat e radice. Flores albi ſunt cum purpureo limbo.

Cardamomum minus *Matthioli*: Cardamomum *veterum Græcorum*: Cardamomum ſimpliciter in officinis dictum, *C. B. P.* 414. Fructus eſt exſiccatus, ſeu ſiliqua membranacea, brevis, quinque circiter lineas longa, trigona, ad pediculum acutior, obtuſa in extremo, dilute rufeſcens, ſtriata, cortice conſtans multo tenuiore quam medii Cardamomi, tribus ſuis angulis per maturitatem dehiſcens, in tria loculamenta ut plurimum diſtincta ope tenuium membranarum quæ facile lacerantur: in ſingulis loculamentis continentur gemina ſerie ſemina anguloſa, rugoſa, e flavo rubentia, intus candida; ſapore acri, amaricante, aromatico, & quaſi camphorato. Plures ſiliquæ tenuibus pediculis, tum peculiaribus, tum communibus, racemorum inſtar, conjunctæ nonnumquam reperiuntur: unde liquet, hoſce fructus racematim in planta naſci. Ex Indiis Orientalibus afferuntur.

Quæ-

Quædam ſunt Cardamoni ſpecies ſupradictæ ſimiles, ſed minores, quæ quidem cum illa promiſcue afferuntur, utpote ex eadem planta enatæ, & fortaſſe abortivæ, aut ex aliis plantis ſimilibus; ſed magnitudine ſolummodo diverſis, quale eſt Cardamomum minimum, *C. B. P.*

Planta cui Cardamomum minus innaſcitur, a Jacobo Bontio, ſed breviter admodum, deſcribitur, longe accuratius vero *in Horti Malabarici voll.* 11. Eadem planta a doctiſs. viro Paulo Hermans ſub eodem genere cum Curcuma, Bangala, Galanga, Zedoaria, Zingibere, reducitur; ac proinde ad Cannacori genus, *I. R. H.* revocari poſſet. Dicitur Elettari, *Horti Malabar.* 11. 9.

Radix eſt oblonga, unciam aut ſeſquiunciam craſſa, geniculata, tortuoſa, albicans: ex lateribus innumeras fibroſas emittit radiculas, quibus veluti pedibus late proſerpit. Caules, qui e radice emergunt, rotundi, glabri, virentes, latum ferme pollicem ſuo emetiuntur diametro: ſtipite ſimplici, inſtar Arundinis cujus texturam æmulantur, ſurgentes ad duodecim circiter pedum altitudinem, albicante vappidaque medulla lignoſis filamentis inſtructa farcti, foliorum baſi quæ ſuperioribus radicum geniculis innititur, theciformibus ſuis involucris inſiſtunt. Folia magna, quatuor ſcilicet ſpithamas longa, quatuor uncias lata, viridia, parallelis, exilibuſque venis ſtriata, cum coſta media in adverſa parte viridi diluta, in obverſa viridiore; odore & ſapore forti, ſubacri, aromatico. Præter caulem arundinaceum, ex radicum geniculis ſub terra deliteſcentibus plurimæ prodeunt gemmæ cuſpidatæ, virideſcentes, quæ in ſurculos ſeſquiſpithamam longos excreſcunt; ſuntque illi ſuccincti, geniculati, in articulis gaudentes foliaceis vel membranceis integumentis, quæ ſicca ex albo rufeſcunt, & e commiſſuris laterales ſimpliceſque pedunculos eructant, qui ſub folioſis capſiformibuſque tegumentis (quibus arctæ veſtiuntur) florum fructuumque germina recludunt. Flores uni fructigero racemo, vel radicali ſurculo plures, plerumque tres quatuorve ejuſdem oblongis foliolis veluti capſulis involuti primum apparent: hoc autem aperto involucro, tetrapetalus viſui ſeſe offert flos, cujus tria petala magnitudine conveniunt, oblongo anguſta, viridi-albicantia, membranoſa; quartum, quod prioribus ex adverſo jacet, tenui ſtylo lingulaque donatur, paulo latius ac minus oblongum eſt, interius ſitum, & viride: lingula oblongo-anguſta eſt, craſſiuſcula, interiore facie, quæ intimo foliolo ex adverſo opponitur accumbitve, ſulco ſtriata, in ſupremo apice bifida, dilute rubeſcens, ſuoque ſulco exilem candicantem ſtylum, qui in tenue planumque deſinit capitulum, recipit. Floris vigore ceſſante, complicantur petala fructuum apicibus perpetim inſidentia, calyxque in fructum intumeſcit, qui ubi adoleverit, in orbem diſtenditur, convolutis florum foliis etiamnum comatus. Fructus radicalibus fructipromiſque racemis appendent, qui uvis & forma & ſapore haud perperam aſſimilantur; orbiculati enim ſunt & grate ſubacidi, viridi, craſſiuſculo, carnoſo, aqueoque cortice obducti, ſtriis admodum tenuibus juxta longitudinem pertexti: in tres dividuntur loculos, cancellatim diſtinctos, ita ut quodlibet interſepimentum in ſui medio membranacea fibrilla biſecetur, ſic-

ſicque ſeminum conceptacula efficiuntur. Semina triangularia, aromatica, rufa, ſex ordinibus diſpoſita, preſſis planiſque lateribus fructus inſident, & medio ſtylo trigono, cui mediante membranaceo ſepto affiguntur, cuſpidibus ſuis adhæreſcunt.

Fructus maturi debito tempore lecti in aprico exſiccantur ſolo, ubi cortex qui primo craſſus eſt viridiſque, extenuatur, & ex rufo albeſcit; ſuntque ipſiſſimum Cardamomum.

Tres hujus plantæ ſpecies diſtinguuntur *in Horto Malabarico*, ſola fructus figura inter ſe diverſæ; quarum prima quæ plane rotundos & albicantes profert fructus, pro Amomo racemoſo officinarum a plurimis habetur. Nonnullæ ſunt tamen ea de re dubitandi rationes, quas *articulo de Amomo* exponam. Cœteris duobus anteponitur ob ejus præſtantiam. Secunda ſpecies oblongior eſt; tertia plane acuminata. Prima in locis montanis ſupra Cochim & Calicut triginta circiter a mari milliaribus naſcitur: poſteriores duæ circa Cananor, aliaque Indiarum inveniuntur loca. Declivia montium, valles, umbroſa & cœnoſa amant loca ſola, ſolis admodum impatientes.

Ex Sina Cardamomi ſpecies allatas vidimus *Tſaokeou* dictas apud Sinenſes, Cardamomo minore longe majores & rotundiores, quæ fortaſſe prima *in Horto Malabarico* ſpecies eſt: aut ſaltem inde concludere licet plurimas eſſe Cardamomi etiam minoris ſpecies ab Amomo diverſas.

Cardamomum in ciborum condimentis, præſertim carnium & piſcium elixorum, apud Malaios in ſummo uſu eſt.

Oleo eſſentiali aromatico pollent Cardamomi ſpecies, quod aqua maceratæ & poſtea diſtillatæ copioſum præbent.

Cardamomum minus magis uſitatum eſt in officinis: grana potiſſimum uſurpantur, exempto cortice ſeu utriculo. Eligendum eſt recens, foris pallidum, occluſum, ſemine plenum rufo, odorato, acri, aromatico, non carioſo.

Ciborum concoctionem juvat, ventriculum & cerebrum roborat, urinas movet, menſtrua provocat: ad apoplexiam & vertiginem præcavendam a nonnullis commendatur.

Doſis in ſubſtantia a ℈ß. ad ℈j. infuſum vero ad ℥ß.

Uſurpatur in Theriaca, Mithridatio, Benedicta laxativa, Electuario Diaſatyrio, Tabellis magnanimitatis, & Aceto Theriacali.

ARTICULUS DECIMUS-SECUNDUS.

De Amomo racemoſo.

AMomum racemoſum, *Off.* Ἄμωμον *Dioſcoridis & Galeni*: Βοτρυοειν ἄμωμον *Andromachi*: Βοτρυς ἄμωμον *Democratis*: Amomum *Plinii*: Hamemis aut Hamama *Arabum*: Gallice *Amome*. Fructus eſt ſiccus, racematim congeſtus, membranaceus, capſularis, ſeminibus refertus, quem veteribus Græcis cognitum fuiſſe facile comprobatur ex ejus comparatione cum dioſcoridea deſcriptione Amomi. Ejus autem notitia injuria temporum deperdita fuerat; donec Amomi uva, quæ per aliquot ſæcula latuerat,

de-

denuo in lucem prodierit opera cujuſdam Cechinni Martinelli Veronenſis Pharmacopœi, affirmante Nicolao Maronea vel Marogna.

Mirum ſane quam diverſæ de hoc Amomo fuerint herbariorum vel peritiorum, qui in hujus fructus inquiſitione inſudarunt, ſententiæ. Cordus enim Roſam Hyerichuntinam vulgo dictam, *C. B. P.* pro Amomo habet: Quatrammus Rhoem mythifoliam Belgicam, *C. B.* Anguillara Piper racemoſum caudatum ex Guinea, *C. B.* Cluſius Amomum ſpurium folioſum, *C. B.* Garcias ab horto Pedis columbini ſpeciem quamdam: alii Botrym ambroſioidem vulgarem, *C. B.* alii Siſon, quod Amomum officinis noſtris, *C. B. P.* alii Piper oblongum nigrum, *C. B. P.* alii Cubebas vulgares, *C. B.* alii Caryophyllum aromaticum fructu rotundo, *C. B.* Amomum verum antiquorum eſſe exiſtimaverunt; quorum ſententiæ a Nicolao Maronea, in erudito ſuo de Amomo Commentario, non immerito refelluntur, in quo etiam ſolide demonſtrat verum eſſe ac legitimum Amomum a ſe deſcriptum.

Fructus ille parvus eſt racemus, conſtans decem aut duodecim ad ſummum acinis ſeu folliculis membranaceis, fibroſis, fragilibus, ſeſe ſtrictim comprimentibus, abſque pediculis ex uno ſarmento enatis. Racemum ſuſtinet ſarmentum lignoſum, fibroſum, teres, pollicari longitudine, odoratum, acre, foliis confertim exornatum, tum puſillis ſquamornm ſerie diſtributis qua parte folliculorum eſt expers, tum longioribus foliis ſenis ſingulos folliculos calycis inſtar ambientibus. Ex longioribus foliis tria quidem conſtant longitudine ſemiunciali, tria vero paulo breviora ſunt: eadem folia tenuja ſunt, fibroſa, acria, odorata, ſuis cacuminibus ſæpe contracta, raro integra, ut vix extra Amomi acinos emineant; quod evenire credendum eſt, quia in longiſſimo itinere mutuo attritu foliorum ſummitates confringuntur. Acinorum craſſitudo & figura orbicularis exiſtit, qualis mediocris uvei acini. Donantur folliculi Amomi exiguo capitulo ſeu potius papilla exigua in apice, & ornantur externis tenuiſſimis filamentis, ſeu nervis quaſi lineis per longitudinem ductis: ternis etiam præditi ſunt parvis ſulcis, totidemque intercedentibus exiguis eminentiis, quæ triplicem internorum ſeminum ſeriem circumſcribunt. Singulos folliculos replent tres ſeminum phalanges tenui membrana ab invicem ſejunctæ; unaquæque autem phalanx pluribus conſtat ſeminibus anguloſis, eadem tenui membrana involutis, adeoque ſtrictim ſibi cohærentibus, ut trium dumtaxat ſeminum longiuſculorum ſpeciem præbeant. Racemi totius & ligni color idem ſpectatur, in aliquo pallidus, in alio candidus, in alio vero ex pallido ad ſubrufum vergens; ſed in candido folliculo ſemina inſunt plerumque evanida, in ſubrufo ſemina ſolidiora & perfectiora frequentiſſime obſervantur. Seminibus anguloſis color externus ex rufo nigricans adeſt, internus albus. Semina interna eadem ſolida ſunt quidem, ſed frangibilia, non fractu contumacia ut Cardamomi ſemina. Racemo odor ineſt fragrans, vulgarem Lavandulam quodammodo redolens, ſuavior tamen; in ſeminibus vero a folliculo exemptis major odoris acrimonia. Eadem ratione & racemus & nuda ſemina acri ſapore ſunt prædita; ſed in racemo hebetatur acrimonia, in nudis ſeminibus vehementior percipitur, quæ Camphoram quodammodo ſapit.

Plan-

Planta, quæ hunc fructum profert, a nullo deſcribitur. Quidam exiſtimant eſſe Elettari primum *in Horto Malabarico* deſcriptum. Verum magnam inter & Amonium racemoſum differentiam obſervare licet; ſiquidem Cardamomi ſeu Elettari fructus floris petalis videtur ſuppoſitus, ac proinde floris calycem fuiſſe: econtra vero Amomiuvæ infra floris petala vel calycis folia continentur, & proinde ex floris piſtillo oriuntur. Merito igitur concludere licet Cardamomum, & Amomum diverſa plantarum genera conſtituere. Præterea; ut jam dixi, Cardamomi acini racemo ramoſo adhærent ſinguli ſingulis pedunculis innixi, Amomi vero uvæ uno & communi pediculo immediate annectuntur.

Georgius Camelli *in Actis philoſophicis Londinenſibus* quamdam plantam in Inſulis Philippinis naſcentem proponit, ſub nomine *Tugus*, pro Amomo legitimo *Serapionis*; ſed tam parum accurata eſt ejus deſcriptio, ut merito dubitare poſſimus, utrum verum ſit Amomum, racemoſum, an potius quædam alia Cardamomi ſpecies.

Amomum oleo eſſentiali aromatico tenuj, & volatili copioſo donantur, quod in diſtillatione effundit, ſi aqua prius maceratum fuerit. Hoc oleo aromatico venenis reſiſtit, humores craſſos attenuat, ſanguinis motum auget, ſpiritus torpentes excitat, fibrarum oſcillationem reſtituit, ciborum concoctionem, juvat, urinas, menſes, & diaphoreſim promovet.

Uſurpatur in Theriaca *Andromachi ſenioris*, & in Benedicta laxativa. Præcipuus uſus Amomi apud veteres erat ad unguenta conficienda.

ARTICULUS DECIMUS-TERTIUS.

De Cubebis.

DE Cubebis inter auctores magna eſt concertatio. Quidam aſſerunt veteribus Græcis cognitas fuiſſe; & eſſe καρπήσιον *Galeni*, Piper rotundum *Theophraſti*, Piper *Hippocratis* ſimpliciter dictum, & Oxymyrſinem *Dioſcoridis*: alii vero negant. Hermolaus, Ruellius, Fuchſius, & alii Avicennæ, Serapionis, & Actuarii auctoritatibus innixi, fructus, qui vulgo Cubebæ vocantur, legitimum eſſe Carpeſium *Galeni* affirmant; ſiquidem Serapio, quod Galenus de Carpeſio refert, ſub Cubebæ nomine traducat, & inſuper in Cubebarum hiſtoria tradiderit iis, quicquid Dioſcorides de Ruſco ſcriptum reliquit. In eadem fere ſententia Avicenna verſatur, qui Cubebas Carpeſium appellat, quemadmodum, & Actuarius, qui eas & Barbaris κομβέβας vocari ait. Unde concludi poteſt aut Galeni Carpeſium & Arabum Cubebas nulla ex parte differre, aut Arabes graviter allucinari, qui res prorſus diverſa confundunt. Præterea Matthiolus dubitat utrum vulgares ſeplaſiariorum Cubebæ eædem ſint necne cum Cubebis, de quibus Serapio, Avicenna & Actuarius ſcripſerunt. Obſervat enim neque Galenum, neque Arabes ſcripſiſſe Carpeſium vel Cubebas planctæ fructum eſſe vel ſemen; imo Galenus Carpeſium ſic deſcribit: „ Sunt autem tenuja ſarmenta, Cinnamomi virgultis ſimilia; ipſumque „ Phu & odore, & viribus adſimilat. Non ergo fructus erat, ſed caulis vel radix ſarmentoſa, a noſtris Cubebis prorſus diverſa. Itaque veriſimilimum mihi

hi videtur Cubebas noſtras veteribus Græcis incognita fuiſſe; Arabeſque a quibus officinæ noſtræ Cubebas acceperunt, & a quibus illi fructus adhuc hodie *Cubebe* vel *Quabebe* vocantur neſcio quadam ratione ductos, quidquid a Dioſcoride de Ruſco, & a Galeno de Carpeſio ipſis ignoto dictum fuit, ſuis Cubebis perperam aſſignaviſſe. Miſſa igitur ampliori diſquiſitione tanquam ſupervacanea, de Cubebis, quæ in officinis hodie proſtant, diſſeramus.

Cubebæ vulgares *Off.* Cubebæ vel Quabebæ *Arabum*: vulgo *Cubebes*. Fructus ſunt ſeu grana exſiccata ſphærica, Piperi ſimilia, interdum paulo majora pediculo longo, tenuj donata, cortice e cinereo fuſco, rugoſo, interdum erugato, extenſoque, cum teſta tenuj, & fragili unicapſulari, ſemen continente ſubrotundum, foris nigricans, intus albidum; ſapore prædita ſuavi, acri, aromatico, ſed qui piperis acrimoniæ multum cedat, & copioſam ſalivam eliciente.

Cubebarum ſpecies duæ afferuntur: aliæ maturæ; aliæ immaturæ ab incolis collectæ. Immaturæ leves, rugoſæ, nucleo exiguo flaccido: maturæ æquali ſuperficie, nucleo intus diſtento; quare illis ponderoſiores. Advehuntur Java Indiæ orientalis inſula. Præſtant recentes, majores ponderoſæ.

Planta, quæ Cubebas gerit, ſarmentoſa eſt, volubilis, & ad Smilacem aſperum accedens: a Paulo Hermanno: *Cynoſura materiæ medicæ*, Curane dicitur; a nullo hactenus deſcripta.

Cubebæ oleo eſſentiali aromatico tenuj pollent, quod ex iis diſtillatione copioſum elicitur. Ideo plurimum valent in apoplexia, vertigine, paralyſi, oris fœtore, ciborum inappetentia; nimis laxatum ventriculi tonum roborant, flatus diſcutiunt, pituitam lentam, & tenacem ventriculi, cœterorumque viſcerum parietibus inhærentem attenuat, cerebri, & uteri frigidis affectibus auxiliantur. Diu cum maſtiche manſæ ſalivam movent, cerebrum roborant, & catharris medentur, venerem proritant. Cubebarum, inquit Garzias, magnus in vino maceratarum eſt uſus apud Indos, ad excitandam venerem, tum etiam in Java ad excalefaciendum ventriculum. Commendantur quoque ad aphoniam, & raucedinem. Doſis in ſubſtantia a granis iij. ad ℈j. Maceratarum in vino vel alio liquore idoneo a ʒj. ad ʒij.

Uſurpantur in Aceto Theriacali, & aliis Compoſitionibus alexiteriis.

ARTICULUS DECIMUS-QUARTUS.

De Pipere, & ſpeciebus ejus.

Piper *Latinorum*: Πεπερι *Græcorum*: Fulful, & Fulfel *Arabum*. Species eſt aromatica, omnibus ſæculis, & omnibus terris ad cibaria condienda expetita. Græcis veteribus, Arabibus neotericis cognita fuit, minus uſitata. Dioſcorides, Galenus, & alii ejus tria genera diſtinguunt; nigrum, candidum, & longum, quæ eoſdem fructus, maturitate tantum inter ſe diverſos. eſſe exiſtimarunt. Verum tres illæ ſpecies, quæ adhuc in officinis reperiuntur, fructus ſunt plantarum diverſarum, quas ſigillatim conſiderabimus.

Pi-

Piper nigrum, *Off.* Piper rotundum, *C. B. P.* 411. Fructus eſt ſeu granum exſiccatum, parvum. Piſi minoris magnitudine, rotundum, cortice rugoſo, nigro, aut fuſco, quo detracto ſubſtantia conſpicitur duriuſcula & compacta; cujus exterior orbita ex viridi flaveſcit, interior albicat, & ſcrobiculum in medio vacuum relinquit, ſapore acri, & fervido totum os, & fauces adurente. Ex Indiis orientalibus, quæ ſub Batavorum ditione ſunt, offertur. Eligatur majus, ponderoſum, & minus rugoſum.

Planta cui fructus ille adnaſcitur, dicitur Lada, aliis Molanga, ſive Piper aromaticum, *Piſon M. arom.* 180. Molagorcoddi, *Horti Malabarici*, *v.* 7. 23. Ex radice parva, fibroſa, lenta, nigricante, caules emittit ſarmentoſos; plurimos, lentos, flexiles, volubiles, virides, lignoſos, Lupuli inſtar humi procumbentes, niſi pedamentis fulciantur, geniculis pluribus diſtinctos, qui ad internodia radices agunt, ubi jacent humi. Ad ſingulos nodos folia oriuntur ſingularia, alternatim diſpoſita, & oppoſita, quinquenervia, ſubrotunda, duas treſve uncias lata, quatuor, & in mucronem deſinentia, textura craſſiori, firma, ſupina parte ex viridi fuſca, nitentia, prona vero dilute viridia; brevibus, craſſis, viridibus, & interius ſtriatis pediculis inixa. Flores racematim congeſti unico ſcapo ſeu pediculo immediate adhærent monopetali, circa extrema tripartiti: quibus ſuccedunt fructus ſeu grana nunc majora, nunc minora orbicularia, Piſi minoris magnitudine, viginti, imo triginta ſimul ipſi ſcapo ſine petiolo peculiari adnexa, initio virentia, ubi maturuerint, rubra, æquali ſuperficie; quorum cortex, dum exſiccantur, nigreſcit, & corrugatur. Racemi illi modo ex mediis ſarmentis, ea nempe parte nodorum, quæ folii pediculo oppoſita eſt, modo ex ſummis dependent: unde eſt, quod diverſitatem ſexus agricolæ illis tribuerint, hanc femellam, illam marem appellantes. Semel quotannis floret hæc planta, vel etiam bis, ſi vegetior eſt. Quarto menſe poſt flores colligantur fructus: ad maturitatem ducti decerpuntur, ſolique per ſeptem octove dies exponuntur, a quo tempore cortex nigreſcit. Naſcitur in Java, Sumatra, & per totam Malabariam. Colitur per fragmenta ramorum terræ intruſa ad radices arborum, vel appoſitis perticis, quibus adnititur more vitis.

Ex Pipere nigro decorticato fit album illud Piper arte factum, quod ſolum nobis hodie affertur. Decorticatio illa fit, Pipere in aqua marina macerato. Maceratione enim cortex exterior niger tumeſcendo dehiſcit; atque ita facillimo negotio album intus incluſum granum eximitur & exſiccatur, quod nigro multo mitius eſt, & præſtantius.

Porro non fructus ſolum acrimonia donantur, ſed tota etiam planta; nam folia tum virentia, tum ſicca, ſarmenta, & radix, dum maſticantur, linguam fauceſque urunt, & ſalivam movent.

Piper album, & Leucopiper, *Offic.* Pipere rotundum album, *C. B. P.* 413. duplex eſt: unum nativum, quod rariſſime nunc affertur; alterum factitium vulgatiſſimum, quod nihil aliud eſt quam Piper nigrum ante inſolationem decorticatum, ut diximus. Illud autem a nigro non differt niſi colore cineritico vel albicante.

In-

Inter plantam quæ fert Piper nigrum, & eam quæ candidum, nulla differentia deprehenditur: quemadmodum vitis quæ uvam fert nigram, ab ea quæ candidam, non dignoſcitur, niſi dum uvas habent, & illas quidem maturas. Plantæ vero quæ candidum ferunt, rariores ſunt, nec niſi certis Malabar, & Malacæ locis raræ quidem naſcuntur. Steph. De Flacourt in inſulæ Madagaſcar deſcriptione, quamdam Piperis albi ſpeciem ibi naſci narrat; ſed cum eam non deſcribat, eademne ſit cum noſtro Pipere planta, an ab eo diverſa, aſſerere non poſſumus.

Piper longum, & Macropiper, *Offi.* Piper longum orientale, *C. B. P.* 412. Fructus eſt immaturus exſiccatus, unciam aut ſeſqujunciam longus, nucamentorum Betulaceorum inſtar, oblongus, teres, cylindraceus, & quaſi ſpiratim oblique ſtriatus, cum tuberculis veluti reticulatim poſitis, intus vero in plures cellulas exiguas, & membranaceas una ſerie digeſtas radiatim diſtinctus, in quibus ſemen unicum ſubrotundum, vix lineam latum, foris nigricans, intus albidum continetur, ſapore acri, fervido, amaricante. Pendent autem hi juli ex pediculo gracili, unciali, alteri fini inſerto. Eligatur corpulentum, integrum, recens, linguam tarde, ſed diu commordens; rejiciatur perforatum, carioſum, vel adulteratum.

Planta dicitur Pimpilim ſive Piper longum, *Piſon Mantiſſ. Arom.* 182. Cattu Tirpali, *Morti Malabar. v.* 7. 27. A Piperis rotundi planta differt caulibus minus lignoſis, foliorum petiolis longioribus, foliis etiam longioribus, obſcurius viridibus, circa baſim inciſis, textura valde tenui, & molli, & præter coſtam mediam duobus vel tribus aliis nervis tenujoribus, utrinque eminentibus, a baſi ad acumen excurrentibus, quorum inferior arcuato ductu nervulos tranſverſos verſus marginem emittit. Floſculi ſunt monopetali, in quinque vel ſex lacinias diviſi, arctiſſime inſidentes fructibus, qui oblongo rotundi ſunt, ſpiris obliquis parallelis in ſuperficie ex diverſis partibus ſtriati, in ſpirarum interſectionibus veluti parvis, rotundis foliolis, ſcutiformibus obducti: inter ſpiras gemmæ apparent, quibus flores inſederunt, eminentes, & nigricante puncto notatæ, primo ex viridi flavæ, carne intus ex flavo albicante, deinde ex viridi fuſcæ, & maturæ ſiccæque ex cinereo nigricantes. In fructibus tranſverſim diſſectis cellulæ videntur radiatim diſpoſitæ, in quibus ſemina oblonga, & nigricantia continentur. Decerpuntur, & in uſum ſiccantur, antequam matureſcant.

Analyſi Chymica ex Piperis nigri ℔iiij. per retortam diſtillatis prodierunt liquoris phlegmatici, Piperis odore, & ſapore perfuſi, ſale urinoſo aliquantiſper impraegnati ℥viij. ʒiijß. liquoris rufeſcentis, empyreumatici, acris, & ſubacidi, qui ſalis tum acidi, tum urinoſi notas præbuit ℥xiiij. gran. xviij. ſpiritus urinoſi ℥ij. ʒv. gran. xxiiij. cum ſalis volatilis urinoſi concreti ʒj. olei eſſentialis limpidi ʒß. olei craſſioris ℥viij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥xviij. ʒv. gran. xviij. quæ per decem horas calcinata, donec nullum amplius fumum emitteret, cinerum leucophæorum ℥iij. ʒvj. gran. xxiiij. reliquit; ex quibus ſalis mere alcali fixi ℥j. ʒiij. gran. xij. extracta ſunt. Jactura partium in diſtillatione exhalatarum fuit ℔j. ℥iiij. gran. xlviij. calcina-

natione vero quantitas materiæ in fumum & flammam abeuntis fuit ℥xiiij. ʒvj. gr. xviij.

Verum Piperis nigri ℔vj. in aqua communi per ſex dies maceratæ & poſtea diſtillatæ, tum per refrigeratorium alambicem, tum per retortam, ʒiij. præbuerunt olei eſſentialis aromatici, tenujs, limpidi, flaveſcentis, Piperis odorem ſpirantis, ſaporis acris, ſed non admodum intenſi. Aqua diſtillata, cui innatabat oleum, Piperis odore perfuſæ erant & acri ſapore imbuta ob ſalem volatilem urinoſum in ea diſſolutum, & Sublimati corroſivi ſolutionem turbidam & lacteſcentem efficiebat: grana vero macerata multum de ſuo ſapore perdiderant. Unde liquet Piper ſale volatili oleoſo plurimo turgere, cui potiſſimum ejus virtutes debentur.

Vulgatiſſimus eſt apud omnes populos Piperis uſus in intinctibus & ciborum condimentis, tum ad appetitum excitandum, tum concoctionem alimentorum perficiendam. Indorum plebs adverſus diuturnum ſtomachi languorem bibit aquam, cui infuſa eſt magna Piperis copia. In eumdem uſum ex Pipere recente cum aqua fermentato ſpiritum mire igneum præparant. Piper longum atque rotundum muria aut aceto condire ſolent, & in penum ad uſum familiarem menſarumque delicias aſſervare. Ejus frequens eſt uſus menſibus pluvioſis, & in phlegmatica corporis conſtitutione.

Apud nos frequentior eſt uſus Piperis nigri, album vero ſeu excorticatum ut minus acre a delicatoribus expetitur: longum rarius ad intinctus uſurpatur, verum ad Medicos uſus reſervatur, utpote ſaporis minus grati & acrioris. Cum Piper abſolute & ſine epitheta in formulis præſcribitur, ſemper intelligitur nigrum, alias additur vel album, vel longum.

Eædem facultates in tribus Piperis ſpeciebus deprehenduntur: calefaciunt, exſiccant, attenuant, reſolvunt, aperiunt; viſcerum fibras nimis laxatas firmant, earum oſcillationem in viſceribus excitant, ſpiritus recreant, humores lentos & craſſos dividunt; ſanguinis motum augent, tum circularem, tum fermentatitium. Uſus Piperis præcipuus in frigiditate & cruditate ventriculi, colicis doloribus, & frigida cerebri intemperie. Quidam aſſerunt Piper pulveratum excalefacere, integrum vero refrigerare, ſed perperam. Revera pulvis interiori ventriculi tunicæ adhæreſcens, & in ejus rugis diu aſſervatus, in quibuſdam conſtitutionibus ardorem excitat & inflammationem hujus viſceris: quod non accidit ſi grana integra deglutiantur, licet ſuo effectu ſalutari non fruſtrentur. Conſtat enim Piper integrum cum cibis coctum aut maceratum non minus acrimoniæ illis impertiri quam tritum & tenuiſſime comminutum. Non igitur Piper integrum refrigerat, ſed calorem levem in viſceribus excitat, & multo minorem quam ejus pulvis.

Vis Piperis, annotante poſt Galenum Schrodero, valde volatilis eſt, cujus ratio ex analyſi ſatis manifeſta fit. Non igitur in medicamentis, quæ longam coctionem expoſtulant, niſi ſub finem coctionis adhiberi debet, neque etiam in Extractis uſurpari.

In febribus intermittentibus a plurimis maxime prædicatur. Grana ſeptem, octo vel novem integra vel craſſiuſcule contuſa aliquot horis ante

paroxyſmum ſumuntur : imo ipſam quartanam continuato hujus remedii uſu profligari aſſerunt . Quamquam male multis ceſſerit hoc remedium , multis tamen profuit, ſive quod vomitum provocaverit, vel uberrimos ſub finem paroxyſmi ſudores excitaverit . Saltem horrorem febrilem diſcutit , & eo conſilio ante acceſſionem Allium calidamque aquam cum Pipere laudat C. Celſus, *lib.* 3. *cap.* 12. Si vero tardius aut paroxyſmo jam inſtante aſſumantur , Ettmullerus obſervat febrilem ardorem magis intendi .

Commendatur etiam tanquam alexiterium contra venena coagulantia , vertigines , & catharros . Verum frequentior vel uberior Piperis uſus noxius eſt , cum ventriculum , inteſtina , cœteraque viſcera ad inflammationem diſponat , & æſtum in ſanguine , & humoribus omnibus accendat . Idcirco illius uſus naturis calidis & in omnibus viſcerum inflammationibus devitandus eſt . Doſis in ſubſtantia a gr. j. ad x. infuſi ad ℈j.

Externe præſcribitur in apophlegmatiſmis , gargariſmis & ſternutatoriis, ubi acri , ſubtili & ſtimulante remedio opus eſt pro incidenda lympha craſſa faucium glandulas infarciente . Sedat odontalgiam denti carioſo impoſitum , columellam tumidam appoſitum imminuit , punctorium lateris dolorem ſupra latus dolens ſtatim ineunte morbo impoſitum . Indici populi Piper longum linimentis addunt , quibus adverſus dolores artuum a frigore utuntur . In cephalalgia & dolore capitis contumaci Piper longum pulveratum & ſacculo incluſum commendatur ; vel ſuturæ coronali , vel temporibus, vel imæ cervici applicatum.

Oleum Piperis egregium habetur ſtomachicum in ventriculi frigiditate , vel fibrarum laxitate : prodeſt in colica flatulenta . Langius tres vel quatuor ejus guttas cum extracto Gentianæ in febribus quartanis ante paroxyſmum ſæpe fœlici cum ſucceſſu exhibuit : immanes febrium intermittentium horrores & rigores demulcet , modo ſpina dorſi vel ſtomachi regio hoc oleo cum oleo Laurino aut Nucis moſchatæ permixto inungantur . Idem linimentum partibus paralyticis plurimum conducit .

℞. Piperis nigri grana novem integra . Hauriantur ex hauſtu vini duabus horis ante paroxyſmum in febribus intermittentibus ; purgato prius corpore . Vel

℞. Piperis nigri craſſiuſcule triti ℈ß. ſummitatum Abſynthii P. j. Macerentur tepide in Aceti ℥iij. per noctem . Colatura propinetur , ineunte paroxyſmo .

℞. Piper. longi gr. vj. Alumin. pulver. gr. v. M. F. pulvis uvulæ relaxatæ ſeu tumidæ applicandus .

℞. Piper. longi , Succini albi ana q. ſ. Pulverata ſacculo includantur , & ſuturæ coronali imponantur in frigida capitis intemperie . Vel

℞. Piperis nigri pulver. q. l. Miſce cum albumine ovi . Fiat cataplaſma temporibus vel imæ colli vertebræ admovendum , & ſæpius repetendum in diuturno capitis dolore .

℞. Piperis nigri Caryophyll. ana q. ſ. Pulverata cum albumine ovi miſcentur ſub cataplaſmatis forma lateri dolenti applicanda , in dolore lateris punctorio .

℞. Ma-

℞. Macropiperis, Hellebori albi ana ʒj. Majoranæ ℈ß. M. F. pulvis ſternutatorius ad ſoporoſos excitandos.

℞. Piperis nigri, & Macropiperis ana ʒj. Radicis Ari, Pyrethri, Cubebar. Cardamomi ana ʒij. Sp. volatil. Salis Ammon. ℥ij. Sp. vini rectificati ℥vj. Macerentur per octo dies. Tincturæ per inclinationem ſeparatæ adde olei Succini & Lavandulæ ana ʒij. Fiat linimentum, quo membra paralytica foveantur.

Piper nigrum uſurpatur in Theriaca *Androm. ſen.* Electuar. de baccis Lauri; album in Theriaca, Mithridatio, Diaphœnico, Hiera Diacolocynthidos: longum vero in Theriaca etiam, Mithridatio, Diaſcordio, & Benedicta laxativa.

Aliud Piperis genus habetur, quod Æthiopicum ſive Piper nigrorum & Granum Zelim vocat Serapio: & dicitur Piper Æthiopicum *Matthioli*, Amomum officinar. nonnullarum, & longa Vita *Lobel.* Piper Æthiopicum ſiliquoſum, *J. B.* Sub hoc nomine in officinis quibuſdam reperiuntur ſiliquæ plures ex uno tuberculo pendentes, unciarum duarum, trium, quatuorve longitudine, rotundæ, pennæ anſerinæ craſſitudine, nigricantes, incurvæ aliquantulum, thorulis pro contentorum ſeminum numero diſtinctæ, alioqui etiam rugoſæ, fibris longis, lentis, fractuque contumacibus conteſtæ, quarum interior ſubſtantia ex rubro nonnihil eſt cinerea. Semina diſtinctis comprehenduntur loculis, (carnoſo pariete unumquemque diſtinguente loculum) ex rotundo oblonga, difficulter e ſiliqua avellenda, magnitudine minimi phaſeoli, foris nigra & nitida, materia duriuſcula, ruſeſcente, teſtura cancellata, favos apum imitata. Sapor tam ſiliquæ, quam ſeminum, ad Piperis nigri ſaporem accedit. Naſcitur in Æthiopia, unde nomen invenit apud Arabes. Eo utuntur Æthiopes ad dentium dolores.

Piperis quoque nomine inſignitur fructus, ſeu bacca aromatica quædam ex inſula Jamaica aliquot abhinc annis allata, & apud Anglos ad intinctus uſitatiſſima, licet a Piperis ſpeciebus ſupradictis prorſus diverſa.

Dicitur Pimenta *Officinarum Anglicarum*: Piper Jamaicenſe quibuſdam *Dale Pharmacol.* 421. Piper odoratum, Jamaicenſe noſtratibus *Raii Hiſtor.* 1507. Cocculi Indici aromatici *Muſæi Reg. Soc. Lond.* 1218. Amomum quorumdam *Cluſ. Exot.* 171. Amomum quorumdam odore Caryophylli *J. B. T.* 2. 194. Caryophyllus aromaticus fructu rotundo, Caryophyllon Plinii, *C. B. P.* 411. Xocoxochitl, ſive Piper Tavaſci *Hernandez* 30. Piper Chiapæ *Redi*: Piper *Theveti*: vulgo *Poivre de la Jamaique*, *Poivre de Thevet*, *Amomi*, *Toutes Epices*. Fructus eſt immaturus, exſiccatus, orbicularis, Piperis grano plerumque major, cortice fuſco, rugoſo, umbilico ſeu corolla ſummo tenus præditus quadripartito, duos continens nucleos nigros, atro-virente membrana tectos, qui intergerino pariete diſpeſcuntur; ſapore acriuſculo, aromatico, ad Caryophyllos accedente.

Arbor dicitur Myrtus arborea aromatica, foliis Laurinis latioribus & ſubrotundis, *Sloane catalog. Pl. Jam.* Caryophyllus aromaticus Americanus, Lauri acuminatis foliis, fructu orbiculari, *Plukn. phitogragh.* 155. Myrtus arboreſcens Citri foliis glabris, fructu racemoſo, Caryophylli ſapore, *Plumer. Botanici Americani mſſ.* Nuces noſtras Europæanas inter-

dum magnitudine ſuperat , ſi læto pinguique enaſcantur ſolo . At quia ſiccis potiſſimum gaudet ſylvis , arbor fit mediocris magnitudinis . Frondoſa eſt , ramoſa , patula : ut plurimum caudice recto & alto aſſurgit , ligni duri , ponderoſi , e rubro primum nigricantis , dein diuturnitate penitus nigri , Ebeni inſtar , evadentis ; quod de meditullio intelligendum : nam multo pollet alburno candicante , corticeque veſtitur glaberrimo , tenuj , & in laminas quandoque abeunte . Totius arboris aſpectus tum propter ramorum diſpoſitionem , tum propter foliorum elegantiam , maxime compoſitus.

Folia etenim lævore & virore gratiſſimo ſpectanda ſe præbent : bina ſemper & oppoſita enaſcuntur ad ſingulos ramorum nodos , diverſarum magnitudinum , quorum ampliſſima quatuor aut quinque vel ſex uncias longa ſunt , duas , tres quatuorve lata , ſoleæ aut linguæ forma donata , ſolida , glabra , nitentia , ſature virentia , venulis vix conſpicuis obliquis & parallelis deſcripta , pediculis uncialibus inſidentia : at in ipſis odor & ſapor potiſſimum præſtant cum quadam adſtrictione & amaritudine non ingrata (Cinnamomum & Caryophyllum aromaticum diceres) . Surculorum extrema ſeu ſummitates in multos unciam longos pediculos faceſſunt , totidem flores ſuſtinentes , parvos , ex quinque foliis candidis , ſubrotundis , concavis , & in orbem poſitis conſtantes , ex quorum calyce ſurgit piſtillum acuminatum & ſtaminulis etiam candidis ſtipatum . Floribus ſuccedunt baccæ multæ coronatæ ſeu umbilicatæ , initio parvæ , vireſcentes , poſtea per maturitatem baccis juniperinis majores , nigræ , glabræ & ſplendentes , in quibus continetur pulpa humida , ſubviridis , acris & aromatica , cum duobus plerumque in medio ſeminibus amplis , membrana intergerina diſcretis , globulum una efficientibus , cum utrumque hemiſphæricum ſit . Hinc Cluſius unum ei ſemen tribuit in duas partes diviſibile . In Antillanis inſulis naſcitur . Hanc arborem in San-Cruciana , San-Dominicana & Granadinis Plumerius obſervavit . Sed in montoſis ſylvis inſulæ Jamaicæ ubique creſcit , præſertim locis ſeptentrionalibus . Ibi , inquit D. Sloane , variat foliis latioribus & anguſtioribus , quæ an ſpecies diſtinctæ ſint , an vero ſolum varietates , non audet determinare , cum fructum arboris folio latiore non viderit . Hæc ſpecies P. Plumerii ab ea quæ a D. Sloane deſcripta eſt , differt folio latiore.

Incolæ arbores nonnullas conſcendunt : alias cædunt , dejiciunt ; & ſurculos avellunt fructibus immaturis viridibus onuſtos , qui poſtea a virgulis , foliis & baccis maturis diligenter purgantur , deinde ſupra pannos extenſi ſolis radiis exponuntur ab ortu ad occaſum uſque per multos dies , cavendo ne rorem matutinum aut veſpertinum bibant : ſic ſiccæ & rugoſæ evadunt , & a viridi in colorem fuſcum mutatæ mercatui idoneæ fiunt.

Ex optimis quæ in vulgari uſu ſunt apud Anglos , aromatibus habetur hæc bacca : & a ſapore grato plurium ſpecierum ſimul Omnia Aromata apud Anglos dicitur ; Caryophylli enim aromatici , Cinnamomi & Piperis ſaporem , ſed mitiorem refert.

Ille fructus per veſicam diſtillatus oleum eſſentiale odore gratum reddit , quod in aqua fundum petit.

In

In ciborum condimentis uſurpatur. Ventriculum roborat, ciborum concoctionem juvat, ſpiritus recreat, & ſanguinis motum adauget.

Chirurgi Americani foliis frequenter utuntur in balnei, pro hydropicorum cruribus, & paralyticorum membris fovendis.

ARTICULUS DECIMUS-QUINTUS.

De Caryophyllis aromaticis, Antophyllis, & Caryophyllo regio.

DE Caryophyllis apud Theophraſtum, Dioſcoridem & Galenum nulla mentio reperitur; tametſi Serapio de Caryophyllis agens Galeni auctoritatem afferat, ſed perperam. Eorum quidem Plinius videtur meminiſſe, cum *lib.* 12. *cap.* 15. ſcribat: „ Eſt etiamnum in India Piperis „ granis ſimile, quod vocant Garyophyllon, grandius, fragiliuſque „. Sed multa cum ratione peritiores critici dubitant, num ſit idem cum noſtris Caryophyllis, quandoquidem neque grana ſunt, neque Piperis ſimilia; ſed potius Garyophyllon Plinii Cubebas officinarum eſſe ſuſpicantur.

Paulus Ægineta primus de Caryophyllo loquitur, tum in obſoniis, tum in medicamentis uſitato. Nec Arabibus illud aroma ignotum fuit.

Caryophylli aromatici, *Off.* Καρυοφύλλον *Pauli Æginetæ*: Carunfel *Serapionis*: Gallice *Gerofles*, *Clous de Gerofles*. Fructus ſunt immaturi, exſiccati, ſemiunciam circiter longi, inſtar clavi, quaſi quadranguli, rugoſi, ex rubigine nigricantes, quatuor in ſummo ſtellatim decuſſatis apiculis donati, quorum medio capitellum Piſi parvi magnitudine inſidet e foliolis ſquamatim implicatis contextum, quibuspatentibus fibræ quamplurimæ apparent rufeſcentes, & inter has ex cavitate quadrangula ſtylus rectus ejuſdem coloris: quod tamen capitellum non in omnibus conſpicitur, quippe quod in tanto itinere facile atteratur; ſaporis acris amaricantis & grati, odoris fragrantiſſimi.

Probantur Caryophylli nigriores, graviores, pinguiores, fauces pene deurentes, cum odore eximio, oleoſam quamdam humiditatem premendo exhibentes.

Arbor dicitur Caryophyllus aromaticus fructu oblongo, *C. B. P.* 410. Tshinka, *Piſonis Mantis. arom.* 177. Lauri formam & magnitudinem obtinet, caudice ſeſquipedem craſſo, brachiato, valido, cum cortice Oleæ ſimili. Ramuli patuli ſunt, dilute rufeſcentes, & folia proferunt denſa: alterno ſitu poſita, Lauri foliorum forma, palmum longa, ſeſquiunciam lata, nitida, glabra, utrinque acuta, oris quodammodo ſinuoſis, pediculo unciali inſidentia, qui in nervum medium abit, ex quo exiliores fibræ oblique ad oras producuntur. Flores in ſummis ramulis oriuntur veluti in muſcarium digeſti, roſacei, tetrapetali, cærulei, fragrantiſſimi: quodlibet petalum eſt rotundum, acuminatum, tribus venis candidis diſtinguitur: horum medium tenet numeroſa ſtaminum purpuraſcentium congeries cum apicibus ſuis. Calyx florum ſemiunciam longus, teres ſeſquilineam aut duas lineas craſſus, in ſummo quadripartitus, fuliginoſi coloris, ſaporis acris, jucundi, & valde aromatici, qui marcido flore abit in fructum ovatum ſeu olivari fori forma, um-

umbilicatum, unicapſularem, rubicundo primum colore, poſtea nigricante, in quo continetur nucleus oblongus, durus, nigricans, ſulco in longum ex una parte excavatus. Fructus maturus Antophyllus appellatur in officinis: Indis Mater fructuum dicitur, Gallis *Clou matrice*, quia in arbore remanens inſequente anno ſponte cadit; iſque, langueſcente licet vi aromatica, in pretio habetur & plantationi dicatur. Terræ enim gremio commiſſus germinat, atque intra octo vel novem annos juſtæ magnitudinis arbor facta fructum proferre ſolet.

Leguntur Caryophylli, florum nempe calyces fructuumque embryones, antequam flores expandantur, a menſe ſcilicet Octobri ad Februarium uſque, & quidem leguntur partim manibus, partim arudine longa aut flagellis decutiuntur. Decidentes autem excipiuntur vel linteis arboribus ſubſtratis, vel ſolo ipſo, a quo meſſis illius tempore herbam omnem ſtudioſiſſime reſcindere ſolent. Recens lecti rufi ſunt, & leviter nigricantes: nigri vero evadunt inſolatione & fumigatione. Nam per aliquot dies cratibus impoſiti fumo exponuntur, tandem in ſole extreme ſiccantur. Sicque præparati per univerſum orbem a Batavis tranſvehuntur.

Naſcitur arbor Caryophyllos ferens in inſulis Moluccenſibus juxta Æquatorem ſitis: ſed ſumma cura a Batavis in inſula Ternata colitur.

Caryophylli recentes oleum expreſſione fundunt ſpiſſum, rufeſcens & fragrans: diſtillatione vero prodit oleum eſſentiale aromaticum copioſum, primo limpidum, & flaveſcens, deinde rufeſcens, grave, quod aquæ fundum petit; tandem oleum empyreumaticum, craſſum cum liquore acido. Ex capite mortuo calcinato ſalis fixi ſalſi nonnihil lixivio elicitur.

Præcipuus Caryophyllorum uſus culinaris eſt: adeo autem expetuntur, & placent, ut ſine Caryophyllis dapes fere deſpiciantur. Omnibus propemodum ferculis, intinctibus, vinis aut ſpirituoſis liquoribus potulentis aromaticis admiſcentur. Inter odoramenta quoque uſurpantur.

Medici vim calefaciendi & exſiccandi illis tribuunt. Adverſus omnes cerebri frigidos affectus, vertiginem, viſus debilitatem, cephalalgiam, lypothymiam, cordis palpitationem, ventriculi imbecillitatem, impotentiam veneream, menſium ſuppreſſionem, hyſtericos affectus commendantur. Aeris contagio reſiſtunt ſive ſuffimento, ſive eſu. Doſis in ſubſtantia a gr. iij. ad ℈j. in infuſo a ʒß. ad ʒij. Externe uſurpantur in ſacculis & ſcutis ventriculo dicatis, tum ad vomitum compeſcendum, tum ad ventriculi dolores a cauſa frigida. Quidam pulvere Caryophyllorum caput ſpargunt contra capitis dolores & gravedines. In ore diu maſticati ſalivam utiliter movent in catharroſis cerebri affectibus, & linguæ paralyſi.

Ex Caryophyllis oleum eſſentiale vel per deſcenſum, vel per alambicem diſtillatur; quod non ſolum ad eadem valet, ſed etiam ad cariem oſſium, & odontalgiam. Eo poſterior, & ima pars capitis in apoplexia inungitur. Idem oleum goſſypio exceptum, & carioſo denti cavo immiſſum dolorem ſedat. Doſis olei intus ſumpti eſt guttæ unius aut alterius.

℞. Caryophyllorum ℈j. Cinnamomi ℈j. Nucis moſchatæ gr. xv. Sac-

chari

chari ʒjß. M. F. pulvis ſtomachicus in cruditatibus, ventriculi flatibus, vomituritionibus, ex vino rubro ſumendus.

♃. Caryophyllorum, Nucis moſch. Cinnamomi ana ʒij. Macis, ſeminum Carvi, Fœniculi, ſummitatum Abſynthii ana ʒj. M. F. pulvis craſſus. Sacculo includatur, & vino rubro vel Canarino calido immerſus ſtatim ventriculi regioni admoveatur, ad ciborum concoctionem juvandam, vomitumque ſedandum: vel capiti applicetur in catharris & frigida cerebri intemperie.

♃. Rad. Angelicæ exſiccatæ ʒij. Caryophyllor. Nuc. moſch. Macis ana ʒj. Iridis Florentinæ, florum Lavandulæ ana ʒjß. Styracis calamitæ, Oliban. ſuccini ana ʒj. Fiat pulvis craſſiuſculus, qui bombace exceptus, & panno ſericeo interſutus, formetur ut artis eſt pro cucupha, quæ ſingulis noctibus fumo ſuccini, & maſtiches ſuper prunas conjectorum calefacta, ſuper caput geſtetur, in affectibus capitis humidis pituitoſis, & in doloribus diuturnis catarrhalibus & frigidis.

♃. Olei Caryophyllor. gutt. ij. Olei Cinnamom. gutt. viij. Tincturæ Ambræ gutt. j. Sacchari cryſtall. in tenuiſſimum pollinem redacti ℥ß. M. Pulvis in vaſe vitreo accurate clauſo ſervetur ad uſum. Doſis ʒj. in vino rubro vel Hiſpanico ſoluta, ad ventriculum imbecillem roborandum & ciborum concoctionem juvandam.

♃. Olei Caryophyllor. Roriſmar. & Salviæ ana ℈j. olei Nucis moſchat. per expreſſ. & ol. Palmæ ana ʒjß. M. F. linimentum quo inungantur membra paralytica, & catharris affecta; caput in affectibus frigidis pituitoſis, & catharroſis, in hebetudine mentis, & affectionibus ſoporoſis; ventriculi regio in dyſpepſia, doloribus flatulentis.

Caryophylli uſurpantur in Pulvere contra abortum *Charas*, Pulvere dyſenterico *Ejuſdem*, Electuar. Orvietano *Hoffmann.* Benedicta laxativa, Opiata *Salomonis*, Tabellis magnanimitatis: oleum vero in Electuar. Diaſatyrio *Charas*, Balſamo apoplectico *Ejuſdem*, & Balſamo vulnerario Metenſium *Schroderi*.

Anthophylli raro in officinis occurrunt. A Batavis recentes ſaccharo condiri ſolent, & in diuturnis maritimis peregrinationibus poſt paſtum comeduntur, ad ciborum concoctionem perficiendam, & ſcorbutum præcavendum.

De alia Caryophylli ſpecie mentio eſt apud auctores, quæ rariſſime in officinis reperitur. Dicitur Caryophyllus ramoſus vel dentatus *Joh. Bodæi a ſtapel*: Caryophyllus ſpicatus, Indis Tshinka-Popoua *Piſonis Mantiſs. arom.* 179. Caryophyllus regius *Wormii muſ.* 203. Parvæ ſpicæ ſpecies eſt, magnitudine, colore, odore & ſapore Caryophyllum æmulans, non capitata, non ſtellata, ſed ab infima ad ſupremam partem quaſi ſecta in multas particulas aut ſquamulas, & in acutum deſinens.

Batavis Caryophyllus regius dicitur, quia Moluccenſibus Regulis, & magnatibus ad ſuperſtitionem uſque in pretio eſt, non tam ob guſtum & fragrantiam, quam ob ſingularem formam, imo raritatem ſummam. Hactenus enim ullam præter unam aut alteram arborem negant repertam, & quidem in ſola inſula Makian.

Raius & Hermannus has arbores a vulgaribus Caryophylliferis non ſpecie differre putant, ſed eſſe ludentis naturæ producta, & ad monſtroſorum vegetabilium ordinem pertinere.

Indi hos Caryophyllos per longitudinem filo trajicere ſolent, ut armillarum loco ob odoris gratiam in brachiis geſtentur.

ARTICULUS DECIMUS-SEXTUS.

De Anacardiis.

ANacardium, *Off.* Ἀνακάρδιον *Pauli Æginetæ* & *Actuarii*: Baladar *Serapionis*: vulgo *Anacarde*. Fructus eſt vel potius nucleus compreſſus, aviculæ cordis figura, nigricans, ſplendens, unciam circiter longus, in obtuſum mucronem deſinens, ex pediculo rugoſo totam baſim occupante appenſus, includens ſub duplici involucro corticoſo & duro, nucleum albicantem, ſubdulci Amygdalæ vel Caſtaneæ ſapore; & inter involucri duplicaturam in fungoſæ cujuſdam ſubſtantiæ vel diploes cavernulis, ſubnigra melligo ſaporis acris & exurentis continetur. Ex Indiis orientalibus affertur: veteribus Græcis ignotum fuit.

Anacardia deligenda ſunt recentia, nigerrima, ponderoſa, candidum nucleum & copioſiorem ac fluidiorem liquorem habentia.

(R. P. Georgius Camelli S. J. in Syllabo ſtirpium in inſula Luzone naſcentium a J. Raio edito, tres Anacardii arboris ſpecies recenſet: primum & minimum *Ligas* dictum: alterum, ſeu medium quod legitimum officinarum Anacardium: tertium quod *Cajou* vel *Acajou* nuncupatur, de quo poſtea.

Primum ſeu *Ligas* arbor eſt mediocris, ſylveſtris, montana, cujus teneriores apices lac fundunt, quod manibus aut faciei aſperſum pruritum primo, mox tumorem cauſat. Folium ſpithamæum eſt & majus, atrovirens, aſperum & ferme exſuccum. Flores puſilli, candidi, ſtellati, in ſummitatibus racematim congeſti. Fructus magnitudine Aceris ex croceo rubent, & poma auſtera ſapiunt, quibus oſſiculum nigrum, leve, ſplendicans, atque fructu longius ſuperinſidet; cujus nucleus cum modica adſtrictione & levi morſicatione, fauces maſticatus caſtigat.

Alterum ſeu medium & legitimum Anacardium, *Off.* Anacardium orientale *Jonſ. Dendr.* 156. Arbor Indica fructu conoide, cortice pulvinato nucleum unicum nullo oſſiculo tectum claudente, *Raii Hiſtor.* 2. 1566. Balador vel Baladur *Arabibus*: *Indis* Bibo: Faba de Malaca *Luſitanis*. Arbor eſt præcelſa, erecta & ſpecioſa, altitudine 70. craſſitie vero 16. circiter pedum menſuram æquans, fluviis gaudens, multiſque ramis cinereis, longe lateque in orbem diffuſis donata. Lignum albicans, cortice munitur cinereo. Radix fibrata, rubicunda, ruſo cortice tecta, inodora, mucilaginoſa, ſaporiſque ſubſalſi. Folia magna, quandoque tricubitalia, oblongo-ovata, brevibus petiolis circa ramos proveniunt, roſæ modo in ſummo diſpoſita, craſſa, denſa, aſpera, glabra, nitentia, ſuperne viridia, inferne ſubcinerea, inodora, inſi-

inſipida. Flores racematim proveniunt exigui, albicantes, ſuaveolentes ſtellati, prælongis & violaceis e caudice protuberantibus ſcapis ſeu pedamentis hærentes, calyci viridi in quinque lacinias acuminatas ſecto inſidentes, quinque oblongo-rotundis, acuminatis, luteis atque in ambitu albicantibus petalis conſtantes; inter quæ totidem albicantia, bifidis apicibus ornata ſtaminula intercedunt, medium occupante exiguo ſtylo candido. Floribus deciduis ſuccedunt fructus oblongi, ovo gallinaceo paulo minores, exoſſes, edules, primum rubicundi, dein ex atro-purpuraſcentes deforis; interne primum flaveſcentes, mox ex cæruleo rubeſcentes, ſaporis auſteri, cum oſſe ſeu nucleo cordiformi prominente & coronamenti loco ſuperincreſcente, primum viridi, dein rubente, tandem nigricante. In Indiis orientalibus, Malabara, & Philippinenſibus inſulis naſcitur.)

Teneros hujus arboris apices Indi decoctos comedunt. Anacardia ſeu potius Anacardiorum nuclei edules ſunt, nec palato ingrati: Piſtaciorum enim, Amygdalarum, & Caſtanearum ſaporem recentes referunt. Ab indigenis in eduliis expetuntur, rejectis putaminibus, quæ torrefactione ſub cineribus facile ſeparantur. Fructus tam virides & ſale conditi, tum maturi cum ſaccharo inter cibaria apponuntur.

Anacardii nucleum Amygdalinum prorſus innoxium eſſe aſſerit idem Camelli, & vim cauſticam & deleteriam, quæ a multis huic tribuitur, pendere tantummodo a mellagine in corticis cavernulis deliteſcente. Ea Indi pro cauſtico utuntur. Condylomatis, & aliis excreſcentiis carnoſis conſumendis, ſtrumis, verrucis, lichenibus extirpandis, illinitur: beſtiarum ulceribus mundificandis inſervit: in cavum & putridum dentem inſtillata, frangit, urit, & conſumit facile; eadem cum calce viva ad bombycinos pannos obſignandos, aliaſque res quaslibet notandas, adhibetur: etenim notam adeo firmam imprimit, ut nulla lotione eximi queat. Ex immaturis Anacardiorum fructibus, una cum Anacardiis contuſis addito lixivio & aceto, elegans paratur atramentum ſcriptorium.

Ab hoc ſucco melleo, inquit idem Camelli poſt Serapionem, tota vis, quæ illis nucleis a Medicis tribuitur, pendet, ſcilicet memoriæ jacturam reſarciendi, ſenſus labantes revocandi, mentem exacuendi, nervorum & cerebri affectibus quos frigida cauſa attulerit auxiliandi, ſanguinem ſpiſſiorem attenuandi, ſenſus omnes, apprehenſionem, intellectum & memoriam juvandi.

Inter Medicos nonnulli Anacardiorum uſum prorſus condemnant, utpote quæ partes exulcerant, ſanguinem inflammant, humoreſque accendunt. C. Hoffmannus non admittit Anacardia quovis modo præparata pro uſu interno: imo damnat penitus confectionem anacardinam, quam, non confectionem ſapientum, ut quidam eam nuncupant, ſed confectionem ſtultorum vocitat; quandoquidem quoſdam novit ab ejus uſu maniacos factos. Interim tamen hiſtoriam narrat ſane mirabilem de quodam, qui cum antea ſtupidus & ignarus fuiſſet, indociliſque, a ſumpto electuario anacardio intra paucos menſes eo doctrinæ provectus eſt, ut Juriſconſultus factus ad profeſſoris munus aſpiraverit: ſed poſtea intra paucos annos ita exſiccatus eſt, ut, cum perpetua ſiti premeretur, quotidie

die ad ebrietatem uſque biberet, itaque & ſibi & ſuis inutilis factus tandem miſer perierit.

Quidam in morbis frigidis hujus medicamenti uſu febres excitare auſi ſunt, quos idem C. Hoffmannus condemnat.

Anacardiorum melligo externe ſerpiginem, morphæam, impetiginem illitu tollit; ſed non multo poſt pars aqua abluenda.

Arabes mel anacardinum & confectionem anacardinam præparabant, quæ hodie prorſus exoleverunt, ob earum facultates ſi non deleterias, ſaltem parum utiles aut incertas.

ARTICULUS DECIMUS-SEPTIMUS.

De Nuce Cajous, vel Acajous dicta.

CAjous & Acajous, *Off.* Anacardium occidentale, *Quorumdam*: vulgo *Noix d'Acajou.* Fructus eſt vel potius nucleus reniformis, Caſtaneæ magnitudinem æquans, tectus cortice cinereo vel fuſco, lineam circiter craſſo, quaſi ex duplici membrana conſtans & quadam intermedia ſubſtantia, fungoſa, aut diploe, quæ mellaginem in ſuis cellulis continet ruſeſcentem, acrem & mordicantem, ita ut cuti etiam leviter illita ignis modo urat, & ſi quis incautus dentibus mordeat, ita labia & linguam exurit, ut magno dolore afficiatur. Nucleus ſub hoc cortice latens renis quoque figuram habet, ſubſtantia alba, Amygdalæ dulcis ſapore & conſiſtentia; cuticula flava veſtitus, quæ ſeparanda eſt.

Arbor dicitur Acajou, *Theveti Franciæ Antartic.* 120. *J. R. H.* Anacardii alia ſpecies, *C. B. P.* 512. Cajous, *J. B. T. I.* 336. Arbor Acajou, vulgo Cajou, *Piſon. Mantiſſ. Arom.* 193. Acajaiba, *Marcgrav.* 94. Kapa-Mava, *H. Malab. T.* 3. 65. (Anacardium occidentale Cajous dictum, oſſiculo renis leporis figura, *Herm. H. L. B.* 36. Pomifera, ſeu potius Prunifera Indica, nuce reniformi ſummo pomo innaſcente, Cajous dicta, *Raii Hiſt.* 2. 1694. Anacardium occidentale, *Jonſ. Dendr.* 156.) Non ſolum in Inſulis Americanis, ſed etiam in Braſilia & in Indiis naſcitur. Pro diverſa cœli & ſoli natura altius aſſurgit. In Braſilia enim Fagorum altitudinem æquat, afferente Marcgravio, licet in Malabara & Inſulis Americanis mediocris ſit magnitudinis. Sic autem R. P. Plumerius Botanicus Regius, *in ſuo Botanico Americano*, eam deſcribit.

Arbor eſt Pomi noſtratis fere magnitudine, multum ramoſa multumque folioſa, cortice veſtita cinereo & rugoſo. Folia ejus ſunt obrotunda, quinque pollices fere longa, tres vero circiter lata, pediculo brevi adnixa, glabra, pergamacea, ſupra & infra læte virentia, nervo tandem & coſtis parallelis donata. In ſummitate ramorum plurimi enaſcuntur ramuſculi floribus onuſti parvis, & quaſi in umbellas diſpoſitis, (quorum calyx quinquepartitus eſt, laciniis erectis, lanceolatis, acuminatis; flos vero veluti infundibuliformis ex quinque petalis componitur lanceolatis, partim rubicundis, partim virentibus, reflexis, & calyce longioribus.

bus. Stamina decem capillaria, longitudine corollæ, antheris parvis donata ſtipant piſtillum cujus germen ſubrotundum : ſtylus ſubulatus, inflexus, longitudine corollæ, ſtigma acutum. Receptaculum fructus carnoſum eſt, ovato-turbinatum, ovo anſerino paulo majus aut ſaltem æquale, cortice tenui veſtitum, leviſſimo & ſplendenti, modo purpureo, modo luteo, modo ex utroque commixto. Caro interior candida & multum ſuccoſa, guſtu ſubdulci, ſed pauliſper auſtero. Receptaculum hoc pedunculo appendet pollice paulo longiori, atque ad apicem geſtat nucem reniformem pollicis manus dimidium vix ſuperantem, deforis glabram & e viridi-obſcuro cineream.) Cortex ejus craſſus & veluti geminatus ad formam diploidis cranii, & intus plenus ſucco ſeu oleo ſumme cauſtico & ſature croceo. Semen autem ſeu nucleus contentus etiam reniformis eſt, candidus, cuticula tenuj & ſubalbida veſtitus, ac Piſtaciam ſapore maxime referens. Fructus gravem ex ſe ſpirat odorem; tantaque ejus eſt aſperitas, ut niſi ſucco, quo ſcatet, inter comedendum redderetur dulcior, vix edulis eſſet.

Arbor aut conciſa, aut etiam ſponte ſua gummi fundit copioſum, ruſeſcens, translucidum & ſolidum. Aqua delibutum, gummi Arabici inſtar, liqueſcit & optimi glutinis vices ſupplet.

Ex fructibus ſeu pomis ſuccus exprimitur, qui debito modo fermentatus vinoſus fit & inebrians. Urinas egregie movet : ſpiritus ardens generoſus ex eo elicitur. Vetus citius inebriat quam recens, optimumque acetum ex eo conficitur. Nuclei fructibus avidius ab Indis expetuntur. Non ſolummodo gratum præbent nutrimentum, ſed etiam ad venerem ſtimulandam commendantur. Melligo quam geminus cortex continet, ferrugineo colore linteamina maculat, qui difficulter admodum elui poteſt. Ex ea copioſum indigenæ eliciunt oleum, quod pictoribus ad linteamina quævis indelebili nigricante colore pingenda in uſu eſt; eodemque oleo ſi lignum inungatur, a putredine præſervatur. Inſuper acri illo ſucco nihil præſtantius eſſe ferunt ad lichenes, impetigines, ſcabiem, vermiculos necandos, &c. exterius illito. Reipſa mulieres plurimæ faciei lentigines ſeu maculas fulvas hujus ſucci ope auferre ſolent; cutim enim hac macula fœdatam corrodit & exulcerat, cui nova & bene colorata cutis ſuccedit. Sed obſervandum eſt hujus ſucci applicationem damnoſam ſæpe eſſe, dum menſtrua fluunt, tunc enim temporis eryſipelata per totam faciem excitata obſervavi. Ab eo igitur remedio virgines & mulieres menſtruatæ abſtineant.

Braſilienſes annos ætatis ſuæ per hos nucleos computabant, ſingulis annis unam recondentes.

ARTICULUS DECIMUS-OCTAVUS.

De Nuce Ben.

NUx Ben, Balanus Myrepſica, & Glans unguentaria, *Offic.* Βάλανος μυρεψικὴ *Dioſcoridis* : μυροβάλανος & Βάλανος αἰγυπτία, *Græcor. nonnullorum* :

rum : Myrobalanum , & Glans Ægyptia , *Plinii* ; Ben *Arabum* : vulgo *Ben*. Nucula eſt Avellanæ magnitudine , figura nunc oblonga , nunc ſubrotunda , triquetra , putamine tecta albicante , mediocriter craſſo fragili ; cui nucleus ſubeſt craſſiuſcula , fungoſa pellicula nivei coloris obductus , Avellanæ , aut Amygdalæ conſiſtentia , pinguis , ſapore amaro præditur. Probatur recens , plena , candida , quæque facile cortice ſpoliatur . Ex Ægypto affertur .

Nux Ben veteribus Græcis innotuit, licet Theophraſtus pronuntiet ipſum fructum inutilem , & unguentarios fructus corticibus uti propter odoris jucunditatem . Quod poſt Theophraſtum Plinius quoque aſſerit . „ Unguentarii , inquit , tantum cortice premunt , Medici nucleos tundunt , affuſa eis paulatim aqua calida . „ Quæ quidem verba de eorum Balano Myrepſica dubium moverent , niſi Dioſcorides de ea ſcripſiſſet , interiorem partem ſeu nucleum Amygdalarum amararum more tritam preſſamque liquorem reddere , quo ad pretioſa unguenta pro oleo utuntur . Et reipſa cortex ſiccus eſt , exſuccus , & inodorus ; nucleus vero ſolus pinguis oleum fundit limpidum , inodorum , quodque per longum tempus aſſervatum nunquam fit rancidum , unde ab aromatariis hodie etiam plurimum expetitur ad florum odores excipiendos , & ſervandos , ut poſtea dicemus .

Meſue duplex hujus Nucis genus conſtituit, magnum, & parvum. Parvum noſtrum eſt , de quo nunc ; magnum vero fructus eſt arboris Mouringon , *H. Mal.*

Nullam abſolutam arboris , quæ hunc fructum profert habemus deſcriptionem . Bellonius qui eam prope Arabiæ montem *Pharagon* dictum in itinere a Cairo ad montem Sinai vidit , dicit illam referre Betulam tum magnitudine , tum ramis ſimilibus , tum trunco albo . Tobias Aldinus arbuſculam in Horto Farneſiano natam deſcribit , ſed abſque floribus , & fructibus . Joannes Bauhinus fructuum deſcriptionem affert , florum vero nullam habemus.

Itaque Glans unguentaria , *C. B. P.* Balanus Myrepſica , *Horti Farneſiani* 72. duplici foliorum genere , ut cum Aldino loquar , donatur ; uno vere folioſo ; altero vero ramoſo . Ramoſum folium a parte qua ſtoloni hæret , conſtat ex virgula una lenta , flexibili , rotunda ac tenuiſſima veluti junco parvo , vel Geniſtæ ramo , ſed dimidio tenuiori , cubitum ſuperante longitudine , & in ſummo magis tenui , & acuminata . Ab hac prodeunt alati rami ſeu aliæ tenues virgæ ſimiles , palmo longiores , valde inter ſe diſtantes , binæ tamen ſemper , & ordinatæ , quatuor aut quinque conjugationes pro ſingulis foliis ; quæ pariter deſinunt in capillaceum acumen : hoc totum eſt ramoſum folium . At his ramuſculis plurima inſunt foliola raris geniculis orta , ſed binario ſemper numero , magnitudine inæqualia, atque etiam forma ; foliola enim in ſurculis ima rotundiore cuſpide ſunt , Heliotropii foliorum inſtar media acutiora , & myrtinis ſimiliora: ſumma minora , & anguſtiora , ad Polygoni folia accedentia ; omnia hyeme decidua . Quamvis enim foliola primo per ſe decidant, totum tamen ramoſum folium deinde cadit : & ideo ab Alpino folium quoque dicitur ; ſi enim ramus eſſet , inquit , non decideret . Radix ejus craſſa eſt, Napi quodammodo ſimilitudine , ab extra nigra , paucis radiculis . Fructus , ſecundum Bauhinum , ſiliqua eſt palmum longa, carinu-

la bifori conflata , teres, gracilis , biniſque loculis ventricoſa, nempe ima mediante ſui parte qua protuberat , glandem ſingulam ſingulo claudens , ſumma vero acutum mucronem ſeu ſtylum , roſtri inſtar, protendit: intus ſubrufo colore, foris pullo, cinerove, & ſecundum longitudinem ſtriis rugiſque exarata, coriacea tota, flexilis , & corticoſa , inſipida, ſubadſtringens, & ſicca. In ſingulis loculis glans ſingula deliteſcit, Avellanæ minoris magnitudine, triquetra, includens ſub putamine corticoſo , & pellicula candida, fungoſa nucleum triquetrum, pinguem, albidum, ſaporis ſubacris, amari, nauſeoſi, & oleoſi.

Analyſi Chymica , ex Nucum Ben cum putaminibus ℔v. ſeparatis putaminum ℔ij. extractæ ſunt nucleorum ℔iij. ex quibus leviter contuſis , & per B. V. diſtillatis prodierunt phlegmatis inſipidi inodori ℥v. ʒiijß. in quo tamen ſalis urinoſi tantillum deliteſcebat , quandoquidem Mercurii ſublimati corroſivi ſolutionem turbidam effecit. Materia in cucurbita ſuperſtes pendebat ℥xlj. ʒvij. ex qua per retortam diſtillaverunt liquoris limpidi flaveſcentis, odore empyreumatico , ſapore ſubacido , acri, quaſi piperato, os, & fauces deurente ℥ij. ʒij. qui alcali urinoſi , & acidi ſimul notas præbuit ; quippe qui Mercurii ſublimati ſolutionem turbidam , & lacteſcentem reddidit, cæruleamque Heliotropii tincturam rubro colore infecit : liquoris rufeſcentis , empyreumatici , acidi & ſalſi ℥iij. ʒvj. gr. liv. qui adhuc acidi potentioris, & urinoſi ſalis valentioris ſigna exhibuit, Sublimati ſolutionem coagulando, & præcipitando, cum ſpiritu ſalis effervescentiam concipiendo , & Heliotropii tincturam ex colore cœruleo in rubrum intenſum immutando: olei vero craſſioris, & axungiæ fere ſimilis ℥xxj. ʒv. gr. xlviij. Maſſa nigra reſidua pendebat ℥x. ʒiij. quæ per quindecim horas calcinata ad albedinem uſque cinerum ℥j. ʒij. g. xlviij. reliquit, ex quibus ſalis ſalſi gr. vj. per lixivium extracta fuere. Deperditio partium in diſtillatione per B. V. fuit ʒvß. in diſtillatione autem per retortam jactura fuit ℥ij. ʒv. gr. xlij. per calcinationem vero ℥ix. gr. xxiiij.

Ex nucleorum Ben a putaminibus ſeparatorum , & fortiter contritorum ℔viij. ʒv. per validam expreſſionem extractæ fuerunt olei flaveſcentis limpidi inodori & inſipidi ℥xxx. ʒiiij.

Hujus olei ℥xij. ʒiiij. per retortam diſtillatæ , igne per gradus aucto , præbuerunt primo olei ſubflavi, partim limpidi & fluidi, partim coagulati & ſubturbidi, odore ſubtili, ſapore ſubdulci cum quadam acrimonia , linguam leviter vellicante ℥viij. ʒv. gr. lx. quod Sublimati corroſivi ſolutionem non turbavit , Heliotropii vero tincturam ex cæruleo in purpureum mutavit : deinde olei fluidi, colore fuſco, odore non diſſimili, ſapore tenuj , ſubamaro, acri ℥ij. ʒiijß. Heliotropii tincturam intenſe rubram effecit. Maſſæ nigræ, firmæ ac ſolidæ in retorta reſiduæ pondus fuit ʒij. colore variegato, mutabili, colli columbarum inſtar.

Expreſſorum nucleorum maſſa ſuperſtes poſt olei extractionem diſtillationi ſubjecta ad pondus ℔iiij. præbuit igne blando phlegmatis limpidi, odore ſubtili ad Allium accedente , ſapore piperato ſine acido manifeſto ℥vj. ʒiiij. gr. vj. quod Mercurii ſublimati ſolutionem turbidam reddidit , & tincturam Heliotropii cæruleam colore igneo perfudit : deinde igne paulo fortiori liquoris empyreumatici , ſapore acri , pungente , ſubacido , ſalſo ℥iij.

ʒv.

ʒv. gr. vj. qui Sublimatum corroſivum ſolutum præcipitavit, & Heliotropii tincturam intenſe rubram reddidit: poſtea igne vehemente ſpiritus urinoſi flaveſcentis, multo ſale volatili impregnati ℥vij. ʒvj. gr. xij. ſalis volatilis concreti, & in cryſtallos longas, tenues, nitentes, translucidas compacti ʒj. gr. viij. olei vero ſpiſſioris, adinſtar ſyrupi, ℥xix. ʒv. gr. iiij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes æquabat pondere ℥xv. ʒiijß. quæ per tredecim horas calcinata ad albedinem uſque cineres albos relinquit pondere ℥j. ʒiiijß. ex quibus ſalis mere ſalſi, ſed nonnullis terreis partibus adhuc fœti, gr. xlvij. extracta ſunt. Quantitas partium deperditarum in diſtillatione fuit ℥x. ʒvij. in calcinatione ℥xiij. ʒvij.

Unde liquet Nuces Ben, præter oleum craſſum plurimum, oleo quodam eſſentiali acri, & deurente, parva quidem quantitate, cum ſale Ammoniacali conjuncto donari. Ab hoc oleo ſubtili acri pendet, quæ eis tribuitur vis vomitum excitandi, & alvum ſubducendi: ſed ſegnioris ſunt operationis propter oleum craſſum, quo tenue illud ſulphur, & ſal urinoſus involvuntur.

Græci, & Arabes Glandi unguentariæ vires plurimas tribuerunt, ſcilicet interne ſumptæ purgandi per vomitum, & per ſeceſſum, bilem, & pituitam craſſam, ac lentam educendi, viſcerum obſtructiones reſolvendi, lienem tumidum abſumendi, interne nervorum frigidis affectibus medendi, tumores duros, ſtrumas, & nodos reſolvendi, pſoram, lepram, lentigines, & cœtera cutis vitia emendandi.

Verum ſtomacho adverſatur, viſcera turbat, moleſte, & ſegniter purgat, ſudoremque frigidum movet: necnon etiam Avicenna aliquid cauſtici in ea deprehendit. His ſane de cauſis internus illis uſus apud nos prorſus exolevit. Externe vero ſolum ejus oleum per expreſſionem extractum, Balaninum dictum, & a quibuſdam oleum Glandium nuncupatum, uſurpantur ad cutis vitia delenda.

Ab aromatariis vero illud oleum præ omnibus aliis celebratur, non quod aliqua odoris præſtantia commendetur, ſed quod ad florum odoratorum odores extrahendos aptiſſimum ſit, cum vix unquam rancorem contrahat, & inodorum nullo alio odore peregrino florum odores inficiat.

Ea eſt autem florum odores per hoc oleum extrahendi ratio. In vaſe vitreo vel figulino, in imo ſtrictiore, in ſummo latiore, ſuper crates e ſetis equinis factas, & circulo ligneo formatas, unam ſuper alteram ex intervallo diſpoſitas, ſtratificentur flores, & goſſypium tenuiſſime carptum, & oleo Balanino imbutum per horas quatuor. Tum novi flores prioribus rejectis, cum eodem goſſypio denuo ſtratificentur; illudque repetatur pluries, donec oleum ſufficienter ſit impregnatum florum odore-tuncque oleum ex goſſypio fragrans, & odorum exprimatur.

Paratur etiam ex oleo Balanino, & cera unguentum vel ceratum pro baſi omnium balſamorum, cui inſtillantur olea ſtillatitia odorata pro arbitrio.

(Altera Nucis Ben ſpecies dicitur Mouringou, *H. Mal. tom. 6. p.* 19. *tab.* 11. Moringa Zeylanica, foliorum pinnis pinnatis, flore majore, fructu anguloſo, *Burm. Theſ. Zeyl. p.* 162. *tab.* 75. Balanus Myrepſica, ſiliqua triangulari, ſemine minore alato, *Breyn. Prodr.* 2. *p.* 22. Nux

Been

Been Zeylanica, ſiliqua triangula, ſeminibus alatis, *Moringeros* Luſitani ; & *Katumarunga* Zeylonenſium, *H. L. B. app. p.* 692.

Arbor eſt quinos homines longa, unius complexum craſſa cortice intus albido, extus nigricante obducta, odore, & ſapore Naſturtio, aut Raphano ruſticano ſimillima. Rami ſunt ligno albicante, libro viridi. Radix veſtitur cortice ex albo flaveſcente trunci ſaporem referente. Folia pinnata cum impari, ita ut petiolus communis, cubitum circiter longus, ter petiolos minores pinnatim exerat, antequam foliola accipiat; quæ foliola e longo obtuſa ſunt, tenuia, mollia tactu, & lenia, media coſta prominente, nervis aliquot in latera excurrentibus, odore Fabis ſylveſtribus proximo. Flores in racemis ex caule egreſſis ſparſim naſcentes, calyce donantur pentaphyllo, colorato, deciduo, foliis conſtante oblongis, obtuſis, æqualibus; corolla pentapetala, petalis magnitudine, & forma calycis, inferius, & ad unum latus magis dehiſcentibus, alias æqualibus, unde ab auctoribus ejus flos decapetalus habetur; ſtaminibus decem, quorum quinque inferiora longiora, ſurſum incurva; piſtillo unico, inferius longum embryone habente. Floribus deciduis ſuccedunt fructus ſiliquoſi, teretes, ſeſquicubitales, trigoni, ſtriati, trivalves, cortice coloris herbacei, intus carne exalbida, fungoſa; ſeminibus fœti trigonis, membrana alata donatis, (cartilaginea pellicula nucleum intus albentem tegente) plurimis juxta ſiliquæ longitudinem diſpoſitis.

Creſcit in arenoſis Malabaræ, Zeylonæ, aliarumque Indiæ regionum locis. Floret Junio Julio, & Auguſto. Fructus, modo ineunte, modo exeunte anno, aliquando utroque tempore leguntur. In hortis ac villis colitur; ob fructus, qui Fabarum more venales quovis mittuntur.

Ex foliis, radicis cortice, & fructu parantur apud Indos pilulæ antiſpaſmodicæ. Foliorum ſuccus una cum Pipere oculis immittitur contra vertiginem; qui, ſi addatur Zinziberi, fugat febres. Tritus ex aqua Oryzæ cortex œdemati medetur; adjecto Cumino, odontalgiæ, & malarum tumori.

Merus corticis Mouringou ſuccus cum aqua, & Allio commixtus, artuum lancinationes ex frigore oriundas epotus lenit. Radicis ſuccus cum Allio, & Pipere ſubactus ſpaſmo ſuccurit, ſi temporibus allinatur. Folia ſi calida imponantur, coleorum diſcutiunt tumores, imo & venereos: ulceribus apta ſunt. Eorum ſuccus vermes phagædenicis in ulceribus enecat, & expellit; ex butyro coactus herpetem, alioſque morbos removet. Viridis arboris ſuccus omnibus artuum capitiſque ex lue venarea ortum trahentibus doloribus opitulatur, *H. Mal.*

AR-

ARTICULUS DECIMUS-NONUS.

De Cacao.

CAcao. *Off.* Cacao Americæ, ſeu Avellana Mexicana, *J. B. T.* 1. 291. Amygdalis ſimilis Guatimalenſis, *C. B. P.* 442. Cacahuatl, vulgo Cacao *Piſon. Mantiſſ. arom.* Nuclei ſunt Amygdalis ſeu potius Piſtaciis quodammodo ſimilis, majores tamen, Olivarum magnitudine, oblongi, ſubrotundi, putamine tenui, duro, fragili, nigricante circumtecti; quo ſublato ſubſtantia firma, denſa, ſicca, ſubpinguis, externe fulva, & quodammodo rubens, intus ſpadicei fere coloris aut fuſci, in plures & diſpares diviſa particulas arcte inter ſe cohærentes, ſubamari & leviter acerbi, non ingrati tamen ſaporis, apparet.

Eligantur recentes, integri, pingues, bene aſſervati, & ſapidi. Rejiciantur mucidi, carioſi, aut ullo modo corrupti ſeu vitioſi.

Fructus ſunt novi orbis veteribus prorſus incogniti, quibus olim Mexicani, aliæque nationes Americanæ utebantur, non ſolum ad potionem per totam Americam uſitatiſſimam, *Chocolati* ab iis dictam, & a nobis Chocolatam, ſed etiam pro pecuniæ ſeu monetæ ſpecie, pro qua merces permutabantur: unde Amygdalæ pecuniariæ a quibuſdam nuncupatæ fuerunt.

Plurimæ ſunt earum ſpecies, quarum Hernandez quatuor recenſet, quæ craſſitie fere ſola inter ſe differunt. Nos quoque quatuor ſpecies in officinis reperimus, quæ regionibus, craſſitie, & natura inter ſe diſcrepant; ſcilicet Cacao ex Nicaragua majus, & minus, vulgo *gros & petit Caraque*, quod ſaporis eſt magis grati, licet aridum magis; & Cacao ex Inſulis majus, & minus, vulgo *gros & petit Cacao des Iſles*, quod oleoſum magis, & pingue deprehenditur, ſaporis minus grati, & ex Antillanis Gallicæ ditionis Inſulis affertur. Præſtantius cenſetur Cacao majus ex Nicaragua, deterius vero Cacao minus ex Inſulis.

Arbores, quæ hoſce nucleos gerunt, inter ſe diſcrepant tantum magnitudine arboris, aut foliorum & fructuum amplitudine, & craſſitie. Sic autem a R. P. Plumerio *in ſuo Botanico Americano* deſcribitur.

Cacao *Cluſii exotic.* 55. arbor eſt non ſatis ampla, ſed aſpectu perquam eleganti decora, potiſſimum ſuis fructibus onuſta. Caudice eſt recto, humanum proplitem, ut plurimum, ac etiam femu humanum craſſo, quatuor aut quinque pedes ad ſummum alto. Cortice veſtitur obſcuro, & plagulis multis tranſverſalibus, minutiſque tuberculis exaſperato. In ramos diſpertitur brachium craſſos, & iterum atque iterum in alios ramulos foliis alternatim poſitis decoratos, membranaceis, glabris, deorſum ſpectautibus, decem, aut novem pollices longis, quatuor pollices latis, ubi latiſſima, acuminatis, tandem Citriorum foliis valde æmulis. Nervo & coſtulis obliquis conſpicuis ſuſtentantur, pediculoque pollicem longo, & utrinque tumido innituntur: inferna parte dilute ſuperna vero ſature, & obſcure vireſcunt. Flores & in ramis, & in ipſo ſimul caudice multi ſimul congeſti adnaſcuntur, pediculo, qui-

que

que ſuo tenuj pollicem aut ſemipollicem longo & breviſſimis pilis hirſuto appendentes : qui antequam expandantur, corcuſum pentagonum & pallidum referunt, tres lineas circiter longum : expanſi vero roſacei ſunt, quinque ſcilicet parvis petalis conſtantes in orbem poſitis, ex pallido luteis, pene cordatis, vix lineam latis. Quodlibet petalum pediculo innititur deorſum inflexo, ad initium conchulæ modo excavato, & acuminulis obſcure rubris inſignito. Calyx autem quinque foliolis conſtat anguſtis, acuminatis, deforis pallidis, intus vero rubicundis. Ex ipſo ſurgit piſtillum tubi cujuſdam multiſciſſi laciniis cinctum, ſtaminuliſque deorſum incurvis pallidis, cum ſuis apicibus etiam pallidis ſtipatum. Multi e floribus abortivi decidunt : remanentium vero piſtillum abit in fructum cucumeriformem, ſemipedem & paulo magis longum, tres quatuorve pollices circiter craſſum, Cucumeris ſativi noſtratis aut Melonis modo, novem aut decem coſtis prominentibus ſulcatum : totus verrucoſus eſt, & in acumen deſinit. Primo e viridi albicat, initio maturitatis flaveſcit, maturus autem ſature coccineus fit, punctulis tamen flaveſcentibus totus inſignitus : pediculo pennam anſerinam craſſo & pollicem longo appendet, transverſimque diſſectus corticem duplicem oſtentat : quorum primus, ſcilicet exterior, craſſus & ſubflavus ; interior vero albidus, tenujor & tenerior, intus continens triginta circiter ſemina carnoſa, Oliva paulo majora, & ſemicordis formam fere referentia, ſplendida, polita, & dilutiſſime violacea, tandem in multos lobulos, ſi digitis comprimantur, abeuntia : carne pauca quadam ſeu pulpa alba, ſucculenta & ſubdulci, cuticulaque membranacea & rufa obteguntur ſingula ; guſtuque adſtringente & amariuſculo donantur. Bis aut ter floret in anno hæc arbor, ſylviſque ac locis gaudet potiſſimum umbroſis. Ob maximum ejus proventum in Antillanis fere cunctis inſulis excolitur.

Analyſi Chymica, ex libris duabus nucleorum Cacao crudorum & contuſorum, teſtis rejectis, per retortam diſtillatis, varii liquores utroque ſale, acido & acri, permixti exierunt ad ℥vj. circiter : olei vero primum translucidi, dum calens eſt ; dein conſiſtentiæ butyraceæ, dum refrigeratur, ruſeſcentis ; ſapore acri pungente, & odore ſubtili, ℥xiiij. Maſſa nigra in retorta remanens pendebat ℥x. ex qua rite calcinata ſalis fixi ſalſi ʒiiij. extractæ fuerunt. Partium in diſtillatione abſumptarum pondus fuit ℥ij.

Hi nuclei non ſola diſtillatione multum olei ſuppeditant, ſed etiam expreſſione & coctione.

Ex una libra fructus Cacao contuſi, deinde calefacti & prælo ſubjecti, duæ unciæ olei ſola expreſſione extractæ ſunt : ex fœce, poſtquam una cum aqua ebulliit, ℥iij. ʒijß. olei craſſioris prodierunt ; ita ut ſumma olei per expreſſionem extracti fuerit ℥v. ʒijß.

Tandem fructus Cacao calente lapide rite triti ℔j. aquæ bullientis ℔viij. diluta, poſtquam maſſa inſtar pultis ſpiſſioris denſata fuit, tum pinguedo ſupernatare viſa eſt ; eaque paulatim collecta, donec nulla amplius exſtaret, inſtar ſebi induruit, cujus pondus æquabat ℥ix. ʒß. Nucleorum Cacao odorem refert, & admodum denſa eſt, ac dura ſebi inſtar, & alba.

Ex his liquet nucleum Cacao multum olei craſſioris ſeu pinguedinis

cum terra copioſa & ſalium tum acidorum, tum acrium portione mediocri conjunctæ continere; unde compoſitum exſurgit gummoſo-oleoſum, pingue & craſſum, a quo vis hujus nuclei præcipua pendet.

Cacao enim craſſum ſuppetit nutrimentum, ſi crudum comedatur: ſanguinem inſpiſſat, & humores craſſiores efficit; ſed ob nimiam & craſſiorem pinguedinem, ventriculum gravat, & obſtructiones gignit, ſi nimia copia ſumatur: idcirco a Mexicanis leviter uſtulatur, & cum aromatibus permiſcetur; unde exſurgit illa compoſitio ſeu maſſa quæ Chocolata & Succolada dicitur, quæque apud diverſas nationes diverſa eſt.

Mexicani enim cum Cacao torrefacto miſcebant Maizii farinam, Uracum aromaticum ſeu Vanillam, extractum Orleanæ ſeu Rocou, Capſici vulgaris fructum, Piper Jamaicenſe, & alia hujuſcemodi. Diverſæ quoque ſunt apud nos hujus Chocolatæ præparandæ rationes, quarum hæc præſtantior mihi viſa fuit.

℞. Nucleorum Cacao ex Nicaragua majorum ℔xij. Nucleor. Cacao ex inſulis majorum ℔v. Sacchari albi ℔x. Vanillæ ſiliquas n. xxviij. Ambari cinericii ʒj. Cinnamomi ℥vj.

Nuclei Cacao a putaminibus mundati, rite & apposite torrefacti ſupra lapidem durum, amplum, lævem, perpolitum, paulisper excavatum, & igne blando modice calefactum, ferro cylindro perpolito commoliuntur: hic attritus ter quaterve repetitur, donec maſſa inde exſurgat tenuiſſima. Tum Saccharum tenuiſſime pulveratum cum maſſa permiſcetur, & ambo ſimul duabus iteratis vicibus conteruntur. Tandem Vanilla, Cinnamomum & Ambarum cum aliqua Sacchari portione ad id reſervata, ſeorſim in tenuiſſimum pulverem rediguntur, maſſæ miſcentur & iterum tota mixtura ſupra lapidem pro ultima vice rite & ſufficienter movetur & conteritur. Maſſa poſtea in rotulas aut panes redacta exſicatur, & per ſat longum tempus aſſervari poteſt, etiam ultra annos xv. & xx. & quo diutius ſervata fuit, eo præſtantiorem potum præbere vulgo dicitur.

Duæ Nucleorum Cacao ſpecies hac in compoſitione uſurpantur; quia nimis arida videtur maſſa ex ſolo Cacao ex Nicaragua. Pinguior autem eſt & nimis oleoſa, quæ ex ſolis nucleis ex inſulis allatis præparatur: utriuſque vero mixtione magis temperata exſurgit.

Ex ea maſſa ſorbitiunculam palato gratiſſimam parant, ſolvendo maſſæ hujus ℥j. circiter in ℥vj. aquæ tepidæ aut lactis, & coquendo, donec ſolutio leviter ebulliat: deinde per horæ quadrantem digeritur ſupra cineres calidos, ac tandem ligno verſatili & idoneo fortiter agitatur, donec in ſpumam abeat; tunc ſpumoſus humor in pocula diſtributus calide hauritur.

Potus ille optime nutrit, ventriculum roborat, ſpiritus recreat, vires debilitatas inſtaurat, & inter aphrodiſiaca recenſetur.

Obſervandum tamen primum, Cacao crudum & per ſe multum nutrimenti & craſſiorem ſuccum præbere, ac proinde refrigerare, ut ajunt aut humores & ſanguinem inſpiſſare, eorumque motum minuere. Verum aliter evenit, ſi nimis fuerit torrefactum: tunc enim ejus oleum, igne attenuatum, oleorum empyreumaticorum more, corporis humores

poten-

potenter reſolvit, eorumque motum auget & concitat; unde fit ut potus ex eo paratus contrarium effectum nanciſcatur. Itaque quo minus toſtus eſt ille nucleus, eo magis nutrit & incraſſat: quo plus comburitur, eo majorem æſtum in corporis liquoribus accendit.

Obſervandum ſecundo, craſſius illud alimentum non ſolum attenuari torrefactione, ſed etiam aromatibus ſatis apte temperari, Vanilla nempe, Cinnamomo, & Ambaro. Verum exigua admodum eorum doſis requiritur; alioquin Chocolata nimia eorum copia turgida nimium calorem in viſceribus excitat.

Commendatur Chocolatæ potus phtiſicis & tabidis, præſertim cum lacte paratus. Revera ſuccum nutritium præbet pinguem, dulcem, quique humorum acrimoniam retundere valet; modo, ut diximus, rite torrefactum fuerit Cacao, & exigua admodum aromatum doſi perfuſum.

Ab eo abſtinere debent hypochondriaci, & cœteri quorum præfervida ſunt viſcera. Ut enim butyroſa & oleoſa omnia ipſis noxia ſunt, ſic pariter Cacao, cujus pinguedo, licet craſſior, eorum in viſceribus dividitur, evehitur, & accenditur.

Pinguedo ex Cacao extracta a quibuſdam commendatur ad Pomatorum coſmeticorum baſim conſtituendam; & utiliſſima cenſetur ad labiorum mammarumque fiſſuras, & ad hæmorrhoidas.

ARTICULUS VIGESIMUS.

De Piſtaciis.

PIſtacia, Piſtacea, & Nuces Piſtaciæ, *Off.* πιστάκια, *Dioſcoridis*: Puſtech & Feſtuch, *Arabum*: Fiſtici, *Quorumdam*: vulgo *Piſtaches*: Fructus ſunt ſeu nuculæ, Avellanarum magnitudine & forma, oblongæ, anguloſæ, altera parte elatiores, altera depreſſiores, acuminatæ, coſta notatæ, duplici putamine donatæ; exteriori membranaceo, arido, tenui, fragili, colore primum viridi, deinde rufo; altero lignoſo, lento, fragili, lævi, candido, in quorum cavitate nucleus continetur pallide vireſcens, pinguis, ſaporis oleoſi, ſubamari, dulcis, palato grati, rubra pellicula tectus.

Eligantur recentiora, plena, bene matura, non rancida.

De diplici Piſtaciorum genere Hermannus mentionem facit, majore nempe, & minore. Majora nobis vulgo afferuntur, minora minus cognita, majoribus multo ſapidiora: ex Perſia transferuntur.

Arbor dicitur Terebinthus Indica Theophraſti, Piſtacia Dioſcoridis, *Adverſ. Lobel.* 413. Piſtacia *J. B.* 1. 275. Piſtacia peregrina, fructu racemoſo ſive Terebinthus Indica Theophraſti, *C. B. P.* 401. Trunco eſt craſſo, ramis expanſis, cortice obductis cinereo: in longa coſta e ramis propagata folia conjugatim diſpoſita gerit, quamquam non uſque adeo exacte ſemper ſibi reſpondeant ſingulorum foliorum ortus, cum folio impari ſummæ coſtæ innaſcente; ſunt ea vero nunc ſubrotunda, nunc in mucronem acuminata, nervoſa, Terebinthi foliis ſimilia, ſed majora.

Flores profert maſculinos & fœmininos in diſtinctis individuis. Maſculinos quidem apetalos, perianthio proprio donatos quinquifido, minimo, ex amento laxo, ſparſo, ſquamulis parvis unifloris conſtante; quinque ſtaminibus inſtructos minimis, antheras ovatas, quadragonas, erectas, patulas, magnas ſuſtinentibus. Flores vero fœminei amento carent & corolla: at perianthio gaudent trifido, minimo, cui inſidet germen ovatum, calyce majus, cum ſtylis tribus, reflexis, ſtigmata craſſiuſcula hiſpida gerentibus. Germen abit in drupam ſiccam, ovatam, nuce ovata & glabra fœtam.

In Perſia, Arabia, Syria, tum & apud Indos naſcitur. Colitur etiam in Italia, Sicilia, & in meridionalibus Galliæ provinciis.

Piſtacia mas a fœmina diſtinguitur foliis minoribus, aliquantulum oblongis retuſis, ſæpius in tres lobos e viridi nigricantes diviſis; cum in fœmina folia majora ſint, firmiora, rotundiora, & in quinque ut plurimum lobos diviſa.

Cum flores fructuſque in diſtinctis & procul ſæpius a ſe invicem diſſitis naſcantur arboribus, impraegnatio quoque in Piſtaciis non ſecus, ac in Palmis locum habet. Sic autem in Sicilia ſuccedit. Florum amenta e Piſtacia mare decerpunt ruſtici: dum jamjam aperiendi ſunt, in vas recondunt terra circumdatum aqua madefacta: illud vas ramo Piſtaciæ fœminæ appendunt, donec illi flores areſcant; ut pulvis fœcundans facile ventorum ope per totam arborem diſpergatur, flores fœminei impraegnentur.

Alii flores maſculinos colligunt, & in ſacculo ſiccandos deponunt: cum autem fœmina flores ſuos expandit, pulverem proliferum in hos flores ſpargunt.

Decerpendi ſunt maſculini flores, antequam aperiantur; ne pulverem proliferum intempeſtive emittant, & deficiente impraegnatione, fructus abortiant, meſſiſque deficiat.

Si Piſtacia mas & fœmina non procul diſſitæ ſunt a ſe invicem, impraegnationis labor ventis committitur.

Piſtacia oleo dulci copioſo turgent, quodque contuſa & fortiter expreſſa uberrime fundunt. Ab hoc oleo cum terra tenuj conjuncto Piſtaciorum vires pendent.

Piſtacia palato & ſtomacho grata ſunt: nutrimentumque præbent ſat laudabile, nec exiguum, licet nonnihil craſſum. Inter analeptica medicamenta recenſentur, & bellariis inſtaurantibus & reficientibus admiſceri ſolent; quandoquidem ad convaleſcentes ægros emaciatos citius reſtituendos plurimum valent. Ventriculum, jecur, & viſcera levi quodam amarore firmare dicuntur, ac proinde horum viſcerum obſtructiones auferre. Lac ſeminalemque ſuccum augent ſicut cœtera alimenta, quæ plurimum ſuccum nutritium & craſſum ſuppeditant: phthiſicis & tuſſientibus auxiliantur ſicut & nephriticis, humorum acrimoniam demulcendo.

In emulſionibus vel ſola, vel cum Pineis & Amygdalis præſcribuntur ad n. 10. vel 12. pro emulſionis ℔j.

℞. Piſtaciorum & Pini nucleorum ana ℥ß. Amygdalas dulces n. xij. Contunde in cremore ex Oriza parato. Expreſſum inſpiſſetur leni igne cum tantillo Sacchari & Cinnamomi. Exhibeatur ad tabidos reficiendos.

Uſur-

Uſurpantur in Tabellis ſtomachicis *Charas*, Magnanimitatis, & Electuario de Satyrio *Ejuſdem*.

ARTICULUS VIGESIMUS-PRIMUS.

De Nucleis Pineis.

PInei, & Pini Nuclei, Pineoli, Pini Nuces, *Off.* πίτυιδες, *Dioſcoridis*, & *Galeni*: στρόβιλοι & κοκκάλοι, *Græcorum quorumdam*: Gallice *Pignons*, & *Pignons doux*, ad eos diſtinguendos ab Indicis Nuculis, vulgo *Pignons d'Inde*, qui ab eis prorſus diſcrepant. Nuculæ ſunt, quarum ſubſtantia eſt oblonga, teres, candida, pinguis, dulcis, tunica rufeſcente circumveſtita, intra teſtam lignoſam, craſſam, & duram incluſa. Hæ Nuculæ in conis ſeu Pini fructibus deliteſcunt, inter duras, & lignoſas eorum ſquamas reconditæ.

Eligantur recentes, albæ, ſiccæ; vetuſtate enim flavæ, & oleoſæ fiunt, rancoremque contrahunt.

Arbor dicitur Pinus ſativa, *C. B. P.* 491. Pinus oſſiculis duris, foliis longis, *J. B. I.* 248. Caudice aſſurgit recto, ramoſo, & patulo, cortice ſcabro, hiulco, & ſubrubente, materie robuſta, ſubflava, odorata, reſinoſa. Rami per intervalla eo ordine rotatim prodeunt, quo in cœteris arboribus coniferis. In his denſe naſcuntur folia ſemper virentia, bina ſimul ex eadem vagina prodeuntia, ſeſquipalmaria aut longiora, anguſtiſſima, qua ſe mutuo ſpectant canaliculata, firma, rigida, acutiſſima. Flores in ſummo naſcuntur racemoſi, amentacei, plurimis nempe conſtantes ſtaminibus, quæ pulverem tenuiſſimum ſulphuris flori ſimilem effundunt. Ejus granula minutiſſima microſcopii auxilio oblonga, & incurva ſeu lunata apparent. Steriles ſunt; fructuum enim embryones a floribus in eadem arbore ſeparatim naſcuntur, abeuntque in fructus pugni magnitudine, turbinatos, duros, ex pluribus ſquamis veluti lignoſis, lucidis, denſe compactis, compoſitos. Singulares ſquamæ unciam circiter latæ, duplo longiores, a capite reſinam albam odoratam ſubinde fundentes, paulatim haſtam verſus extenuantur, & binis ſulcis excavantur. Inter ſquamas in earum ſcrobibus latent duo oſſicula dura, oblonga, lignoſa, fere uncialia, rufeſcentia, pulviſculo atro-purpureo reſperſa; in quorum cavitate nucleus continetur eſculentus; candidus, pinguis, oleoſus, tenui membrana ſpadicea involutus, ſaporis dulcis, & jucundi; unde a populis plurimis ad ſecundas menſas adhibetur. In Gallia Narbonenſi, & Gallo-Provincia ſponte naſcitur hæc arbor frigoris impatiens.

Pinei multo, & ſubtili turgent oleo, quod expreſſione extrahitur. Ab eo cum terra conſociato omnis ejus virtus pendet.

Piuei nuclei plurimum nutriunt, & ſuccum præbent laudabilem, at vero nonnihil craſſum. Non facile concoquuntur, idcirco ſaccharo condiri ſolent, aut aliis condimentis permiſceri, pro ſecundis menſis. Phthiſicis, & tabeſcentibus utiles ſunt, quippe qui pulmones mundant, & ejus ulcera abſtergunt: acres ſanguinis, & humorum ſales demulcent; ea de cauſa quo-

quoque nephriticis proſunt, opitulantur urinæ ardoribus, & ſtillicidiis, ad renum veſicæque ulcera conferunt. Quidam in venere elumbe nonnihil adjumenti ex eorum eſu percipiunt: lac enim, & ſeminalem liquorem augent, ſicut cœtera incraſſantia alimenta.

Doſis a ℥j. Sæpius in emulſionibus præſcribuntur cum Piſtaciis, vel Amygdalis, vel Seminibus quatuor majoribus frigidis.

℞. Pineorum dulcium ℥j. Contunde, ſenſim affundendo decocti Oryzæ, vel decocti pectoralis ℔j. Fiat colatura, in qua diſſolve Sacchari roſati, vel Syrupi de Althæa, vel Syrupi reſumptivi ℥j. Fiat emulſio in duos hauſtus dividenda, & in tabe aut tuſſi veteri exhibenda.

℞. Pineorum ℥j. Seminum quatuor frigidor. major. ana ʒj. cum decocti Graminis ℔ij. Fiat emulſio Syrupi de Althæa ℥j. edulcanda.

ARTICULUS VIGESIMUS-SECUNDUS.

De Ricini, & Ricinoidis Nucleis purgantibus.

SUb Ricini nomine, vulgo *Pignon d' Inde*, plurimæ Nucleorum purgantium ſpecies in officinis occurrunt, tum ex Indiis, tum ex America allatæ. Tres quatuorve potiſſimum in uſum veniunt, ſcilicet Ricini vulgaris Nuclei, Fabæ purgatrices Indiæ occiduæ, Avellanæ purgatrices novi orbis, & Grana Tiglia.

Nucula cathartica prima, Ricini vulgaris Nucleus, Cataputia major, Cherva major, & Granum regium *Off.* Κίκι & κρότων, *Dioſcoridis*: Alcherva *Arabum*: Gallis *Grains de Ricin*. Semen eſt oblongum, ovatum, una parte gibbum, altera depreſſum, & cum quodam capitello ſeu umbilico in vertice poſito; recondens ſub putamine tenui, fragili, lituris nigricantibus, & albidis eleganter aſperſo, glabro, carnem medulloſam, firmam, Amygdalinæ ſimilem, candidam, bipartitam, pinguem, ſapore ſubdulci, acri, nauſeoſo. Tria ſemina in uno fructu trigono, tricapſulari, & molliter echinato continentur.

Planta, quæ hos fructus profert, dicitur Ricinus vulgaris, *C. B. P.* 432. Ricinus, ſive Palma Chriſti, vel Kiki, *Gerard.* Nambu Guacu, ſive Ricinus Americana, *Piſon.* 180. Avanacoe, ſeu Citavanacu, *H. Malabar.* 2. 57. Caule aſſurgit firmo, geniculato, cavo, trium, quatuor, & plurium cubitorum, ſuperius ramoſo, foliis ficulneis ſimilibus, ſed majoribus, in ambitu digitatim inciſis, ſerratiſque ſegmentis, glabris, teneris, & ad tactum mollibus, obſcure virentibus, nervoſis, longis pediculis innixis. Flores longa ſerie thyrſoide ſurculo peculiari in ramorum extremitatibus racematim inſident ſtaminei, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtantes brevibus, albidis, ex calyce ſurgentibus quinquifido ex viridi albeſcente: verum ſteriles ſunt. Embryones enim fructuum inter eos naſcuntur, ſubrotundi, virides, cinabriis umbilicis inſigniti; & deinde abeunt in fructus uncialibus pediculis innixos, trigonos, molliter echinatos, nigricantes, magnitudine Avellanæ, ex tribus capſulis compoſitos axi affixis; in quibus nuculæ reconduntur ovatæ, & nonnihil depreſſæ, craſ-

craſſiuſculum quoddam capitulum ſeu umbilicum albicantem in vertice gerentes, & parte interiore qua ſtylo accumbunt, pellicula albicante tenuiſſime obductæ, conſtantes ex putamine tenui, ex cinereo & nigro, vel ſpadiceo eleganter maculato, & medulla candida, ſolida; ſubſtantia Amygdalæ haud abſimili, oleaginoſa, alba cuticula circumveſtita; ſapore ſubdulci, acri, & nauſeoſo. In Ægypto, & in variis orientalibus, & occidentalibus regionibus frequens naſcitur.

Ricini nuclei oleo dulci temperato copioſo turgent; ſed præterea ineſt olei tenujoris acerrimi portio quædam adeo cauſtici, ut fauces exurat: ab eo vis illorum cathartica pendet.

Semina a putaminibus purgata, triginta numero, inquit Dioſcorides, trita, & pota, pituitam, bilem, & aquam per alvum dejiciunt, & vomitiones movent: ſed ingrara admodum eſt, & laborioſa hujuſcemodi purgatio, ſtomachum vehementer ſubvertens. Matthiolus errorem in textum *Dioſcoridis* irrepſiſſe ſuſpicatur, & ex quodam Mſſ. tria tantum grana, non triginta, ab auctore præſcribi ſuadet. Meſue eorum quinque, aut ſeptem, vel ad ſummum quindecim numero tantum exhibenda tradit. Eademque coli juncturarum, & coxendicis doloribus utilia, hydropiciſque profica pronuntiat, ex jure veteris galli, vel cum ſero lactis aut lacte caprino. Braſilienſes, teſte Piſone, minus tutum exiſtimant ipſa grana in ſubſtantia exhibendo, ſeptenarium numerum excedere. In ſubſtantia præſcribuntur ut plurimum a pondere gr. x. ad grana xv. vel xx. & in emulſione ad ʒß. vel ℥j. in aq. comm. ℥vj.

Verum illud ſemen rariſſimi eſt uſus, quandoquidem vehemens eſt catharticum, & periculi plenum: inflammare fauces notum eſt. Oviedus hiſtoriæ Indicæ ſcriptor refert quoſdam, Ricino Indico ſumpto, interiiſſe. Petrus Caſtellus, *Epiſt. Medic.* 252. confirmat ejus uſu aliquot in extremum vitæ periculum adductos fuiſſe; narratque juvenem 19. an. natum, robuſtum, gravitate, & dolore quodam capitis affectum, Ricini Indici granum dimidium ſumpſiſſe, manducaviſſe, & deglutiviſſe, & hoc ipſo œſophagum, & os ventriculi inflammata fuiſſe, ciborum inappetentiam, febrem, & ſyncopen acceſſiſſe, ita ut nono die obierit.

Priſci Medici ejus nocivam qualitatem toſtione, & aſſatione corrigere tentabant: & Guillelmus Piſo tincturam ex Ricini granis cum ſpiritu vini extractam proponit tanquam minus periculoſum medicamentum. Sed infidæ ſunt illæ correctiones.

Itaque cum Doctiſſ. Rolfincio concludere non dubitamus cordatum Medicum ab horum ſeminum uſu abſtinere debere, imprimis cum tanta ſit tutiſſimorum hydragogorum abundantia.

Oleum ex Ricini ſeminibus antiqui, tum per expreſſionem, tum etiam per decoctionem extrahebant, quod κίκινον ἔλαιν, Ricinum oleum dicebatur, cibis fœdum, ſed lucernis, unguentis, & emplaſtris utile. Optime digerit, inquit Galenus, cum tenujorum ſit partium, quam oleum commune. Idem oleum Braſilienſibus, teſte Piſone, in uſu eſt quotidiano contra affectus frigidos, tum internos, tum externos: apoſtemata reſolvit: ventris tormina, & flatus illitum diſcutit: umbilico inunctum lumbricos puerorum expugnat: cutem quoque a pſora, reliquiſque vitiis vindicat.

Dioſcorides refert hoc oleum potum aquas per alvum educere, & & lumbricos pellere; quod a Piſone quoque confirmatur. Tres, inquit, vel quatuor guttulæ ex conveniente liquore ſubinde per os vel per anum exhibitæ, ſanant frigidos articulorum affectus, & ſimul alvum laxant.

Attamen Doctor Stubbes Medicus Anglus *in Actis Philoſophicis Anglicis* aſſerit n. *36.* expreſſum Ricini oleum nullam omnino vim catharticam obtinere, nequidem ſi integri cochlearis menſura una vice deglutiatur, aut trium per anum injiciatur.

Matthiolus ſerum lactis, quo folia Ricini macerata fuerant, hydropicis felici cum ſucceſſu, ad ℥vj. præſcribebat. Piſo vero eadem folia aqua aut aceto macerata herpeti aut hujus generis vitiis cutaneis mederi poſt Dioſcoridem aſſerit.

Nucula cathartica altera, Ricini Americani majoris, vel potius Ricinoidis Americanæ nucleus, Cureas dictus, & Faba purgatrix Indiæ occiduæ, *Off.* Nuces e Barbados Anglor. *Dal.* & *Raii Hiſtor.* vulgo *Mediciner*, & *Pignon de Barbarie*. Semen eſt oblongum, ovatum, Fabæ minoris magnitudine, una parte convexa, altera depreſſa, recondens ſub putamine tenui, duriuſculo, nigro, nucleum candidum, oleaginoſum, ſaporis ſubdulcis, acris, & nauſeoſi.

Planta dicitur Ricinoides Americana Goſſypii folio, *Inſt. R. H. 656.* Ricinus Americanus major ſemine nigro, *C. B. P.* 432. Munduy Guacu Braſilienſibus, *Marcgrav. 96. Piſon.* 179.

In arboream magnitudinem, & molem, mediocrem tamen, ſolita eſt excreſcere hæc planta in Americanis regionibus, patula, ligno molli, medulloſo, & fragili, lacteoque ſucco, acri, turgido. Rami ejus multi, folia in ramis copioſa inordinatim naſcuntur Goſſypii foliis non abſimilia, glabra, nitida, & ſaturate virentia. Circa ramorum ſummitates pedamenta quædam elevantur inæqualia, ſemipedem quandoque alta, quæ copioſiſſimos flores velut in umbellam digeſtos geſtant, ſed parvos, e viridi albeſcentes, roſaceos, quinque ſcilicet petalis conſtantes in orbem poſitis, deforis revolutis, calyci multifolio inſidentes, ſtaminibuſque plenos brevibus, & albidis: verum ſteriles ſunt. Embryones enim inter eos naſcuntur calyce obvoluti, abeuntque deinde in fructus, Nucis Juglandis adhuc virentis magnitudine, & forma, unciam ſuperantes, turbinatos, & utrinque acuminatos, tres aut quatuor ſimul appendentes, dum teneri ſunt, ſature virentes, deinde nigros, echinis carentes, in tres capſulas fiſſiles, in quibus ſingulis ſemen octo lineas longum, quatuor latum, ovatum, dorſo convexum, altera parte depreſſum, & nonnihil anguloſum, nigro putamine, ſed tenui donatum, intus alba, tenera, & ſubdulci medulla plenum.

Hujus Ricinoidis ſemen mira purgandi facultate per ſuperiora, & inferiora præditum eſt, vehementiuſque purgat quam Ricini vulgaris nucleus; ita ut tria vel quatuor ſemina comeſta ventriculum, & inteſtina tanta vehementia ſubvertant, ut in vitæ diſcrimen præſertim imbecilliores nonnunquam conjiciant. Ejus tamen uſus a Piſone commendatur in diuturnis viſcerum obſtructionibus. Quatuor aut quinque nucleos proponit maturos a pelliculis exterioribus, & interioribus repurgatos,

mox

mox leviter torrefactos, & vino maceratos, additis correctoriis aromaticis; nec niſi ſumma cum cautione hoc medicamen exhibendum eſſe ſuadet.

Ex his ſeminibus oleum a Braſilienſibus, & Americanis extrahitur ad lucernas concinnandas admodum utile, & plurimis morbis curandis aptum; ſiquidem ad morbos omnes ab humoribus frigidis oriundos ſanandos, tumores diſcutiendos, flatus reſolvendos commendatur: eamque ob cauſam non modo in anaſarca utile, ſed etiam in omnibus hydropis generibus, ſi, ventre illo inuncto, aliquot guttæ vino aut alio liquore conveniente exceptæ ſorbeantur. Sic enim aquas evacuat; quod etiam minori noxa facit clyſteribus injectum. Contractos artus, ſi eo inungantur, curat, nervos molliter diſtendendo: viſcera obſtructionibus inunctione liberat: alvum puerorum emollit, illito toto ventre; atque ventris animalia pellit, maxime ſi ejus una aut altera gutta e lacte aut jure pingui propinetur: aurium doloribus, & ſurditati confert: ulcera capitis, pſoras, & omnia cutis vitia illitu expurgat.

Præter hos Ricinoidis nucleos, aliud ſemen ex America affertur. Dicitur vero Nucula cathartica tertia, Avellana purgatrix, *C. B. P.* 418. & Avellana purgatrix novi orbis, *J. B. I.* 322. Ben Magnum *quorumdam Medicorum*: vulgo, *Fruit du Medicinier d'Eſpagne*. Semen eſt Avellanæ magnitudine, ſubrotundum, & quaſi triangulare, cum putamine tenui, pallido, & fuſco, & ſubſtantia medulloſa, firma, candida, ſubdulci, & minime acri, Avellanæ ſapore haud abſimili.

Planta dicitur Ricinoides arbor Americana, folio multifido, *Inſt. R. H.* 656. Ricinus Americanus tenujter diviſo folio, *Breyn-Cent.* 1. 116. vulgo *Medicinier d'Eſpagne*.

Arborum inſtar, inquit Plumerius, & caudicem, & ramos obtinet hæc planta, ſed brevem amplitudinem. Caudex etenim ejus brachii fere eſt craſſitie, ac tres, & ad ſummum quatuor pedes altus, tener, cortice indutus cinereo, venulis virentibus, & reticularibus diſcreto, & plagulis, foliorum ſcilicet decidentium, notato. Juxta ramorum ſummitates folia decem aut duodecim veluti in orbem expanduntur, longis pediculis innitentia, palmatim ſeu radiatim in plurimas lacinias acuminatas, & iterum laciniatas diſſecta, pedem interdum ampla, lævia, ſubtus e viridi albicantia, ſupra vero ſaturiori virore donata. Juxta pediculorum initia foliola alia inhæreſcunt tenujſſime velut in totidem fimbrias diſſecta, quæ ramorum ipſorum tandem velut echinatam efformant ſummitatem; unde florum elevatur præclara veluti umbella longo pedamento coccineo innixa, in ramulos ſcilicet multos iterum ramoſos diſperſa, quibus ſingulis flos prominet coccineo ſplendore inſignis; ſed aut ſterilis, aut fertilis.

Hi ſterilioribus equidem ſunt ampliores, at vero rariores. Utrinque roſacei ſunt, quinque ſcilicet petalis ovatis conſtantes in orbem poſitis, & calyci exiguo, & quinquifido inſidentibus. Sterilium centra quædam ſtamina occupant ſuis apicibus aureis inſtructa; fertilium vero embryo ovato trigonus, viridis, ſtaminulisque apices croceos, lunatos, & aureos gerentibus coronatus, qui deinde abit in fructum fere turbinatum, pene Nucis Juglandis magnitudine, cortice pollentem tenero, & croceo,

inque tres capſulas fiſſilem ſemine fœtas rotundo, Nucis Avellanæ fere magnitudine, & ſapore; de quo tamen cavendum; propter etenim nimiam catharticitatem ſummo periclitati ſunt diſcrimine vitæ. Si gladio vulnus caudici infligatur, & etiam ſi ejus folia detrahantur, ſuccus inde pellucidus, ſubluteus; & tantiſper viſcoſus ſatis abunde promanat. In hortis potiſſimum hæc planta colitur e continenti Americano ad inſulas allata.

Hujus fructus nucleus non minus purgat, quam cœterarum ſpecierum ſemina. Imo unicum ſemen ſufficit cum pauxillo butyri præmanſum, vel in juſculo tritum, vel in taleolas minimas ſectum, & cum offa devoratum, vel cum duabus Amygdalis contuſum, & aqua dilutum, ſub emulſionis forma.

Folia n. x. vel xij. leviter cocta in acetariis vel in offa ex juſculo pulli gallinacei benigne purgare dicuntur abſque torminibus, & faſtidio. Laudantur quoque adverſus icterum, & bilem effuſam.)

Nuculæ catharticæ quartum genus, Ricini Indici ſemina: Pinei nuclei Moluccani ſive purgatorii, & Grana Tiglia, *Off.* vulgo *Pignons d'Inde, Grains, de Tilli ou des Molucques.* Semina ſunt oblonga, ovata, Ricini vulgaris magnitudine, & forma, una parte gibba, altera nonnihil plana, quatuor levioribus angulis notata; quæ conſtant ex putamine tenui, cinereo, maculis hinc inde pullis aſperſo, & nucleo, & medulloſo, pingui, ſolido, candicante, ſapore acri, exurente, & nauſeoſo.

Planta dicitur, Ricinus arbor fructu glabro, Grana Tiglia officinis dicto, *Parad. Batav. Prodrom.* Cadel-avenacu, *H. Malabar.* 2. 61. Lignum Moluccenſe, foliis Malvæ, fructu Avellanæ minore, cortice molliore, & nigricante: Pavana incolis *C. B. P.* Pinus Indica nucleo purgante, *Ejuſdem* 492. ſaltem Paulus Hermannus, & Rajus hæc nomina tanquam ejuſdem plantæ ſynonyma proponunt. (Frutex hic caules gerit ſimplices, qui naſcuntur ſine ramis lateralibus, apice flores in ſpicam longam collectos gerentes. Folia nonnulla e caule exeunt ovato-oblonga, acuta, integra, lævia, tenuiter, & raro dentata, pediculis uncialibus adnexa, texturæ tenuis ac mollis, cum nervo, & venulis in adverſa parte prominentibus. Ad ſpicæ radicem duo egrediuntur rami ejuſdem ac caulis ſtaturæ, & ſic continuatur ſecundum ætates. Inferioris ſpicæ flores plures ſunt fœminini, ſuperioris vero maſculini, qui calycem nullum habent, petala octo, ſtamina ſexdecim piſtillum, & fructus nullos. Flores fœminini in inferiore ſpicæ parte calycem habent multifidum, embryonem ſubrotundum; triangularem, triſulcatum; piſtilla tria quæ tandem in fructum deſinunt, qui eſt capſula rotunda, triſulcata, trilocularis, in ſingulo loculo unicum ſemen oblongum, glabrum, ſplendens, ſtriatum, una parte incurvatum, altera depreſſum, continens.) Sub putamine tenui nucleus candidus, pinguis, oleoſus, reconditus, ſaporis acris exurentis. In Malabar, & aliis Indiæ orientalis locis colitur.

Hujus plantæ lignum, & ſemina in uſum medicum veniunt. Lignum quod Panava ſeu Pavana dicitur, ſpongioſum eſt, ut ait Hermannus, *M. Med.* leve, rarum, pallidum, tenui cortice cinereo obductum, ſaporis acris, mordacis, & cauſtici, odoris nauſeoſi.

Re-

Recens, & adhuc vegetum adeo potens eſt, ut ſeroſos humores tam per vomitum, quam per alvum expellat, relinquens ob intenſam ſui acredinem in ano inflammationem: ſiccum vero blandius ſubducit alvum, ac ſi parciori doſi exhibeatur, ſudorem elicit. In hydrope, leucophlegmatia, & pluribus morbis chronicis pro ſpecifico a Paulo Hermanno commendatur. Ad catharſim promovendam recens exhibetur in ſubſtantia a ℈j. ʒß. annoſum vero ad ʒj. in infuſo vel decocto ad ℥ß. Ad ſudorem excitandum datur a ℈ß. ad ℈j. in ſubſtantia, in infuſo vero ad ʒij. vel ʒiij. Decoctis ſudoriferis pro ſtimulo addi poteſt. Semina adeo potenter humores ſeroſos, viſcidos, & tenaces incidunt, & per ſuperiora, & inferiora educunt, ut hoc nomine ipſam Colocynthidem ſuperent. Maxima eorum vis poſita videtur in duabus quibuſdam membranulis ſeu foliolis primo germinantibus, quæ in eorum granorum media ſubſtantia latent. Datur integra nucleorum ſubſtantia, rejecto cortice exteriore: licet purgativa virtute haud careat a gr. iij. ad v. Unumquodque granum, inquit Paul. Hermannus, ſedem molitur unam, ſi aqua calida vel juſculum ſuperbibatur; ita tamen ut a tribus granis quinque ſeceſſus promoveantur. Alvus vero in momento ſiſtitur, ſi ſuperbibatur hauſtus largior aquæ frigidæ, vel ſi pedes aut manus frigida madefiant, & abluantur. Membranularum vero granum unum ſufficit ad purgandum.

Exhibetur quoque oleum ex ſeminibus expreſſum ad gr. j. valentius enim purgat quam oleum ex Ricino vulgari expreſſum.

Semina ob ſummam acredinem fauces, palatum, & nonnunquam anum inflammant: eam ob rem ſub forma pilularum ſæpius exhibentur. Ab Indis in urina vel aceto coquuntur: optime vero corriguntur Glycyrrhiza, Amygdalis dulcibus, ſucco Limonum, juſculis pinguibus, aliiſque nimiam acredinem obtundentibus. Torrefactione quoque ſub cineribus eorum vis temperatur.

Olei expreſſi uſus frequentior externus eſt. In alvi nimia adſtrictione umbilicus eo inungitur. Alvus ſubducitur a linimento ſic parato.

℞. Olei granor. Tigli expreſſi gutt. xij. olei Colocynthidos ʒjß. unguenti de Arthanita ʒj. M. F. linimentum quo abdomen inungatur.

Ex eodem oleo Pomum regium catharticum ab Indis præparatur, cujus odore ſolo delicatiorum alvus movetur. Malum Aurantium vel Citreum per menſem integrum in oleo ex granis Tigli expreſſo maceratur, poſtea eximitur. Si fortiter manibus fricetur ita ut incaleſcat, naribus admoveatur; ejuſque odor fortiter attrahatur; alvus paulo poſt movebitur.

Aliæ ſunt præterea quædam ſpecies Nucularum purgantium, ſed minus uſitatæ.

ARTICULUS VIGESIMUS-TERTIUS.

De ſemine Caffe.

CAffe, & Coffee, *Off.* Semen eſt durum, Faba paulo minus, ovatum, quatuor aut quinque lineas longum, tres quatuorve latum, altera parte convexum, altera planum, & inſigni ſulco notatum, flave-

ſcens,

ſcens, vel e cinereo aut viridi pallens, ſaporis farinacei leguminoſi; odoris fere expers. Duplex in officinis reperitur; alterum craſſius, pallidius, quod ex Mocha Arabiæ felicis emporio advehitur; alterum minus craſſum, ſubviride, quod ex Cairo affertur. Hoc ſemen fuit veteribus Græcis ignotum, Arabibuſque, apud quos nulla ejus mentio ante annum 1400. reperitur. Qui enim Bunchos eſſe Avicennæ exiſtimant, nullis ſuam opinionem argumentis probare valent. Europæis vero niſi ab annis ſexaginta circiter non innotuit.

De planta quæ hoc ſemen profert, nihil certi auctores tradiderunt. Eam Evonymo ſimilem pronuntiat P. Alpinus. Acta Philoſophica Londinenſia folia, & fructus deſcribunt, licet non adeo accurate: de floribus vero alte ſilent. Adhuc igitur ignota foret hæc planta, niſi Batavi hujus arboris ſtirpes aliquot ex Mocha in Europam attuliſſent, & in Horto Amſtelodamenſi excoluiſſent, ubi flores fructus protulerunt. Galliæ vero innotuit munificentia clariſſimi viri Pancratii, Conſulis, & Rectoris urbis Amſtelodamenſis, qui anno proxime elapſo 1714. Ludovico magno arbuſculam quinque pedes altam obtulit: quam in Horto Regio Pariſienſi diligenter aſſervatam, & excultam D. de Juſſieu, peritiſſimus Botanices Profeſſor, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, primus accuratiſſime deſcripſit.

Planta dicitur Jaſminum Arabicum Lauri folio, cujus ſemen apud nos *Caffe* dicitur, *D. de Juſſieu Commentariis R. Sc. Academiæ*. Arbor Ceraſorum vel Aurantiorum altitudinem vix ſuperat. Rami e trunco naſcuntur ſemper bini, oppoſiti, ordinibus alternatim rectis, & tranſverſis; flexiles, ſubrotundi, nodoſi, cortice tenui albicante circumveſtiti. Eorum nodis folia inhærent pediculo brevi, Lauri non abſimilia, molliori tamen, & ſubtiliori conſiſtentia, bina ſibi oppoſita, ordinibus alternis mutuo ſeſe interſecantibus, uncias quatuor aut quinque longa, duas circiter lata, utrinque acuminata, & in longum, & anguſtum mucronem deſinentia, undulata, deorſum incurvata, ſuperne ſemper virentia, glabra, nitentia; inferne vero pallentia, cum nervo unico utrinque ſatis prominente, qui per folii medium a pediculo ad apicem uſque exporrigitur; & ad latera plurimas emittit venulas; inodora, ſaporis herbacei. Floribus gaudet ex foliorum alis quatuor aut quinque ſimul naſcentibus brevi pediculo ſuffultis; albis, & nonnunquam pallide rubentibus, odoratis, monopetalis, infundibuliformibus, in quinque ut plurimum lacinias diviſis; Jaſmini Hiſpanici inſtar, ſed brevioribus, cum totidem ſtaminibus albis, & apicibus flaveſcentibus; qua in re a Jaſmini flore differt, qui duobus tantum ſtaminibus donatur. Ex ejus calyce viridi, & inæqualiter quadripartito ſurgit piſtillum viride, bifurcatum, infimæ floris parti ad inſtar clavi infixum, cujus pars infima ſeu embryo florem ſuſtinens abit in fructum ſeu baccam mollem, primo viridem, deinde rubram, & ubi maturuerit, atropurpuream, Ceraſi minoris magnitudine, cum foſſula, & umbilico ſeu papilla tenui in ſummitate, carne mucilaginoſa, pallida, fatui aut ingrati ſaporis; qui, cum exſiccatur fructus, leviter ſubacidus fit, & ad Prunorum exſiccatorum ſaporem nonnihil accedit. In ſinu ſuo recondit binos nucleos conjunctos, ovatos, & depreſſos ea parte, qua ſibi invicem adhærent; qui ſub putami-

tamine tenui, pallide flaveſcente, ſemen continent unicum pro ſingulo nucleo, calloſum ut ita dicam exterius ovatum ſeu incurvum, interne vero planum, & ſulco inſigni profundo notatum, durum, pallide virens, aut cinereum, aut flaveſcens. In Arabia felici, & in Æthiopia frequens naſcitur, & collitur, ibique per totum annum floribus, & fructibus luxuriat.

Bis terve anno fructus maturi colliguntur, & exſiccantur. Eſiccatorum caro tenuior, & fragilis fit: membrana ſubruſa baccharum Lauri inſtar, aut qualis in quibuſdam granis Caffe adhuc deprehenditur; quæ levi contritu a ſeminibus ſeparatur: Nec verum eſt, quod quidam ſcriptores referunt, hos fructus aqua calida macerari, ne apud exteras gentes germinare queant; quandoquidem fructus, niſi recens collecti bene maturi terræ ſtatim mandentur, non germinare ſolent, ut pluries compertum eſt.

Analyſi Chymica, ex ſeminis Caffe ℔iij. per retortam diſtillatis prodierunt phlegmatis limpidi, fere inodori, & inſipidi ℥iiij. ʒvß. liquoris ſubacidi, nonnihil auſteri ℥ij. ʒv. gr. xviij. liquoris tum acidi, tum acris urinoſi, odoris empyreumatici, ſaporis amari, & auſterii ℥xij. ʒiij. gr. xlviij. olei ſpiſſioris ad axungiæ conſiſtentiam accedentis ℥viij. ʒij. gr. lxvj. Maſſa in retorta reſidua pendebat ℥xj. ʒj. quæ per 33. horas calcinata reliquit cinerum adhuc fuſcorum ℥j. ʒv. gr. xv. ex quibus per lixivium extracta fuere ſalis mere alcali fixi ℥j. gr. lx. Subſtantiæ deperditæ pondus fuit ℥viij. ʒvj. gr. xij. per calcinationem avolarunt ſubſtantiæ ℥ix ʒiij. gr. lvij.

Præter hanc analyſim altera quoque in Academia Regia ſic inſtituta fuit. Hujus ſeminis ℔iij. poſtquam rite fuerunt torrefactæ, quarta ſui ponderis parte imminutæ ſunt. Eorum ſic toſtorum & pulveratorum ℔ij. ℥iiij. cum aquæ limpidæ ℔lxxij. leviter bullierunt. Ex hoc decocto per inclinationem a fœculento pulvere ſeparato, & per balneum vaporoſum lente diſtillato, prodierunt liquoris limpidi primum inſipidi, qui deinde ſubacidi ac tandem acidi fortis ſigna præbuit ℔lx. & ℥ix. In alambice maſſa ſuperſtes ad extracti ſolidi conſiſtentiam redacta pendebat ℥xvij. ʒij. quæ per retortam diſtillata præbuit liquoris acidi ℥v. ʒj. gr. lx. liquoris vero acris ſeu alcalici, cum portione ſalis volatilis urinoſi ℥ij. ʒiij. gran. xxx. olei craſſioris conſiſtentiæ ℥j. ʒv. gr. xlij. Maſſa in retorta reſidua nigra, rara, & ſpongioſa pendebat ℥iiij. ʒß. quæ per undecim horas & amplius calcinata, tum in igne reverberii, tum in crucibulo, adhuc nigricans reperta fuit: fumum, flammamque per totum hoc calcinationis tempus ſemper emiſit, & ad ℥j. ʒiij. pondus redacta fuit. Ex ea ſic calcinata lixivii ope ſalis alcali fixi cum odore, & ſapore ſulphuris ʒvij. gr. lxx. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione per retortam fuit ℥iij. ʒvj. gr. xlviij. in calcinatione vero partium in fumum & flammam exhalantium quantitas fuit ℥ij. ʒv. gr. xxxvj.

Hujus tincturæ analyſi patet ſeminis Caffe torrefacti unciam ſemiſſem continere extracti ſpiſſioris ʒj. gr. lxviij. ſalis acidi gr. l. circiter; ſalis volatilis urinoſi gr. viij. olei ad axungiæ conſiſtentiam appropinquantis gr. xiij. ſalis fixi grana viij. cinerum vero ſeu terræ inertis gr. iiij. Verum pulvis poſt decoctionem extractus rite exſiccatus ℥xxiij. ʒvj. tantummodo pendebat; & proinde pulveris toſti ℥xij. & amplius in decocto ſolutæ fuerunt.

Po-

Poſtea hujus pulveris fœculenti reſidui inſtituta per retortam diſtillatione, tranſierunt ℥v. ʒj. gr. xliii. liquoris, qui & acidi parcioris alcali copioſoris notas præbuit: olei craſſioris & adipoſæ conſiſtentiæ ℥vj. ʒvij. gr. xxxvj. ſalis volatilis gr. xxxviij. Ex retorta extractæ fuerunt ℥vj. ʒiiij. maſſæ nigræ, quæ per horas octo calcinata cinerum reliquit coloris leucophæi ʒiiij. gr. xxiij. ex quibus ſalis non mere alcali, ſed ſalſi, gr. xxiiij. lixivium eduxit. Itaque exhalatæ partes & deperditæ in diſtillatione æquarunt pondere ℥v. gr. xxv. in calcinatione vero ℥v. ʒvij. gr. xlviij.

Ex his analyſibus concludi poteſt ſemen Caffe oleo potiſſimum craſſiori empyreumatico, ſed admodum rareſcibili, & particulis igneis per torrefactionem imprægnato, cum portione ſalis volatilis non urinoſi mediocri conjuncto energiam ſuam debere.

Hujus ſeminis familiaris eſt uſu, non ſolum apud Arabes, Æthiopes, Ægyptios, Turcas, ſed etiam apud Æuropæos, ad ſorbitionem conficiendam, *Cahouah* Arabibus, *Cahveh* Turcis, *Coffet* vel *Coſſi* Anglis, & *Caffe* nobis nuncupatur.

Nonnulli apud Turcas, & Perſas decoctum faciunt ex ſolis membranaceis nucleorum tunicis, & hunc potum vocant *Caffe a la Sultane*. Alii vero fere omnes, præſertim in Europa, ex ſeminibus toſtis illam ſorbitionem præparant.

Torrentur ſemina ab involucris expurgata, ſubtiliter pulverantur. Deinde hujus pulveris ℥j. cum aquæ communis ℔ij. circiter, leviter decoquitur; & decoctio adhuc calens a fœculento pulvere in fundo vaſis præcipiti per inclinationem ſeparata, addito ſacchari momento, propinatur, tum in privatis tum in publicis ædibus non tam ratione valetudinis, quam garriendi & tempus terendi gratia.

Hæc tamen ſorbitio non inutilis eſt. In crapula, ventriculi imbecillitate, ciborum inappetentia, doloribus colicis flatulentis, menſium ſuppreſſione, ſomnolentia, & morbis ſoporoſis feliciter exhibetur. Ventriculum enim roborat; ad ciborum concoctionem cito perficiendam plurimuim conducit; cerebrum, & ſpiritus animales recreat; ingenium etiam acuit; mentemque mœſtam, & ut ita dicam torpeſcentem excitat, & ad functiones obeundas alacriorem, & promptiorem efficit; ſanguinis motum fermentatitium ſuſcitat; ſomnum pellit; humores lentos, ac ſpiſſos attenuat, & diſſolvit; diureſim promovet & menſes, atque etiam alvum ſæpe ſubducit. Hinc tot encomiis, & laudibus a quibuſdam commendatur. Obeſis præſertim, & iis, quorum humores præ nimio lentore ſtagnant, aut difficile circumeunt, confert. Verum macilentis, bilioſis, & illis quorum humores nimis ſoluti ſunt, & ſalibus acribus turgidi, admodum noxia eſt; necnon etiam melancholicis, & hypochondriacis, quorum ſanguis craſſior activis, & ſpirituoſis particulis deſtituitur, & ſalibus acribus fixis craſſioribus turgidus eſt. Potus enim Caffe ſulphureas ſanguinis partes nimium quam par eſt, ſolvit, ſpirituoſarum diſſipationem promovet: ita ut cruoris ſales acres ſui juris facti, & in motum acti, multas turbas excitare valeant. Inde ſanguinis diſſolutio nimia, & acrimonia ſumma, quas, hæmorragiæ, hæmorraides, vigiliæ, eryſipelata, cutanei affectus, cordis palpitationes, ſpaſmodici, & hipochondriaci affectus ſubſequuntur.

Ab

Ab hac ergo ſorbitione abſtinere debent bilioſi quibus præfervida ſunt viſcera, qui hæmorrhoidibus, hæmorrhagiis quibuſcumque, eryſipelatis, ſunt obnoxii, melancholici, & hypochondriaci, mulieres largiter menſtruatæ, necnon etiam gravidæ mulieres quibus ſæpiſſime immoderatus illius uſus abortum provocat.

Quandoque Caffe decoctum lacte temperatur, nec inepte; quandoquidem butyroſis lactis particulis ſulphureæ tenuiores Caffe partes, & ſales urinoſi volatiles tantiſper coercentur, & irretiuntur: quin etiam activis Caffe particulis lactis coagulatio impeditur, ejuſque partes butyroſæ blandæ pauliſper attenuatæ per totum corpus facilius circumvehuntur, & diſtribuuntur: ſicque ſeſe mutuo contemperant. Eam ob rem lac Caffe temperatum tabidis & emaciatis ſæpe proficuum fuit.

Decoctum ſeminum Caffe crudorum, non torrefactorum, in aqua communi a nonnullis tanquam ſpecificum commendatur in catharroſis affectibus: & reipſa eos ſæpe ſudores proliciendo ſanat.

ARTICULUS VIGESIMUS-QUARTUS.

De Nuce Moſchata, & Maci.

NUx Moſchata, Nux Myriſtica, & aromatica, *Off.* Giauziban, *Avicennæ*: Jeuzbave, vel Jusbaque, *Serapionis*: Μοσχοκαρυον, Κάρυον μυρεψικόν, Μυριστικόν, ἀρωματικόν, *Græcor. recentiorum*: vulgo *Noix Muſcade*. Nucleus eſt firmus, & compactus, in pila fragilis tamen, nec difficulter in fruſtula diſſiliens, pinguis, & odoratus, extus nonnihil rugoſus, & coloris fere cinerei, intus variegatus venis ſpadiceis, & ex flavo albicantibus, undatim vel ſine ullo ordine hinc inde diſcurſantibus.

Genuinæ Nucis Muſchatæ duæ ſunt ſpecies in officinis. Una figura olivari, odore aromatico grato, ſapore acri aromatico, nonnihil adſtringente; quæ fœmina dicitur, & maxime venit in uſum. Altera, quæ mas a quibuſdam, longior eſt, & fere cylindracea, non odoris, & ſaporis aromatici expers, licet minus uſitata. Inter eas quædam Nuces occurrunt diverſa, & irregulari figura donatæ, qui quidem monſtra, vel luſus naturæ ſunt.

Aliæ præterea ſunt Nuces Moſchatæ ſylveſtres, quarum ſpecies plures a Batavis diſtinguuntur. Illarum præcipua eſt Nux Moſchata mas, officinarum vulgo ſic dicta, Nuce Moſchata vulgari ſeu fœmina major, oblonga, in utraque extremitate obtuſa, & veluti quadrata, ejuſdem ſubſtantiæ, odoris fere expers, & ſaporis ingrati. Facile a vermibus corroditur: & ſi aliis Nucibus miſceatur, eaſdem corrumpere dicitur, unde interdictum fuit, ut iiſdem miſcerentur. *Pala-tubir*, hoc eſt Nux montana, in Banda dicitur. Rariſſimi eſt uſus.

Hæ Nuces a Batavorum mercatorum ſocietate ex India orientali Amſtelodamum tranſvehuntur, in alias regiones deferendæ.

Eli-

Eligatur Nux Moſchata ſubrotunda ſeu olivaris, fœmina dicta, quæ probatur recens, gravis, pinguis, & quæ acu puncta ſuccum mox reddit oleoſum.

J. Bauhinus exiſtimat Nucem Moſchatam eſſe *κώμακον Theophraſti*, nec Plinio incognitam fuiſſe, quam deſignaſſe aſſerit ſub Cinnamomi nomine, ex quo ſuccus quem Caryopon dicebant, exprimebatur; hodie ſub nomine olei Nucis Moſchatæ in officinis adhuc uſitatum. Non deſunt tamen plurimæ dubitandi rationes, quandoquidem Dioſcorides de Nuce Moſchata, & Maci nihil ſcripſit. Macer autem, de quo loquitur, res eſt a Maci prorſus diverſa. Macis enim eſt involucrum Nucis aromaticis, Macer vero ligni cujuſdam cortex, cujus notitia hodie admodum incerta eſt. Arabibus autem Macis, & Nux Moſchata optime fuerunt cognita. Prima eorum mentio apud Avicennam reperitur.

Arbor, quæ Nucem Moſchatam vulgarem ſeu fœminam profert, dicitur Nux Moſchata fructu rotundo, *C. B. P.* 407. Pala, *Piſon. Mantiſſ. arom.* 173. Arbor eſt Pyro non abſimilis, cortice cinereo, & ligno medulloſo. Folia bina ut plurimum naſcuntur, licet non exacte oppoſita, ſuperne intenſe viridia, infra albicantia, palmum longa, glabra, Lauri ſimilia, in apicem prolixum deſinentia, pediculo carentia, coſta media ab exortu ad apicem uſque producta, ex qua nervi obliqui, nunc conjungati, nunc alterni ad ambitum aſcendunt. Folia non tantum recentia manu contrita fragrant, ſed exſiccata acria ſunt, & aromatica. Flores flaveſcentes, pentapetali, Ceraſi floribus haud diſſimiles ſunt: illis ſuccedit fructus pediculo longo ſuſpenſus, orbiculatus, Nuci Juglandi vel Malo Perſico ſimilis, cujus nucleus triplici cortice induitur. Primum enim adeſt cortex carnoſus, mollis, ſuccoſus, digitum circiter craſſus, ſed villoſus, & rufus, maſculis luteis, aureis purpureiſque diſtinctus, ſicut apud nos Mala Armeniaca, aut Perſica, maturitatis tempore ſponte dehiſcens, ſaporis auſteri, & adſtringentis. Cortici ſubeſt alterum reticulare quoddam involucrum, aut potius in pluries lacinias diffiſſum, ſubſtantiæ lentæ, oleaginoſæ, & veluti cartilagineæ, tenuis; odoris aromatici pergrati; ſaporis acris, & aromatici, cum amarore quodam; coloris crocei, aut flaveſcentis, Macis dictum. Hujus inter fiſſuras apparet tertium involucrum, teſta nempe durior lignoſa, tenuis, & fuſco rufeſcens, fragilis: in qua continetur nucleus ſeu ipſa Nux Moſchata ovalis, ſemiunciam ſuperans, ſulcis inordinatis diſtincta, cinerei coloris; mollior primo, deinde per tempus exſiccata, & indurata, intus ex flaveſcente, & e rubro fuſco colore variegata, odoris eximii, ſaporis acris, cum ſuavitate amaricantis, ſubſtantia oleoſa, & ſebo quodammodo ſimili. Trunco inciſo, aut ramo decerpto, ſuccus viſcidus pallide rubicundus inſtar ſanguinis dilutioris, ex vulnere effluit, qui ſtatim intenſe rubet, & in linteaminibus rubras maculas relinquit, quæ vix elui poſſunt. In Moluccanis Inſulis ſponte creſcit, ſed præſertim colitur in Provincia Banda, quæ ex ſex Inſulis minoribus conſtat, ſcilicet *Nera*, *Lontar*, *Pulo-ay*, *Gunongapi*, *Pulorong*, & *Roſſing-eyn*. Harum tres priores Nucum Moſchatarum admodum fertiles ſunt.

Macis itaque, *Off.* Bongo-pala Mollucenſibus, *Piſon. Mant. aromaticæ* 173.

173. Biſbeſe, *Serapionis* : Beſbahe, *Avicennæ* : Foli, *Batavorum* : Gallice *Macis* & *Fleur de Muſcade*, improprie. Eſt ſubſtantia quædam membranacea, craſſior & veluti cartilaginea, oleaginoſa, reticuli aut laciniarum in modum ſupra putamen lignoſum Nucis Moſchatæ protenſa, & carni hujuſce fructus ſubſtrata; coloris rubentis primo & elegantis, ſed poſtquam aeri expoſita fuit, flaveſcentis; odoris aromatici pergrati; ſaporis grati, aromatici, acris cum amarore quodam, & oleaginem quamdam expreſſione fundens, ſi recens ſit: affertur a cœteris fructus partibus ſeparata & exſiccata. Probatur recens, lenta, oleaginoſa, colore ad croceum accedente, & odoratiſſima.

Arbor quæ Nucem Moſchatam marem ſeu ſylveſtrem profert, dicitur Nux Moſchata fructu oblongo, *C. B. P.* 407. Palametſiri, Nux Moſchata, mas dicta, *Piſon. Mantiſſ. aromat.* 176. Nuce Moſchata vulgari excelſior eſt, minus ramoſa minuſque frondoſa: folia longe majora, ſpithamam aut ſeſquipedem longa, atro viridia, ſaporis ingrati: fructus majores, carne ſolidiore ac tenaciore, cui ſubeſt Macis arida, exſiccata, palleſcens & ſaporis ingrati: nucleus putamine duro, lignoſo & craſſiore contegitur, nigricante: ſubſtantia eſt fere ſimili, non tam pingui, elegantibus venulis nigricantibus intus perfuſa, fere inodorata & palato ingrata. *Pala-tuhir*, hoc eſt Nux montana, in Banda dicitur: in locis montanis & ſylveſtribus Moluccanarum inſularum naſcitur hæc arbor, necnon etiam in Malabara.

Nux Moſchata mas, ſeu ſylveſtris, nullius eſt uſus in Medicina: a quibuſdam tantum ſuperſtitioſis expetitur ad philtra inde paranda, quibus admiranda ſe præſtare poſſe exiſtimant.

Moſchatarum autem Nucum collectio & præparatio ſic inſtituitur. Fructibus ad maturitatem perductis, incolæ arbores conſcendunt, eoſque, hamulis longioribus ramulos attrahendo, decerpunt: alii eas ſtatim cultro aperiunt, & liberant a corticibus, qui in acervos conjiciuntur in ſylvis, ubi per tempus putreſcunt. Corticibus putreſcentibus innaſcitur certa ſpecies fungorum, qui Boleti Moſchocaryni dicuntur, nigricantium, edulium, palato gratiſſimorum, & avide ab incolis expetitorum. Nuces a corticibus ſpoliatas domum deferunt, ubi cultello Macin deglubunt, cavendo ne frangatur, quantum fieri poteſt. Macis inſtar ſanguinis rubicunda per diem in ſole exſiccatur, ejuſque color in obſcure rubicundum convertitur: tum per ſex vel octo dies in alium locum radiis ſolaribus minus expoſitum tranſportatur, ut quodammodo rurſus emolliatur, ne ſiccior facile diſrumpatur; deinde aqua marina tantiſper conſperſa, ne comminuatur aut oleaginoſitatem diſperdat, in ſacculis includitur, & compactiſſime comprimitur. Sicut a nimia ſiccitate comminuitur, & oleum aromaticum amittit, ſic humiditate nimia putredini & vermibus fit obnoxia; quamobrem ab utroque cavendum. Nuces teſta lignoſa adhuc reconditæ per tres circiter dies ſoli exponuntur; poſtea vero ignis fumo perfecte exſiccantur, donec ſonitum, dum agitantur, edant: humidæ enim nonniſi obtuſum ſonum emittunt. Tum fuſtibus aut ſaxo graviori tunduntur, ut putamen lignoſum in fruſta diſſiliat. Nuces ſic a teſtis mundatæ in tres diſtribuuntur acervos, quorum primus majores continet & elegantiores, quas in Europam devehunt:

mediæ in ſecundo acervo colliguntur, quæ in India ad uſum reſervantur: tertius acervus minores, irregulares & immaturas capit, quarum pars maxima comburitur, altera vero ad oleum inde exprimendum uſurpatur.

Selectæ Nuces facile corrumperentur, niſi aqua calcis inficerentur; ac veluti condirentur. Calx e conchyliis combuſtis præparata, aqua ſalſa diluitur ad pultis fluidioris conſiſtentiam: in eam Nuces cordibus minoribus incluſæ bis vel ter infunduntur, donec aqua eas omnes attigerit, & poſtea in cumulum coacervantur: ibi incaleſcunt, & humiditas ſupervacanea in fumum exhalat. Cum autem jam debite ſudarunt, legitimæ præparatæ ſunt, & ad transfretationem ferendam aptæ. Nuces quoque conditæ non tantum per univerſam Indiam, ſed etiam in Europam devehuntur. Ea eſt illarum condiendarum ratio. Nuces jam ferme maturæ, ſed nondum dehiſcentes, caute ex arboribus decerptæ aqua decoquuntur, & ſubula perforantur, dein per octo vel decem dies in aqua macerantur, donec auſterum & acerbum ſaporem depoſuerint. Quo facto, in julepo ex ſacchari & aquæ partibus æqualibus parato plus minuſve coquuntur, prout aut molliores, aut firmiores deſiderantur. Si duræ expetantur, aliquid calcis injicitur: aqua ſaccharata quotidie a fructu ſeparatur, tantiſper decoquitur, & rurſus fructui affunditur, idque denuo per octiduum: tandem adhuc unica vice cocto ſyrupo ſpiſſiuſculo Nuces infundendæ ſunt, & in olla lapidea probe obturata aſſervandæ. In conviviis plerumque cum aliis condimentis & bellariis pro ultima menſa apponuntur, & cum potu Theæ cum primis aſſumuntur. Caro comeditur tantum, nonnulli etiam Macim maſticant: ſed nucleus rejici ſolet. Muria quoque aut ſale & aceto condiuntur Nuces, ſed non ſic comeduntur. Salitæ enim aqua dulci macerantur, donec ſaporem ſalſum amittant: poſtea in aqua cum ſaccharo decoquuntur.

Nux Moſchata abundat oleo eſſentiali, tum ſubtili, tum craſſo cum ſale acido & terra nonnihil adſtringente conjuncto. Oleum duplex ſuppeditat diſtillationis ope: ſi enim Nuces contuſæ & multa aqua maceratæ diſtillentur, prodit olei tenuioris ℥j. pro ſingulis Nucis Moſchatæ libris; & finita diſtillatione, oleum in aquæ ſuperficie cui ſebi inſtar innatat, craſſum & ſebaceum virtute aromatica fere orbatum reperitur. Per expreſſionem vero ex Nucum Moſchatarum ℥xvj. extrahuntur ℥iij. ʒij. olei ſebaceæ conſiſtentiæ, Nucem Moſchatam odore & ſapore apprime referentis.

Macis oleo tenuiore & uberiore turget, quod etiam diſtillatione elicitur: cujus pars prima pellucida inſtar aquæ profluit, odore & ſapore præſtantior: media leviter flaveſcens: tertia, ſi fortiter urgeatur, ruſeſcens. Omnes adeo ſubtiles ſunt & volatiles, ut, niſi in vaſis accurate clauſis ſerventur, magna earum copia in auras diſſipetur. Ab eodem oleum craſſiuſculum, aut ad axungiæ conſiſtentiam accedens, per expreſſionem educitur oleo Nucis Moſchatæ tenuius.

Nux Moſchata non ſolum ad ciborum condimenta frequens uſurpatur, ſed etiam uſui Medico inſervit. Stomachica enim eſt, ciborum concoctionem juvat, vomitum compeſcit, viſcera roborat, flatus diſcutit, coli-

colicos dolores ſedat, alvi fluvus ſiſtit, ſanguinis motum auget, venenis reſiſtit, in catharris & frigidis nervorum affectionibus plurimum conducit. Ab Ettmullero ad paralyſim partium deglutitioni inſervientium maſticata & deglutita commendatur. Soporem etiam inducit, & idcirco immoderatus illius uſus vitandus eſt. Obſervat enim Jacobus Bontius *in Notis ad Garziam* aliquot ex Nucis Moſchatæ uſu nimio non parum periclitatos fuiſſe, qui per diem unum aut alterum non ſecus, ac caro correpti, immobiles, ac muti jacuerunt. Batavi quoque obſervant, Nuces conditas quotidie aſſidue aut majori copia ſumptas caput afficere, & affectus ſoporoſos procreare; unde homines ſomnolenti, pigri & obliviosi redduntur. Necnon etiam ventriculum gravant, moleſtam ciborum digeſtionem efficiunt, appetitum proſternunt, tum oleoſis ſuis particulis quæ ventriculi ſuccum digeſtivum obtundunt, tum etiam activis ſuis particulis quæ ventriculi membranas ad inflammationem diſponunt. In affectibus uteri flatulentis, in dolore uteri, ejuſque inflatione poſt partum ab aere frigido admiſſo tanquam expertum remedium ſuffitus e Nuce Moſchata prædicatur.

Nucis Moſchatæ vis adſtringens torrefactione augetur: idcirco in alvi fluxu & dyſenteria, torrefacta præſcribitur. Doſis in ſubſtantia a ℈ß. ad ʒß. torrefactæ ad ʒj.

Macis iiſdem viribus, ac Nux Moſchata donatur, minus tamen adſtringit: nec minus periculi eſt in Maci, quam in Nuce Moſchata, ſi copia peccetur. C. Hoffmannus narrat de quadam puella, quod cum pluſculum Macis ad menſes movendos aſſumpſiſſet, delirio per aliquot horas affecta fuerit.

℞. Nucis Moſch. ℥ß. Cinnamomi ʒij. Caryophyllor. ʒß. Sacchari ℥j. M. F. pulvis, cujus ʒij. poſt paſtum ſumantur in hauſtu vini generoſi ad ciborum concoctionem perficiendam.

℞. Nuc. Moſch. torrefactæ ʒß. Terræ Cathecu ℈j. Mivæ Cydonior. q. ſ. M. F. bolus bis terve die iterandus ad diarrhæas ſiſtendas.

℞. Nuc. Moſch. ʒj. Theriaces Andromachi ʒß. Diacod. q. ſ. Fiat bolus in colicis doloribus, dyſenteria, teneſmo, ad dolorem ſedandum & ſomnum conciliandum.

℞. Macis ʒß. Aniſi, Coriandri ana ℈j. Sacchari albiſſ. ʒjß. Craſſiuſcule contuſa infundantur per aliquot horas in vini hauſtu. Infuſio calida coletur & propinetur ad colicam flatulentam diſcutiendam.

Nux Moſchata uſurpatur in Electuario Diaſatyrio *Charas*, Emplaſtro cephalico, & Emplaſtro ſtomachico *Ejuſdem*. Macis uſurpatur in Tabellis Magnanimitatis, Pulvere digeſtivo, Pulvere contra abortum, Orvietano *Ejuſdem*, Opiata *Salomonis*, Electuar. Diaphœnico & Benedicta laxativa. Ambo in Tabellis ſtomachicis, Pulvere aromatico roſato, & Pulvere lætificante.

Chymici olea extrahunt ex Nuce Moſchata & Maci; tum per expreſſionem, tum per diſtillationem, ut jam diximus. Ea eſt olei Nucis Moſchatæ per expreſſionem conficiendi ratio.

℞. Nuces Moſchatas pleniores, pinguiores, & ponderoſiores q. pl. In

ſubtilem redigantur pulverem, qui ſupra cribrum inverſum ſub lance ſtannea vapori aquæ ferventis per horæ ſemiquadrantem exponatur, ut vapore fervido omnino penetretur & bene calefiat: tunc forti & denſo ſacculo diligenter incluſus prælo calido citiſſime & fortiter exprimatur, & exſtillabit oleum flavum primo limpidum & fluidum, dum adhuc calens eſt; quod refrigeratum in ſebaceam conſiſtentiam brevi concreſcit, coloris aurei vel crocei.

Oleum ex Maci expreſſum ſimili modo elicitur.

Olea eſſentialia Nucis Moſchatæ & Macis per diſtillationem eodem modo ac cætera olea eſſentialia præparantur.

♃. Nucis Moſch. contuſæ, aut Macis ℔j. Digeratur in aquæ communis tepidæ ℔vj. per dies xv. Deinde inſtituatur diſtillatio in alambice refrigeratorio. Prodibit oleum ſubtile, odoratum & flaveſcens cum aqua permixtum, ſaporis ſubacidi, acris, aromatici; ima parte tantillo craſſiore quam ſuprema.

Hæc olea indiſcriminatim uſurpari poſſunt, cum iiſdem donentur viribus. Proſunt in torminibus ventris, in nephriticis doloribus intus ſumpta a gutta j. ad iv. Extrinſecus commendantur in nervorum affectibus, paralyſi, catharris, & arthritide: ventriculum roborant, vomitum & ſingultum ſedant, & ciborum concoctionem juvant, ſi epigaſtrica regio illis inungatur: umbilico admota infantum tormina compeſcunt: temporibus illita blande conciliant ſomnum. Oleum Nucis Moſchatæ ad mammillas puellarum quam par eſt graciliores externe admotum tanquam proficuum Rajus commendat: brevi enim temporis ſpatio, inquit, intumeſcere & ſororiari incipiunt.

Hæc olea diſtillata in Pilulis purgantibus ſæpe uſurpantur ad catharticorum, reſinoſorum præſertim, vim temperandam & demulcendam.

Oleum Nucis Moſchatæ adhibetur ſæpius ad corpus balſamorum apoplecticorum, cephalicorum, hyſtericorum, conſtituendum: necnon etiam ad id dealbatur diuturna in ſpiritu vini maceratione.

♃. Medullæ bovinæ, urinæ ſanæ, vini rubri ana ℥ij. Coquantur lento igne ad humiditatis fere totius evaporationem. Fiat colatura, cui adde tepentis olei lumbricor. ℥ß. ſpermatis ceti ʒij. olei Nucis Moſch. ʒj. M. F. linimentum, quo ſpina dorſi, a nucha ordiendo, quotidie veſperi inungatur, in rachitide.

♃. Ol. Nuc. Moſch. & ol. Palmæ ana ʒjß. Oleor. Majoranæ, Roriſmarini, Lavandulæ, & Salviæ ana gutt. x. M. F. balſamum cephalicum, quo caput inungatur ad affectus frigidos, pituitoſos & catharroſos diſcutiendos, cephalalgiam, & hemicraniam ſedandam, & in apoplexia.

♃. Ol. Nuc. Moſch. expreſſ. ʒij. Balſami Peruvian. ʒß. Oleor. ſtillatitior. Macis, Abſynthii, Menthæ, Cinnammomi, Caryophyllor. ana gutt. xij. M. F. balſamum, quo inungantur ſcrobiculum cordis, & epigaſtrica regio, in lipothymia, cordis anxietate, ſingultu, nauſea, vomitu, difficili ciborum concoctione, & ventriculi imbecillitate.

♃. Ol. Nuc. Moſc. Bitumin. Judaici ana ʒij. Caſtorei pulver. gr. vj. Oleor.

ſtillatitior. Succini, Rutæ, Matricar. Abſynthii & Tanaceti ana gutt. xv. Gagatis guttas xx. M. F. balſamum hyſtericum.

ARTICULUS VIGESIMUS-QUINTUS.

De Nuce vomica, Ligno Colubrino, & Faba ſancti Ignatii.

NUx vomica, *Off.* vulgo, *Noix vomique*. Nucleus eſt orbiculatus, planus, depreſſus, unciam circiter latus, duas treſve lineas craſſus, ſubſtantiæ duræ, corneæ, coloris cinerei, foris parum lanuginoſus, cum umbilico utrinque medium occupante, ſed altera facie depreſſiore, ſaporis amari. Ex India orientali cum Ligno Colubrino affertur.

Græcis prorſus ignota videtur; neque etiam conſtat num fuerit Nux Methel aut vomica Arabum. Nonnulli Nucem vomicam radicem eſſe opinati ſunt, ſed erronee. Neque etiam fungus eſt, ut alii exiſtimant; ſed nucleus eſt fructus cujuſdam arboris quæ dicitur Nux vomica major, & officinar. *Parad. Batav. Prodr.* Caniram, *Horti Malabari*, *T.* 1. Malus Malabarica, fructu corticoſo amaricante, ſemine plano compreſſo, D. Syen, *Raii Hiſtor.* 1661. Solanum arboreſcens Indicum maximum, foliis OEnopliæ ſive Napecæ majoribus; fructu rotundo, duro, rubro; ſemine orbiculari, compreſſo, maximo; Nuces vomicas & Lignum Colubrinum officinarum ferens, *Breyn.* 2. *Prodrom.* Nux vomica in officinis, *C. B. P.* 511. Colubrini Ligni tertium genus in Malabar vaſtæ arboris magnitudine Acoſtæ, *Ejuſdem* 301. Nux vomica, vulgo officinar. compreſſa, hirſuta, *J. B. t.* 1. 339. Colubrinum Lignum Cluſii, *Pao de Cobra* dictum, forte tertium Acoſtæ, J. *B.* 2. 173. Cucurbitifera Malabarienſis, OEnoplio foliis rotundis, fructu orbiculari, rubro, cujus grana ſunt Nuces vomicæ officinar. *Plukn. Almageſto Botanico.*

Arbor eſt procera, patula. Caudex ambitu amplexum duorum hominum implet, cortice cinereo, nigricante aut rubente, amaro obductus. Folia ex ſurculorum nodis oriuntur oppoſita, oblongo-rotunda, in medio latiſſima, anterius rotundo-cuſpidata, virentia, ſaporis valde amari, cum tribus nervis utrinque nonnihil prominentibus. Flores in ſurculis ex nodis umbellatim proveniunt, (calyce conſtantes regulari, quinquifido, parvo, germini inſidentes; corolla vero infundibuliformi, ad maximam partem quinquifida; ſtaminibus quinque cum apicibus longis, & piſtillo unico petalo longiori. Fructus rotunda mala ſunt, glabra, colore primum viridi, deinde aureo flavo, carne per maturitatem candida & mucilaginoſa, cortice craſſiuſculo & fragili; ſaporiſque valde amari, unicapſulari. Semina in unoquoque fructu quindecim, in tribus phalangibus diſpoſita, orbiculata, depreſſa,) cortice exteriori, cum immatura ſunt, argenteo, parumper ad ſpadiceum vergente, per maturitatem vero villoſo, ſubviridi, tenui, & pulpa intenſe amara. In Malabara, & Coromandel creſcit.

Horti Malabarici ſcriptores referunt radicis hujus arboris decoctum humores per alvum evacuare; ſuccum ex foliis expreſſum & in decocto datum ca-

pitis dolores ſedare; largius epotum venenoſum eſſe, mortemque inferre; uſum ſeminum in fructibus per duos annos continuatum, ſumpto ſingulis diebus uno aut altero ſemine, efficere ut morſus venenatus ſerpentis, vulgo *Cobra Capella* dicti, nullas noxas afferat; ſi credere fas ſit, inquit Rajus.

Nuces vomicæ, *Off.* canes, feles, aliaque quadrupeda animalia cœca naſci ſolita ſpecifica quadam vi texica enecant. Corvis pariter, coturnicibus, & aliis quibuſdam avibus infeſtæ ſunt. Medici fere omnes tantam in illis virulentiam eſſe opinantur, ut ad ℨij. pondus ſumptas hominem interimere aſſerant. Saltem parva doſi ſtomachum ſubvertunt, & convulſivos motus excitant. Quæ cum ita ſint, mirandum ſane quod alexipharmacis annumeratæ fuerint.

Hujus Nucis venenum nervos potiſſimum afficere videtur. Hinc enim anxietas, rigor, horror, tremor, convulſiones, & reſpiratio inordinata. Quod quidem confirmatur ab Antonio de Heyde, *Obſervationum Centuriæ* 50. „ Duas, inquit ille, Nuces vomicas in fruſta inciſas pani butyrato mixtas cani appoſui, qui ea avide devorabat: poſt ſemihoram ingurgitabat ſe oſſibus & cartilaginibus coctis. Sed altera elapſa ſemihora, tremebat totus, de loco in locum diſcurrens: erectus ſtare haud potis erat, niſi fulcro innitens: rigore & convulſionibus crura afficiebantur: tertia ſemihora finita, ut mortuus corruit: brevi poſtea reſpirare cœpit celeriter, & adjutus pedibus inſiſtebat: ad minimum rumorem horrere videbatur, & celerius reſpirare. Hoc in ſtatu per quartam ſemihoram ſuperſtes manet canis, ac tandem ſubito moritur. Diſſecto canis cadavere, hæc apparuere phænomena: Ventriculus ingurgitato cibo refertus erat, admixtis Nucis vomicæ ſegmentis, quæ nullam mutationem paſſa videbantur, quam quod molliora eſſent: idem accidit ſegmento per idem temporis ſpatium in aqua calida detento. Porro ſtomachus, æſophagus & inteſtinum naturali conſtitutione gaudebant. Vaſa lactea in meſenterio turgebant chylo. Pulmones ſolito rubicundiores, & cordis ventriculi, ejuſque auriculæ debito tumidiores erant. Ex diſſecto cordis ventriculo dextro, vena cava aſcendente & deſcendente ſtricta, magna ſanguinis copia effluebat, qui in thoracis cavitate ſtatim coagulabatur. Circa cerebrum nihil præter naturam notatum fuit. Hoc in experimento magna ciborum copia, quibus canis ſe ingurgitaverat, Nucis effectum tardiorem effecit, licet major fuerit ejus doſis, & pluſquam ſufficiens ad mortem celerem inferendam. Et re quidem ipſa ſtatim atque Nucis vomicæ particulæ a ſucco ſtomachali ſufficiente quantitate ſolutæ fuerunt, & nervoſas ventriculi fibras affecerunt, eodem inſtanti mortuus canis corruit „. Aliæ ſunt obſervationes a Wepfero *Tractatu de Cicuta aquatica* ſcriptæ, quibus liquet minorem ejus doſim pariter mortem inducere, ſed gravioribus ſymptomatis ſtipatam. Inter eas hanc unam referam.

Caniculæ provectioris ætatis & mediocris magnitudinis Nucis vomicæ limatæ drachmam dimidiam cum mica panis in bolum redactam dedit. Præ timore mox alvum & veſicam exoneravit. Ultra dimidiam horam nullum ſymptoma obſervatum fuit, niſi quod latebras quæſierit & ſubinde fugam tentarit. Nunquam vomuit, neque eructavit, aut ſpumam profudit: at

crebro

crebro os lingebat. Tunc vero ſtans aut lumbis inſidens erectis oculis connivendo caput antrorſum inclinavit: mox caput, ceu ab inſomnio perterrita, ut & pedes anteriores in altum attollebat; ſubinde caput retrorſum trahebatur, nunc fortius, nunc mitius, nunc brevioribus, nunc longioribus intervallis. Interea crebro mingebat: ſemel egeſſit ſcybala alba concreta, non tamen indurata: frequentes ſubſultus in partibus carnoſis trunci & artuum obſervati ſunt. Paulo poſt forti epilepſia correpta fuit: in hoc paroxyſmo qui fere per horæ duodecimam partem duravit, caput retrahebatur, oculi fixi manſerunt, pedes nunc extenſi obriguerunt, nunc ſuccutiebantur & tremebant; reſpiratio aliquamdiu ceſſare videbatur: cor celeriter: frequenter & validiſſime pulſabat manum attingentis: nec excrementa per alvum aut urethram, nec ſalviam aut ſpumam ore egeſſit: nulla ullius ſenſus indicia animadvertebantur. Finito paroxiſmo, immobilis ceu paralytica jacuit: reſpiravit celerrime & frequentiſſime, ceu a curſu incenſa: cor frequentius, celerius, ac debilius quam in paroxiſmo movebatur. Brevi tamen vires recuperavit, in pedes ſurrexit, leviculo baculi attactu cucurrit, & ſolitas latebras quæſiit. Verum non longæ induciæ concedebantur: ſtanti enim pedes anteriores ſubito & vehementius in altum abripiebantur, plerumque primum oculis clauſis, poſtea etiam apertis, ac ſi in ſomno territa fuiſſet, ipſaque coma vigil pateretur: quandoque etiam caput retrorſum trahebatur. Hi epilepſiæ prodromi crebriores & vehementiores erant, quam primum paroxyſmum præcedentes; manſere tamen hactenus ſenſus integri: crebro minxit, alvo ſemper occluſa. Vix horæ quadrante elapſo, rediit epilepſia, in qua ſtans projiciebatur cum impetu quodam in pavimentum: in principio artus, truncus & caput valide quaſſabantur, mox artus & truncus, capite retracto, rigebant; pedes poſteriores mire elongabantur, tenſique manebant, reſpiratio erat intercepta; cor vehementer, citiſſime, ſed æqualiter movebatur. Paroxyſmus iſte citius primo & ſua ſponte remiſit. Ante ſemiquadrantem horæ partem tertia vice epilepſia correpta fuit vehementiſſima. Poſt alterum horæ quadrantem quarto epilepſiæ paroxyſmo omnibus ſenſibus abolitis proſtrata fuit, omni genere motuum convulſivorum exagitabatur, cum reſpiratione intercepta circa ullius excrementi ſenſibilem excretionem.

Duratio hujus paroxyſmi cœteris non longior fuit, ſcilicet duodecima horæ parte. Finito paroxyſmo, inſtar mortuæ jacuit: mox celerrime, & frequentiſſime reſpirare & oculos movere incepit, ſenſibus integris; nihilominus multifariam artus motibus convulſivis afficiebantur. Nunquam tamen etiam compulſa ſurgere potuit: oculi turbidiores fiebant, motus convulſivi ſubinde invaleſcebant, manentibus reſpiratione, & ſenſibus, labia tremebant, & quandoque motu cynico torquebantur: paulo poſt cordis motus magis magiſque elanguit, brevique citra paroxyſmum epilepticum plane ſubſtitit, & canicula vivere deſiit.

Pectus ſtatim fractis coſtis apertum fuit: dextro cordis ventriculo ſanguine turgidiſſimo diſciſſo, cum impetu ſanguis rucilus ad ulnæ dimidiæ altitudinem proſiliit, licet nec vel minimi motus veſtigium in corde apparuerit: neque in hoc ventriculo, neque in illius auricula, neque in vena

cava vel minimum grumulum ſanguinis coagulati repertum fuit ; indito digito , inſignis calor in hoc ventriculo ſentiebatur . Inciſo ſiniſtro ventriculo , prodiit ſanguis copioſus , ſplendidius rutilans , & grumorum expers , ac citra impetum . Sanguis extravaſatus protinus in grumos concrevit . Pulmones erant molles , non inflati , imo aliquantulum collapſi , ſubrubri , alicubi maculis rubris quaſi conſperſi . Imo ventre aperto , motus ventriculi manifeſte percipiebatur , qui ſecundum longitudinem corrugabatur ſulcis rectis & profundis , plane conſpicuis ; poſtea etiam fibris circularibus motis circa antrum pylori , circa medium & verſus ſtomachum contrahebatur . A contractione ventriculus minor & anguſtior evadebat : relaxata contractione , magis diſtendebatur ; & amplior quam contentorum fluidorum & craſſiorum moles poſtulabat , manifeſte reddebatur : repetita contractione , rurſus minor & anguſtior fiebat , idque ſæpius alternante contractione & relaxatione . Inteſtina omnia , etiam rectum , motu periſtaltico ſurſum deorſumque movebantur . Hic inteſtinorum & ventriculi motus perſeverabat , quamdiu hæ partes calebant , licet jampridem corde emortuo & ſanguine pene omni effuſo . Ventriculo diſſecto, bolus Nucis vomicæ nondum penitus diſſolutus, muco turbido immerſus & obvolutus occurrit in ipſius fundo , cum quorumdam alimentorum reliquiis. Interna ventriculi ſuperficie ab omnibus contentis mundata, anfractus rubebant, ceu inflammati , magis ſuperne & ad látera quam in fundo , minus circa ſtomachum : totum antrum pylori album permanſit : foris nulla inflammatio apparuit , at vaſa dorſum perreptantia a ſanguine turgidiora debito erant. Inciſis inteſtinis ; in duodeno & jejuno aliquouſque mucus turbidus continebatur : in ileo aliquid pultacei & portiunculæ Nuci vomicæ ſimiles ; item excrementa liquidiora , circa ejus finem compactiora , in cœco & recto in ſcybalas albas coacta . Contentis ſublatis , duodenum & maxima pas jejuni inflammata ; in ileo hinc inde maculæ rubræ, nunc ampliores , nunc anguſtiores apparuerunt : rectum duodeni & jejuni inſtar inflammatum fuerat. Cœtera in ſtatu naturali fuerunt deprehenſa , tum in abdomine , tum in cerebro .

Ex his & ſimilibus experimentis a clariſſimo Vvepfero recenſitis concludere licet Nucem vomicam in animalibus convulſivos motus, epilepſiam & mortem inducere : horum funeſtorum ſymptomatum ſcœnam eſſe in ventriculo, cum in quamplurimis ex animalibus Nuce vomica interemptis hujus Nucis fruſta raro extra ventriculum reperta fuerint etiam hæc ſymptomata intra horæ quadrantem aut ad ſummum dimidiam horam animalia aggrediantur , quo tempore ſcilicet breviore , quam ut Nucis fruſta diſſolvi & in maſſam ſanguineam tranſvehi poſſint . Inde ſequitur quoque Nucem vomicam vim ſuam exerere , non ſanguinem coagulando , cum nulli grumi in ſanguine percipiantur : non ſpiritus animales coercendo , aut ſuccum nervoſum coagulando , quandoquidem nullus deprehenditur frigoris ſenſus , nullus torpor , ut in quorumdam venenorum frigidorum , ut ajunt , Cicutæ aquaticæ , v. gr. exhibitione : non membranas ventriculi corrodendo , cum in quibuſdam animalibus Nuce interemptis nulla ventriculi inflammatio perſpecta fuerit : in aliis inflammationis ſigna , rubor nempe , non fundum ventriculi ubi Nucis vomicæ

micæ fruſta muco involuta ſubſidebant ; ſed alias ventriculi partes occuparent ; tandemque in his etiam ventriculi membranæ eroſæ non apparuerint , ſed quodam irritationis motu quem fibris nerveis ventriculi impertitur : qui quidem motus , cum oſcillatorium & æquabilem fibrarum nervearum motum perturbet , inordinatos motus non ſolum hac in parte ; ſed omnibus nervoſis membranis communicat . Amara fere omnia hac virtute ſuccutiendi nervos donantur, ut obſervare licet in animalibus pleriſque , quibus amara omnia prorſus noxia ſunt & infeſta .

Quæ ſupra recenſuimus , Medicos ſane ab hujus Nucis uſu in homine deterrere deberent ; licet eam beſtiis tantummodo , nequaquam hominibus noxiam aſſerere audeant . Revera Vvepferus refert ſeipſum peſte correptum Electuarii de ovo portiunculam non ſolum innoxie , ſed felici cum ſucceſſu ſumpſiſſe , in quo Nux vomica uſurpatur . Narrat etiam quamdam mulierculam empyricam Tabellas cephalicas præparaſſe , & quamplurimis exhibuiſſe abſque ulla noxa aut læſionis ſuſpicione ; licet Nux vomica inter medicamenta quibus componebantur , annumeraretur . Arabes virtutem alexipharmacam illi tribuerunt, & in Electuario de ovo receperunt . In tertianis & quartanis a quibuſdam exhibentur : & Medici Schaphuſienſes , teſte Eman. Konig , tanquam præſens virulentæ gonorrhϾ remedium eam agnoſcunt . Verum in medendo illa non utendum eſſe cenſemus : in dubiis enim mitiorem & tutiorem ſemper ſequimur viam .

Altera recenſetur Nucis vomicæ ſpecies præcedenti prorſus ſimilis, cujus arbor dicitur Modira Caniram, *Horti Malabar. t.* 8. Solanum arboreſcens Indicum , foliis Napecæ majoribus , magis mucronatis : fructu rotundo , duro , ſpadiceo , nigreſcente ; ſemine orbiculari , compreſſo maximis , *Breyn.* 2. *Prodrom.* Nux vomica officinar. vera , & ipſiſſimum Lignum Colubrinum , *Commelini notis ad Hortum Malabaricum* .

Commelinus aſſerit Nucem vomicam & Lignum Colubrinum ex hac arbore extrahi : contra autem Paulus Hermans ab altera Nucem originem ſuam ducere pronuntiat . Cuinam credendum ? Ambo forte verum dicunt, ſi nempe utriuſque arboris fructus non diſſimiles , ſub eodem nomine indiſcriminatim afferantur .

Ex his arboribus lignum guſtu intenſe amarum ſub Ligni Colubrini nomine nonnumquam affertur : & revera iiſdem fere viribus donatur , ac genuinum Lignum Colubrinum , de quo mox agemus . Ab eo tamen diſtingui poteſt quod ſit rarius & minus durum .

Tertia eſt Nucis vomicæ ſpecies longe minor , quæ rariſſime in officinis reperitur . Nucis vomicæ vulgaris tertiam partem vix æquat : cæterum cum ipſa , figura , colore, ſapore , conſiſtentia convenit ; nullius eſt uſus . Sed lignum arboris , quæ eas profert magis uſitatum , Lignum Colubrinum dicitur .

Lignum eſt vel potius radix lignoſa , brachium craſſa , ſub cortice ferrugineo & maculis cinereis notato includens materiam ſolidam , ponderoſam , ſaporis acris & amari , odoris nullius . Affertur ex inſulis Solor & Timor. Ab arborum ſupradictarum ligno diſtinguitur, quod ſit magis durum & denſum .

Ar-

Arbor dicitur Nux vomica minor Moluccana, Lignum Colubrinum officinarum, *Paradiſi Batav. Prodrom*: Solanum arboreſcens Indicum, foliis Napecæ minoribus; fructu rotundo, duro; & ſemine orbiculari, compreſſo minoribus, *Breyn.* 2. *Prodrom.* Scheru-Katu-Valli-Caniram, *H. Malabar.* t. 7. Lignum Colubrinum primum Garciæ, *J. B.* 2. 169. Ab arbore Caniram nonniſi foliorum, fructuum, & ſeminum magnitudine differt.

Hujus arboris Lignum Colubrinum dicitur, quia morſus ſerpentum *Cobras de Capelo* dictorum ſanat. Laudatur in febribus intermittentibus, quartanis, ad vermes enecandos: humores noxios per ſudores ſæpiſſime, quandoque per alvum, nonnumquam etiam per vomitum expellit. Sed ſi majori doſi exhibeatur, convulſiones & ſpamodicos motus excitat, & deleterium eſt. Hujus Ligni uſus non eſt niſi annoſioris: recens enim, inquit D. Hermans, primo anno maniam, tormina, vomitum & convulſiones provocat. Datur a ʒij. ad ℥ß. in infuſo vel decocto ex vino Abſynthite, vel ex aqua Cardui benedicti, aut Centaurii minoris.

℞. Ligni Colubrini ℥ß. Infunde in vini Abſynthites ℥viij. Macerentur per noctem, & fiat colatura; & exhibeatur in quartana, duabus horis ante paroxiſmum.

℞. Ligni Colubrin. & ſemin. contra vermes ana ℥ß. Salis Abſynth. ℈j. Infunde in aq. Gramin. vel Portulacæ ℥xij. Macerentur tepide per xij. horas. Fiat colatura in tres doſes diſtribuenda per tres dies ſingulo mane ſumendas, ad vermes enecandos.

Internus tamen hujus Ligni uſus non periculo vacuus eſt: imo vi quadam maligna & virulenta donatur, non ſecus ac Nux vomica quæ nervos afficit, ut ſatis liquet ex obſervationibus Antonii de Heyde 53. 121. Ad febrem quotidianam ſedandam, inquit, Ligni Colubrini pulverem aſſumpſit tornator quidam circa veſperam; ſubſequente nocte ſatis bene habuit: ſed mane ſurgere vel corpus movere ſatagens, ſentiebat tremorem in membris. Ejuſdem Ligni ſemidrachma aſſumpta a muliere cachectica præter tremorem excitavit & ſtuporem, ita ut ægra nullius rei curam haberet; neſciens, ut ait, ſe eſſe in mundo vel vivere. Alius quidam famulus ab aſſumpto hoc Ligno per aliquot dies inſtar fatui exſtitit. Idem igitur judicium de hoc Ligno ac de vomica Nuce ferendum eſt.

Faba febrifuga & Faba ſancti Ignatii, *Off.* Igaſur, ſeu Nux vomica legitima Serapionis, *Georgii Camelli*: Mananag, *Indor.* Catbalogan & Pepita de Biſayas, *Hiſpanorum*. Nucleus eſt ſubrotundus, inæqualis, veluti nodoſus, duriſſimus, ſemipellucidus, & quaſi corneæ ſubſtantiæ, Nuci vomicæ ſimilis, Avellanæ nucis craſſitiem æquans; ſaporis ſeminis Citri, multo intenſius amari; coloris medii inter album & glaucum. Paucis abhinc annis illos adhuc incognitos nucleos Luſitani Patres S. J. Miſſionarii ex Philippinenſibus inſulis attulerunt.

Planta quæ illos producit, dicitur Catalongay & Cantara G. Camelli, *Actis Philoſoph. Londinenſ. n.* 250. Cucurbitifera Malabathri foliis ſcandens, Catalongay & Cantara Philippinis orientalibus dicta, cujus nuclei

Pepi-

Pepitas de Biſayas, aut Catbalogan, & Fabæ ſancti Ignatii ab Hiſpanis, Igaſur & Mananaog inſulanis nuncupati, *Plukn. Mantiſſa*. Arbores quaſvis altiſſimas ſeſe circumvolvendo ſcandit: truncus ejus lignoſus, lævis, poroſus, & brachii quandoque craſſitudinis; cortice ſcabro, craſſo & cinereo obducitur. Folia ampla, nervoſa, amara, Folio Indo ferme ſimilia ſunt, latiora tamen. Florem Balauſtio ſimilem fructus inſequitur Melone major, qui delicatiſſima cuticula ſplendente, lævi & viroris luridi ſeu alabaſtrini contegitur, ſubter quam olio cortice donatur ſubſtantiæ quaſi lapideſcentis. Intus carnem continet amaricantem, flavam & mollem, & interjectos nucleos ut plurimum n. 24. Juglandi nuci, dum recentes ſunt, vix non pares, & ab argentea lanugine ſplendicantes, variæ & inæqualis formæ; qui, dum exſiccantur, ad Avellanæ craſſitiem comminuuntur. In inſula Luzone & cæteris Philippinenſibus inſulis naſcitur.

R. P. Georgius Camelli S. J. qui plantas in inſula Luzone Philippinarum præcipua naſcentes deſcripſit, exiſtimat hunc nucleum veram eſſe Nucem vomicam *Serapionis*, miraque de illius apud Indos commendatione narrat: „ Vulgus, inquit, nucem Igaſur ad cuncta abſolu„ te corporis humani mala amovenda, nulla habita temporis, morbi, „ ætatis, aut doſis ratione indifferenter exhibet; quinetiam multi e „ collo ſuſpenſam gerunt; & ita ab omni veneno, peſte, contagio, „ incantationibus magicis, philtris & ſpeciatim a ſopto, ſeu veneno „ quod ſolummodo inſufflatum perimere narrant, imo & ab ipſo dœmo„ ne ſe liberos, ac immunes eſſe imaginantur „. Quaſdam tamen addit obſervationes, quibus ſatis patet illud medicamentum non temere ſumendum eſſe.

Quidam temperamenti melancholici, dyſpepſia, diarrhæa & frequenti vomitu cum ructibus acidis & flatuum copia moleſtatus, pulveris Igaſur ℈j. ſumpſit: qui ſtatim tremore totius corporis per trium horarum ſpatium non ceſſante, una cum pruritu & vellicationibus convulſivis horrendis, ita ut pedibus inſiſtere nequiverit, quæ in maxillis vehementiores erant, ut quodammodo ridere cogeretur, correptus fuit; nulla interim notabili pulſus alteratione, nec alio quopiam inſequente ſymptomate. De reliquo dein nonnihilum melius ſenſit. Alius melancholico hypochondriacus ſanitatis cupidus Nucem recentem integram devoraverat: tremorem & convulſiones ſpaſmodicas expertus eſt una cum ſumma præcordiorum anguſtia, vertigine, animi deliquo & ſudoribus frigidis; & dubio procul periiſſet, niſi Pater Camelli illi operam tuliſſet, oximel & oleum cum aqua tepida exhibendo, quibus plurimum viſcoſi phlegmatis cum Nucis particulis rejecit.

Tandem de viribus Nucis Igaſur ex aliis obſervationibus refert vomitum ciere ut plurimum, dejectiones nonnumquam, motus ſpaſmodicos fere ſemper in Hiſpanis, in Indis vero nullos excitare.

Exhibetur in affectibus comatoſis, ſtupore, apoplexia, lethargo, paralyſi, epilepſia, aſthmate & catharro, febre tertiana & quartana, ad urinas, menſes & puerperia ſuppreſſa provocanda, lumbricos expellendos; in dolore colico, cruditate ventriculi & concoctione læſa, diarrhæa, teneſmo, & viſcerum obſtructionibus; necnon etiam adverſus venena, vene-

venenatorum animalium morſus, & vulnera e telis veneno infectis.

Pulverem ipſum, aut ejus infuſum decoctumve, aut oleum propinant. Vulgatior illa Nuce utendi modus eſt eam integram tantillo aquæ calidæ, donec amara reddatur, macerare, & infuſionem exhibere. Alii unum aut alterum fruſtulum deglutiendum offerunt: alii pulveris aliquot grana vino aut aqua diluta exhibent. Ad vomitum excitandum grana x. vel xij. una alterave poſt aſſumptum cibum hora ſumuntur: minor vero doſis, ſi non ſit vomitum ciendi conſilium; & tunc uberrimum ſudorem nonnumquam excitat.

Cum Nux illa difficulter pulveretur, radula comminuitur & redigitur in tenuiſſimam raſuram, quæ per duodecim horas in vino vel in aqua qualibet conveniente macerata in pultem mucilaginoſam diſſolvitur. Nonnumquam hujus Nucis fruſtulum linguæ ſupponitur apophlegmatizandi gratia: ita enim caput a viſcoſi phlegmatis copia liberatur.

Oleum vero ex hac Nuce paratur ſola infuſione, & emeticum eſt efficaſſimum ab ℥j. ad ℥ij. intus propinatum. Externe nervinum eſt; ſcabiem curare & dolores arthriticos ſopire valet.

Ex ea quoque Nuce tinctura ope ſpiritus vini extrahitur flaveſcens, quæ a ℈j. ad ʒß. aut ad ſummum ʒj. feliciter exhibetur ad firmandum ventriculi tonum, in cruditatibus & epilepſia ſtomachica, quæ a digeſtionis vitio oritur, qualis in infantibus ſæpe accidit.

Michael Bernardus Valentinus Archiater Haſſiacus & Medicinæ Profeſſor, qui primus de hoc Nucleo diſſeruit, *Tractatu de Polychreſtis exoticis*, & nuperrime *in Hiſtoria Simplicium reformata* teſtatur hos nucleos recte uſurpatos nobile eſſe remedium adverſus multos contumaces morbos, & eorum ope febres intermittentes, præſertim in tenellis infantibus etiam lactentibus, perfecte fuiſſe curatas. Vvedelius quoque in febribus continuis eos feliciter exhibuit.

Ex ſupra recenſitis concludimus, Fabarum S. Ignatii virtutem a Nucis vomicæ facultatibus non multum diſcrepare; nihilominus tamen eas a foro Medico non eſſe procul ablegandas. Non igitur tantæ energiæ medicamentum rejiciendum cenſemus, ſed potius ſumma cum cautione & prudentia eſſe adminiſtrandum.

ARTICULUS VIGESIMUS SEXTUS.

De Cartami, ſive Cnici ſemine.

KNίκος, *veterum Græcorum*: Kartam, *Arabum*: Cnicus & Cartamus, *Latinorum*; eadem videtur eſſe planta, quæ hodie Cartamus officinarum, flore croceo, *Inſt. R. H.* 457. Cartamus ſive Cnicus, *J. B.* 3. 79. Cnicus ſativus, ſive Cartamum, *C. B. P.* 378. vulgo, *Cartame ou Safran batard*, nuncupatur. Ejus ſemina in uſum Medicum ſæpe veniunt, (flores rariſſime; quorum uſus præcipuus eſt ad ſericum, pannos & plumas colore roſeo tingendas. Nonnumquam etiam ad ciborum condimenta a populis quibuſdam uſurpantur.

Plan-

Plantæ caulis eſt ſeſquicubitalis, rotundus, firmus, ramoſus, in quo folia alternatim, & denſe naſcuntur duas uncias longa, octo lineas lata, baſi rotundiori caulem amplectentia, & in cuſpidem acutum abeuntia, nervoſa, venoſa, glabra, aculeis exiguis, & rigidiuſculis in ambitu donata. Flores in ſummis ramulis innaſcuntur capitati, calyce ſquammoſo & foliaceo, ex quo floſculi plurimi prodeunt unciam ſuperantes, fiſtuloſi, in calathum ſaturo croci rubore nitidum, & in quinque lacinias diviſi, Seminum rudimenta pappo carent: perfecta ſemina candidiſſima ſunt, glabra, nitida, tres lineas longa, inferiori parte acutiora, quatuor angulis diſtincta, quæ ſub cortice duriuſculo, & veluti cartilagineo pulpam albicantem, ſaporis primo ſubdulcis, poſtea acris, & nauſeoſi continent. Flores Auguſto, ſemina Autumno perficiuntur. Seritur in nonnullis Galliæ, Italiæ, & Hiſpaniæ locis, non ſolum ad rem Medicam, ſed etiam ad infectoriam artem.

Semina probantur recentia, nitentia, candida, (licet quidam non reſpuant, quæ ad rufum vergunt, medulla candida, pingui, quæ in aquam injecta in fundo ſubſident; rejicienda vero flaccida, mucida, carioſa, rufa. Eorum medulla tantum, ſeparato & rejecto cortice, in uſum venit.

Semen Cartami, quod & Pſittaci ſemen, *Graine de Perroquet*, a quibuſdam nominatur, quod Pſittaci illud avide, & innoxie expetant & comedant, quin etiam eo pingueſcant, alvo non ſoluta, homini catharticum eſt. Oleo acri turget, cui vis ejus purgans debetur.

Ab omni ævo ſemen a Medicis inter purgantia, ſed alvum laxantia, annumeratum fuit. Suſpicari fas eſſet Hippocratis tempore inter diuretica a quibuſdam relatum fuiſſe.

Libro enim *de Victus ratione* pronuntiat divinus ſenex alvum potius quam urinam movere. Illud quoque *eodem Libro* inter purgantia numerat: cui aſſentiuntur Galenus, Scribonius, Largus, & alii. Ex Dioſcoride, ſeminis tuſi, & expreſſi ſuccus cum aqua mulſa vel jure gallinacei alvum purgat, ſed ſtomacho adverſatur. Ex eo quoque offulæ ſeu placentulæ ſuo tempore parabantur cum Amygdalis. Nitro, Aniſo, & melle decocto, quæ in fruſtula magnitudine Nucis Juglandis dividebantur, quorum duo vel tria ante cœnam ſumebantur ad alvum emolliendam. Catharticæ virtuti emeticam addunt nonnulli, inter quos Schroderus, quam quidem, nonniſi majori copia exhibeatur, exerit. Pituitam & aquas extrahendi vim ipſi tribuit Meſuæus, illudque aqua inter cutem laborantibus tanquam præſtantiſſimum remedium commendat, non modo hauſtum, ſed etiam clyſteribus infuſum. Inſuper vi quadam ſingulari in pulmonum morbis præditum eſſe voluit; cui annuens Fernelius vocem clarificare quoque prodidit. Hodie adhuc ab univerſis fere Medicis adhibetur ad humores ſeroſos, lentos, ſpiſſiores incidendos, attenuandos, ac educendos; & ſpeciatim in hydrope, anaſarca, tuſſi, aſthmate, colica flatulenta, tum etiam in ictero præſcribitur. Quidam obſervarunt ſenibus potiſſimum conferre.

Alii Cartamum exhibent in ſubſtantia, alii in emulſionibus, quidam tandem decoctis admiſcent. Qui in ſubſtantia exhibent, medullæ a cortice mundatæ ℨj. vel ℨij. offerunt, in emulſionibus expreſſionem ex ℨvj. vel ℥j. ſeminum

num mundatorum contuſorum, in ſero lactis vel jure gallinæ aut alio liquore conveniente propinat.

Verum quocumque modo ſumatur, apud omnes fere conſtat Cartamum ſtomacho adverſari, faſtidioſum eſſe medicamentum, conturbans viſcera, tardæque operationis, ſed præſertim, cum ejus ſubſtantia exhibetur: quapropter rariſſime præſcribitur. Hæc autem vitia emendantur aromaticis medicamentis, & ſtomachicis, quibus craſſiora Cartami ſulphura expandi poſſunt, ſalibus alcali, quibus eadem inciduntur ſulphura, & attenuantur. Quandoque etiam ſegnities ejus quibuſdam purgantibus medicamentis valentioribus, Senna, Jalapa, Scammonio ſtimulatur.

> ℞. Seminis Cartami excoricati ʒvj. Contunde in mortario marmoreo, ſenſim affundendo aq. comm. ℥vij. Fiat colatura, in qua diſſolve Syrup. Flor. Perſicor. ℥j. Fiat emulſio, quæ aromatizetur cum eleoſacchar. Cinnamom. q. ſ. vel aqua Cinnamom.

> ℞. Semin. Cartham. ʒiiij. Contunde cum Scammonii gr. vj. in aq. comm. ℥iiij. & aq. flor. Aurantior. ℥ij. Fiat expreſſio, in qua diſſolve Sacchari albi ℥ß.

Carthami ſemen ingreditur Electuarium Diacarthami cui nomen dedit; licet hujus Electuarii præcipua vis cathartica debeatur Scammonio, Turbith, Mannæ, & Hermodactylis potius quam huic ſemini.

Electuarium Diacarthami præſcribitur ſolum a ʒij. ad vj. permixtum vero potionibus purgantibus ad ʒij. vel iij.

> ℞. Sennæ mundatæ ʒij. Sal. Abſynth. ℈j. Infunde in ſ. q. aq. fontanæ per ſex horas: In colaturæ ℥vj. diſſolve Electuar. Diacarthami ʒij. vel iij. Syrup. Roſar. ſolutivi cum Senna, & Agarico ℥j. Fiat potio in catharroſis affectibus, paralyſi, athritide, & hydrope.

Rarius ad uſum medicum flores croceo colore ſplendentes adhibentur: nonnulli illis contuſis condimenti vice utuntur. Cibos croceo colore commendant, & alvum emolliunt ad ℥j. in ſubſtantia purgant, inquit Ettmullerus. Dicuntur & ictero mederi: & ex his ſolis vel cum floribus Calendulæ ſimul mixtis paratur Conſerva contra icterum flavum, & hepatis obſtructiones.

Sed maximus eſt eorum uſus in arte infectoria, ad pannos præſertim ſericeos roſeo colore tingendos. Fœcula quoque ex illis paratur rubro ſuo colore ſplendente inſignis, & a fœminis plurimum expetita, ad roſeum faciei colorem natura deficientem arte reſtituendum. Vulgo dicitur: *Rouge d' Eſpagne*, fucus roſeus Hiſpanicus. Ea eſt illius conficiendi ratio.

Crocea Carthami ſtamina aqua limpida pluries eluuntur, donec aquam flavo colore non amplius tingant: tum illis admiſcentur cineres clavellati, & aqua calida ſuperaffunditur. Omnia accurate agitantur & commoventur: deinde liquor colore rubro tinctus, per aliquod temporis ſpatium: & breviſſimum derelictus, craſſioribus particulis ad vaſis fundum depoſitis in aliud vas paulatim effunditur a fœcibus, & per aliquot dies in loco remoto reponitur. Fœcula tenuiſſima intenſe rubra, rutilans, a liquore paulatim ſecernitur, & vaſis fundum petit: effuſo liquore, in alia vaſa transfunditur, in quibus perfecte exſiccata aureo dente perfricatur.

Sic

Sic compactior fit, ne levis hic pulviſculus tenuj flatu permotus in auras evaneſcat. Sic etiam fucus ille aureo ſplendore nitet.

ARTICULUS VIGESIMUS-SEPTIMUS.

De Semine contra vermes.

SEmen contra vermes Semenzina, Sementina, Semen ſanctum, Santolina *Off.* vulgo, *Poudre a vers*, *Barbotine*, *Sementine*, *Santoline*. Pulvis eſt craſſior, conſtans ex minutis capitulis, oblongis, ſquamoſis, ex viridi flaveſcentibus; ſapore ingrato, amaro, cum acrimonia quadam aromatica; odore aromatico graviuſculo & nauſeoſo, cum foliolis ſurculiſque aut ſtipitibus minutiſſimis ſtriatis.

Nulla quidem res in officinis magis uſitata, & cujus origo minus cognita ſit. Dubitant adhuc num ſemen ſit, vel capſula ſeminalis, vel foliorum aut florum germina? Quænam ſit planta, quæ eam proferat, an Zedoaria, an Abſynthii, an Abrotani ſpecies, an Chamæcypariſſus? Num in Gallia proveniat, in Palæſtina, in Ægypto, vel in Perſia, aut in ſolo Regno *Boutan*, in India Orientali remotiſſima?

Illud ſemen in Gallia naſci apud Santones aſſerunt, qui Abſynthium Santonicum non viderunt. Abſynthii Seriphii vel marini ſemen eſſe pronuntiant alii, nec potiori jure. Rauvolfius qui Orientales plagas peragravit, Abſynthii genus eſſe pronuntiat, *Schecha* ab Arabibus nominatum, circa Bethlehem naſcentis, noſtratis ſimile: ſed folia, quæ in hoc ſemine reperiuntur, a noſtris foliis ſunt prorſus diverſa. Præterea non eſt veriſimile diligentiſſimum plantarum Ægyptiacarum indagatorem Proſperum Alpinum, & qui in eum commentatus fuit J. Veslingium, utrumque in Ægypto aliquot per annos commoratum, nullam ejus mentionem feciſſe, ſi illarum regionum indigena fuiſſet: quod ſane, ob incertam hujus ſeminis originem quæ ipſos latere minime potuit, vix alias prætermiſiſſent.

Paulus Hermans Abrotani ſpeciem eſſe cenſet; quæ in Perſia, & quibusdam orientalibus regionibus reperitur; nec tam ſemina eſſe perfecta, quam ſquamoſa ſeminum nondum perfectorum involucra, inde per totum orbem tranſvehi.

Cum ſagaciſſimo hoc Botanico celebris per orientales provincias peregrinator Tavernerius conſentire videtur quandoquidem *Itinerarii ſui p.* 2. *l.* 3. *c.* 15. enarrat Semenzinam in Indiæ ſuperioris Regno *Boutan* ad ſeptentrionalem Mogolum oram ſito provenire, unde Moſchus quoque & Rhabarbarum ſimul cum hoc ſemine afferuntur; necnon etiam in Caramania Perſiæ provincia ſeptentrionali creſcere, ſed quantitate adeo exigua, ut incolarum uſui vix ſufficiat. Quia vero hactenus paucos aut nullos Europæorum, ne dicam Medicorum, ad loca illa remotiſſima penetraſſe certum eſt, & mercatores de lucro potius, quam accuratiore mercium ſuarum cognitione ut plurimum ſunt ſolliciti; quid mirum, ſi hac quoque in parte certa relatione careamus?

In-

Indefeſſus ille viator modum collectionis in iſto Regno uſitatum ſubjungit. Hæc planta in pratis colitur magna quidem copia: exiguus tamen eſt illius proventus, quandoquidem ejus ſemen, cum ad maturitatem accedit, levi ventorum agitatione in terram decidit ac diſperditur. Præterea eſt ea apud illos populos opinio, ſemen iſtud manuum contactu citiſſime corrumpi: idcirco manus neutiquam admovent; ſed collectionis tempore per prata, ubi ampla eſt hujus plantæ ſeges, diſcurrentes, vannos quibus utraque manu armantur, modo a dextera ad ſiniſtram, modo a ſiniſtra ad dexteram alternatim & aſſidue movendo, herbarum ſummitates ſeminibus turgidas attingunt. Hac alliſione diſcuſſa ſemina vannis excipiuntur.

Verum de plantæ genere nil certi habemus. Semen probatur recens; minus pulverulentum, craſſe granulatum, oblongum, ex viridi rufeſcens & odoratum.

Analyſi Chymica præter phlegma acidum, olei tum eſſentialis, limpidi, flaveſcentis, aromatici, & amari, tum craſſioris, empyreumatici, portionem non mediocrem præbet, ſicut & ſpiritus urinoſi cum tantillo terræ & ſalis fixi ſalſi.

Adverſus lumbricos, & inteſtinorum vermes quoſcumque quoquo modo ſumptum utile cenſetur, tum propter intenſum amarorem quem vermes ferre nequeunt, tum etiam ratione ſalis Ammoniaco ſimilis, cujus ope viſcidam incidit & diſſolvit pituitam ventriculi & inteſtinorum plicaturis adhærentem, quæ vermes ſinu ſuo recondit, eorumque ſemina retinet ac fovet. Inſuper ventriculum roborat, flatus diſcutit, & ciborum appetentiam provocat. Utilius exhibetur, ſi cum Aquila alba aut alia quacumque Hydrargyri præparatione, & Rhabarbaro conſocietur. Sic enim vermes non ſolum enecantur, ſed enecati cum verminoſa ſaburra foras propelluntur.

Semen pulveratum uſurpatur a ℈j. ad ʒj. in hauſtu vini vel aquæ Abſynthii, Portulacæ, vel alterius liquoris idonei, vel ſub forma boli. Nonnumquam ſemen oblinitur ſaccharo, quo facilius ab infantibus comedatur. Quidam hujus ſeminis macerationem in aceto commendant; ſed ſupervacanea eſt hæc præparatio, qua vis ejus minuitur.

℞. Semin. contra pulver. ℈j. Aquil. alb. gr. v. Rhei pulver. gr. xviij. Miſce cum Syrup. Abſynth. q. ſ. Fiat bolus mane jejuno ventriculo devorandus, & per aliquot dies iterandus.

Uſurpatur in Pulvere contra vermes *Charas*, & Tabellis contra vermes *Ejuſdem*.

ARTICULUS VIGESIMUS-OCTAVUS.

De Aniſo Indico ſtellato, Badian *dicto*.

ANiſum Indicum ſtellatum, *Badian* dictum, *Off.* Aniſum peregrinum, *C. B. P.* 159. Aniſum Philippinarum Inſularum, *Cluſ. Hiſt.* 25. Zingi fructus ſtellatus, ſive Aniſum Indicum, *J. B. I.* 485. Fœniculum Sinenſe, *F. Redi exp. natural.* Cardamomum Siberyenſe Patavinorum, *Paul. Ammann. H. Bo-*

Boſian: vulgo *Anis de la Chine , ou de Siberie* ; *Semence de Badiane*. Fructus eſt ſtellæ figuram repræſentans , qui conſtat ex ſex , ſeptem pluribuſve nuculis vel capſulis , radiorum in modum in centro coeuntibus , triangularibus , quinque , octo, vel decem lineas longis , tres , quatuor, vel quinque latis , leviter compreſſis , per baſim coadunatis , compoſitis ex gemino cortice ; exteriore duro , aſpero , rugoſo & ſpadiceo aut rubiginoſo ; iteriore propemodum oſſeo , lævi & ſplendente , bivalvi , qui per latus ſupinum in ſiccis & inveteratis dehiſcit , manifeſtumque præbet nucleum ſingularem in ſingulis nucibus latitantem , lævem , ſplendentem , oblongum , depreſſum , duas vel tres lineas longum , unam latum , colore ſeminis Lini , qui recondit ſub tenuj & fragili teſta carnem albicantem , pinguem , dulcem , palato gratam , ſaporis medii inter Aniſum & Fœniculum , ſed valentioris . Capſula vero ſaporem Fœniculi refert cum quadam aciditate permixtum , & odorem ſimilem , ſed fragrantiorem . Ex Tartaria , Sina , & Philippinis inſulis affertur .

Quæ illos fructus profert arbor ; dicitur Evonymo affinis Philippinarum inſularum , Aniſum ſpirans , nuculas in capſulis ſtelliformiter congeſtis proferens , *Plukn. Almag. Botanici* : Panſipanſi , *G. Camelli* . Ad orgyarum duarum altitudinem & amplius aſſurgit , caudice craſſo & ramoſo . Ex ramis prodeunt cubitales tharſi , ſeu folia compoſita ex undecim , tredecim & quindecim foliis alternis , rariter crenatis , mucronatis , ſeſquiunciam latis , & palmo longioribus . Flos , inquit , eſt racemiformis , & exalbida congeries , magnitudine Piperis , frequentium & flocco muſcorum nucamentorum : naſcitur in Tartaria , Sina , & Philippinis inſulis . Semen Badian oleum eſſentiale fundit copioſum , quod oleo Aniſi limpidius eſt , ſubtilius & fragrantius .

Iiſdem viribus donatur ac Aniſum & Fœniculum , imo præſtantioribus. Apud orientales populos his ſeminibus anteponitur , & ad eoſdem adhibetur uſus . Ventriculum roborat , flatus diſcutit , & urinas promovet . Sinenſes hunc fructum in ore poſt paſtum detinere ſolent & maſticare ad ſuavem halitum efficiendum , aeris impuri contagium arcendum , ventriculum roborandum , & ciborum concoctionem adjuvandam . Illud etiam cum radice Ninzin aquæ calidæ infunditur , infuſionemque in modum Theæ bibunt ad ventriculum cœteraque viſcera roboranda , vires labantes reſarciendas : ſpirituſque recreandos . Balſamica illius virtute a renum calculo præſervari aut liberari exiſtimant . Illud idem plurimi cum potu Theæ , Caffe , aut aliis liquoribus permiſcent ad gratiam ipſis conciliandam . Hodie ſpiritus ardens aniſatus cum hoc fructu ab Indis præparatur, *Anis Arak* Batavis dictum , & plurimi æſtimatum .

Semen ſeu nucleus hujus fructus odore & ſapore non deſtituitur , ut quidam aſſerunt , imo comeſtum dulci & ſuavi Aniſi odore & ſapore os totum perfundit.

CAPUT SEPTIMUM.

De Plantarum Succis liquidis & concretis.

SUcci nomine non humorem quemcumque per plantarum vaſa dimanantem generatim & indiſcriminatim intelligimus, ſed illos tantummodo liquores qui vel ſponte, ſæpius autem vulnere illato, delabuntur; & lacrymatim profluunt: unde lacrymæ nonnunquam nuncupantur, quique in uſum medicum veniunt. Humores illi plerumque concreſcunt vel in reſinam, vel in gummi, vel in mediam quamdam naturam inter gummi & reſinam. Verum in officinis ſæpius confunduntur; quandoquidem reſinis quibuſdam gummi nomen tribuunt, ſicut & plurimis gummireſinis. Sed ut accuratius diſtingui poſſint, dicendum eſt, quid ſit reſina, quid gummi, quid gummi-reſina.

Reſina eſt humor pinguis, oleaginoſus, inflammabilis, qui in aqua non diſſolvitur, ſed in oleo dumtaxat. Conſtat autem ex partibus ſulphureis cum acido ſale conjunctis. Equidem ratione conſiſtentiæ duplex eſt: liquida quæ lenta eſt & tenax; ſicca, quæ friabilis ut plurimum, calore tamen molleſcit. Inter liquidas reſinas numerantur Opobalſamum, ſeu Balſamum Judaicum; Balſamum Peruvianum album, rubrum; Balſamum Tolutanum; Balſamum Copaivum; Liquidambar; Storax liquida; Terebinthina vera, ſeu Chia; Terebenthina, ſeu reſina laricea, abietina, pinea; Labdanum. Inter reſinas ſolidas recenſentur Styrax, Benzoinum, Tacamahaca, Olibanum, Maſtiches, Sandaracha, Sanguis Draconis, Copal, Anime, Caranna, Elemi, Hederæ, Camphora.

Gummi eſt ſuccus concretus, qui in aqua facile diſſolvitur, in igne nec liqueſcit nec flammam concipit, ſed dumtaxat crepitat. Componitur ex modica ſulphuris portione cum terra, aqua, & ſale conjuncta; ita ut ſimul juncta mucilaginem conſtituant: & ſunt Gummi, Tragacantha, Arabicum, noſtras, & Manna.

Gummi reſinæ nomine plurimi veniunt Succi concreti, qui in aqua & in oleis æque diſſolvuntur, & quidem omnino aut pro majori parte: compoſiti ſunt ex partibus reſinoſis & partibus gummoſis ſimul coadunatis. Si partis ſalinæ quantitate ſufficiente donentur, tota eorum ſubſtantia aqua ſolvitur: ſi vero mediocris ſit hujus ſalis portio, remanent in aqua reſinoſæ ſubſtantiæ nonnihil, in oleo vel ſpiritu vini tantummodo ſolubilis. Hujus generis ſunt Bdellium, Myrrha, Aſſa fœtida, Ammoniacum, Euphorbium, Galbanum, Opopanax, Sagapenum, Sarcocolla.

DE

DE RESINIS LIQUIDIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Opobalſamo, ſeu Balſamo Judaico.

BAlſamum, olim arboris balſamiferæ nomen, nunc generica vox eſt, quæ plurimis rebus & diverſis tribuitur, tum nativis, tum arte præparatis. In officinis enim Balſami nomine inſigniunt non ſolum lacrymam arboris balſamiferæ, Opobalſamum Græcis olim dictam, ſed etiam ſuccos reſinoſos tum liquidos, tum exſiccatos, qui odore pergrato & viribus ad Opobalſamum nonnihil accedunt; qualia ſunt Balſamum Peruvianum, Tolutanum, Copaivum, &c. deinde liquores ſpirituoſos arte confectos, quorum in compoſitione balſamici ſucci uſurpantur, vel quorum virtutes balſamicæ ſunt & vulnerariæ; qualia ſunt Balſamum vulnerarium *Fioravanti*, Balſamum Pernianum: tum craſſiores, oleoſos, pingues, reſinoſoſve arte præparatos, ut Balſamum Samaritanum, viride, Hyperici, Momordicæ, Sulphuris, Saturni, &c. tandem unguenta quædam viribus præſtantiora, ut Balſamum vulnerarium *Arcæi*, Balſamum apoplecticum. Hic vero de ſucco pingui & reſinoſo ex Balſamo arbore ſtillante agimus, & de quibuſdam lacrymis reſinoſis balſamicis dictis ex aliis plantis, ſponte vel per inciſionem diffluentibus.

Opobalſamum, Balſamelæon, Balſamum Judaicum, Gileadenſe, Syriacum, e Mecca, Conſtantinopolitanum, album, *Off.* Ὀποβάλσαμον, *Græcorum*: vulgo *Baume de Judee, Baume d' Egypte, du grand Cayre, de Conſtantinople, Baume blanc.* Reſina eſt liquida, pretioſa, albicans aut leviter flaveſcens, odoris fragrantis, ad Citri odorem accedentis, ſaporis acri & aromatici. Probatur recens, quæ fluidior eſt, magis oleoſa, & odore fragrans: improbatur tenacior, quæ vetuſtior, & Terebenthina, aut aliis adulterata mangoniis, quæ facile odore & ſapore diſtinguuntur.

Planta quæ hunc liquorem fundit, dicitur Balſamum Syriacum, Rutæ folio, *C. B. P.* 400. Balſamum verum, *J. B. I.* 298. Balſamum Lentiſci folio, Ægyptiacum, *Pellon. obſerv.* Balſamum, *P. Alpin.* 48. Hæc, ut ait Alpinus, arbuſcula ad Liguſtri vel Cytiſi altitudinem aſſurgit, & folia pauca gerit Rutæ vel Lentiſci potius ſimilia, perpetuo virentia, terna, quina, aut ſeptena, alæ adnata cum folio impari in extremo poſito. Ramuli odorati ſunt, reſinoſi, & lenti. Eorum lignum album eſt & inodorum, gemino cortice tenui ſeu membranaceo contectum, extimo foris ſubrubente, intimo vireſcente, odorato, ſaporis aromatici. Flores ex albo purpurei, Acaciæ floribus proximi, & ſumme odorati. Semina flava ſunt, folliculis nigris ſubrubentibus incluſa, odorata, acria, amara, humorem flavum melli ſimilem fundentia.

De hujus arboris natali ſolo auctores inter ſe non conveniunt. Hujus arboris patriam fuiſſe Judæam Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius, &

alii exiſtimaverunt : narrantque in Hyericuntina Judææ valle illam excoli in duobus regiis hortis , altero viginti jugerum non amplius , altero vero pauciorum . Hinc Balſamum Judaicum dictum fuit . Plinius aſſerit, Balſamum uni terrarum Judææ conceſſum fuiſſe : obſervatque ultimo Romanos inter, & Judæos bello hos in hanc arbuſculam ſæviiſſe, ſicut & in vitam ſuam ; contra vero Romanos defendiſſe, & dimicatum pro frutice fuiſſe . Nullibi ſponte naſci Theophraſtus aſſerit . Verum Dioſcorides non in ſola Judæa , ſed etiam in Ægypto naſci tradit . Strabo quoque refert in Arabia Sabæorum tractu maritimo reperiri. Tandem conſtat neque Judæam neque Ægyptum ejus ſpontaneum fuiſſe ſolum. Hodie enim nullæ arbores balſamiferæ in Judæa reperiuntur , neque etiam Bellonii tempore reperiebantur ; quippe quæ tempore invaſionis Turcarum prorſus neglectæ aut divulſæ fuerant . Illas tantummodo vidit in quodam Memphis civitatis , hodie Cairi , ſuburbio Matharea dicto , ubi in hortis Turcarum Imperatoris diligenter excolebantur & caute cuſtodiebantur . Illuc autem , Bellonio referente , non ex Judæa , ſed ex Arabia felici magnis Sultani ſumptibus translatæ fuerant . Quin etiam auctor ille affirmat eas olim & etiam tum in Arabia felice extitiſſe , unde lignum & fructus ab omni antiquitate cum aliis mercibus Arabicis Memphim delata fuerant . Cum autem Auguſtinus Lippi anno 1704. Cairum perveniſſet , fruſtra in Mathareanis hortis arbores balſamiferas quæſivit , quæ jam diu perierant. Eas in Mecca & aliis Arabiæ felicis Provinciis ſponte naſcentes ſolummodo reperiri narrat , *in Epiſtolis ad Illuſtriſſimum Fagonium , olim Ludovici XIV. archiatrum* , ex relatione cujuſdam Principis Arabis Meccæ Regis filii , a quo etiam Opobalſami extrahendi rationem acceperat . Itaque Arabia felix Balſami locus patrius ſemper fuit , nunquam Ægyptus aut Judæa.

Opobalſamum , referente Alpino , cum primum eductum , colore eſt albo , odore eximio & acutiſſimo , Terebenthinam redolens cum ſuaviore odoris fragrantia , ſapore amaro , acri & adſtringente . Subſtantia turbida craſſaque , ut oleum ſtatim ab Olivis expreſſum , cernitur ; poſtea tenuiſſima , limpidiſſima fit & leviſſima : color in ſubviridem mutatur, deinde in aureum , ac demum , cum annoſior fit , in melleum convertitur : tum Terebenthinæ modo craſſeſcit , difficillime fluit , & multum de ſuo odore deperdit . Quando recens eſt , præ multa ejus levitate in aquam inſtillatum non deſidet , ſed ex alto in eam projectum parumper in ipſa mergitur , fereque continuo aſſurgens ſupra totam aquæ ſuperficiem totum expanditur, eique miſcetur , ita ut maxima cum difficultate ſeparetur : in ea paulo poſt concreſcit atque coagulatur , coagulatumque ſtylo totum ab aqua eximitur , quod tunc colore lacteſcit , ſive album quaſi lac viſitur . Et hæ ſunt Opobalſami genuini & recentis notæ.

Veteres Opobalſamum ex arborum cortice leviter inciſo ſtillans unice excipiebant , & quidem quantitate admodum exigua. Hodie ex Aug. Lippi epiſtolis tres ſunt illius ſucci ſpecies . Prima verum Opobalſamum dici poteſt , & eſt pretioſus ille humor , vel ſponte vel ex vulneribus cortici inflictis dimanans : ſed adeo exiguum eſt quod colligitur , ut pro indigenis & magnatibus vix ſufficiat , rariſſimeque foras deferatur . Altera ſpecies eſt Balſamum e Mecca ſeu Conſtantinopolitanum pretioſum quidem ,

quod-

quodque raro ad nos pervenit niſi per magnates quibus dono datur. Sic extrahitur. Arboris balſamiferæ ramuſculis & foliis cacabum adimplent; illiſque aquam affundunt, donec ſupernatet. Cum ebullire incipit, oleum limpidum ac tenue aquæ innatat, quod ſedulo colligitur; & ad mulierum uſum reſervatur: eo enim ad faciem expoliendam utuntur, capilloſque inungendos. Perſeverante autem ebullitione, aliud oleum paulo craſſius & minus odoratum ad aquæ ſuperficiem elevatur, quod ut minus pretioſum per caravannas Cairum & ad exteras nationes tranſmittitur; illudque eſt in Europa vulgatius.

Præter Opobalſamum, in officinis adhuc uſitata ſunt Carpobalſamum ſeu Balſmami fructus, & Xylobalſamum ſeu lignum Balſami.

Carpobalſamum. *Off.* Καρποβάλσαμον, *Græcorum*. Bacca eſt oblonga, ſubrotunda, Piſo minor, in parvum acumen deſinens, pediculo brevi donata, cortice rugoſo, fuſco, quatuor coſtis diſtincto; includens, dum bene matura eſt, exiguam medullam balſamicam, oleoſam, albicantem, odore & ſapore Opobalſami grato. Probatur flavum, plenum, grande, ponderoſum, guſtu fervens in ore, modice Opobalſamum redolens: rejicitur exoletum, carioſum, pulverulentum, vacuum, leve & inodorum.

Xylobalſamum & Balſami lignum, *Off.* Ξυλοβάλσαμον, *Græcorum*. Sub hoc nomine afferuntur ſurculi ſeu ramuſculi lignoſi, tenues, contorti, nodoſi, & brachiati, plumæ anſerinæ vel minoris digiti craſſitie, duplice cortice circumtecti; exteriore tenujore, rugoſo, rufo; interiore pallide virente, ſaporis, & odoris nonnihil reſinoſi, ad Opobalſami odorem accedentis, cum recens eſt. Legitimum raro in officinis reperitur, aut ſaltem annoſum eſt, & prorſus inodorum. Pro Xylobalſamo etiam ſubſtituunt Lentiſcinos ramulos Opobalſamo perunctos.

Opobalſamum recens collectum & diſtillatum oleum præbet tenue, & fragrantiſſimum; & reſina quædam ruſeſcens remanet, quæ, ſi igne urgeatur, olei craſſioris ad Terebenthinæ oleum accendentis portionem fundit, ac tandem oleum rufum cum acidi liquoris guttis aliquot. Ab hoc oleo tenui & volatili ejus vis pendet.

Opobalſami vires, ratione ætatis diverſæ ſunt. Cum enim recens eſt, tenujbus, actuoſis & ſumme volatilibus particulis copioſis donatur; ac proinde majoris eſt efficaciæ quam annoſum. Intus exhibitum viſcerum putredinem, & corruptionem tollere, abſceſſibus pulmonum, hepatis, & renum conducere fama eſt. Alexipharmacam vim obtinet, & in venenatis, & demorſis a ſerpentibus, atque ictis a ſcorpionibus tum epotum, tum illitum maxime juvat; quod & veteres, Dioſcorides, & Plinius teſtantur. In peſte, ut ab ejus contagio defendantur, Ægyptii nihil majus habent quo utilius & tutius utantur, ſingulis diebus ejus ſemidrachmam deglutientes. Multaſque etiam putridas febres eo epoto ſanant, largiore ab ipſo erumpente ſudore. In chronicis febribus, & crudis frigidiſque humoribus obſtructionibuſque viſcerum, nihil utilius, & præſtantius experiuntur, quam Opobalſami ℈ij. vel ʒj. per os quotidie exhibere. Uno verbo nullum eſt medicamentum, ut refert Alpinus, quo magis ac frequentius Ægyptii medendo utantur quam Opobalſamum,

ſamum, quod illi ad omnes fere morbos, & ſymptomata adhibent, ad eoſque maxime, qui vel ex ſimplici intemperie frigida & humida, vel frigidis humidiſque ſuccis, vel a venenis concitantur. Felici cum ſucceſſu exhibetur in gonorrhæa a guttis xij. ad xx. ſingulis diebus mane jejuno ventriculo, necnon etiam in albo mulierum fluxu, & in dyſenteria. Commendatur inſuper ad pulmonum tubercula cruda diſcutienda, & infarctus pulmonares expediendos. In phthiſica diatheſi ſæpe conducit, fibrillarum pulmonarium tonum reſtituendo, & ſeri in pulmones exſudantis acrimoniam temperando, viſcidoſque humores incidendo: quare aſthmaticis quoque convenit. Utiliter quoque præſcribitur in internis ulceribus, præſertim pulmonum, renum & veſicæ, modo ulcus illud non ſit eryſipelatoſum, ut ſæpius contingit. Tunc enim, obſervante Friderico Hoffmanno, balſamica omnia, reſinoſa & oleoſa ſumme nocent, inflammationem augendo, & puris excretionem coercendo. Itaque ubi adeſt febris inflammatoria, a balſamicorum uſu abſtinendum eſt, aut ſaltem ſumma cum cautione uſurpanda ſunt. Mulieres Ægyptiæ ſteriles eo tum epoto, tum ſuppoſito, tum ſuffito, felici cum ſucceſſu ſæpe ad removendam ſterilitatem utuntur.

Externe ad vulnera ſananda ab omni ævo celeberrimum fuit, tantæque efficaciæ habitum, ut aliis unguentis oleiſque vulnerariis pretioſiſſimis nomen ſuum communicaverit: ideoque Empyrici & Agyrtæ, ut medicamenta ſua commendatiora apud vulgus redderent, ea balſamicorum appellatione honeſtarunt. Nec deſunt exempla vulnerum, etiam periculoſorum, brevi temporis ſpatio Balſami liquore perſanatorum. Quin, & ſordida ulcera expurgat, ut poſt Dioſcoridem P. Alpinus ſcripſit. Obſervandum tamen balſamica, & reſinoſa ejuſcemodi medicamina vulneribus ſimplicibus, ſeu in quibus adeſt ſimplex continui ſolutio, apprime convenire, & mederi, tum ad vulnus obducendum, & ab aeris contactu præſervandum, tum ad labiorum vulneris agglutinationem citius promovendam. Tunc enim vulnera quæ per ſe brevi ſanarentur, multo citius ad cicatricem perducuntur: verum ſi aliqua adſit contuſio vel contritio fibrarum quarumdam carnoſarum aut aliarum, cum contritæ illæ partes ſuppurationem ſemper inducant, fruſtra balſamica medicamenta ad vulnus agglutinandum adhibentur; partes enim illæ putreſcentes, & quarum ſeparatio impeditur, diutius in ea parte immorantes, acrimonia ſua partem affectam vellicant, & inflammant. Unde tardior fit vulneris curatio, & ſæpe difficilior.

Opobalſamum exhibetur Saccharo involutum ſub forma boli, vel vitello ovi ſolutum in emulſione, juſculo, vino, aut alio quovis liquore idoneo, a guttis vj. ad ʒß.

℞. Opobalſami gutt. xij. Excipiantur Saccharo tenuiter pulverato; & fiat bolus in gonorrhæa, albo mulierum flore, & dyſenteria.

℞. Balſam. Judaici ℥ß. Vitellos ovi n. ij. Sacchari in aq. Roſar. ad ſyrupi conſiſtentiam cocti ℥ij. Fiat mixtura, cujus cochlear unum in decocti pectoral. ℥vj. vel in lactis tepentis hauſtu propinetur, in tuſſi ferina & vehemente pthiſi incipiente, & ad cruda pulmonum tubercula reſolvenda.

Frequens eſt Opobalſami uſus inter mulieres Aſiaticas & Ægyptias

ad ſa-

ad faciem expoliendam; quandoquidem cutis eo illita a rugis defendi perhibetur. Sic autem Ægyptiæ Opobalſamo utuntur, referente Alpino. Balſamanda mulier, ut ſic loqui liceat; in balneo calido in primis moratur, quouſque multum incaluerit, quo tempore cutim Opobalſamo multoties copioſe illinit: ſic inuncta, per horam & amplius in balneo valde calido, quouſque cutis Opobalſamo recte imbibatur & areſcat, morata, egreditur, ſolitaque munia exercet, permanetque ſic facie atque pectore Opobalſamo inunctis per tres circiter dies; ac tertia ab inunctione die rurſum in balneum ſe confert, & eodem jam ſupradicto modo faciem ac pectus copioſo Opobalſamo perungit. Eamdem inunctionem multoties repetit ſaltem per triginta dies, quibus cutim nunquam mundant nec abstergunt.

Tandem cum Opobalſamum probe exſiccatum eſt, præmiſſa modica olei Amygdalarum amararum inunctione ſe lavant, cutimque multis diebus aqua Fabarum ſtillatitia abſtergunt.

Apud nos, quæ ad faciem lavandam Opobalſamo utuntur, illud ſic præparant.

℞. Opobalſami & olei Amygdalar. recens expreſſi ana ʒij. Diligenter miſceantur in mortario vitreo. Senſim affundantur ſpiritus vini ʒvij. aſſidue movendo cum piſtillo. Liquor in ampullam vitream effuſus quieſcat, donec oleum totum in ima ampullæ parte ſeparatum appareat. Spiritus ſupernatans rite ab oleo ſecretus ſervetur ad uſum. Hujus ſpiritus ℥j. cum aquæ ℥viij. permiſcetur, & lacteſcit mixtura; ideoque Lac virginale dicitur, ad faciem lavandam plurimi æſtimatum: nulla fit in hoc lacte præcipitatio, ſeu Balſami ſeparatio.

Fructuum atque virgarum recentium uſus eſt in officinis, licet rarior. Iiſdem fere conveniunt, quibus Opobalſamum, iiſdemque facultatibus donantur. Verumtamen Opobalſamum efficacius eſt eo minus Carpobalſamum, omniumque minime Xylobalſamum. Eorum pulvis vel decoctum præſcribitur. Subſtantia a ʒj. ad ʒij. in decocto vero ad ℥ß.

Opobalſamum uſurpatur in Trochiſcis *Hedichroi*, Theriaca & Michridatio: Carpobalſamum in Theriaca: Xylobalſamum in Trochiſcis *Hedichroi*, & Mithridatio.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Balſamo Peruviano, albo & fuſco.

EX quibuſdam Americæ regionibus varii ſucci reſinoſi afferuntur præſtantiſſimi, quibus Balſami nomen ob inſignes eorum virtutes cum Opobalſamo communes conceditur. Tres quatuorve potiſſimum celebrantur, ſcilicet Balſamum Peruvianum album & fuſcum, Balſamum Tolutanum & Balſamum Copaiva.

Balſamum Peruvianum album, *Off.* vulgo *Baume blanc du Perou.* Suc-

cus eſt fluidus, tenax, Terebenthinæ conſiſtentia tenuior, reſinoſus, inflammabilis, limpidus, ex albo flaveſcens: ſaporis acriuſculi, aliquantum amari; odoris fragrantis & ſuavis, ad Styracem accedentis. Affertur ex Americanis Hiſpanicæ ditionis regionibus.

Balſamum Peruvianum fuſcum, vel nigricans, *Off.* vulgo *Baume brun ou noir du Perou*. Succus eſt fluidus, reſinoſus, tenax, Terebenthinæ conſiſtentia ſimilis, coloris ex rufo ad nigrum vergentis, cum odore fragrantiſſimo Benzoinum ſuaviter referente, ſapore ſubacri, linguam leviter mordicante, qui igni admotus flammam facile concipit, ſuaviterque olentem ſimiliter fumum ſpargit.

Rejiciatur nigrum, minus bene olens, ſeu quod empyreuma ſeu fumi odorem refert. Ambo illi ſucci ex eadem arbore ducunt originem. Dicitur Hoitziloxitl, ſeu arbor, Balſami Indici, balſamifera prima *Hernandez*, 51. Balſamum ex Peru, *J. B. I.* 295. Cabureiba ſeu Balſamum Peruvianum, *Piſon.* 119. Cabui Iba, *Marcgrav.* 137. Mali Medicæ magnitudine eſt, foliis Amygdali, majoribus tamen, obrotundioribus, & magis acuminatis, floribus in extremis ramorum flagellis luteis, initio loculorum oblongorum forma, ſed procedente tempore quorumdam veluti foliorum cœteris longiorum & latiorum, in quorum extremitatis cavitate ſemina incluſa continentur candicantia aut pallentia, oblonga & paulisper contorta, ſeminibus Mali Medicæ ſimilia. Inciſo hujus arboris cortice ſtipiteve quovis anni tempore, ſed præcipue exactis jam imbribus, nobilis ille liquor ſtillat. In calidis Americæ meridionalis regionibus naſcitur, qualis eſt Peruvia.

Eadem arbor videtur eſſe, quam Monardes *Cap.* 9. deſcribit; cuique duplicem tribuit corticem; unum craſſum Suberis modo, alterum vero tenuem; fructum Ciceris aut Piſi grano non majorem in extrema ſiliqua anguſta, digitum longa, alba.

Prior ſuccus albidus ex inciſo arboris cortice exſtillat; alter vero coctione, modo Indis uſitatiſſimo, elicitur. Diſſectum trunci lignum, corticem & ramos in minutiſſima fruſtula in capaciſſimum lebetem aqua plenum conjiciunt, & ebullire ſinunt, quoad ſatis ſit. Aqua refrigerata, oleum ſupernatans ruſeſcens, vel ex rubro ad fuſcum vergens, conchis colligunt & ſervant.

Ex Balſamo Peruviano albo, referente Paulo Hermans, diſtillato oleum extrahitur, quod ſtatim concreſcit in ſalem inſtar Sacchari, candidum velut Camphora; qui conſtat ex oleoſis particulis tenuioribus, & ſale acido volatili intime conjunctis.

Balſamum Peruvianum ſive album, ſive fuſcum ad eadem commendatur quibus Balſamum Arabicum convenit; & eodem exhibetur modo a gutt. iiij. ad xij. in aſthmate, phthiſi, dolore nephritico, menſium ſuppreſſione. Extrinſecus lenit dolores ex humoribus frigidis ortos, nervos contractos ſanat, in vulneribus conſolidandis valde proficuum eſt. Cavendum ab ejus odore vehemente, qui caput afficit & gravat, & in lypothymiam nonnunquam inducit. Uſupartur in Pilulis balſamicis, *R. Morton.*

℞. Conſ. Roſ. rubr. ℥j. Balſami Lucatellæ ℥ß. Balſ. Peruv. gut. iij. M. F. bolus in tuſſi inveterata, phthiſi incipiente, ulceribus internis, caſu ab alto, & dyſenteria.

Bal-

Balſamum Peruvianum cum vitello ovi ſolutum longe acrius fit, obſervante Ettmullero, & magis fauces vellicat, quam per ſe ſumptum.

ARTICULUS TERTIUS.

De Balſamo Tolutano.

BAlſamum Tolutanum; *Off.* Balſamum ſolidum; *Quorumdam*: vulgo *Baume de Tolu*, *Baume d'Amerique*, *Baume de Barthagene*, *Baume dur. Baume ſec.* Succus eſt reſinoſus, tenax, mediæ inter liquidum, & denſum conſiſtentiæ, coloris ex ſpadiceo ad aurum vergentis, odoris fragrantiſſimi, ad Benzoini, & Citri odorem accedentis; ſaporis dulcis & grati; nec nauſeam movet, ut cœtera Balſama. Advehitur in cucurbitis parvis, ex quadam Americæ meridionalis Provincia inter civitates Carthegenam, & Nomen Dei dictas ſita, *Tolu* ab Indis dicta, & *Honduras* ab Hiſpanis. Per tempus exſiccatur, & indureſcit, ita ut fragile evadat.

Arbor quæ hunc fructum fundit, dicitur Balſamum Tolutanum, foliis Ceratiæ ſimilibus, quod candidum eſt, *C. B. P.* 401. Balſamum de Tolu, *J. B. I.* 196. Balſamum Provinciæ Tolu, balſamifera quarta, *Hernandez* 53. Pumilis Pinis ſimilis eſt, plurimos ramos quaquaverſum ſpargit, foliaque Ceratiæ ſimilia obtinet, ſemper virentia. Accuratiorem hujus deſcriptionem non reperi. Inciditur tenuis & tenellus cortex ferventiſſimo ſole; liquor effluens cochlearibus e cera nigra factis excipitur; qui deinde in cucurbitas, aut alia vaſcula ad eam rem parata effunditur.

Eædem huic Balſamo, quæ Balſamo Peruviano, tribuuntur virtutes: quinimo a quibuſdam præſtantius cenſetur. Apud Anglos frequentioris eſt uſus, præcipue in phthiſi, & ulceribus internis. In primis autem celebratur ad vunera conſolidanda, & a putredine defendenda, in articulorum vulneribus, ſectionibus, & puncturis nervorum. Nulla acrimonia donatur, ideo in potionibus ſolutum ab ægrotantibus facilius hauritur quam Peruvianum.

Ex hoc Balſamo ſic præparatur Syrupus balſamicus, *Pharmacop. Londinenſis*, apud Anglos uſitatiſſimus.

℞. Balſami de Tolu ℥ij. aq. limpid. ℥xij. Coque in vaſe clauſo balneo arenæ per duas, treſve horas. Colaturæ frigidæ admiſce Sacchar. albiſſim. ad Electuar. ſolid. conſiſtentiam cocti ℥xx. & fiat Syrupus.

ARTICULUS QUARTUS.

De Balſamo Copaiba ſeu Braſilienſi.

BAlſamum Braſilienſe, Balſamum Oleumve Copaiba, Copaiva, vel Copaii; *Off.* Capivus; *Dale pharmacolog*: vulgo *Baume de Copaii*. Succus eſt reſinoſus, liquidus: dum recens eſt, oleoſæ conſiſtentiæ, per tempus tenax & glutinoſus, ex albo flaveſcens, ſaporis acris, amari, aromati-

matici ; odoris fragrantis ; ad ligni *Calambourg* dicti odorem accedentis ; Ex Braſilia a Luſitanis in Europam devehitur.

Hujus ſucci duæ ſpecies occurrunt in officinis. Altera limpidior, coloris pallidi vel flaveſcentis, odoris grati, ſaporis amaricantis, conſiſtentiæ pro ætate fluidioris vel craſſioris, ad Terebenthinam accedentis ; quæ præſtantior. Altera craſſior, albicans, minus pellucida, tenacis & melleæ conſiſtentiæ, odoris minus grati, Terebenthinæ proximi, ſaporis amari injucundi, cum aquæ turbidæ portione in ejus fundo. Hæc ſpecies videtur vel adulterata, aut ſaltem coctione ex arboris cortice & ramulis extracta : idcirco improbatur.

Arbor, ex qua ille ſuccus ſtillat, dicitur Copaiba, *Piſon.* 118. *& Marcgr.* Arbor balſamifera Braſilienſis, fructu monoſpermo, *Raii Hiſtor.* 1659. Satis procera eſt, multis craſſis & late per terram ſparſis radicibus, trunco recto, admodum craſſo, denſo cortice, ligno ſaturate rubro & velut minio tincto, duritieque Fagino æquali, ramis plurimis late extenſis & in ramuſculos diviſis. His plurima adhærent folia ſuperna parte magis virentia, inferna vero diluto virore tincta, ſubrotunda, & ad ovalem formam accedentia, quatuor aut quinque digitos longa, duos autem vel duos cum ſemiſſe lata, pediculis craſſis & digitalis longitudinis innixa, nervis & venulis in poſtica foliorum parte prominentibus inſignita. Ramulorum extremis inſiſtunt multi flores, ex quinque mediocris magnitudinis petalis compoſiti, quibus decidentibus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, digitales, ſubrotundæ atque fuſcæ ; quæ ſi ad maturitatem pervenerunt, digito preſſæ mox aperiuntur, & nucleum quem continent emittunt oblongo-rotundum, Avellanæ magnitudine atque forma ; cujus exterius integumentum cuticula eſt nigricans, quæ ad medietatem veſtitur pauca pulpa, lutea, lenta, molli, odoris inſtar Piſorum contuſorum. Nucleus autem qui comeditur, conſtat carne lenta inſtar Cornu emolliti, dentibus cedente, ſaporis haud adeo manifeſti, coloris aquei, quo ſimiæ delectantur, ita referente G. Marcgrav. *in hiſtor. rerum natural. Braſiliæ*. Creſcit hæc arbos in denſis nemoribus mediterraneis Braſiliæ, necnon etiam in inſula Maranhon & vicinis Antillis inſulis, ubi fervente Æſtate ex trunco profundius inciſo liquor effluit oleoſo-reſinoſus, primo quidem limpidus inſtar olei diſtillati Terebenthinæ ; poſtea vero craſſior, ex albo flaveſcens. Qui primo profluit liquor, ſeorſim aſſervatur, ceu præſtantior altero, qui ultimo prodit. Si truncus arboris iſtius juſto tempore ſatis profunde & ultra corticem incidatur, ſpatio trium horarum ad duodecim Balſami libras emittit : at ſi intempeſtive ſaucietur, nihil vel parum liquoris balſamici fundit ; vulnere autem mox cera aut argilla obducto, poſt duas circiter hebdomadas reſinoſum ſuum liquorem ſat copioſe fundit.

Hujus arboris lignum ob elegantem colorem ſaturate rubrum a fabris lignariis expetitur, tum ad aſſeres latos conficiendos, tum etiam ad varia opera elegantiora concinnanda, necnon ad tinctorios uſus uſurpatur.

Balſamum Copaiba cum aqua communi copioſiore diſtillatum oleum pellucidum odoris ſubtilis & jucundi præbuit : aqua diſtillata eumdem ſpirabat odorem. Reſidua vero Balſami portio in cucurbita aquæ inna-

tans,

tans, ad reſinæ conſiſtentiam redacta, odoris erat reſinoſi. Ejus diſtillatione per retortam inſtituta, prodiit olei ætherei portio quædam, liquoris ſubacidi portio non mediocris, ac tandem oleum craſſum empyreumaticum, primo rubrum, deinde fuſcum, remanente carbone vel maſſa nigra, rara, lucida, levi, ex qua nullum ſal lixivio extractum fuit. Unde liquet, Balſamum Copaiba oleo tum ſubtili, tum craſſiori, & ſale acido ſimul mixtis componi, a quibus ejus energia pendet.

Thomas Fuller Medicus Cantabricenſis obſervat, Balſamum Copaiba odore violaceo urinam non perfundere ſicut a Terebenthina fieri ſolet, ſed ſaporem intenſe amarum ipſi impertire. Idem auctor hoc Balſamum multis encomiis prædicat. Seri, ſalivæ & urinæ muriaticam ſalſedinem demulcet, ſpicula ſalina involvendo: ſanguinem oleoſis partibus depauperatum reſtituit, ejuſque cachexiæ ſcorbuticæ, rancidæ, & putredinali medetur. Valet non tantum externe applicatum, ſed etiam interne exhibitum ad vulnera ſananda; ea enim mundificat & conſolidat. Vulnera quævis, nervorum præſertim, ſanat: dyſenteriam & alios alvi fluxus ſiſtit, ſicut & fluorem album atque gonorrhæam. Renes, ureteres & veſicam arenulis muco pure obſtructos, relaxatos aut ulceroſos, mirum quantum detergat, firmet & ſanet. Urinam ciet, ejus ardores extinguit, contentaque cruenta, fœda & purulenta præ omnibus aliis Balſamis efficaciter expurgat.

Illud inſuper tanquam præſtantiſſimum thoracicum idem Fuller commendat. Bronchia, inquit, detergit, pulmonibus tonum & ſanitatem conciliat, atque tubercula cruda diſſolvit: Peritus ille Medicus obſervavit, tuſſes horrendas periculoſas & phthiſim aperte minitantes hujus ſolius Balſami uſu penitus fuiſſe percuratas. Hecticis quoque, licet intenſe amarum & manifeſte calidum, optime tamen convenire aſſerit; quippe quod humorum ſalſedinem & acrimoniam patenter domat, putredinalemque inquinationem obliterat.

Exhibetur vel per ſe ex ovo ſorbili, vel cum vino aut alio quovis liquore permixtum, vel ſub forma boli cum Saccharo, pulvere Liquiritiæ, aut alio quocumque idoneo pulvere a gutt. v. ad xv. vel xx. Si ad ʒij. vel ʒiij. pro doſi propinetur, æque catharſim promovet ac ipſa Terebenthina.

℞. *Balſam.* Copaiba ℥ß. Vitellos ovi n. ij. Syr. Hederæ terreſtris ℥ij. Vini generoſi ℥viij. Fiat mixtura, cujus cochlear unum aut alterum mane & veſperi propinetur, in pulmonum ulcere & tuberculis.

℞. Balſam. Copaiv. gutt. xv. rad. Glycyrrhizæ pulveris Succini pp. ana gr. xv. Antihectic. Poter. gr. xij. Syr. Heder. terreſtr. q. ſ. M. F. bolus ad pulmonum ulcus ſanandum.

℞. Rad. Butuæ pulver. & pulver. Liquiritiæ ana ℈ß. Balſam. Copaiv. q. ſ. M. F. bolus mane & ſero exhibendus ad ulcus renum & veſicæ abſtergendum & ſanandum.

℞. Lapid. Hæmatit. Maſtiches & Sang. Dracon. ana ʒß. Terræ Catechu & Corall. rubr. pp. ana ʒj. Balſam. Copaib. q. ſ. M. F. Electuar. cujus doſis ʒj. bis die, in fluore albo.

℞. Rhei pulver. ʒiij. Panac. Mercurial. ʒj. Balſam. Copaib. ℥jß. M. F. Ele-

Electuar. cujus doſis ʒj. quotidie mane & ſero ad gonorrhæam virulentam curandam; quarto quoque die purgando cum Pilulis Mercurialibus.

Ex ſupra recenſitis Balſamis variæ extrahuntur tincturæ balſamicæ multis encomiis prædicatæ. Hæc ſit pro omnibus.

♃. Ligni Aloes, rad. Angelicæ, Ireos Florentin. & Ariſtoloch. rotund. ana ℥j. Folior. Dictamni Cretici, ſummitatum Hyperici, Roris-marini, Lavandulæ, Croci ana ℥ß. Spirit. vini ℔jß. Digerantur in vaſe vitreo exacte clauſo ſub ſole per menſem. Seorſim quoque ſumantur Myrrhæ, Aloes, Benzoin. Oliban. ana ℥ß. His affunde Spirit. vini ℔j. Digerantur quoque eodem modo per menſem. Tum ambo liquores percolati miſceantur. Quibus affundantur Balſam. Copaibæ ℥ij. Opobalſami, Balſami Peruvian. Balſ. Tolutani, Styracis liquid. & & Terebenthinæ Cypriæ ana ℥j. Digerantur denuo per quindecim dies, ſerveturque liquor ad uſum internum & externum.

Cavendum tamen ad interno balſamicorum uſu, ubi febrilis æſtus adeſt: ſanguinem enim accedunt, & ad phlogoſim concipiendam concitant: unde ex eorum uſu inopportuno vel diuturniore, vel doſi largiore febris accenditur, hæmorrhagiæ ſequuntur, cephalalgiæ, cordis palpitationes aut quorumdam viſcerum inflammationes. Sæpe etiam ciborum inappetentia aut difficilis concoctio balſamicorum uſum comitatur, quandoquidem reſinoſis eorum particulis ventriculi fermentum obtunditur. Quapropter longe a paſtu exhibenda ſunt, nec doſi nimia.

ARTICULUS QUINTUS.

De Liquidambaro.

Liquidambar, Liquidambarum, & Ambarum liquidum, *Off.* Succus eſt reſinoſus, liquidus, pinguis, conſiſtentia Terebenthinæ ſimilis, ex flavo rubeſcens; ſaporis acris, aromatici; odoris fragrantis, ad Styracem & Ambarum accedentis. Ex nova Hiſpania, Virginia, & aliis Americæ meridionalis Provinciis olim afferebatur. Quandoque etiam cum hoc ſucco reſinoſo oleum illo tenuius, fluidius & fragrantius ab eodem extractum aſportabatur; oleum de Liquidambare dictum, coloris rufeſcentis, & magis limpidum. Hæ ſubſtantiæ olim magno erant in uſu, & in unguentariorum officinis ſæpius & magna copia reperiebantur. Nunc vero, quandoquidem odoramenta fere obſoleverunt, rariſſime in officinis occurrunt, ita ut iis ſint prorſus ignota.

Arbor quæ hunc ſuccum fundit, dicitur Liquidambari arbor, ſive Styracifera, Aceris folio, fructu tribuloide, id eſt, pericarpio orbiculari ex quamplurimis apicibus coagmentato ſemen recondens, *Plukn. Phytograph. Tab.* 42. Xochiocotzo-Quahuitl, ſeu arbor Liquidambari Indici, *Hernandez* 56. Ococotl Indorum, *Nicol. Monardis*: Styrax Aceris folio, *Raii Hiſtor.* 1681. Arbor Virginiana Aceris folio, potius Platanus Virginiana Styracem fundens, *Ejuſdem* 1799.

Ar-

Arbor eſt vaſtæ magnitudinis pulchra, procera, ramoſa, patula, cum radicibus longe lateque expanſis caudice recto, cortice partim fulvo, partim virente odorato. Folia profert Aceris foliis ſimilia, in tres pluresve cuſpides diviſa, altera parte albicantia, altera obſcuriora; in ambitu ſerrata, tres pollices lata. De flore nihil habemus: fructus ſphæricus eſt, inſtar Platani aculeatus, conſtans ex pluribus capſulis ſeminalibus flaveſcentibus, prominentibus, & in acumen deſinentibus, in quibus ſemina oblonga ſubrotunda deliteſcunt. Ex hac arbore, vel ſponte, vel inciſo cortice, ſuccus promanat reſinoſus, odoratus, & fragrantiſſimus, Liquidambarum ſcilicet. Ex eodem ſucco recens collecto, & loco idoneo repoſito oleum de Liquidambar dictum ſeparato multo ſubtilius longeque ſuavius. Nonnulli etiam ex arboris ramuſculis, & cortice comminutis, & aqua coctis pinguedinem innatantem colligunt, & vendunt pro legitimo Liquidambaro. Cortex quoque comminutus odoris gratia cum reſina commiſcetur, ut ſcilicet ſuavius, & diutius ſpiret in ſuffitibus.

Liquidambar olim maxima copia ad pelles, & chirothecas odoribus imbuendas abſumebatur. Nunc vero apud nos odoramentum illud nomine vix cognoſcitur. Ab auctoribus utile dicitur ad pleroſque morbos frigidos, ad tumores reſolvendos; & ſpeciatim ad tumores, & obſtructiones uteri, menſeſque provocandos commendatur. Hodie ſicut pleraque alia odoramenta obſolevit: ab his enim noſtratum capita læduntur, gravantur; & mulieres in hyſtericos affectus inducuntur.

ARTICULUS SEXTUS.

De Styrace liquido.

Officinæ, præeuntibus Arabibus, & Styracem diſtinguunt hodie in liquidum & ſiccum, cum Græci unicum tantum Styracem agnoſcant, ſiccum nempe, liquidum vero non noviſſe videantur. Hæc duo Styracis genera ſunt prorſus diverſa. De ſicco paulo poſt tractabimus; nunc autem de liquido.

Styrax liquidus, *Off.* Miha, *Arabum*: Cotter-Mija, *Turcarum*: Roca-Malha Sinenſium, *Garziæ*: vulgo *Storaz liquide*. Succus eſt reſinoſus cujus duplex genus in officinis reperitur; purum, & impurum aut craſſum. Styrax liquidus purior ſiccus eſt, reſinoſus, melleæ, & tenacis ſubſtantiæ, Terebenthinæ ſimilis, ſemipellucidæ; coloris fuſci aut ex fuſco rubentis, vel etiam ex cinereo fuſci; odore valido ad Styracem ſolidum nonnihil accedente, ſed ob vehementiam fere ingrato; ſapore acriuſculo, aromatico, oleoſo. Probatur lentus, fulvus, pellucidus, odoratiſſimus.

Styrax minus purus aut craſſus ſuccus eſt reſinoſus, fœculentus, fuſcus vel ſubcinereus, opacus, pinguis & minus odoratus, & videtur eſſe portio fœculenta prioris: nec medicamentis etiam externis niſi colatus & a fœcibus purgatus uſurpari debet. Officinarum vulgus, poſt quoſdam Arabes, Stactes nomen Styraci liquido tribuerunt, ſed perperam; cum Stacte Græcorum

ſit

fit Myrrhæ colamen, ut videre eſt apud Dioſcoridem. Raro Styrax liquidus purus & ſincerus in officinis reperitur: ſæpe enim ligni ſcobe vel pulvere conſpurcatur, aut factitii liquores in ejus locum ſubſtituuntur.

De Styracis liquidi origine magna inter auctores diſſenſio eſt: alii enim opinantur nihil aliud eſſe, quam Mirrhæ colamen, ratione nominis Stactes quo donatur a quibuſdam, ſed præter ſaporis, & odoris diſcrepantiam inter Myrrham, & Styracem, res prorſus diverſas eſſe liquet ex eo, quod Myrrha, utpote media inter gummi & reſinas ſubſtantia, in quovis aquoſo liquore facile pro parte diſſolvatur; liquidus autem Styrax minime, ſed in oleoſo & pingui tantummodo, ut aliæ reſinæ. Aliis factitium quid ex Styrace calamita in oleo ac vino ſoluto, admixtaque Terebinthina Veneta excocta; quæ decoctio cum refrixerit, Styrax liquidus ad fundum ſecedere dicitur, ſuperius vero innatare oleoſam ſubſtantiam. Alii expreſſione idem moliuntur. Aliis eſt oleum ex nucleis arboris Storacifluæ expreſſum. Aliis fit per decoctionem corticis vel ramuſculorum tenerorum & gemmarum Styracis, vel ut alii volunt, Liquidambaris. Alii Styracem calamitam, & liquidum eumdem eſſe ſuccum, conſiſtentia tantummodo diverſum affirmant. Samuel Dale teſtatur quodcumque in Pharmacopoliis Londinenſibus pro Styrace liquido venditur, rem omnino factitiam eſſe.

Verumtamen Jacobus Petiver Pharmacopæus Londinenſis, Regiæ Societatis Socius, & ſagax naturalis hiſtoriæ ſcrutator, *Actis Philoſoph. Reg. Soc. Lond. n. 313.* refert Styracem liquidum, a Turcis, & Arabibus *Cotter-Mija* dictum, ſuccum eſſe cujuſdam arboris *Roſa Mallos* dictæ, quæ in Inſula Cobros maris Erytrhæi naſcitur, trium dierum itinere ab urbe *Suez* diſtante. Hujus arboris corticem ſingulis annis deglubunt, & contuſum in aqua marina coquunt uſque ad viſci conſiſtentiam: tum reſinoſam ſubſtantiam ſupernatantem colligunt. Verum cum adhuc multum craſſamenti ſeu corticis pulverati contineat, eam denuo aqua marina bulliente liquant & percolant. Sic defœcatam reſinam, & craſſamentum fœculentum reſiduum ſeorſim doliolis includunt, & Moccam Arabiæ emporium tranſvehunt. Et hæ duæ ſunt Styracis liquidi ſpecies, quæ in officinis occurrunt.

Hoc odoramentum apud orientales populos multi æſtimatur, & magni eſt uſus. A libris 180. ad 360. dolium venditur, quod 420. libras continet, prout Styrax craſſior eſt vel purior.

Nullam hujus arboris deſcriptionem reperimus.

Styraci liquido eædem tribuuntur virtutes ac cœteris Balſamis ſupra dictis. Intus præſcribitur a guttis iij. ad xij. ad ulcera interna abſtergenda, & ſananda. Frequentius adhibetur contuſionibus, vulneribus, & ulceribus externis, præſertim ſcorbuticis. Summopere vero commendatur ad putredinem arcendam, & ſphacelum præcavendum. Uſurpatur in unguento de Styrace dicto, cujus in Noſocomio Pariſienſi frequens felixque uſus eſt. Sic præparatur.

℞. Olei Nucum optimi ℥v. Gummi Elemi, Ceræ novæ ana ℥iij. ʒiij. Colophoniæ ℥vijß. Omnibus fuſis adde Styracis liquidi & nitidi ℥iij. ʒiij. Fiat unguentum.

AR-

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Terebinthina, variiſque ejus ſpeciebus ac productis.

QUatuor ſuccorum reſinoſorum genera in Officinis Terebinthinæ nomine inſigniuntur, licet unicæ conveniat reſinæ, quæ ex Terebintho ſtillat.

Quadruplex igitur Terebinthina, ſcilicet Chia, Veneta, Argentinenſis, & communis.

Terebintina Chia vel Cypria, *Off.* Ῥητίνη τερμινθίνη *Græcorum*; Terebinthina, *Latinorum*: Terminthina, *Quorumdam*: & barbare Ferbintina, Ferebinthina, Trebenthina, Trementina, aut Fermentina: Helc Alimbath ſeu Helt Alimbach, *Arabum*: vulgo *Terebentine de Chio*. Succus eſt reſinoſus, liquidus, ex Terebintho arbore effluens, colore candidus, ſubflavus, vitreus aut candidus, ad cæruleum nonnihil vergens, interdum pellucidus, conſiſtentiæ modo firmioris, modo mollioris, lentæ ac glutinoſæ, ita ut inter digitos fricata nonnumquam in micas teratur, ſæpius tamen mellis ſolidioris inſtar digitis cedat, & adhæreat, odore acri, non ingrato, Laricеæ reſinæ ſeu Terebinthinæ Venetæ non diſſimili, præſertim manibus tractata, aut prunis impoſita guſtu modice amareſcens, acris. Plurimi æſtimatur, quæ ex Inſulis Chio, & Cypro affertur, unde nomen ſumpſit. Veteribus Græcis cognita fuit, & apud eos uſitata.

Stillat ex arbore, quæ dicitur Terebinthus vulgaris, *C. B. P.* Terebinthus, *J.B.* Arbor eſt ſemper virens, Pyri magnitudine, cortice craſſo & hiulco, cinereo, ramis patulis, in quibus alternatim folia naſcuntur conjugata, rigida, & firma laurinis non prorſus abſimilia, ſed magis obtuſa. Flores, incipiente Majo, in ſummis ramulis racematim congeruntur ſtaminei, purpuraſcentes, ſteriles: ſpecies enim, quæ fructus profert, ſtaminibus omnino caret. Fructus racemati etiam naſcuntur ſubrotundi, duas vel tres lineas longi, cum teſta membranacea purpuraſcente vel flaveſcente, ſubacida, ſtyptica, & reſinoſa obducta. Teſta autem unicapſularis, inanis ſæpe, nucleum continet medulloſum. In Gallia Narbonenſi frequens occurrit; & in ſylva Valena circa Monſpelium ex vulneratis Terebinthis Terebinthinam fluere obſervavit Lobelius. In Inſula Chio ſecus vias ſponte naſcitur, & Terebinthinam abunde fundit craſſam, & candido in colorem ſubcæruleum vergente ſaporis & odoris fere expertem, dentibus vix adhæreſcentem, quæ facile induratur, ut clariſs. Tournefortius obſervavit.

Vindemiarum tempore quoſdum folliculos ſeu veſiculas foliis & ramulis inhærentes promit, quales fere in Ulmi foliis naſcuntur, ſed pallido aut purpuraſcente colore: interdum etiam extremis ramis oblonga & cartilaginea cornicula quatuor, quinque ſex digitos aut amplius longa, varia forma excreſcentia, rubentia, concava: quæ, ſicut folliculi, aperta lentorem quemdam continere deprehenduntur, cui permixta ſunt cinerea & fuliginoſa excrementa atque exigua animalcula alata. Horum corniculorum meminerunt

omnes

omnes fere, qui de hac arbore ſcripſerunt. Nihil autem aliud ſunt, ut Joanni Rajo videtur, quam excreſcentiæ quædam ab inſectis folia & ſurculos compungentibus & ibidem ova ſua deponentibus excitatæ, ut matricum ſeu uterorum loco iis inſerviant fovendis, & excludendis, fœtibusque editis alendis & protegendis, mira naturæ providentia. In illis tamen folliculis aut corniculis non colligitur reſina, ſed ex ligno. Arbor ipſa ſicut, & reliquæ reſiniferæ poſt germinationem inciduntur tum in caudice, tum in ramis: & ex vulneribus reſina diſtillat primum liquida, quæ deinde paulatim inſpiſſatur, & areſcit.

Kæmpferus de Terebenthina Perſica mentionem facit apud orientales populos uſitatiſſima, Cypriæ non diſſimili, quæ colligitur in petroſis ac deſertis montium receſſibus circa Schmachiam Mediæ, Schiraſam Perſidis; in Luriſtano; & Larenſi territoriis, & præſertim in petroſo monte circa *Majin* pagum celebrem, una diæta diſſitum *Sjiraſo*, ubi Terebinthi, ſeu, ut ait, Piſtaciæ ſylveſtre copioſæ naſcuntur. Accolæ liquorem reſinoſum, qui vel ex arbore fauciata prolicitur, vel ex rimis nodiſque ſtirpium putreſcentibus, æſtuante Syrio, ſponte promanat, copioſum excipiunt. Exceptum liquorem parum lenteque coquunt, antequam ebullire incipiat, effundendum. Ita refrigeratus picis albæ colorem, & conſiſtentiam refert.

Hujus Terebenthinæ apud orientales populos uſus, inquit Kæmpferus, non eſt alius, quam ut pro maſticatorio ſerviat, quo mulierculæ citra Indum maxillas ſine intermiſſione exercent; ita, ut ægre, ſi ei adſueverint, carere hac reſina poſſint. Dicitur lympham proliciendo catharros tollere, albedinem, & firmitatem dentibus conferre, appetitum excitare, ac gratum ori conciliare halitum. Proſtat ubique in officinis, & myropoliis Turcarum, Perſarum, & Arabum, ſub *Sakkis* Turcico, & *Konderuum* Perſico nominibus.

Accolæ montis Benna in Perſide ex ſtipite vulnerato Terebenthinam non excipiunt; ſed ipſa ligna comburendo reſinam extorquent, quoad colorem ſpadiceum obſcurum aquiſiverit, quæ pro coloris ſpecie pictoribus inſervit: eſt enim dura, friabilis & ſplendida. Proſtat in officinis ſub nomine *Sjiah Benna*, id eſt, nigredo montis Benna, vel *Rengi Sulah*, id eſt, color Sulah.

Analyſi Chymica Terebenthinæ Chiæ ℔ijß. præbuerunt olei tenuioris, limpidi & aquei coloris ℥ix. olei flaveſcentis ℥v. ſpiſſioris vero & rufeſcentis ℥xxij. liquoris acidi gr. lx. Caput mortuum in retorta ſuperſtes pendebat ℨvij. gr. xxx. ex quo per horas octo calcinato nihil ſalis fixi extractum fuit.

Hujus, & cœterarum Terebenthinæ ſpecierum uſus eſt externus & internus. Externe admota emollit, digerit, diſcutit, reſolvit, ulcera expurgat, & vulnera recentia glutinat. Verum hæc reſina apud nos ad uſum externum raro adhibetur, cum Laricea vulgatior ſit, minus pretioſa, nec viribus inferior. Sæpius ad uſum internum præſcribitur, cum minus acris ſit. Inter vulneraria & balſamica medicamenta recenſetur. Revera inſignis eſt ejus energia ad interna ulcera mundificanda, & abſtergenda. In pulmonum, ventriculi, inteſtinorum, hepatis, renum, veſicæ, & cœterorum viſcerum exulcerationibus utiliter præſcribitur. Confert veteri tuſſi, ſputo purulento, & incipienti phthiſi.

Uri-

Urinas provocat, eaſque odore violaceo perfundit: valet ad urinæ ardorem, ſuppreſſionem & nephritim, ſi ab acri, ſpiſſo, ac glutinoſo ſero oriantur. Sæpe quoque arenulas pellit, ſerum viſcidum quo agglomerabantur ſolvendo: verum non exhibenda eſt, quin prius ſedata fuerit inflammatio. Ab ea quoque abſtinendum, ſi calculus adſit in renibus major, quam ut per vias urinarias tranſgredi poſſit: tunc enim aut inutilis eſt, cum non ſit lithontriptica; aut partem jam ad inflammationem diſpoſitam incendit. Verumtamen a quibuſdam Medicis ad nephritim præcavendam diuturnior illius uſus præſcribitur, quo nempe ſerum viſcidum arenularum & calculorum cauſa diſſolvitur. Magnæ quoque ſunt ipſius laudes in podagra & omnibus articularibus morbis, ſi accipiatur, ut docet Avicenna, quantitas Nucis Avellanæ ſingulis matutinis jejuno ventriculo. Nec mirum quod calculo confert, etiam podagræ prodeſſe; cum cognati ſint illi morbi, & eamdem cauſam continentem ſeu materiam habeant; unde non raro in ſe mutuo tranſmutantur. Alvum quoque movet: & purgandi cauſa in ſenibus optime & ſine noxa a Galeno vocatur, ad magnitudinem Nucis Ponticæ & amplius propinata. A quibuſdam ad ℥ß. & ultra exhibetur; ſed raro nunc in hunc finem uſurpatur.

Exhibetur a ʒß. ad ʒjß. ſub forma boli, vel in aqueo liquore cum tantillo vitelli ovi diſſoluta. A nonnullis coctione in aqua inſpiſſatur ad extracti conſiſtentiam, & ex ea Pilulæ formantur. Verum ſpirituoſæ ſubſtantiæ plurimum coctione deperditur; quapropter hæc improbatur præparatio.

Ex Terebenthina Chia ſpiritus, oleum, reſina ſeu Colophonia præparari poſſunt. Sed hæc præparata, ob hujus Terebenthinæ defectum, raro in officinis reperiuntur; cum inſuper Terebenthina Laricea majorem ſpiritus copiam præbeat quam Terebinthi reſina, quæ nobis jam inſpiſſata & partibus magis volatilibus jam orbata advehitur.

Terebenthina Chia uſurpatur in Theriaca *Andromachi*, Mithridatio *Damocratis*, & Trochiſcis cypheos.

Terebenthina Veneta, Larigna vel Laricea, *Off.* Λάριξ, *Græcorum*: vulgo *Terebentine de Veniſe*, *ou des Melezes*. Subſtantia eſt reſinoſa, liquida, limpida, lenta, tenax, oleo quidem craſſior, melle vero liquidior, quæ ab intincto digito contumaciter & æqualiter defluit, aliquantulum translucida, vitri inſtar; coloris flaveſcentis; odoris reſinoſi, fragrantis, acris, non ingrati, aliquantulum tamen gravis; ſaporis tenuis, acris, amaricantis; quæ acredine & calore Terebinthi reſinam ſuperat. Probatur recens, quæ magis pellucida, candida, liquida, nullis inquinamentis aut fœcibus conſpurcata, & cujus gutta ungui adhærent, non vero diffluunt. Veneta dicitur, quia olim Venetiis nobis afferebatur; nunc vero ex Delphinatu & Sabaudia. Hæc reſinæ ſpecies olim veteribus Græcis cognita fuit; & jam Galeni temporibus, ſicut & abiegna pro genuina Terebinthi reſina a quibuſdam vendebatur. *Gal. 3. l. de comp. Med. ſec. gen.*

Fluit ex arbore quæ Larix, folio deciduo, conifera, *J. B. I.* 265. Larix *Dodonæi* 868. vulgo *Meleze*. Arbor eſt procera, caudice recto; cujus cortex inferiore parte quæ ramis ſubeſt, fuſcus, craſſus, aſper, in frequen-

tes rimas dehiſcit ; præciſus interius rubere conſpicitur ; reliqua parte lævis , glaber , nonnihil foris inalbicans ; materies firma ſatis & ſolida , pectinibus rectis , fulva , odorata . Ramos multos promit in alios minores diviſos , qui lenti ac obſequioſi ſunt , deorſumque dependentes . Folia circa ramulos multa , ab uno tuberculo numeroſa , ſimul cohærentia , breviora , tenujora , mollioraque , quam Pini folia , haud aculeata . Flores amentacei ſunt , & ſteriles . Fructus coni ſunt parvi , cupreſſinis magnitudine fere ſimiles , ſed tamen longiores , gracilibus folioſis ſquamulis axi communi affixis compacti , ſub quibus latent ſemina gemina , exigua , foliata ſeu conjuncta , cum tenuj membranula apum aut veſparum alis ſimili , magnitudine ſeminis Cupreſſi , foris cinericeo cortice , intus candido nucleo conſtantes , ſapore dulci & pineam nucem referente . Dum fructus illi adhuc teneri ſunt , ſubrotundi ſunt , & elegante purpura rubentes . In Alpibus Gallicis , Sabaudis , Rhæticis , Stiriacis , & Carinthiacis , necnon etiam in Apennino abunde provenit .

Ex ea vel ſponte vel per inciſionem Vere & Autumno fluit reſina aquæ limpidæ inſtar , conſiſtentiæ oleo ſimilis ; brevi vero nonnihil flaveſcit , & tractu temporis craſſeſcit . Ex eadem alia ſucci ſpecies quibuſdam anni tempeſtatibus exſudat , Mannæ prorſus ſimilis ; qui idcirco Manna Laricea dicitur , vulgo *Manne de Briancon* , a loco ubi frequentius reperitur. Eædem quoque arbori fungus adnaſcitur , Agaricus dictus ; de quibus ſuo loco agemus.

Analyſi Chimica , Terebenthinæ Venetæ ℔ij. ℥xj. per B. V. diſtillatæ præbuerunt phlegmatis ſubacidi ʒjß. olei vero tenujſſimi & limpidiſſimi ℥x. ʒvjß. Maſſa reſidua per retortam , igne reverberii gradatim aucto , exhibuit phlegmatis acidi ℥ij. ʒij. phlegmatis urinoſi aliquantulum : olei flaveſcentis paulo craſſioris ℥xij. ʒij. gr. iiij. olei rufi & ſpiſſioris ℥xvij. ʒiiij. Maſſa nigra , lucida , ſpongioſa , lævis , in retorta ſuperſtes pendebat ʒvj. gr. xij. quæ per horas octo in crucibulo calcinata colorem fuſcum ſubrubentem obtinuit . Omni ſapore deſtituta fuit , & ad pondus granorum xxij. redacta eſt . Nullus ſal ex ea lixivii ope extractus fuit . Partium deperditio in diſtillatione fuit circiter ʒj. & in calcinatione fere ʒvj. Unde liquet Terebenthinam Lariceam oleo ſubtili conſtare cum acido ſale ita conſociato , ut ambo in reſinoſum compoſitum faceſſant ; nihil vero aut parum terræ continere , & portionem alcalici ſalis exiguam & vix perceptibilem . Revera ſi ſpiritus Terebenthinæ cum acido Vitrioli ſpiritu digeratur , poſt aliquot dies abeunt in reſinam Terebenthinæ ſimilem, quæ continuata digeſtione magis , ac magis ſpiſſeſcit , donec in bitumen nigrum convertatur .

Obſervandum eſt , Terebenthinam non modo per os ſumptam , aut per anum injectam , ſed etiam externe vulneribus admotam , imo ipſius ſpirituoſas ac volatiles partes odore ſolo naribus & pulmonibus exceptas , urinas adeo afficere , ut violarum odorem referant . Unde concludimus , Terebenthinam vires ſuas exerere potiſſimum ſpirituoſis ac volatilibus ſuis particulis , quæ facile per totum corpus diffunduntur , maſſam ſanguineam , cœteroſque humores ſubeunt , dividunt, & attenuant , acres ſales involvunt , ſecretiones & excretiones reſtituunt , urinarias potiſſimum

aut

aut alvinas partes ſolidas abſtergunt, illiniunt, earumque oſcillationes reſtituunt; quod & de cæteris Terebenthinarum ſpeciebus etiam ſentiendum eſt.

Terebenthina Laricea iiſdem, ac Terebinthi reſina virtutibus donatur, & apud nos ad uſum internum præ cæteris anteponitur. Balſamica eſt, vulneraria, diuretica, & alvum ſimul movet. In pulmonum, renum, veſicæ & cæterorum viſcerum exulcerationibus utiliter præſcribitur. Magni eſt uſus in gonorrhæa & fluore albo muliebri. Ad viſcerum apoſtemata reſolvenda vel maturanda plurimum confert; ſiquidem nonnumquam purulentam materiam a parte affecta ſubducit, & per urinarias vias foras cum urinis amandat. A Riverio & aliis Medicis celeberrimis commendatur ad calculos renum præcavendos; & cæteris diureticis eo magis anteponitur, quod urinas movendo ſimul alvum laxet, ita ut craſſiores humores, qui ab aliis diureticis ad renes deducerentur, per alvum deturbentur.

De modo Terebenthinam Venetam præſcribendi, idem dicendum eſt quod de Cypria. Exhibetur enim ſub forma boli aut pilularum, vel cum ovi vitello ſoluta. A multis aqua communi aut alio liquore lavari ſolet: ab aliis levi coctione in maſſam ſolidiuſculam inſpiſſatur. Sed inutilis eſt ejus coctio, lotio vero non magis utilis: lotione enim & coctione plurimæ ejus particulæ avolant & diſſipantur.

Ejuſdem externe adhibitæ vis balſamica & vulneraria ſatis prædicatur. Unde nullum ferme linimentum, nullum fere emplaſtrum, vel unguentum ad vulnera & ulcera eſt, quod Terebenthina Veneta, tanquam anima & corpus, inquit Ettmullerus, non ingrediatur. Ex ea cum vitelli ovi q. ſ. & oleo roſato vel alio quocumque idoneo Chirurgi unguentum digeſtivum parant in vulneribus uſitatiſſimum & maxime commendatum.

In dyſenteria, inteſtinorum exulcerationibus, dolore nephritico, urinæ ſuppreſſione, clyſteres cum Terebenthina utiliter injiciuntur.

Non tamen abſque cautione uſurpanda eſt Terebenthina, ſicut cætera diuretica; nec niſi præmiſſis univerſalibus, ſcilicet ſanguinis miſſione, ſi metuenda ſit febris aut inflammatio, tum medicaminibus primas vias abſtergentibus & laxantibus: alioquin febris, cephalalgia, aut ardor in aliis partibus incenditur. Fabr. Hildanus, *Cent.* 5. *Obſ.* 59. ex uſu Terebenthinæ poſt cibos crudos & viſcidos aſſumptæ urinam ſuppreſſam obſervavit.

Ex Terebenthina in officinis ſpiritus, oleum Terebenthinæ & Colophonia præparantur.

♃. Terebenthinæ Venetæ recentis, mundæ ac pellucidæ q. lib. Diſtilletur per retortam vitream, cujus tertia pars ad ſummum repleatur. Primo & leniſſimo igne propellitur oleum æthereum, tenue, cum phlegmatis portione quadam junctum, quod vulgo ſpiritus Terebenthinæ nomine inſignitur. Poſtea ignis gradu paulatim aucto, proliciuntur oleum flavum, deinde rufeſcens & conſiſtentiæ paulo ſpiſſioris. Si tunc amoveatur ignis, vaſis refrigeratis, in fundo retortæ reperitur maſſa ſolida, fragilis, pellucida, rufeſcens, quæ Colophonia dicitur. Si vero hæc maſſa reſinoſa igne urgeatur, fundit oleum

 nigri-

nigricans, ſpiſſum, quod a quibuſdam Balſamum Terebenthinæ nuncupatur; & in retorta maſſa nigra, rara, ſpongioſa remanet.

Spiritus Terebenthinæ interne exhibetur ad guttas aliquot. Urinas potenter movet: convenit in urinæ ſuppreſſione a muco ſpiſſiore vias urinarias infarciente, in mictu cruento ac purulento ab ulcere renum & veſicæ oriundo, in affectionibus pulmonum.

In pleuritide a Bartholeto commendatur, quod humorem in thorace impactum ſolvat, & ad vias urinarias felici cum ſucceſſu perducat. Raro oleum flavum intus propinatur. Externe ſpiritus & oleum tanquam balſamica & vulneraria adhibentur.

Colophonia digerit, reſolvit & conſolidat: minus detergit & penetrans eſt quam ipſa Terebenthina, ob oleoſas partes diſtillatione ablatas. Intus nonnunquam exhibetur, ſed raro: externe in quibuſdam emplaſtris uſurpatur.

℞. Terebenthinæ Venetæ ʒij. Olei Amygdalar. dulcium ℥ß. M. Hauriat æger in aſthmate, nephritide, & urinæ ſuppreſſione.

℞. Terebenthinæ Venetæ ʒij. Conſerv. Roſar. vel Violar. ℥ß. M. F. bolus. Vel

℞. Terebenth. Ven. ℥ß. cum Sacchari pulverati, vel pulveris Liquiritiæ q. ſ. M. F. bolus in ulcere pulmonum, renum aut veſicæ. Vel

℞. Medull. Caſſ. recens extract. ʒvj. Terebenth. Ven. ℥ß. Glycyrrhizæ pulver. q. ſ. M. F. bolus in ulceribus internis.

℞. Terebenth. Ven. ℥ß. Rhabarb. pulver. ʒß. Fiat bolus in albo mulierum profluvio.

℞. Terebenth. Ven. ℥ß. Rhei pulver. ʒiij. Panaceæ Mercurialis ʒj. M. F. Opiata cujus doſis ʒj. bis die ad gonorrhæam curandam, præmiſſis præmittendis.

℞. Terebenth. Ven. in ovi vitello diſſolutæ ℥ß. Mellis roſati ℥j. Lactis vaccini ℥viij. Fiat enema bis die iterandum in dyſenteria & inteſtinorum exulcerationibus.

℞. Decocti folior. Malvæ, Parietar. flor. Chamœmel. Meliloti ℔j. in qua dilue Terebenth. Ven. vitello ovi diſſolutæ ℥j. Salis Prunell. ʒj. Fiat enema in dolore nephritico. Vel

℞. Terebenth. Lariceæ, & Caſſ. recens mundatæ ana ℥j. Diſſolve in ſeri lactis ℔j. Fiat enema.

Uſurpatur Terebenthina Laricea in aqua antinephritica, *De Bellegarde* vulgo dicta *Charas*, aqua ad gonorrhæam fœtidam & virulentam *Quercetani*, in Pilulis de Terebenthina cocta *Charas*, diureticis, Mercurialibus, ad ſiſtendam gonorrhæam & contra gonorrhæam virulentam *Ejuſdem*, in Pilulis Matthæi *Ph. Bateanæ*, in Balſamo viridi *Metenſium*, unguento ſeu Balſamo vulnerario *Arcæi*, oleo Hyperici, in unguento martiato, de Althæa, Baſilico, mundificativo, & in unguentis emplaſtriſve fere omnibus.

Terebenthina abiegna ſeu abietina, Terebenthina Argentoratenſis, *Off.* Ῥητίνη ἐλατίνα, *Græcorum*: vulgo *Terebentine de Strasbourg*, *Reſine liquide des Sapins*, *Bigion.* Subſtantia eſt reſinoſa, liquida, dum recens eſt, Laricea pellucidior, minus lenta, minuſque tenax, odore magis grata, & amara magis,

gis, corticis Mali citrei odorem, & ſaporem quodammodo referens: per tempus flaveſcit, & ſpiſſeſcit. Argentoratenſis dicitur apud nos, ex eo quod ex Argentorato nobis afferatur.

Reſinoſus ille humor manat ex arbore quæ dicitur Abies, Taxi folio, fructu ſurſum ſpectante, *Inſt. R. H.* 585. Abies, conis ſurſum ſpectantibus, ſive mas, *C. B. P.* 505. Abies fœmina, ſive ἐλατη θηλεια, *J. B. I.* 231. Gallice *Sapin*. Procera & excelſa eſt arbor, Pinum altitudine ſuperat. Caudex ejus rectus, inferius enodis, cortice albicante, & fragili circumveſtitur. Rami in circuitu circa truncum creſcunt, interdum quatuor, interdum quinque, ſex aut plures, & ſic per intervalla diſpoſiti ad cacumen uſque obſervantur: utrinque ſurculos ut plurimum emittunt inſtar crucis, quibus undique adnaſcuntur folia brevia, minime pungentia, ſuperne ſature virentia, inferne ex adverſo paululum candicantia, & linea viridi diſtincta. Flores amentacei ſunt, pluribus conſtantes apicibus; qui in duo loculamenta dividuntur, tranſverſa dehiſcunt; pulveremque fundunt minutiſſimum, ſæpe lunatum, ut microſcopii ope facile patet. Steriles ſunt. Fructus in aliis ejuſdem arboris partibus naſcuntur: coni ſunt oblongi, ovati fere, Piceæ vulgaris conis breviores, & craſſiores; conſtant ex ſquamis in ſuperiore parte latis, axi affixis, ſub quibus latent ſemina gemina, foliata, ſubalbida, plena acri, & pingui humore. Coni virent Autumni initio, & multam reſinam fundunt; ſub Autumni vero finem, & Hyemis initium maturitatem conſequuntur. Frequens creſcit hæc arbos in Germania, & ſeptentrionalibus regionibus.

Non ſolum ex caudice, & ramis, ſed etiam ex tuberculis quibuſdam intra corticem poſitis reſina ſeu oleum abiegnum extrahitur. Quæ ex caudice vulnerato effluit, minus odorata eſt minuſque pretioſa: exſiccata Thus colore, & odore aliquantiſper ementitur; ſic ejus loco a nonnullis ſufficitur. Reſina vero quæ ex tuberculis inciſis effunditur, plurimi æſtimatur, & ſpeciatim Lachryma abiegna, Oleum abietinum, vulgo *Bigion* nuncupatur.

Ea eſt hujus reſinæ exprimendæ ratio a Bellonio relata. Qui pecora paſcunt, interdiu, ne deſidia torpeſcant, vaccinum cornu vacuum dextra tenentes ad Abietis ſylvas accedunt. Illi autem cum in novellas adhuc Abietes inciderint, & Abietem glabro cortice veſtitam, tuberculis ſcatentem comperierint, (annoſarum enim cortex in rugas contractus nulla tubercula oſtendit,) oleum ſubeſſe ſtatim conjiciunt, illaque tubercula ſic labio cornu premunt, ut liquorem inde oleoſum detrudant. Neque tamen hoc modo, quam diligentiſſima etiam adhibita opera, ultra uncias quatuor uno die legere poſſunt; ſiquidem ſingulare quodcumque tuberculum nonniſi guttam unam aut alteram continet: ex quo quidem fit, ut reſina hæc cœteris rarior ſit, majoriſque vendatur.

Argentoratenſis itaque Terebenthina ex caudice vulnerato apud Germanos extrahitur. Pinus Piceaſve menſe Majo aggrediuntur; & in parte ſuperna qua aſcia pertingere poſſunt incipientes, detrahunt corticem latitudine trium digitorum uſque in partem imam, ita tamen ut pedibus duobus a terra plaga abſit: deinde ſinunt corticem in arbore latitudine unius circiter palmi integrum, & iterum talem plagam inſerunt

& ſic pergunt, donec tota arbor ſit ſauciata. Quæ ſtatim effluit reſina, liquida eſt, & Terebenthina Argentoratenſis dicitur. Verum per tempus ſpiſſeſcit: & duobus aut tribus annis elapſis, plagæ illæ admodum ſunt repletæ reſina craſſiore. Tunc cultris ancipitibus incurvis longis baculis infixis deradunt reſinam, eamque recondunt. Hæc autem reſina picem poſtmodum præbet ulterius in hunc modum tractata. Furnum quadratum, oblongum in officinis conſtruunt, in quo duobus fere pedibus a terra duos ligneos canales in poſteriori furni parte tantum prominentes diſponunt: his imponunt ollas tres figulinas oblongas, in fundo foramine donatas, quas tædis aut reſina replent; dein accendunt ignem intra fornacem, & calore liqueſcens reſina ſtillat in canales ſuppoſitos, ex quibus effluens aliis vaſis excipitur. Ibi concreſcit pix in conſiſtentiam ſatis firmam, friabilem, molliuſculam tamen; diciturque pix liquida, ut diſtinguatur a pice ſicca ſeu Colophonia, quæ ſiccioris longe eſt compagis, quæque coctione ulteriori ad tenacitatem extremam deducitur.

Iiſdem principiis inſtruitur ac Veneta, iiſdemque fere virtutibus donatur: paulo tenujoribus tamen partibus eam conſtare exiſtimat C. Hoffmannus, cum ſapor ejus magis ſit acris, & amarus, conſiſtentiaque fluidior: ideo ad ulcera interna abſtergenda Lariceæ illam anteponit. Verum eam ob rem quoque calidiorem illam eſſe affirmat, & idcirco majori cum cautione uſurpandam. Eodem modo exhibetur; & ad eaſdem affectiones, quibus Laricea, convenit.

Terebenthina communis, & Reſina pinea, *Off.* ῥητίνη πευκίνη καὶ στροβιλίνη, *Græcorum*: vulgo *Terebenthine commune*, *groſſe Terebenthine*. Subſtantia eſt reſinoſa, lenta, tenax, craſſior, & magis ponderoſa quam abiegna aut Laricea, nec pellucida, albicans, conſiſtentia fere olei frigore nonnihil denſati; odoris reſinoſi, gravis; ſaporis acris, amaricantis, nauſeoſi.

Ex variis Pini ſpeciebus reſina hæc ſponte vel ex inflicto vulnere manat. At vero in Gallo-provincia circa Maſſiliam, & Tolonem, & in Aquitania circa Burdigalam extrahitur potiſſimum ex arbore, quæ dicitur Pinus ſylveſtris vulgaris Genevenſis, *J. B. I.* 253. Pinus ſylveſtris, *C. B. P.* 491. Sativæ quæ articulo de Nucleis pineis deſcribitur, haud diſſimilis eſt, humilior tamen: folia gerit breviora, fructuſque minores.

Duplex reſina ex hac arbore fluit: una quæ ſtrobilina dicitur, & ex ſtrobilis ſponte exſudat, ac ab illis deraditur: altera vero ex arbore vulnerata, quæ pinea.

Arbor illa Tæda dicitur, cum reſina turget. Reſinæ enim turgeſcentia eſt Pini ſylveſtris proprius, & peculiaris morbus, quo non ſolum intima ſubſtantia, ſed etiam pars externa caudicis abundantiori ſucco reſinoſo liquidiori repletur; unde a ſucci nutritii nimia copia arbor quodammodo ſtrangulatur. Tunc ex ejus ligno, præſertim prope radicem deſumpto, aſſulæ cæduntur pingues, & ad ignem accendendum, aut lumen præbendum idoneæ. In Tædam quoque tranſeunt Picea, & Larix, ſed raro admodum. In Gallo-provincia ſingulis annis indigenæ non ſolam reſinam colligunt, ſed etiam diverſas picis ſpecies aliaque reſinoſa producta præparant ea ratione. Foſſulas ad arborum radices excavant, & ad liquorem reſinoſum ex arboris vulneribus dimanantem

reci-

recipiendum accommodant. Tum ineunte Vere, arbores in inferiore parte radicibus viciniore vulnerant, ſingulis annis novo vulnere ſupra annotinum inflicto, donec ad decem aut duodecim pedum altitudinem pervenerint, & humor ab ea parte manare deſierit; tum demum ſimili modo ex alia parte, ac deinde alia aperitur. Humor ex vulneribus abundanter diffuſus foſſulis recipitur, ejuſque pars ſuperna ſolis æſtu inſpiſſatur, & per tempus in cruſtam quamdam reſinoſam concreſcit, quæ *Barras* vulgo dicitur.

Si cruſta illa candida ſit, & ſordibus minime conſpurcata, *Galipot*, *Garipot*, Reſinæ candidæ, vel etiam Thuris albi nominibus inſignitur. Si vero ſordibus, & fuſco colore contaminata ſit, Thus variegatum, Thus vulgare, aut ruſticanum, vulgo *Madre* & *Encens de Village* nominatur.

Reſina candida quæ *Galipot*, cum cera ad faces conficiendas ab artificibus cerariis ſæpius permiſcetur.

Humor ex foſſulis extractus per corbes quaſdam trajicitur, cujus fluidior pars trajecta ſub Terebenthinæ nomine reſervatur: craſſior vero in cordibus reſidua cum aquæ duplo vel triplo in alambices conjicitur; & diſtillatione ſpiritum, & oleum Terebenthinæ ſuppeditat, maſſa dura, friabili, rufeſcente, in vaſorum fundo remanente, cui Picis aridæ ſeu Palimpiſſæ nomen aſſignatur, vulgo *Arcacon* vel *Bray ſec*.

Quædam picis nigræ ſpecies componitur ex Palimpiſſa, & pice nigra, liquida, vulgari. Ex hac artificiali pice nigra, cum Palimpiſſa, ſebo bovino, & pice nigra, liquida, vulgari, igne ſimul liquatis Pix navalis præparatur, qua naves illiniri ſolent aut picari, antequam æquori committantur. Hæc autem a navibus maritimis jam diu picatis deraſa, quæ ſalſedinem quamdam ab aqua maris contraxit, Zopiſſa dicitur, & a nonnullis Apochyma.

Ex reſina candida liquata, cum Terebenthina communi, & oleo Terebenthinæ, fit pix lenta Burgundiaca dicta.

Quibuſdam in locis antiquorum Pinorum trunci ſtantes adhuc, facta prius circum arborem foſſa, incenduntur, & liquorem fundunt reſinoſo-oleoſum nigrum, qui Pix nigra vulgaris dicitur, vulgo *Tarc*, *Goudron* & *Bray liquide*. Alibi Tædæ in haſtulas conciſæ aggeruntur in furno lapidibus aut lateribus artificioſe conſtructo, in quo foramen tantum relinquitur, per quod ignis immitti, & flamma primum emitti queat. Accenſis tædis, omnia accurate occluduntur. Tum aſſulæ Tædæ vi ignis æſtuantes copioſum liquorem nigrum effundunt in canales affabre conſtructos, per quos & ipſe deducitur in ſcrobes ac vaſa idonea fluenti pici excipiendæ affabre dicata.

Pici nigræ liquidæ in vaſis idoneis per ſat longum tempus repoſitæ innatat liquor fluidus, niger, oleoſus, Piſſæleum dictus, improprie oleum cadinum. Quidam craſſiorem picis partem ad ſiccitatem uſque coquunt, & aliam Palimpiſſæ ſeu picis aridæ ſpeciem conficiunt.

Ex illis omnibus reſinoſis ſubſtantiis incenſis atra leviſque colligitur fuligo, vulgo *Noir de fumée*, ad colorum quorumdam, & atramenti librariorum præparationem ſæpius uſurpata. Alia fuligo ſimilis colligitur ex oleorum fœcibus combuſtis: ſed pinguis eſt, oleoſaque, & idcirco ab operariis minus æſtimatur.

Terebenthina communis ad medicos uſus raro adhibetur ; licet iiſdem fere virtutibus donetur . Artificibus quibuſdam tantummodo inſervit.

Uſus reſinarum, tum liquidarum, tum aridarum multus eſt. Emolliunt, digerunt, reſolvunt, & emplaſtris, unguentiſque plurimis ad ulcerum, & vulnerum curationem dicatis admiſcentur. Pix liquida pus movet, impetigines emendat. Siccior potentius ſiccat, & coaleſcendis vulneribus magis convenit.

DE RESINIS SOLIDIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Anime, & Copal.

RESinæ eædem ſub Anime, & Copal nominibus in officinis nonnumquam uſurpantur, & a quibuſdam ſcriptoribus indiſcriminatim proferuntur, licet diverſæ ſint atque diſtinctæ, Guillelmus Piſo, *in Hiſtoria naturali Braſiliæ*, obſervat hanc vocem *Copal* Americanis reſinas omnes odoratas, & gummi denotare. Hernandez quoque idem refert, *in rerum novæ Hiſpaniæ Hiſtoria* : addit inſuper reſinas odoratas ab Hiſpanis diſtingui, & eas tantummodo quæ ſunt colore candido, Copal nomine donari ; quæ vero in fuſcum colorem inclinant, Anime, peregrini aut Indici Thuris nominibus inſigniri. Nomen autem *Anime* non ſolum reſinæ odoratæ, coloris e citrino in fuſcum inclinantis, ex Oriente vel potius ex Æthiopiæ regione Arabiæ proxima oriundæ tributum fuit ; ſed etiam quibuſdam reſinis, quæ in Braſilia, & aliis Americæ provinciis reperiuntur, a Luſitanis conceſſum eſt. Unde poſtea duplicem Anime reſinam officinæ diſtinguunt, orientalem ſcilicet ſeu Æthiopicam, & occidentalem ſeu Americanam.

Anime Orientalis ſeu Æthiopica, Aniimum, & Animum *Luſitanorum*, quæ perperam in officinis Gummi Anime dicitur, reſina eſt pellucida, magnis fragmentis varii coloris, nunc candidis, nunc rufeſcentibus, nunc fuſcis ; & Myrrhæ quodammodo ſimilibus ; quæ, dum incenditur, jucundum ſpirat odorem. Ex Æthiopia Arabiæ finitima olim afferebatur, teſte Garzia, non vero ex Braſilia. Nunc in officinis rariſſime reperitur. Occidentalis enim ſeu reſina *Courbaril* in ejus locum ſubſtituitur.

Quidam exiſtimant, reſinam Anime orientalem veteribus Græcis notam fuiſſe, & eſſe Myrrham mineam *Dioſcoridis*, & *Galeni*, ob vocum ſimilitudinem, alii vero Cancamum, alii Bdellium. Verum hac de re nihil certi conſtat. Cum enim tot diverſa ſint reſinarum genera quæ ſapore, & odore tantummodo inter ſe differant, cum etiam hæ diverſæ qualitates accurate deſcribi nequeant, non mirum, ſi tanta ſit inter has merces confuſio; cum præſertim plurimæ Græcis cognitæ non amplius afferantur, novæ autem ipſis ignotæ præ manibus ſint, & ſæpe ſub antiquo alterius nomine divendantur.

Quænam ſit arbor, quæ reſinam Anime orientalis fundat, adhuc nos latet. Paulus Hermans eamdem ſpecie eſſe putat, quæ occidentalem præbet, cujus deſcriptionem paulo poſt recenſebimus.

Ani-

Anime Occidentalis ſeu Americana, Joticacica, & Jetaicica *Braſilienſium*; vulgo *Reſine de Courbaril*. Reſina eſt alba, ad Thuris colorem nonnihil vergens, ſeu ex albo citrina, pellucida, reſina Copal magis oleaginoſa, nec tam candida ac orientalis, nec tam lucida, gratiſſimi, & ſuaviſſimi odoris, quæ prunis impoſita facile conſumitur. Ex nova Hiſpania, Braſilia, & inſulis Americanis advehitur. Fluit ex arbore quæ dicitur Arbor ſiliquoſa ex Virginia, lobo fuſco, ſcabro, *C. B. P.* 404. Arbor ſiliquoſa, ex qua gummi Anime elicitur, *Ejuſdem*, ibid. Jetaiba, *Piſon.* 122. & *Margrav.* 101. Arbor Braſilienſis ſiliquoſa, & gummifera, gummi Anime ſimili: lobus ex VVingandecaovv, *J. B. I.* 2. 436. Courbaril bifolia, flore pyramidato, *Plumer. n. Pl. Am. gen.* 49. Inter proceriores Americæ arbores hæc recenſenda eſt, & etiam inter utiliores, propter ejus ligni in omnibus fabrefaciendis præſtantiam, & durationem: quippe durum eſt, & ſolidum, fere rubeſcens, corticeque indutum craſſo, aſpero, rugoſo, & e caſtaneo nigreſcente. Ejus rami late circumquaque diſtenduntur, ramoſi multum, foliiſque copioſiſſimis inſtructi, laurinis foliis valde ſimilibus, ſed ſolidioribus, planis, binis, & binis in unoquoque pediculo ſex adnexis, ut caprini pedis veſtigium mirum in modum repræſentent. In ſummitate etenim ſunt acuminata, ad baſim rotundata, & qua parte ſe mutuo reſpiciunt, leviter incurvata. Guſtu auſteriuſcula ſunt, virore læto, & diluto nitentia, atque ad modum foliorum Hyperici vulgaris innumeris foraminulis pervia, ſeu potius translucida, ſi ad ſolis lumen ſpectentur. In ſummis ramuſculis flores papilionacei, & ſubpurpurei pyramidatim congeſti prominent, quorum piſtillum in fructum evadit fere ſiliquoſum, ſemipedem circiter longum, & duos pollices latum, utrinque obtuſum, pauliſper ad latera compreſſum, & coſta duplici, & rotunda dorſo carinatum. Nullatenus dehiſcit hic fructus aliarum ſiliquarum more, quæ in longum ſeſe in duas valvas aperientes ſemina ſua matura oſtentant. Hic integer, & obſcurus omnino perſeverat, ac unicapſularis, cortice conſtans craſſo, duro, caſtaneo, tamque ſplendente, ut licet pauliſper aſperatus, vernice tamen quadam ſuffuſus videatur. Interior ejus cavitas tota fibrillis repletur per faſciculos veluti adunatis, farinaque reſperſis ſubflava, ſicca, dulci, guſtuque ſatis jucunda. Inter fibras quatuor, aut quinque caſtaneæ reconduntur, & immerguntur pineorum oſſiculis valde ſimiles, ſed quadruplo majores: cuticula enim conſtant, ut in Caſtanea, tenui, polita, & caſtaneo colore diluta, tamque tenaciter carni adhærente, ut niſi gladio abradatur, difficile divelli ab ipſa queat. In omnibus inſulis Americanis ſatis frequens eſt arbor. Majo, & Junio menſibus fructus maturi ex arboribus decidentes avide a mancipiis nigris colliguntur, farinula illa dulci intus incluſa delectatis. Ex ipſa autem arbore lacryma ſeu reſina diſtillat pellucida, nunc albicans, nunc flaveſcens, Succino maxime ſimilis colore, & duritie. Braſilianis Jetaicica, Luſitanis Anime vocatur. Eadem prunis impoſita ſuaviſſimum præbet ſuffitum, facillimæ autem eſt conſumptionis.

Analyſi Chymica ex reſinæ Anime ℔ij. per retortam diſtillatis prodierunt phlegmatis primo limpidi, ſubacidi, & odorem juniperinum ſuaviter ſpirantis, deinde acidi, & coloris rufeſcentis, tandem fuſci, & em-

& empyreumatici ℥ij. ʒij. gr. xij. olei tum limpidi, & flaveſcentis, tum craſſioris, butyroſi, & rufi ℥xxvj. ʒj. In retorta maſſa nigra ſuperſtes pendebat ℥ij. ʒijß. quæ per horas octo igne reverberii calcinata in fumum, & flammam abiit, remanentibus tantummodo cinerum fuſcorum ʒj. gr. xxv. ex his ſalis ſalſi gr. vij. ope lixivii extracta ſunt. Hac reſina apud Braſilienſes, non ſolum Medici, ſed & vulgus familiariter utuntur, præcipue in capitis doloribus a frigore ortis. Solus autem illius ſuffitus ad roborandum, non ſolum caput, ſed & reliquas corporis partes frigore affectas valet. Partibus nervoſis confert reſina in oleo aut ſpiritu vini ſoluta, & illita, vel cerati aut emplaſtri modo admota. Adhibetur quoque in affectibus articulorum, paralyſi, contractura, laxationibus, contuſionibus, &c.

Copal reſina, improprie gummi Copal, *Offic.* Reſina eſt ſolida, pellucida, aquei coloris, aut ad citrinum tantiſper vergentis, odorata, ſed non perinde ac Anime. Ex nova Hiſpania affertur. Græcis, & Arabibus incognita, a detecto novo orbe nobis ſolummodo innotuit.

Plures ſunt arbores Copalliferæ, quarum ſpecies octo a Franciſco Hernandez enumerantur, & deſcribuntur. Earum præcipua eſt Copalli Quahuitl, Copallifera prima *Hernandez* 45. Arbor eſt procera, foliis quernis forma, & magnitudine ſimilibus, ſed longioribus; fructu obrotundo, purpuraſcente. Ex ea liquor albus, translucidus, & reſinoſus interdum ſponte fluit, interdum ſcarificatione evocatur; qui brevi in maſſulas ſolidas, duras, ac translucentes concreſcit: odoris eſt, dum comburitur, non inſuavis. Mos erat apud Americanos eo thymiamate aut ſuffimento ſupplicare diis; eodemque primos Americæ expugnatores, quos deos vocabant, exceperunt.

Analyſi Chymica, reſinæ Copal ℔ij. præbuerunt phlegmatis acidi rufeſcentis, & odoris empyreumatici ℥iij. ʒiiij. gr. xxx. olei primo tenuis, & limpidi, deinde rufeſcentis ſpiſſeſcentis, ac tandem butyroſi ℥xxj. ʒiiij. Caput mortuum in retorta ſuperſtes pendebat ℥iiij. ʒj. gr. xliij. quod per horas quindecim in crucibulo igne reverberii calcinatum, cinerum ʒv. gr. xxxvj. reliquit; ex quibus ſalis ſalſi gr. vij. ope lixivii extracta fuerunt.

Rariſſime in uſum medicum venit: utilis tamen dicitur ad frigidos capitis morbos; ſæpius vero ad vernices præparandas uſurpatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Benzoino.

BEnzoinum, Belzoinum, Belzoe, Belzoim, Benjoinum, Benivinum, Benivi, & Aſſa dulcis, *Offic.* vulgo *Benjoin*. Reſina eſt arida, indurata, fragilis, inflammabilis, ex variis ſplendentibus micis ſeu fruſtulis, modo flaveſcentibus, modo albeſcentibus in maſſam coacta, ſaporis reſinoſi ac pinguis, odoris ſuavis, & fragrantis, præſertim dum incenditur. Duplex in officinis reperitur: primum Amygdaloides, quod vel pal-

pallidum, vel ex rubro fuſcum, grana candida Amygdalarum inſtar continet: alterum nigricans, nullis aut paucis maculis, ex Regno Siam, inſulis Iava, & Sumatra affertur. Optimum cenſetur pellucidum, amygdaloides, ſuaviſſime ſpirans, nec heterogeneis inquinatum.

Garzias ab horto hanc reſinam veteribus Græcis, & Arabibus ignotam fuiſſe oſtendit.

Arbor Benzoinum fundens dicitur Belzoinum, *C. B. P.* 503. Arbor Benzoini. *Grimii Ephem. Germ. dec. II. an.* 1. (Laurus foliis enervibus, obverſe ovatis, utrinque acutis, integris, annuis, *Linn. Horti Cliff.* 154.) Procera eſt, vaſta, pulchra, ut ait Garzias, foliis citri aut Limonii, minoribus tamen, nec adeo ſplendentibus, & averſa parte candicantibus. (Flores laurinis ſimiles ſunt; unde inter Lauros eam recenſuit Linnæus. Involucro ſeſſili, tetraphyllo, Corni ſimillimo, includuntur floſculi quinque petiolati, longitudine involucri, calyce proprio donati ſexpartito, flavo, laciniis linearibus. Stamina 8. vel 9. longitudine calycis, lateribus appendiculata, germen circumdant ovatum, intra calycem ſitum, & ſtylum gerens ſimplex.) Fructus vero, narrante Rumphio, Nuces ſunt, Nucis Moſchatæ magnitudine, ſubrotundæ, compreſſæ, quæ conſtant ex cortice carnoſo, non tam craſſo ut in Nucibus Juglandibus; extus aſpero, intus viridi, & nucula quodammodo compreſſa, cujus putamen tenujus eſt, & tenerius quam Nucis Avellanæ, coloris cinerei: nucleum in ſe recondit rubicunda, & rugoſa tunica circumtectum, intus candidum aut ex pallido viridem.

Hortus Amſtelodamenſis arboris cujuſdam in Virginia naſcentis deſcriptionem, & iconem exhibet ſub hoc nomine: Arbor Virginiana, Citriæ vel Limoniæ folio, Benzoinum fundens, quæ cum noſtra omnino convenit, nec niſi loco diſtinguitur.

De modo quo incolæ inſulæ Sumatræ Benzoini reſinam colligunt, hæc Grimmius refert. Poſtquam arbor Benzoinifera ad quintum vel ſextum ſuæ ætatis annum pervenit, in parte ſuperiori, ſub corona trunci, ad principium ramorum ſecundum longitudinem, ſed aliquantulum oblique ad lignum uſque inciditur; unde tunc præſtantiſſima hæc reſina profluit, quæ primum candida eſt, tenuis, glutinoſa, & pellucida, ac tractu temporis in aere paulatim concreſcit, & indureſcit, flavedinem ac rubedinem contrahit. Si debito tempore ſeparetur, pulchra eſt, & nitida; ſi vero diutius in arbore remaneat, craſſior, & ſubfuſca evadit cum admixtis recrementis. Ex una arbore non ultra tres libras obtinent. Incolæ non ultra ſex annos illas arbores excreſcere permittunt; ſed quamprimum omnis quæ adhæſerat reſina, deraſa fuit, ſuccidunt eas, & tanquam inutiles evellunt, ut plantis junioribus locus detur. Juniores enim arbores plurimum reſinæ largiuntur, & præſtantiorem.

Benzoinum Analyſi Chymica multum olei præbet, tum tenuis, limpidi, aurei, & fragrantis, tum ſpiſſi ac butyroſæ conſiſtentiæ, phlegmatis acidi portionem non mediocrem, parum terræ, & nihil ſalis fixi. Sal acidus cum aliqua terræ, & olei portione implicitus ſalem eſſentialem conſtituit, qui ſublimatione ex reſinoſo magmate in flores ſalinos elevatur, vel decoctione in aqua communi extrahitur. In aqua bulliente ſal ille, cœterorum eſſentialium alium more, ſolvitur; & dum refri-

frigeratur aqua, in ſpiculorum ſalinorum congeriem concreſcit, & in ima liquoris parte deſidet. Florum ſalinorum ℥jß. vel etiam ℥ij. per ſublimationem Benzoini libra una ſuppeditat, per decoctionem vero ℥j.

Præcipuus Benzoini uſus eſt ad odoramenta, & ſuffumigia. Intus ſumptum expectorationem promovet; & in aſthmate, pulmonum infarctu, tuſſi diuturna magno eſt adjumento. Ejus flores præſertim ad hæc commendantur: valent etiam ad ſudores movendos. Externe Benzoinum ad caput, ventriculum, & partes nervoſas reſolutas roborandum utiliter cum emplaſtris admiſcetur: necnon etiam in tuberculis ac rubore faciei extergendis ejus tinctura uſurpatur.

Benzoini flores, oleum, & tinctura in officinis præparantur. Flores ſic ſublimantur.

℞. Benzoini craſſiuſcule triti q. l. Imponatur in ollam terream vitreatam, deſuper accommodando capitellum ex charta duplici, pyramidis in modum formatum: ignis lenis carbonum vel cinerum paulatim admoveatur. Sic ſublimabuntur flores elegantiſſimi, albicantes, & nitentes ſerici inſtar, chartæque adhæreſcent. Singulis horis chartaceum capitellum amoveatur, & alterum ſubſtituatur. Flores plumula colligantur, & ſerventur in phiala vitrea exacte obturata: iteretur ſublimatio; & operatio tamdiu continuetur, donec flava pinguedine coinquinentur. Exhibentur a granis iij. ad ℈ß. pro doſi, in liquore conveniente ſoluti, vel ſub forma boli, in aſthmate, pulmonum tuberculis, & ulcere.

Reſinoſa, & friabilis maſſa ſuperſtes cum arenæ duplo vel triplo per retortam diſtillatur, & oleum aureum, & limpidum, ſed parva quantitate, deinde rufeſcens, ac tandem nigrum, & ſpiſſum præbet, quæ quidem oleoſæ ſubſtantiæ cum aqua rurſus diſtillari poſſunt, & rectificari. Oleo rectificato virtus balſamica, vulneraria, & ſudorifera tribuitur.

Tinctura fit ope ſpiritus vini, cujus guttæ aliquot in aquam injectæ ſtatim liquorem turbidum, & lacteſcentem efficiunt; unde a quibuſdam Lac virginale dicitur.

℞. Flor. Benzoini, & ſal. Succin. ana ʒß. Croci ℈j. Gumm. Ammon. ℈ij. Conſervæ Enulæ Campan. ʒij. M. F. Electuar. Dividatur in quatuor doſes ſexta quaque hora exhibendas in aſthmate.

Uſurpatur in Pulvere cephalico odorato *Charas*, Trochiſcis Alyptæ Moſchatæ, Unguento pomato officinali, Emplaſtro cephalico, & Emplaſtro ſtomachico *Ejuſdem*, & in Pulvere ad cadavera loricanda *Ejuſdem*.

Flores uſurpantur in Pilulis balſamicis *Richardi Morton*.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

De Camphora.

Camphora, & Caphura. *Off.* Caphur, *Arabum*: Κάφουρα, *recentiorum Græcorum*, & *Aetii*: vulgo *Camphre*. Duplex reſina ſub hoc nomine nobis affertur. Altera rudis, vulgo *Camphre brute*, quæ in maſſas friabiles compactas ex plurimis granulis ſemipellucidis, rufeſcentibus, aut cinereis, ſalium granis ſimilibus, odore fragranti, ſapore acri, & ſordibus inquinata deprehenditur. Altera quæ Camphora purgata, vulgo *Camphre rafiné*, reſinoſa eſt pinguiuſcula, ſub dentibus aliquantiſper lenteſcens, candida, pellucida, levis, in panes ſeu maſſas orbiculares depreſſas nonnihil concavas, nitidas coacta, quinque vel ſex digitos longas, unum aut alterum latas, ſaporis acris, amaricantis, aromatici, totum os inflammantis, cum quodam tamen frigiditatis ſenſu, odoris fragrantis Roriſmarini, ſed vehementioris. Adeo volatilis eſt, ut aeri libero expoſita ſenſim minuatur, & in auras avolet atque diſſipetur. Facile quoque flammam concipit, & nullum carbonem terramve combuſta poſt ſe relinquit.

Ambæ illæ Camphoræ ſpecies una & eadem ſunt, nec inter ſe differunt, niſi purgatione, quæ ſublimatione peragitur, ut infra dicemus. Prima reprobatur: altera vero eligitur candida, translucida, nitidaque. Ex Japonia occidentali & adjacentibus Inſulis rudis in Belgium affertur, ibique repurgata poſtea per totam Europam diffunditur. Apud Indos duo Camphoræ genera diſtinguuntur: ſcilicet Camphora Japonenſis, aut Sinenſis, apud orientales populos, ſicut etiam apud nos uſitatiſſima; & Camphora Borneenſis, & Sumatrana, nobis inviſa, & apud ipſos etiam rariſſima, & pretioſiſſima.

Arbor ex qua Camphora vulgaris ſeu Japonenſis extrahitur, dicitur Camphora officinarum, *C. B. P.* 500. Arbor Camphorifera Japonica, foliis laurinis, fructu parvo globoſo, calyce breviſſimo, *Breyn.* 2. *Prod.* & *Horti Amſtel.* (Laurus foliis ovatis, utrinque acuminatis, trinervis, nitidis, petiolis laxis, *Lin. H. Cliff.* 154.) Arbor hæc quæ vera Laurus eſt, adeo procera eſt, & patula, dum adolevit, ut cum Tiliis, & Quercubus de magnitudine certet. Caudice aſſurgit tereti, erecto: cortice veſtitur in junioribus glabro, levi, dilute vireſcente; in adultioribus inæquali, ſcabro, verrucoſo, coloris cinericii. Ligno donatur albo per ſiccitatem ad levem rubedinem accedente, ſubſtantiæ laxioris ex craſſiuſculis fibris compactæ, ſegmentis nigris Juglandis inſtar undulatæ, odoris aromatici pergrati. Ramis adnaſcuntur folia Lauri vulgaris foliis ſimilia, duos tranſverſos digitos lata, quatuor longa, utrinque acuminata, cum longo & anguſto mucrone, in ambitu nonnihil ſinuata, & criſpa; antica facie ſature virentia, ſplendentia, glabra; poſtica herbaceo aut cinereo colore prædita: ſingularia, nullo ſervato ordine alternatim hic illic ſparſa, pediculis inſidentia paululum carinatis, uncialibus, qui in coſtam purpuraſcentem abeunt, ex qua nervuli, & venulæ ad oras oblique protenduntur; quæ con-

contrita odorem ſpirant validum, Camphoræ non diſſimilem, quo tota planta imbuta eſt. Inter foliorum alas mittit pediculum duas uncias longum, in ſummitate racemoſum; & plurimos minutiſſimos flores ſuſtinet albos, monopetalos, tubuloſos, in quinque & raro in ſex partes ſubrotundas diſſectos, cum novem ſtaminibus brevibus, apiculatis, & piſtillo molli medium occupantibus. Flores excipiunt baccæ per maturitatem atropurpureæ, ſplendentes, lignoſæ, magnitudine Piſi mediocris, ſubrotundæ, calycibus breviſſimis, oblongis, mollibus inſidentes, ſaporis inter Camphoram & Caryophyllos aromaticos medii, odoris multo quam in foliis fragrantioris. Nucleus intus continetur ſubalbidus, Piperis magnitudine, corticula nigra micante obductus, bifidus, oleoſus. Lignum odoris gratia ad multa opera uſurpatur.

Camphora per omnes arboris partes diſperſa non inciſione, ut cœteræ reſinæ, dimanat, ſed ſingulari methodo extrahitur. Ruſticorum opus eſt (ait Kæmpferus) in Provincia Satſuma, & Inſulis Gotho, qui radices, & ligna minutim conciſa cum affuſa aqua coquunt in veſica ferrea; impoſitoque capitello fictili, amplo, roſtrato, & ſtramine repleto; vel, ut refert Paulus Hermans, capitello ex ſtramine vel ſtoreis confecto, ſublimatam reſinam excipiunt candidæ fuliginis inſtar, adhærentemque decutiunt, & in maſſam compingunt.

Verumtamen, quandoquidem hæc Camphora, qualis a Batavis ex India advehitur, rudis eſt adhuc, & in maſſulas compacta terra & fœcibus conſpurcatas, friabiles & flaveſcentes; purgatione, ſeu, ut vocant, rafinatione, indiget. Ea eſt illius purgationis ratio apud Batavos uſitata, & a Joh. Frederico Gronovio in ſua *de Camphora* diſputatione deſcripta.

Camphoram rudem, prout ex India advehitur, contundunt, cribroque a fœcibus, & ſordibus admixtis purgant. Hac ad ℔jß. ij. treſve replent vas vitreum depreſſum cum fundo plano & collo anguſto. Hoc Camphora modice repletum arenæ imponunt tantummodo, non ſepeliunt. Vas quod arenam excipit, non habet fundum æqualem, ſed ſenſim in conum deſcendit; cui ſubſternunt fortiorem ignem continuandum, uſquedum Camphora aquæ inſtar ebulliat. Dum colliqueſcit, ſuperficiei vaſis imponunt multos pannos ſibi ſuppoſitos, & conſutos, in medio foraminatos pro collo vaſis, cui dein ſuperponunt conum ex blito confectum, collo vitri paulo longiorem.

Cum tota liquata eſt Camphora, & maxime ebullit, ignem minuunt, tum prunas ſubtrahendo, tum eas cineribus tegendo, ut calorem modicum edere poſſit. Poſt binos ab ebullitionis remiſſione quadrantes horæ, omnes pannos & conum auferunt, & tantummodo chartam emporeticam relinquunt diametro vaſis reſpondentem, in medio foraminatam, ne ab externo aere frigido nimis ſubito refrigeretur & diſrumpatur: colum vaſis cono cooperiunt chartaceo, & ſic Camphoram colliquatam ſervant, per aliquot horas modicum ignis gradum conſervando. Hac digeſtione Camphoram partibus quibuſdam oleoſis & tenuioribus liberatur, adeo ut poſtea in maſſas denſiores, & ſicciores concreſcere poſſit.

Poſt aliquot digeſtionis horas novum & fortem ſupponunt ignem diu continuandum, donec Camphora ſuperiorem vaſis Partem petit; quo momento maxi-

maxima utuntur cautela, ne ſtatim initio collum vaſis repleat, & diſrumpat. Quare ſemper inſtrumentum ex ferro vel ligno confectum intrudunt, ut collum apertum ſervent. Cum Camphora omnis altum petiit, auferunt totum ignem, & refrigerare ſinunt vaſa. Si quæ adfuerint fœces, eæ in fundo remanent conſpicuæ. Vaſe refrigerato, & diſrupto, Camphoram purificatam extrahunt, maſſas ſeu panes orbiculares referentem a vaſis forma; eamque a ſordidis, ſi quæ ſint, ſuperficiebus ope cultri purgant ſcindendo, non radendo, ut panes obtineant candidos, & pellucidos.

Aliud eſt, ut diximus, Camphoræ genus ab orientalibus populis plurimi æſtimatæ, Borneenſis ſive Sumatranæ a locis dictæ. A priori non differt reipſa, ſed forma tantum, veluti tenuiſſimarum lamellarum, vel micarum exiguarum; qualis ex arboris Camphoriferæ ligno extrahitur, abſque ulla alia præparatione.

Arbor quæ eam profert, dicitur Arbor Liono dicta *Sladi*: Arbor Camphorifera Sumatrana, foliis Caryophylli aromatici, longius mucronatis, fructu majori oblongo, calyce ampliſſimo Tulipæ figuram quommodo repræſentante, *Breyn.* 2. *Prodr.* Externa facie cum priori multum convenit minor eſt tamen, graciliorque. Ejus truncus ſeptem præterpropter tranſverſos digitos craſſus, fungoſus eſt, & medulla Sambuci non valde abſimili infarctus; variis nodis ſicuti Arundo diſtinguitur. Verum fructus profert a priori prorſus diverſos, parvæ Nucis Avellanæ magnitudine, oblonge rotundos, tenuj tunica indutos, & rurſus inſtar Nucum Avellanarum altera involutos elegantis formæ tunica, quæ diverſis pinguitur coloribus ut rubro, purpureo, flavo, viridi, & fructum integrum contegens: inſtar Tulipæ, ſuperius ſe aperit. Illi fructus conditi valde grati ſunt, ſubtilemque Camphoræ odorem, & ſaporem referunt. Hæc arbor luxuriat in Borneo, & Sumatra & Inſulis, & præſertim in ſylva prope Baros in occidentali Sumatræ parte.

Camphora in hac arbore ſub forma minutiſſimarum lamellarum reperitur, ſed quantitate admodum exigua; cum duæ vel tres arbores cæſæ vix ℥ij. vel iij. ſuppeditent: unde caro venditur pretio, adeo ut in Japonia ℔j. tantum conſtet quantum ℔c. Japonenſis Camphoræ.

Cum hanc arborem Camphora abundare & quaſi turgere norunt, cæſam in partes diſſecant, findunt, ſolique, ut areſcant, exponunt. Exſiccatas in particulas tenujores comminuunt, & Camphoræ fruſtula eximunt, cribroque a ſordibus purgant. A Japonenſi in eo differt quod ſponte non evaneſcat & conſumatur; quandoquidem, ſi referente VVillelmo Ten Rhyne, ℔c. hujus aperto aeri exponantur, intra ſexennium vix ℔vj. perdet, cum econtra Japonenſis ſeu vulgaris intra illud temporis ſpatium tota in auras diſſipabitur. An vero hæc quoad medicos uſus Japonenſi præſtantior ſit, ignoratur: & rem ſe experiri non potuiſſe Ten Rhyne ſcribit apud Breynium.

Si Camphora purificata in aperto aere comburatur, nihil prorſus cinerum vel terræ poſt ſe relinquit, ſed tota in flammam diſſipatur, & quædam ejus portio in atram fuliginem vertitur, nullumque acidum manifeſtum præbet, in quo a Benzoino, & plurimis aliis reſinis diſcrepat Si vero in vaſis clauſis diſtilletur, non in ſua principia reſolvitur; ſ[illegible]

ſulphu-

ſulphuris inſtar in flores aſcendit & ſublimatur. Solvitur in ſpiritu vini; & oleoſis liquoribus, ſicut cœteræ reſinæ. Camphora ſpiritu vini ſoluta, a copioſa aquæ communis affuſione priſtinam formam recuperat, & ad liquoris ſuperficiem nivis inſtar concreſcit. Solvitur quoque vel potius liquatur ſpiritu Nitri & aqua Regia cœterarum diſſimilis reſinarum, quæ illis liquoribus concreſcunt & indurantur.

Ab oleo Vitrioli vehementiſſimo ſolvitur quoque, ſed in oleum non convertitur: liquatur autem ſpiritu ſalis, & partim in oleum lentum & albidum abit, partim ſublimatur. Vim ſalis Tartari, & ſpiritus ſalis Ammoniaci omnino fugit. Unde liquet reſinam peculiarem, oleoſis & acidis particulis tenuiſſimis adeo contemperatam, ut acidi ſales ſola tantum deflagratione manifeſto ſe præbeant.

Camphoræ, nec Dioſcorides, nec Galenus, nec quiſquam veterum Græcorum ante Aetium meminerunt: Arabibus vero nota fuit, & uſitata.

De Camphoræ qualitate auctores inter ſe non conveniunt: alii enim calidam eſſe dicunt, alii frigidam.

Plurimi Camphoram frigidam ſtatuunt eo argumento, quod nonnumquam venerem extinguat, & libidinem compeſcat; quodque ophtalmiis, partium inflammationibus, tum etiam ambuſtis medeatur, & partibus inflammatis impoſita frigiditatis ſenſum inferat. Alii econtra calidam affirmant, quorum argumenta ſunt inflammabilitas eximia, odor aromaticus fragrantiſſimus, ſapor acerrimus, atque tenuitas, & volatilitas partium: quæ quidem ſententia probabilior videtur. Licet autem vulgatum ſit proverbium:

Camphora per nares caſtrat odore mares;

non ideo, quod ſit vulgatiſſimum, veritati magis conſentaneum eſt; ſiquidem obſervatum fuit, plurimos, qui per totum fere vitæ decurſum, victus quæſitandi cauſa apud Japonenſes Camphoram tractant, aut qui a pluribus annis apud Batavos in Camphoræ purificatione ſe exercent, non idcirco tamen ad venerea exercitia minus aptos eſſe, imo multa atque copioſa prole beari.

Revera non eſt negandum, quoſdam eſſe, quorum vis naturæ diuturno Camphoræ uſu debilitata fuit, & extincta: ſed etiam econtrario nonnulli ſunt, qui contra libidinis incendia hac reſina uſi, conqueſti ſunt ſe multo magis veneris œſtro percitos fuiſſe.

Itaque quamvis in multis affectibus, ut in oculorum inflammationibus, eryſipelate, æſtu febrili refrigerantem poteſtatem obtineat: attamen illud per ſe non operatur, ſed per accidens tantum, humorum acrium, & corrodentium acrimoniam demulcendo, ſtagnationem removendo, coagulationem reſolvendo, ſolutaſque particulas per cutis poros, aut per vaſa ſolita compellendo; ita ut, inflammationis cauſa remota, ceſſet partis & calor & dolor. Quod etiam de ſpiritu vini, & aliis medicamentis, quæ actu calida dicuntur, quotidie experimur.

Camphora interne & externe adhibetur. Intus ſumpta anodyna eſt, & diaphoretica, venenis & humorum malignitati reſiſtit; unde frequens ejus uſus eſt in peſte, febribus putridis, & morbis maligni moris. Menſes provocat, & uri-

& urinas : ſuffocationi uterinæ ſubvenit ; tumque vel ejus ſubſtantia per os exhibetur ; aut aqua hyſterica quævis , in qua Camphora incenſa extincta fuerit ; propinatur; vel etiam in enematum decoctis , mediante oleo quocumque ſolvitur . Uteri , renum , & veſicæ ulceribus medetur . Commendatur quoque in gonorrhæa & fluore albo . Doſis a gr. iij. ad ℈j. ſub forma boli vel cum olei Amygdalar. dulcium q. ſ. ſolutæ .

Tandem Joann. Groenvelt. D. Med. Lond. *Tractatu de tuto Cantharid. uſu interno* , Camphoram prædicat tanquam præſtantiſſimum Cantharidum correctorium . Urinæ arbores ex Cantharidibus intus ſumptis ortos mire compeſcere aſſerit . De his plura , cum de Cantharidibus agemus .

Externe adhibetur , tum in membrorum paralyſi , rheumaticis doloribus , & arthriticis , tum ad inflammationes ſedendas , eryſipelata compeſcenda , tumores reſolvendos , putredinem arcendam , gangrænam præcavendam , necnon etiam ad ambuſta , ſæpius ſpiritu vini ſoluta . In frontalibus , fomentis , collyriis , unguentis , & ceratis nonnunquam permiſcetur .

Camphoræ etiam externe admotæ vis febrifuga tribuitur : quapropter in febribus intermittentibus in nodulo ſuſpenditur circa præcordia ad ʒj.

Obſervandum eſt nimium Camphoræ uſum caput gravare , vigilias inducere , & ſanguinem ad inflammationem diſponere . Quocirca nonniſi caute , & moderate aſſumenda eſt.

℞. Radicum Petaſitid. & Biſtortæ pulveratar. Camphoræ ana ʒj. C. C. Philoſoph. pp. ʒij. M. F. pulvis , cujus doſis ʒj. in peſte , & febribus malignis.

℞. Camphoræ gr. xv. Olei Cinnamom. gutt. iij. Laudan. Opiati gr. j. cum ſ. q. Conſerv. flor. Roriſmar. M. F. bolus ad ſudores movendos.

℞. Camphor. gr. xij. Conſerv. flor. Calendul. q. ſ. Fiat bolus in menſium ſuppreſſione .

℞. Camphor. Caſtor. Aſſæ fœtid. ana gr. v. Myrrhæ ; & Aloes pulverator. ana gr. x. Olei Succini gutt. iij. Conſervæ Rutæ q. ſ. M. F. bolus .

℞. Camphoræ ʒij. Terebenth. Venetæ ℥ij. Sanguinis Draconis ʒiij. Miſce exacte , & formentur Pilulæ . Doſis ʒß. in gonorrhæa .

℞. Aquæ Fœniculi ℥ij. Spiritus vini Camphorat. ℥ß. M. F. collyrium in ophtalmia , glaucomate & cataracta incipiente .

℞. Tinctur. Myrrh. & Aloes ʒiiij. Spiritus vini camphorati ℥j. Fiat mixtura præſtantiſſima ad ulcera , vulneraque putrida , fœtida , & ad ſphacelum inclinantia abſtergenda .

℞. Sacchar. Saturni ℥ß. Camphor. ʒß. Olei Lini , olei Ovor. ana ℥j. Fiat linimentum in ambuſtis .

℞. Oleo Lumbricor. ℥iij. Sp. vini camphorati ℥j. Ol. Terebenth. ℥ß. Sp. ſalis Ammon. ʒj. M. Fiat linimentum in paralyſi , & rheumaticis doloribus .

Spiritu vini camphoratus fit ſolvendo Camphoræ ℥jß. in ſpiritus vini ℔j. in vaſe vitreo amplo & clauſo ſub ſole , vel in arena tepida . Eodem modo paratur Aqua vitæ camphorata .

Oleum Camphoræ in officinis ſic præparari ſolet :

℞. Camphoræ craſſiuſcule tritæ ℥iij. Spiritus Nitri ℥vj. Digerantur ſimul in

in vaſe vitreo rite obturato in balneo Mariæ, identidem agitando; donec Camphora prorſus ſoluta ſit. Tum oleum ſpiritui ſupernatans ſeparetur pondere ℥iiij. Ad oſſium cariem inhibendam, & ad tendinum exfoliationem promovendam commendatur.

Camphora uſurpatur in Confectione de Hyacinthis *Jouberti*, Trochiſcis de Camphora, Trochiſcis albis *Raſis*, Trochiſcis Diarrhodon, Pilulis hyſtericis *Charas*, Pulvere Sperniolæ *Crolli*, in mixtura de Tribus ſeu Diaphoretico in peracutis *Paracelſi*, Unguento de Ceruſa, Deſiccativo rubro, Cerato Santalino, Emplaſtro ſtyptico, Emplaſtro ad Ganglia *Charas*, & Diabotano *D. Blondel.*

Præter hanc Camphoræ ſpeciem, aliæ huic analogæ ſubſtantiæ ex variis plantis Indiæ orientalis eliciuntur; quarum præcipua in inſula Ceylan conficitur. Extrahitur ex cortice radicis Cinnamomi, qui nempe ſeparatus a materia lignea, immittitur veſicæ inſtructæ ſuo capitello, & affuſa aqua copioſa diſtillatur. Sic obtinetur aqua, oleum & oleo ſupernatans Camphora, quæ ab illo facile expreſſione manuum ſeparatur. Hæc cinnamomea Camphora alteram odoris ſuavitate longe ſuperat, viribuſque præſtantior cenſetur; ſed parce admodum affertur. Eadem plane ratione ex omnibus Cinnamomi ſeu Canellæ ſpeciebus, ex radicibus Zedoariæ Zeylanicæ Camphoram redolentis, ex Mentha Zeylanica, Schœnantho Arabico & Perſico, & aliis, oleum & Camphora extrahuntur, ſed nullius ſunt uſus.

ARTICULUS QUARTUS.

De Caranna.

CAranna; *Off.* vulgo *Caragne*. Subſtantia eſt reſinoſa, concreta, tenax, & picis inſtar ductilis, dum recens eſt; inveterata vero dura, friabilis, foris e cinereo nigricans, intus obſcura, fuſca; saporis reſinoſi, ſubamaricantis, ad Myrrham aliquantiſper accedentis; odoris, dum accenditur, fragrantis. Ex America & præſertim nova Hiſpania in maſſulas junceis foliis involutas compacta affertur. Eligatur recens, odora fragrans, ſincera, nullis quiſquiliis aut reſinis alienis fucata. Cujuſdam ſpeciei meminit Monardes, Cryſtalli inſtar pellucidæ, & odoris fragrantiſſimi, quæ nunc in officinis non reperitur.

Arbor ex qua hæc reſina profluit, dicitur Caranna Monardi, *C. B. P.* 503. Tlahueliloca Quahuitl, id eſt, Arbor inſaniæ, Caragna nuncupata, *Hernandez* 56. Arbor eſt, inquit Hernandez, magna, fulvos ſtipites fundens læves, nitidos, odoros: folia profert oleaginea, in crucis formam compoſita, orbicularia. De floribus & fructibus vero nihil refert. P. Hermans fructus parvis pomis ſimiles eſſe dicit.

Ex hac reſina, diſtillatione oleum eſſentiale ſubtile, acre, rubrum, & ſumme odoriferum extrahitur. Ab hoc oleo pendet ejus virtus tumores reſolvendi, dolores ſedandi, & nervos roborandi. Externe tantum adhi-

adhibetur in podagra, arthritide, iſchiadico dolore, catharris & dentium doloribus, ſub forma emplaſtri, vel ſola, vel cum Terebenthina Chia, oleo Nuciſtæ, aut alia quocumque oleo emollita. Temporibus admovetur in odontalgia, ſuturæ coronali in cephalalgia, ventriculi regioni in hujus viſceris imbecillitate: comburitur quoque ad aeris malignitatem corrigendam.

℞. Carann. ℥j. Ceræ flavæ ℥ß. Olei Verbaſci q. ſ. M. F. Emplaſtrum antipodagricum.

ARTICULUS QUINTUS.

De Elemi.

DUplex eſt Elemi ſeu Elemni genus in officinis: unum verum, quod Æthiopicum; alterum ſpurium, quod Americanum. Minus bene Gummi titulo donantur, cum genuinæ reſinæ ſint, quæ flammam facile concipiunt, & oleo diluuntur.

Verum Elemi ſeu Æthiopicum eſt reſina flaveſcens, vel ex albido tantillum vireſcens, extus ſolidior, licet non penitus ſicca; intus mollior, & lenta, in glebas cylindraceas coacta, ad ignem ardens; odore valido non ingrato, quadantenus Fœniculi. Glebæ foliis amplis arundinaceis, aut palmeis involvi ſolent. Raro nunc in officinis occurrit.

De arbore ex qua fluit, nihil certi traditur: fortaſſe tempus illius originem dilucidabit.

Elemi reſinam Oleæ Æthiopicæ lacrymam eſſe multi volunt, eamdem quoque, de qua Theophraſtus & Dioſcorides mentionem fecere, & ex qua Plinius ſcribit confici medicamentum Græcis *Enhæmon* dictum, ſingulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. Quod autem hanc conjecturam eo magis veriſimilem efficit, illud eſt, quod C. B. profert Oleas & Oleaſtros Elemi ſimilem fere lacrymam fundere; quodque Andreæ Bacci teſtimonio confirmatur, cujus verba ex *lib. V. de Vinis Apulis* deſumpta huc referam. Olearum, inquit, in Apulia mira vetuſtas & magnitudo. Quæcum inſtar procerrimæ, & quod fercunditatis earum argumentum eſt, quod in Tiburtinis non video, nec in Sabinis oleis, ob aſſiduos, ut reor, in Apulia calores, gummi hic Oleæ exſudant optimum, quod Chirurgi gummi Elemi appellant. Gleba eſt pinguis, ac Myrrhæ inſtar fragranti odore; ut non ſolum in unguento probandam exiſtimem, utique applicata ſimpliciter, Cerati inſtar, tumores diſcutiat, emundet ſordida ulcera, ac carnem inducat ad cicatricem; verum etiam prunis aſperſa ſuffimentum Balſami in cameris edit gratioſum, ſuperans Thuris & Stactæ Myrrhæ fragrantiam.

Elemi Americanum eſt reſinæ ſpecies quandoque albicans, nunc vireſcens, nunc flaveſcens, pellucida, ad Pini reſinam accedens, mollioris modo, modo ſiccioris conſiſtentiæ; odore reſinoſo, gravi. Frequens occurrit in officinis. Probatur recens, pellucidum, viridiuſculum, pin-

gue, lentum, odoratum. Ex Braſilia, nova Hiſpania, & inſulis Americanis advehitur.

Arbor dicitur Icicariba Braſilienſibus, *Marcgr.* 98. Icicariba, & illius gummi Icica, ſive Elemni, *Piſon.* 122. Arbor Braſilienſis gummi Elemi ſimile fundens, foliis pinnatis, floſculis verticillatis, fructu Olivæ figura & magnitudine, *Raii Hiſtor.* 1546. Arbor eſt alta, caudice haud ita craſſo, cortice glabro ac cinereo: creſcit fere ad modum Fagi. Folia fert in ramulis pinnata, e binis, interdum ternis pinnarum conjugationibus compoſita cum impari foliolo in extremo, Pyri foliis ſimilia, tres digitos longas, anterius acuminata, inſtar Pergameni craſſa, læte viridia, ſplendentia; nervo ſecundum longitudinem, & venis oblique diſcurrentibus. Ad foliorum exortum proveniunt copioſi floſculi racematim ſeu verticillatim congeſti, parvuli, quatuor foliolis viridibus conſtantes, ſtellæ figura. Foliola autem illa viridia in ambitu alba lineola ſunt circumdata, & in medio floris ſunt aliquot ſtaminula flaveſcentia. Poſt florem ſequitur fructus magnitudine & figura Olivæ, colore mali Granati, habens intus pulpam odoriferam, qualis eſt arboris lacryma. Cortex quippe vulneratus una nocte reſinam fundit odoratiſſimam, odore Anethi recens contuſi, quæ poſtridie colligi poteſt: conſiſtentiam habet Mannæ, colorem ex viridi pallide flaveſcentem; ac commode tractari manibus poteſt. Corticem exteriorem non inciſum ſi manu mulceas paululum, inſignem mox ſpargit odorem.

Analyſi Chymica ex ℔iij. Elemi puriſſimi per retortam diſtillati prodierunt humoris aquoſi primum, qui odore, & ſapore hanc reſinam referebat; deinde acidi, Heliotropii tincturam rubro colore inficientis ℥iij. ʒij. gr. lxvj. olei limpidi rufeſcentis ℥vj. ʒvj. gr. xxxvj. craſſioris vero, & colore fuſco tincti ℥xxix. ʒvj. gr. xxxvj. Maſſa nigra carbonis inſtar in retortæ fundo reſidua pendebat ℥iij. ʒvij. gr. xxxvj. quæ per ſexdecim horas igne reverberii in crucibulo calcinata, donec nullum amplius fumum emitteret, adeo imminuta fuit pondere, ut ʒiij. & gr. lx. tantum penderet; atque color ejus ater in flavorubentem converſus fuit. Ex his cineribus per lixivium ſalis fixi falſi gr. xviij. ſeparata fuerunt. In hujus reſinæ diſtillatione deperditio partium fuit ponderis ℥iiij. & gr. xlviij. in calcinatione vero ponderis ℥iij. ʒij. & gr. xlviij.

Nullam alcali ſalis notam præbuit hæc reſina: unde liquet, illam, ſicut aliæ fere omnes, compoſitam eſſe acido ſubtili & oleo, tum ſubtili, tum craſſo ſtricte unitis.

Utrumque Elemi externe admotum tumores reſolvit, ulcera detergit, & dolores internos emulcet & ſedat: corruptioni egregie reſiſtit, & in primis pro vulneribus & contuſionibus capitis & tendinum commendatur. Rariſſime ad uſum internum uſurpatur: a quibuſdam tamen tanquam diureticum intus ſumptum prædicatur.

Ex ea paratur Balſamum digeſtivum *Arcæi*, in vulneribus capitis apud Chirurgos uſitatiſſimum, cujus hæc eſt deſcriptio.

♃. Elemi & Terebenthinæ abietinæ ana ℥jß. Sebi caſtrati antiqui, & liquefacti ℥ij. Pingued. porcinæ antiq. liquefactæ ℥j. M. F. linimentum ſ. a.

Uſur-

Uſurpatur etiam in Emplaſtro *Andreæ a Cruce*, Emplaſtro *Paracelſi*; & Emplaſtro ad Equini pedis punctionem *Charas*.

Plurimæ reſinæ flaveſcentes, albicantes, aut cinereæ ex America pro Elemi afferuntur, quæ Elemi genuino viribus & odore inferiores ab ipſo facile diſtinguuntur.

ARTICULUS SEXTUS.

De Lacryma, vulgo Gummi Hederæ dicta.

RESina Hederæ, improprie Gummi Hederæ, *Off.* Δάκρυον τοῦ κισσοῦ *Dioſcoridis*. Eſt ſubſtantia reſinoſa, arida, dura, compacta, colore fuſco, rubiginoſo, obſcuro, nonnihil pellucida, & rubra, ſi in parva fragmenta diſrumpatur, cum rubiginoſis intercurrentibus micis; ſapore ſubacri, leviter adſtringente, & tantiſper aromatico; inodora. Flammæ tamen admota claram & pertinacem edit flammam cum odore non ingrato, ad Thuris odorem accedente. Ex Perſia & orientalibus plagis affertur.

J. Bauhinus hujuſmodi reſinam rubram, odoratam, pellucidam, guſtu acrem, inflammabilem in arbore Hedera prope Genevam reperit. Haud diſſimilem J. Rajus VVorceſtriæ in Anglia collectam fuiſſe refert. Necnon Petrus Pomet magnum hujuſce reſinæ fructum ex antiqua Hedera arboreſcente Monſpelii collegiſſe refert. Sed rarius his in regionibus frigidis illa reſina ſtillat.

Planta ex qua hæc Lacryma diffluit, dicitur Hedera arborea, *C. B. P.* 305. *Inſt. R. Herbar.* 613. quæ ratione loci ubi creſcit, & ætatis, diverſas formas induit: unde tot ab auctoribus antiquis Hederarum differentiæ.

In cenſu earum quæ adminiculis ſuſtinentur, referri ſolet; licet tamen per ſe nonnunquam conſiſtat, & adeo erigatur ut nullum relinquatur affinitatis veſtigium cum repente Hedera, ea potiſſimum ætate qua fructum ferre poteſt. Sarmentis tenuibus, longo & errabundo reptatu proximis arboribus aut parietibus innixa, alta petit, iis quæ ſemel apprehendit, pro ridicis uſa, barbitio fibrarum propagato, radices in alieno ſolo agens: cortice magna parte rugoſo, cinereo, in novellis ramis viridi; materia alba, firma. Folia perpetuo virentia, nullo ordine pediculis ſemipalmaribus & palmaribus appenſa, pro variis Hederæ ætatibus diverſa ſunt. Quamdiu enim repit & affixa eſt, folia fert nervoſa, ſuperne ex atro virentia & ſplendentia, inferne ad luteum ex virore tantillum declinantia, in angulos deſinentia ad ſummum quinos, quorum duo utrinque prominent, unus in ſummo folio: quo autem magis adoleſcit, folia & pauciores edunt angulos obtuſioreſque, & ipſa majora fiunt & virentiora unicoloraque: cum ab initio eadem puſilla ſint, nigra, & maculis albis ſecundum venas diſtincta, aliquando inferne ſubrubentia: at vero cum erigitur, folia rotundantur, obliteratis ex toto utrinque angulis omnibus, ſolo eo qui in ſummo eſt relicto. Sapore ſiccante acri donantur.

Flores in ſarmentorum extremitatibus multi umbellæ inſtar naſcuntur ; roſacei , ſeu ſex herbaceis petalis in orbem poſitis conſtantes , totidemque luteis apicibus , ex quorum meditullio ſurgit piſtillum quod deinde abit in baccam fere globoſam , baccæ juniperinæ æqualem , per maturitatem nigram , utrinque quaſi compreſſam , circulo umbilicato a quo abeſt ille reliqui acini nitor , inſcriptam , adinſtar operculi impoſiti urceolo , cujus centrum deſignat prominulus niger ſtylus . Intus diſtinctis ſepimento membranaceo nonnihilque pulpoſo loculis continentur ſemina , unum , duo , tria , quatuor , vel quinque , oblonga , ex una parte gibba , ex altera plana , cuticula tenuj contecta , intus pulpoſa , confractæ Orizæ cum gluma ſua aut pulticulæ & pane ſyncomixto non abſimilia . In Gallia paſſim naſcitur ad arbores in ſylvis , campis , & hortis , & ad ædificiorum muros.

Analyſi Chymica ex foliis Hederæ ℔iij. ℥xij. per retortam diſtillatis prodierunt phlegmatis primum limpidi , odore aliquantiſper aromatico , ſapore primum ſubacri , ſubamaro , ac tandem acido , ℔j. ℥xiij. liquoris acidi , acris , empyreumatici , rufeſcentis , turbidi , qui & acidi & urinoſi ſalis notas præbuit , ℥vj. ʒvj. gr. xxxvj. olei primum limpidi , flaveſcentis , deinde ſpiſſioris ℥iij. ʒiiij. Maſſa nigra reſidua pendebat ℥ix. ʒv. Partium deperditio in hac diſtillatione fuit circiter ℥xj. Maſſa nigra igne reverberii calcinata reliquit tantummodo cinerum ℥ij. qui ſalis fixi alcalini ʒvj. gr. xv. lixivii ope præbuerunt.

Ex hac analyſi patet , folia Hederæ ſubtilibus quibuſdam particulis acribus donari , & ſale eſſentiali cremoris Tartari haud diſſimili , nempe ſale ſalſo cum oleo craſſo permixto . Particulis acribus tenujbus & irritantibus attrahunt & maturant : oleo craſſiore acidis ſalibus & alcalinis contemperato , detergunt , incraſſant , & inflammationem arcent.

Lacryma Hederæ per retortam diſtillata ad pondus ℔ij. præbuit phlegmatis limpidi , odore reſinam hanc referentis , ſapore acido , ℥iij. ʒvj. deinde liquoris acidi rufeſcentis ℥j. ʒvj. gr. vj. tandem liquoris alcalini cum acidi fermenteſcentis ʒij. gr. liiij. olei flaveſcentis limpidiſſimi ℥ij. ʒvj. gr. xviij. olei rufeſcentis fluidi ℥vij. gr. xxiiij. quod parum acidi continere videbatur . Maſſa nigra reſidua pendebat ℥x. ʒv. quæ per horas 16. in crucibulo calcinata , rufeſcens evaſit , & pondere tantummodo æquavit ʒvij. gr. lx. Ex his cineribus ſalis fixi alcalini gr. viij. extracta ſunt . Jactura in diſtillatione fuit ℥v. ʒv. gr. xxxvij.

In reſina tenujus eſt oleum quam in foliis . Majori copia ſalis alcalini , minori acidi ſalis quantitate inſtruitur . Quamvis majorem carbonis quantitatem reliquerit quam folia , minus tamen cinerum ſeu terræ inertis præbet : unde conjicere licet , minorem terræ quantitatem in reſina contineri , ſed intimius ſalia & olea coadunari , quam ut igne clauſo ſejungi poſſint . Omnis Hedera , auctore Dioſcoride , acris eſt , adſtringit , nervos lædit . Internus foliorum hujus plantæ uſus rarus eſt ; externus creber in ichoribus exſiccandis & ſanandis , in fonticulis ab inflammatione tutandis , apertis conſervandis , humoribuſque illinc fluentibus eliciendis vi ſua attractoria : folium quotidie imponitur in ozænis curandis , in au-

rium purulentarum dolore ſedando . Veteres folia cum vino cocta ad ambuſta & ulcera maligna commendabant ; eaque cum aceto cocta , aut cruda cum pane trita , ad lienis intumeſcentiam aut duritiem reſolvendam applicabant .

Ejus lignum in globulos formatum optimo cum ſucceſſu fonticulis imponitur , egregie enim attrahit ; & nonniſi ſemel in menſe globuli renovantur.

Baccæ apud veteres ad uſum internum raro adhibebantur ; quia eas deglutitas vomitum & ſeceſſum inſigniter promovere exiſtimabant . Verum poſt aliquot recentiorum experimenta , illæ baccæ maturæ & pulveratæ parva doſi aſſumptæ , ob vim diaphoreticam & antipeſtilentialem , commendantur . Hinc Boylæus , *lib. de Philoſoph. experimentali* , teſtatur eas in quadam peſte Londinenſi , pulveratas in aceto , vel vini albi hauſtu ſumptas , excitato ſudore , admodum proficuas fuiſſe : cui etiam aſſentitur Palmarius , *Tractatu de Peſte & Morbis contagioſis* , *p.* 453. Nonnulli quoque eaſdem ad hydropem aſcitem commendant .

Hederæ reſina inter pſilothra a veteribus recenſetur : quod quidem experientia non comprobatur ; ita ut vel error ſit in codicibus , vel aliud quid ab illis intellectum fuerit . Balſamica virtus ſeu detergendi & conſolidandi vulnera ipſi tribuitur : tumores reſolvit . Apud Perſas inter adſtringentia medicamenta externa uſurpatur ; nonniſi ad uſum externum apud nos adhibetur . C. Hoffmannus & Simon Paulli minus tutum eſſe omnium Hederæ arboreæ partium uſum internum ob earum acrimoniam exiſtimant .

Reſina uſurpatur in unguento de Althæa *Charas*.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Ladano.

LAdanum vel Labdanum , *Off.* Λάδανον , *Græcorum* : Loden & Laden, *Arabum* : Eſt ſubſtantia reſinoſa , cujus duæ ſpecies in officinis occurrunt : una in maſſas compacta grandiores , molles , ad emplaſtri vel extracti conſiſtentiam accedentes , intra digitos lenteſcentes , craſſiores , odore grato , colore ex rufonigreſcente , veſicis ſeu pelliculis involutas , vulgo *Labdanum en maſſes ou en pains* : altera vero in panes contortos & circumvolutos , ſiccos , duros , fragiles , qui tamen calefacti paululum molleſcunt , arenula tenui nigra permixtos , colore nigro , odore debiliori , vulgo in officinis *Labdanum en tortis* . Hæc frequentius reperitur .

Ladanum eligatur odoratum , odore valido , ſed ſuavi , inflammabile , accenſumque gratum odorem exhalans , calore facile molleſcens , purum: improbatur arena, aliiſque ſordibus inquinatum . Ex inſula Creta aliiſque maris Ægei inſulis affertur . Veteribus Græcis innotuit.

Hæc reſina tempore æſtivo exſudat ex foliis plantæ , quæ dicitur Ciſtus Ladanifera Cretica , flore purpureo , *Coroll. Inſt. R. H.* 19. Ladanum Creticum , *P. Alpin. Exot.* 88. Frutex eſt ramoſus , patulus , ſupinus ,

humi ſparſus, qui ad pedalem bipedalemve altitudinem attollitur. Ex radice dura, lignoſa, intus candicante, foris rufeſcente, pedem longa, fibrata & capillata aſſurgunt rami plurimi, duri, pollicem ſæpe craſſi, fuſci, nonnunquam cineracei, cortice hiulco, in alios obſcure rubentes diviſi ramuſculos, quorum juniores ſurculi hirſuti ſunt, & ex viridi candicantes; foliis inſtructi binis ex adverſo naſcentibus, obſcure virentibus, oblongis, ad oram ſinuatis, cum nervis & venulis plurimis, pollicem longis, octo vel novem lineas latis, obtuſe acuminatis, aſperis, pediculo tres quatuorve lineas longo, unam lato innixis, ſaporis herbacei, leviter ſtyptici. Summi ramuli roſaceis ornantur floribus, qui conſtant ex quinque petalis uncialibus, varie & inæqualiter complicatis, ſubrotundis, purpuraſcentibus, circa pediculum anguſtioribus, & ad unguem flava macula inſignitis, cum ſtaminibus numeroſis luteis, fuſciſque apicibus. Eorum calyx ex quinque petalis componitur ſeptem octove lineas longis, ovatis, venoſis, & externe villoſis, in longum & recurvum acumen deſinentibus. Ex hoc calyce ſurgit piſtillum viride, quod deinde abit in fructum multicapſulatem, quem Cl. Tournefortius non deſcripſit. In montibus circa Cydonem, vulgo *la Canee*, Cretæ inſulæ metropolim hæc planta luxuriat.

Alia ejuſdem Ciſti ſpecies vel potius varietas a peritiſſimo illo Botanico obſervata fuit, huic prorſus ſimilis, ſed flore longe majore; quæ in Ponto naſcitur & dicitur Ciſtus Ladanifera, orientalis, flore purpureo majore, *Coroll. Inſt. R. H.* 19.

Ladanum duobus modis Dioſcoridis tempore ſuper hanc plantam colligebatur. Cum Ciſti frondes, inquit, paſcuntur capræ hircique, pinguedinem barba carpunt, & ſuo lentore villoſis cruribus adhæreſcentem reportant: quam depectentes incolæ colanteſque cogunt in offas, & ita recondunt. Alii vero attractis funiculis inſidentem fruticibus lentorem abſtergunt, conglomerantque in Ladanum. Hinc quidam ſeplaſiarii Ladanum ex caprarum barba exemptum, & Ladanum funibus collectum diſtinguere voluerunt. Verum & Bellonii tempore, & hodie, referente Cl. Tournefortio, unus tantum erat colligendi modus. Græci colligendo Ladano peculiare inſtrumentum parant, raſtro dentium experti ſimile, Ερλαςιρι illis dictum. Huic affixæ ſunt multæ ligulæ ſive zonæ e corio rudi nec præparato confectæ: eas per ſummos ardores ſolis ſuper ladaniferos frutices volvunt & revolvunt, ut inhæreat reſinoſus ille humor circa folia concretus, qui deinde cultris a ligulis abradendus eſt. Itaque Ladanum colligendi ſummus, imo intolerabilis eſt labor, a ruſticis tantummodo ſuſceptus; cum totos dies ardentiſſimo Caniculæ æſtu in montibus hærere neceſſe ſit. Si quis tamen huic labori aſſidue operam navet, uno die pluſquam tres Ladani libras ſeu ℥xlviij. colligere poſſe aſſerunt. Tempus huic operi ſuſcipiendo magis idoneum eſt, ſæviente Canicula, aere ſolis ardore æſtuante, nec ventis agitato: tunc enim humor ille abunde exſudat, & purus obtinetur; alioquin ventis agitato aere, multo pulvere & ſordibus conſpurcatur. Verum nec facile eſt purum ab incolis obtinere Ladanum; quandoquidem ſordido amore lucri promoti arenulam quamdam nigram minutiſſimam & ferrugineam quæ ibi reperitur, huic admiſcere ſolent, quo Ladani pondus multum augetur.

Mulie-

Mulieres Græcæ globos ex Ladano ſolo, vel cum Ambra permixto confectos, manibus, oblectamenti gratia, ſæpe geſtant & odorant.

Inſtituta analyſi Chymica, Ladani in panes orbiculares contorti ℔ij. exhibuerunt phlegmatis rufeſcentis, odoris grati, & acidi ſaporis ℥ij. ʒij. gr. xlviij. liquoris fuſci, alcali ſeu Sublimati corroſivi ſolutionem coagulantis, & cum acidis tumultuantis ʒiijß. olei odorati, limpidi, rufeſcentis ℥iiij. gr. xxiiij. olei fuſci ſpiſſioris, & nonnihil empyreumatici ℥j. ʒiij. Maſſa nigra reſidua pendebat ℥xxvj. ʒvij. quæ per horas octo in crucibulo igne reverberii calcinata fulvum colorem acquiſivit, iterumque calcinata per ſex horas ſubrubentem obtinuit colorem: tunc vero nihil aliud eſſe videbatur quam arena inſipida ex qua fere nihil ſalis fixi extractum fuit. Hæc arena ſane cum Ladano permixta fuerat.

Itaque per hanc analyſim patet, Ladanum conſtare ex oleo tenuj, & craſſo, cum ſale eſſentiali ammoniacali conſociato. Sed inſuper videre eſt duas Ladani libras arenæ ʒxxiiij. circiter continere, ac proinde vix ℥iiij. Ladani puri, & genuini in ſingulis vulgaris Ladani, ſeu, ut ajunt, contorti libris contineri. Hæc arena ferruginea eſt; unde non mirum ſi calcinatione rubrum nanciſcatur colorem, qualis in Croco Martis deprehenditur.

Ladanum externe admotum emollit, concoquit, attenuat, & reſolvit; interne vero adſtringit, roborat & dolores ſedat. Minus frequens tamen eſt illius uſus internus. Ad ventriculum roborandum, & concoctionem juvandam, adverſus ſeroſam colluviem & catarrhos, & in dyſenteriis ʒj. pondere præſcribitur. Laudatur in frigida cerebri intemperie, capiti applicatum; in ventriculi imbecillitate, ejus regioni impoſitum; in odontalgia, temporibus admotum. Ad ulcera antiqua & ſinuoſa cum tumore & duritie & uteri vitia ſananda commendatur. In odoratis ſuffimentis admiſcetur, & ex eo parantur globi ſeu poma odorata adverſus peſtilentem auram.

℞. Ladani puri ʒj. Nucis Moſch. ʒß. Cardamom. ℈j. Maſtiches gr. viij. Jalap. pulver. ℈j. Olei Cinnamom. gutt. vj. Syr. de Stæchad. q. ſ. Fiat maſſa pilular. quarum doſis gr. xv. vel xx. hora ſomni, in catarrhis a cauſa frigida.

℞. Ladani puriſſimi ʒj. Corall. rubr. pp. ℈j. Mivæ Cydonior. ʒij. M. F. bolus in ventriculi imbecillitate, & dyſenteria.

℞. Ladani ℥ß. Styracis Calam. ʒiij. Benzoin ʒij. Ligni Aloes, Cinnamomi, Santali citrini ana ℈ij. Caryophyll. Mari, Lavandulæ, corticis Citri ana ʒß. Camphoræ ℈j. cum Styracis liquidi q. ſ. Fiat maſſa in mortario calido, addendo, ſi volueris, Ambræ, & Moſchi momentum. Ex ea globus formetur manibus geſtiendus vel collo appendendus, ad aeris contagium inhibendum.

Ladani oleum odoratum unguentarii hoc modo parare norunt.

℞. Ladani pinguis & præſtantiſſimi ℔j. In tenujſſimas partes diviſum coquatur cum aq. Roſar. ℥vj. Olei Amygdalar. ℥iv. dulc. per ſemihoram. Percoletur liquor oleoſus.

Ladanum uſurpatur in Balſamis apoplecticis, in Emplaſtro cephalico *Charas*, ſtomachico *Ejuſdem*, ad herniam *Prioris de Cabriere*, Trochiſcis odoratis ſeu Aviculis Cypris *Charas*.

AR-

ARTICULUS OCTAVUS.

De Maſtiche.

MAſtiche, Maſtix, & Reſina lentiſcina, *Offic.* ῥητίνη χινίνη, καὶ Μαστίχη, *Dioſcoridis:* Maſtech *Arabum:* vulgo *Maſtic.* Reſina eſt arida, eleganter pellucida, ex flavo palleſcens, in lacrymas vel grumos concreta, Piſi minoris vel Orizæ craſſitie, fragilis, quæ ſtatim ſub dente diſſilit, mox tamen calore lenteſcit adinſtar ceræ, prunis injecta flammam concipit, odoremque non ingratum ſpirat, & ſapore donatur leviter aromatico, reſinoſo, & ſubadſtringente.

Eligenda eſt candida, vel pallida, ad citrinum vergens, pellucida, arida, fragilis, ſtridens, odorata. Nigra, viridis, livida, aut impura nullius eſt momenti.

Ex Chio maris Ægei Inſula, ubi optima & copioſiſſima colligitur, ad nos affertur.

Reſinoſæ quædam maſſæ aridæ, craſſæ, ex Maſtiche, & aliis reſinis coagmentatæ, in officinis ſub Maſtiches nomine venduntur ad Medicinam prorſus inutiles. Ad lapidum ſciſſuras replendas, & conglutinandas reſervantur.

Maſtiche ſponte vel vulnerato cortice exſudat ex arbore Terebinthorum generi affini, quæ dicitur Lentiſcus vulgaris, *C. B. P. 399.* Radice eſt valida, multifida, fuſca, dura, & fibrata, ſtolonibus vero lentis, Coryli aut Cotoneæ altitudinem æquantibus, denſis, & brachiatis, in quibus folia naſcuntur conjugata, nullo impari claudente, glabra, nitida, unciam longa, utrinque acuta, anguſta, reſinoſa, firma, lente virentia, ſulcatæ annexa coſtæ, quæ in ſpinulam mollem deſinit, acuti odoris, ſaporis aciduſculi, & adſtringentis: foliis interdum folliculi, vel veſiculæ quædam adnaſcuntur, culicibus exiguis referti, haud ſecus quam in terebenthinis, aut ulmeis. Lentiſci ſpecies, quæ flores ſtamineos profert, fructu omnino deſtituitur: quæ vero fructum fert, ſtaminibus orbatur. Flores ſtaminei, racematim cohærentes, rubentes, ad alæ imum exoriuntur: fructus vero in botrum congeruntur ſubrotundi, rubentes, & per maturitatem nigricantes, duas lineas longi, cum teſta duriore membrana reſinoſa & pingui obducta: intus nucleus continetur albus, oleaginoſus, & odorus. Hoc plantæ genus a Terebintho tantum diverſum eſt foliis, quæ per conjugationes quidem coſtæ affinguntur, ſed nullo impari plerumque claudente. In Gallia Narbonenſi, Italia, Hiſpania, Inſula Chio, cœteriſque maris Ægei Inſulis frequens naſcitur.

Bellonius Lentiſcum in ſola Inſula Chio reſinam Maſtichen fundere affirmat. Olim tamen in Ægypto naſcebatur: quandoquidem Galenus *l. 2. ad Glauconem*, Ægyptiacam Maſtichen commendat. Nonnulli in Italia ex Lentiſcis diſtillare quoque afferunt: & Gaſſendus, *in vita Peyreſcii*, in Gallo-provincia non longe Telone Maſtichen ſudare refert. Verum hodie Maſti-

Maſtiche, quæ in officinis reperitur, ex ſola Chio Inſula affertur. Ibi Lentiſci arbores tali diligentia & cura excoluntur, inquit Bellonius, ut non minores in eam rem ſumptus fiant, quam apud nos in vinetorum culturam; nec immerito, cum potiores hujus Inſulæ opes in Maſtiche conſiſtant: niſi autem diligenti cura colerentur, exiguum reſinæ proventum darent. Equidem tantus eſt ejus proventus in hac Inſula, ut ſingulis annis Turcico Imperatori pendant trecentas Maſtiches ciſta ſeu 84375. libras: ſingulæ enim ciſtæ 281. ℔. cum ℥iiij. continent. Incolæ Lentiſcos menſibus Auguſto, & Septembri compungunt; & ex vulneribus in cortice factis Maſtiche exſudat, & in granula concreſcit.

Analyſi Chymica, ex Maſtiches ℔ij. prodierunt phlegmatis limpidi, acidi, odorati ℥j. ʒvij. gr. liiij. liquoris fuſci, magis acidi cum quodam amarore ℥ij. ʒj. gr. xij. liquoris limpidi, rufeſcentis, ſubacidi, & aliquantiſper alcalini, qui nempe Sublimati corroſivi ſolutionem turbidam efficit, ʒj. gr. xlij. olei limpidi flaveſcentis ʒj. ſubrufi ʒij. fuſci, limpidi & fluidi ℥ij. ʒj. gr. x. ſpiſſioris vero conſiſtentiæ, & quaſi melleæ, coloris fuſci, ℥xx. Maſſa reſidua in retorta ſuperſtes pendebat ℥iij. quæ igne reverberii in crucibulo combuſta reliquit cinerum fuſcorum ʒiij. ex quibus lixivio ſalis fixi ſalſi gr. iiij. extracta ſunt. Deperditio partium in diſtillatione fuit ℥ij. ʒj. gr. xxvj. & in calcinatione ℥ij. ʒv.

Itaque ex hac analyſi concludendum eſt, Maſtichen conſtare oleo multo denſo, ac ſpiſſo, ſale acido plurimo; exigua admodum ſalis alcali, & terræ portione; parum vero partium tenujum, & volatilium continere.

Chienſes, tam viri quam fœminæ, & pueri Maſtichen fere ſemper in ore habent, ad roborandos dentes, & gingivas, necnon ad halitum oris emendandum: panibus etiam immiſcere, & incoquere ſolent ad eos guſtui delicatiores reddendos.

Maſtiche in foro medico ad multa commendatur, aliquantiſper aromatica eſt: inter adſtringentia & ſtomachica recenſetur. Ubi viſcerum fibræ humidiores, laxiores & debiliores exſiccandæ firmandæ ac roborandæ ſunt plurimum valet: inſuper humorum acrimonia demulcet, tum ſalium ſpicula involvendo, tum membranas illiniendo. Intus ſumpta a ℈ß. ad ʒß. hæmoptoe, & veteri tuſſi prodeſt. Ventriculo quoque utilis eſt, illum firmat & roborat, ciborum concoctionem juvat, & vomitum ſedat; ructus tamen excitat, ſi immoderate ſumatur. Catarrhoſis affectionibus medetur: diarrhæas ſiſtit, & purgantium acrimoniam demulcet: commanducata gingivas contrahit & firmat: ſub dentibus diu contrita ſalivationem excitat. Hunc Maſtiches uſum Simon Paulli adverſus catarrhos, & gravem auditum commendat: quin & Pyrethro, aut Tabaco eam anteponit; quippe quæ tanta copia, imo majori ſalivam moveat, gratique ſit odoris, & ſaporis. Surditatem vero maſticatione ſanari aſſerit, cum materiam peccans in meatu a tympani cavitate ad palatum contenta prolicitur. Externe admota ventriculi regioni ejus dolores compeſcit, vomitum & nauſeam ſedat; umbilicali regioni, alvi profluviis, & hypercatharſi medetur; temporibus defluxiones, & odontalgiam ſanat.

♃. Maſtiches grana ſelectoria. Ceræ inſtar dentibus atterantur ad ſalivationem obtinendam, in catarrhis, & gravi auditu.

♃. Ma-

℞. Maſtiches ℥ß. Coquatur in aq. ℔iij. ad tertiæ partis diminutionem; & detur in diarrhæa pro potu ſolito.

℞. Conſerv. Roſar. veteris ʒj. Maſtiches ſelectiſſim. ʒß. Diacod. q. ſ. M. F. bolus in tuſſi ferina & catarrhis.

℞. Maſtiches ʒß. Jalap. pulver. gr. x. Elixir proprietat. vel Balſam. Peruviani q. ſ. Fiant pilulæ veſpertinis horis exhibendæ ad catarrhum.

Uſurpatur in Pulver. Diarrhodon, Pulvere contra abortum *Charas*, Hiera picra *Galeni*, Electuar. de ſucco Roſar. Trochicis de Karabe, Hedicroi, Pilulis ſine quibus, polychreſtis, ſtomachicis, de Rhabarbaro, de Ammoniaco *Quercetani*, catholicis *Poterii*, Oleo maſtichino, Unguento martiato, ſtyptico, mundificativo de reſina, Cerato ſtomachico, in Emplaſtro cephalico, ſtomachico, diaphoretico, Manus Dei, divino *Paracelſi*, de linamento, oxycroceo, pro fracturis *Charas*.

Lentiſcus, auctore Dioſcoride, omnibus ſuis partibus, germinibus, & foliis, fructu, ramorum & radicis cortice adſtrictoria eſt, exprimitur ſuccus ex radice, cortice, aut foliis in aqua decoctis, aut etiam ex foliis viridibus tritis, qui valet ad hæmorrhagias, alvi profluvia & dyſenteriam in potu; itemque contra uteri & inteſtini procidentias externe admota.

Ligni lentiſcinis vis adſtrictoria, roborans & balſamica a J. Baptiſta de Vvenckh Doctore Medico Styriaco, *in Ephemeridibus Germanicis Dec. III. ann. 9. & 10.* magnopere commendatur: & ejus decoctum, quod auri potabilis vegetabilis titulo inſignitur tanquam ſingulari Panacea prædicatur in articularibus morbis, & catarrhis curandis ad ventriculum debilitatum roborandum, ciborum concoctionem adjuvandam, flatus, & ructus diſcutiendos; diuturnos, & pertinaces vomitus compeſcendos, urinas promovendas, calculos expellendos, uno verbo ad omnes corporis functiones adjuvandas, fibrarum tonum reſtituendo, & ſalium acrimoniam demulcendo. Idem decoctum dentes vacillantes firmat, & gingvias adſtringit.

℞. Ligni lentiſcinis in virgulas tenues ſciſſi ℥v. aq. comm. ℔vj. Macerentur per tres quatuorve dies in vaſe clauſo. Colatura exhibeatur pro potu ſolito.

℞. Ligni lentiſcinis ℥v. aq. com. ℔vj. Macerentur per triduum; poſtea coquantur leni ebullitione ad tertiæ partis conſumptionem. Hujus decocti ℥viij. mane jejuno ventriculo, & hora ſomni propinentur.

Ex lentiſcino ligno dentiſcalpia parantur, ab omni ævo ad gingivas roborandas commendata.

Oleum ex maturo fructu extrahitur, quod utiliter adhibetur ubi adſtrictione opus eſt, ut in anni & uteri procidentia.

AR-

ARTICULUS NONUS.

De Olibano, vel Thure.

OLibanum, Thus & Thus maſculum, *Off.* Λίβανος *Theophraſti & Dioſcorid.* Διανωτὸν, *Hippocratis*: Thus vel Tus, *Latinorum*: Ronder, Conder, & Kateth, *Arabum*: vulgo *Encens ou Oliban.* Subſtantia eſt reſinoſa, ex flavo pallida & pellucida, in lacrymas Maſtichi ſimiles, ſed majores, concreta & indurata; ſaporis amaricantis, modice acris, & reſinoſi non ingrati; odoris fragrantis. Flammæ admota ſtatim in luculentam & pertinacem flammam exardet, nec accenſa diffluit ut Maſtiche. Dentibus ſtatim comminuitur: verum comminutæ non cogitur denuo ut Maſtiche, neque ſicut ea in ore libere volutari poteſt, cum dentibus adhæreſcat. Translucidæ, oblongæ, & ſubrotundæ guttæ, alias ſingulares, alias gemellæ, teſticulos aut mammas, prout majores vel minores fuerint, imitantur: unde & maſculi Thuris, & mammoſi aut fœminei cognomenta; interdum etiam quaternæ aut quinæ, magnitudine Ciceris, Avellanæ, aut majores, adhærentes nonnumquam cortici unde exſudarunt. Mica vero ſeu tenujor pars ex grumorum attritu colliſa, Thuris Manna Græcis appellatur. Thus probatur candicans, pellucidum, purum, nitidum, ſiccum. Non ſolum Græcis & Arabibus, ſed omnibus fere gentibus & temporibus remotiſſimis, cognitum fuit; celeberrimuſque ejus uſus ac frequentiſſimus in ſacris. Thure enim ſacrificabant olim, eoque in templis ad ſuffitus utebantur, & hodie adhuc utuntur. Hic mos per omnes ætates inter omnes fere gentes & religiones inolevit.

De natali Thuris loco apud auctores non conſtat. Nonnulli Arabiam ſolam Thus gignere ſcribunt, nec tamen totam, ſed illam tantummodo partem quæ Sabæa aut Arabia thurifera dicitur. Alii Æthiopiam quoque, cujus quidam populi Sabæi quoque nuncupabantur, hanc odoriferam reſinam proferre tradunt.

De arbore thurifera minus adhuc certi ſumus. Theophraſtus enim arborem non magnam eſſe tradit, quinque fere cubitis attolli, ramoſam eſſe, folia habere Pyro ſimilia. Alii tamen, inquit, ſimilem Lentiſco eſſe dicunt: alii & cortice & folio etiam Lauri. Diodorus Siculus Acaciæ Ægyptiacæ formam illi attribuit, & Salicis folia; Garzias quoque Thuris arborem humilem eſſe, & folia habere Lentiſco ſimilia: econtra Thevetus eam Pinus reſiniferas referre ſcribit.

Analyſi Chymica, Olibani ℔ij. per retortam diſtillatæ præbuerunt phlegmatis acidi, nonnihil auſteri, odorati, rufeſcentis ℥vij. ʒvij. gr. xxiiij. phlegmatis, tum acidi, tum urinoſi & rufi ℥j. ʒij. gr. lxvj. olei limpidi, fluidi, odorati & flaveſcentis ℥j. ʒij. gr. xxiiij. olei fuſci craſſioris ℥v. ʒiij. olei vero ſpiſſioris & melleæ conſiſtentiæ ℥vj. ʒv. gr. xxx. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥v. ʒvij. gr. xliij. quæ per 15. horas in crucibulo calcinata, colore nigro in rufeſcentem mutato, ℥j. ʒiij. gr. vj. pendebat. Ex his cineribus ſalis fixi alcali gr. xxij. lixivio extracta fuere. Partium deperditio in diſtil-

diſtillatione fuit ℥iiij. ʒiij. gr. xxix. in calcinatione vero ℥iiij. ʒiiij. gr. xxxvij. Unde liquet, plus terræ & paulo majorem ſalis ammoniacalis portionem contineri in Olibano, quam in Maſtiche, ſalinas vero & oleoſas Olibani partes intimius commiſceri & arctius compingi.

Internus Thuris uſus commendatur ad varios capitis & pectoris affectus, ſicut etiam ad alvi, uterique profluvia, tuſſim, ſanguinis excreationem, diarrhæam & dyſenteriam: acriores enim corporis humani ſuccos & lympham præcipue ſalſam temperat ac demulcet. Doſis eſt a ℈j. ad ʒj. aut ʒij. Singulare ſpecificum habetur adverſus pleuritidem, præſertim epidemicam. Adverſus hunc morbum Quercetanus *in Pharmacopœa* laudat pomum excavatum, Olibani pulverati ʒj. repletum, poſtea operculo tectum, & ſub cineribus coctum, quod æger deglutiat ſuperbibendo aq. Card. bened. ℥iij. poſtea vero debite contectus ſudet. Riverius *in obſervationibus* teſtatur, multos ex pleuritide ad extrema fere redactos, uſu illius pomi cum Olibano cocti reſtitutos vidiſſe; unde præter ſpem vel copioſus ſudor, vel anacatharſis libera ſequebatur. Hoc remedium ſæpe felici cum ſucceſſu poſt venæ ſectionem bis terve celebratam exhibui, licet non ſemper. Si prima vice, exhibito remedio, ſudor non ſuccedat, poſt ſex horas elapſas iterandum eſt.

Extrinſecus uſurpatur in ſuffitibus capitis, pro catharris, vertigine, coryza, ſicut etiam in ani procidentia; modo in ſella fiat ſuffitus. Capitis & nervorum vulneribus conducit: ulcera carne replet & ad cicatricem perducit. Unde plurimis unguentis & emplaſtris vulnerariis & conſolidantibus admiſcetur.

Oleum ex Thure diſtillatum, a quibuſdam efficaciſſimum in phthiſi remedium habetur.

Liquor quoque ex Thure per deliquium paratur, ſi pulvis ejus in ovi albumine cocto & calenti reponatur in cella. Thus enim reſolvitur in liquorem ad maculas faciei & cavitates cicatricum delendas non contemnendum.

Matthiolus ex Olibano medicamentum ſic præparatum commendat ut præſtantiſſimum adverſus oculorum lippitudinem & ruborem. Accenditur Thuris grumus acuto ſtylo affixus cerea candela; mox in aq. roſaceæ ℥iiij. extinguitur: repetuntur incenſiones extinctioneſque trigeſies: & deinde percolata aqua linteolo mundo oculorum angulis cum penna veſperi illinitur, dum cubitum affecti ſe recipiunt. At ſi rubor lacrymæque vehementi cum dolore fuerint, additur tantumdem lactis muliebris.

Dioſcorides minus tutum eſſe internum Olibani uſum immoderatum exiſtimat: illud enim in ſecunda valetudine hauſtum inſaniam movere aſſerit, & largius cum vino potum interficere. Verum Galenus & cœteri Medicinæ ſcriptores hac de Thuris noxa alte ſilent. Nihilque noxium in illius uſu quotidiano deprehenditur.

℞. Olibani pulver. ʒß. Flor. Sulphuris ʒj. Excipiantur ſ. q. Zingiber. cond. vel Conſerv. Apii. Fiat bolus in aſthmate.

℞. Thuris maſculi ʒj. Agaric. Trochiſ. ℈iv. Cum Hyſſopi ſucco fiant Pilulæ n. x. adverſus tuſſim a pituita vel catarrho, quarum unam tantum quotidie ſumat æger veſperi hora ſomni.

℞. Thu-

♃. Thuris, Maſtiches ana ℥ij. Luti Armenii ℥j. Corallior. rubror. pp. C. C. uſti ana ʒß. Lapid. Hæmatit. ℈j. Omnia accurate pulverata ſimul miſceantur, & fiat pulvis, cujus doſis ʒjß. in dyſenteria.

Uſurpatur in Pulvere Sperniolæ *Crollii*, Theriaca, Mithridatio, Trochiſcis de Karabe, Pilulis de Cynogloſſo, Pilulis ad gonorrhæam *Charas*, in Unguento martiato, mundificativo de reſina, in Emplaſtro de Betonica, divino, cephalico, diaphoretico, de linamento, oxycroceo, contra rupturam, pro fracturis; de Ranis cum Mercurio, ſtyptico *Charas*.

Olim una cum Thure cortex Thuris arboris afferri ſolebat, ejuſdem cum hac reſina virtutis, ſed magis adſtringens: verum hodie in uſu non eſt.

Alia res eſt, quæ cortex Thuris a nonnullis dicitur, vel Thymiama, vel Thus Judæorum, quod Judæi in ſuffumigiis ea frequenter utantur. Maſſa eſt ſicca, aliquantulum reſinoſa, ſubrubra, corticoſa, fragrante Styracis liquidi odore, compacta ex corticibus arboris, *Roſa Mallas* dictæ, coctis, & expreſſis & ex quibus Styrax liquidus extractus fuit. De hac arbore *articulo de Styrace liquido* egimus. Nullius eſt uſus ille cortex, niſi ad ſuffimenta.

ARTICULUS DECIMUS.

De Sandaracha.

SAndracha vox eſt, quæ tribus diverſis ſubſtantiis attributa fuit: 1. Cuidam Arſenici rubri ſpeciei quæ Græcis Σανδαραχη dicebatur; unde Sandracha Græcorum nunc appellatur, ut ab aliis ſpeciebus diſtinguatur: 2. Reſinæ Juniperi, quæ ab Arabibus *Sandarach* vel *Sandarax* nuncupatur, & ab eorum interpretibus Sandaracha Arabum: 3. Subſtantiæ mediæ inter Mel & Ceram, quæ ſæpe invenitur in favorum inanitatibus ſepoſita, & eſt apum, dum operantur, cibus; & dicitur Sandaracha Erithace & Cærinthus, ut Plinius refert. Hæc inuſitata eſt & in officinis incognita. De prima ſpecie, nempe de Sandaracha Græcorum, ſeu minerali, jam egimus: nunc vero de Arabum Sandaracha tractabimus.

Itaque Sandaracha, Vernix, & Gummi Juniperinum, *Off.* Κόμμι ἀρκευθίδος *Græcorum*: Sandarax *Arabum*: vulgo *Sandaraque*, *Vernix*, *gomme ou reſine de Genevrier*. Subſtantia eſt reſinoſa, arida, inflammabilis, pellucida, pallide flaveſcens vel citrina, in guttas Maſtichi ſimiles concreta; ſaporis reſinoſi; odoris, dum accenditur, fragrantis & ſuavis, quæ in aqua non diſſolvitur, ſed in oleis tantummodo vel ſpiritu vini. Probatur nitida, pellucida, flaveſcens. Ex Africanis oris per Maſſiliam ad nos affertur.

Hæc reſina calidis in regionibus ſponte vel per corticis inciſiones ſtillat ex Junipero arboreſcente & ex Cedro baccifera. Quæ ex hac fluit, odore paulo ſuavior eſt, dum comburitur, & ideo pluris æſtimatur; ſed rariſſime diſtincta in officinis reperitur.

Juniperus vulgaris arbor, *C. B. P.* a fruticoſa nonniſi magnitudine diſtinguitur; & ratione loci, ubi naſcitur, diverſa eſt. Plerumque enim denſo

ramo-

ramorum ſtipatu fruticat dumtaxat : aliquando in juſtæ magnitudinis arborem adoleſcit, caudice tamen non multum craſſo, cortice ſcabro & deciduo, rubente; materie firma, nonnihil etiam rubeſcente, maxime ſi ſiccata fuerit; odore reſinoſo grato. Ramuli in ſurculos multos dividuntur foliis acutiſſimis, anguſtiſſimis, rigidis, pungentibus, ſemper virentibus, ſplendidis onuſtos. Julos profert Aprili & Majo in foliorum alis, duos treſve lineas longos, purpura cum croceo mixta pictos, e pluribus ſquamis compactos, quorum infimus limbus munitur veſiculis tribus vel quatuor pulvere aureo tenuiſſimo plenis. Steriles ſunt illi flores. Fructus vero numeroſi in aliis Juniperi ſpeciebus naſcuntur, quæ ſtaminibus carent. Baccæ ſunt ſphæricæ, granis Piperis duplo majores, cum umbilico triſulcato, primum vireſcentes, per maturitatem nigræ & pulvere cæruleo conſperſæ, pulpa ſubrufa refertæ, ſapore acri, aromatico, reſinoſo, dulci, tria oſſicula continente oblonga, anguloſa, dura, ſemine oblongo fœta, quibus ſingulis totidem veſiculæ ſucco reſinoſo turgidæ adhærent. Fructus maturitatem niſi anno ſecundo non conſequuntur; ita ut aliquando fructus trium annorum in eadem arbore conſpiciantur. Quædam ſunt Juniperi arboreſcentis ſpecies, quarum baccæ non ſphæricæ, ſed oblongæ ſunt & ſubrotundæ: aliis quoque baccæ rufeſcunt. Juniperus omnibus Europæ regionibus familiaris eſt: in ſylvis & montibus naſcitur.

Omnes Juniperi partes odoratæ ſunt, & in uſum medicum veniunt; nempe radices, lignum, folia, baccæ, & reſina. De illis alibi, de reſina tantummodo hic agemus.

Cedrus baccifera prima, ſeu Cedrus folio Cupreſſi, major, fructu flaveſcente, *C. B. P.* 487. Oxycedrus Lycia, *Dodon. Pempt.* 853. Arbor eſt pumila, tricubitalis, odore Cupreſſi grato, caudice contorto, multis ramis lentis & flexilibus prædito, ſcabro cortice; foliis parvulis carnoſis, & ex continua quaternorum foliorum mutuo connexorum ſerie compoſitis, quemadmodum Cupreſſus; floribus Junipero vulgari ſimilibus, flavis, ſed extremis ramulis inſidentibus, ut in Cupreſſo, ſterilibus. Fructus in aliis ejuſdem arboris ramis naſcuntur. Baccæ magnitudine baccarum Myrti, vel etiam majores, rotundæ, conos cupreſſinos tuberculis nonnullis quodammodo æmulantes, primum virides, deinde ad Phæniceum colorem tendentes, quæ maturitate nonnihil molleſcunt, ſapore & odore Juniperi baccis ſimili; terna, quaterna vel etiam plura oſſicula parva, ſtriata, oblonga, reſinoſa intus continent, ſemine fœta oblongo, albo, Orizæ quodammodo ſimili. Vere floret, fructumque diu retinet, antequam matureſcat uti Juniperus. Primum ſemine natus hic frutex, & adhuc tener folia habet omnino diſſimilia, utpote quæ alterius Juniperi folia æmularentur, niſi breviora & paulo molliora eſſent. Cum vero jam tertium aut quartum annum attigit, rotunda & cupreſſea folia promere incipit; adeo ut inferiores rami pungentibus & acutis foliis, ſummi vero obtuſis & rotundis onuſti interdum conſpiciantur. Reſinam ſponte fundit calidis in regionibus Juniperinæ perquamſimilem. In Gallia Narbonenſi & in Alpibus naſcitur.

Analyſi Chymica, ex Sandarachæ ℔ij. per retortam diſtillatis prodierunt phle-

phlegmatis limpidi, odore juniperino perfuſi, acidi ℥ij. ʒiij. gr. xviij. phlegmatis rufeſcentis, tum acidi, tum urinoſi ʒvij. gr. lx. olei rufeſcentis, pelucidi, fluvi ℥xvj. ʒij. gr. lxx. ſpiſſioris vero & melleæ conſiſtentiæ, ℥vj. ʒvij. gr. ij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥ij. ʒiiij. gr. xviij. quæ per 12. horas in crucibulo calcinata præbuit cinerum fuſcorum ʒiiij. ex quibus ſalis fixi ſalſi gr. iiij. lixivio extracta ſunt. Partium in diſtillatione deperditarum quantitas fuit ℥ij. ʒvj. gr. xlviij. & in calcinatione ℥ij. gr. xviij.

Par hanc analyſim patet, Sandaracham ad Maſtichem accedere, in ea tamen plus ſalis Ammoniacalis contineri, & oleoſas partes paulo tenujores eſſe quam in Maſtiche.

Sandarachæ eædem fere quæ Maſtichi, tribuuntur virtutes. Rarius tamen ad uſum internum exhibetur. Doſis a ℈j. ad ʒj. intus ſumpta hæmorrhagiis & diarrhæis antiquis medetur, ulcera interna abſtergit & conſolidat. Externe admota ſanguinem ſiſtit; vulnera & ulcera putrida ſanat, artuum dolores demulcet; nervorum reſolutionibus, quas humores frigidi contraxerint, opitulatur. Illius ſuffitus ad catharros commendatur. Oleo roſaceo vel alio ſoluta ad dolores & tumores hæmorrhoidum utilis eſt; & hiantibus frigore manuum pedumque ſciſſuris ſuccurrit.

♃. Sandarachæ ʒiij. Maſtiches ʒj. Benzoin. ʒß. Raſur. Succini ʒij. M. F. pulvis pro ſuffitu in catharris & coryza.

Uſurpatur in Emplaſtro diaphoretico & ſtyptico *Charas*.

Sandaracha dicitur Vernix ſcriptoria; quia ex hac reſina fit pulvis ad deliniendas chartas aptus, ne bibulæ ſint, & ut elegantiores appareant litteræ. Ex ea quoque parant Vernicem liquidam; illam nempe ſolvendo in oleo Lini, Terebenthinæ, ſpeciæ Lavandulæ, vel ſpiritu vini; licet etiam alia Vernix liquida ex Succini raſura conficiatur, oleo Lini vel ſpicæ Lavandulæ ſoluta.

ARTICULUS DECIMUS-PRIMUS.

De Sanguine Draconis.

SAnguis Draconis, *Off.* Κιννάβαρις, *Dioſcoridis*: Ἆιμα δράκοντος, *Græcorum recentiorum*: Alachnen, *Arabum*: vulgo *Sang de Dragon*. Subſtantia eſt reſinoſa, ſicca, friabilis, igne facile liqueſcens, inflammabilis, obſcure rubra; quæ trita elegantem colorem rubrum ſanguineum reddit; dum in laminas tenues extenditur, pellucida; ſaporis expers ſicut & odoris, niſi cum incenditur: tum enim odorem exhalat ad Styracis liquidi odorem proxime accedentem.

Duplex occurrit in officinis, durus ſcilicet in grumos ſeu maſſulas concretus pollicem longas & ſemiunciam craſſas, quæ foliis longis & anguſtis quaſi junceis vel palmeis involutæ Sanguinis Draconis lacrymæ vel guttæ in Pharmacopoliis nuncupantur: impurus corticibus, ligno, terra aut aliis heterogeneis permixtus & in maſſas ſeu panes, ut vocant, con-

concretus. Nonnunquam etiam in officinis reperitur Sanguis Draconis fluidus aut mollis, tenax, reſinoſus, inflammabilis; colore intenſe rubro ſanguineo; odore, dum comburitur, ad ſolidi odorem accedente, minus grato tamen, qui per tempus exſiccatur, & ſolido ſimilis fit.

Sæpius quoque Sanguis Draconis ſpurius venalis proſtat in officinis, qui facillime a genuino diſtingui poteſt. Maſſæ ſunt gummoſæ, rotundæ, compreſſæ, obſcuri & ſordidi coloris rubri, conflatæ ex variis gummi ſpeciebus legitimo Sanguine Draconis vel Braſilio ligno tinctis: quæ nullomodo flammam concipiunt, ſed in igne bullas agunt, crepitantque, gummi inſtar lenteſcunt & ſolvuntur in aqua, quam mucilaginoſam reddunt: prorſus rejiciendæ ſunt. Probatur qui in guttas puras, nitidas, obſcure rubras, inflammabiles, & foliis involutas affertur, quique pulveratus colorem coccineum nitentem exhibet.

Succus ille reſinoſus veteribus Græcis cognitus fuit, ſub Cinnabaris nomine, ut jam dixi *articulo de Cinnabari*, *& Hydrargyro*. Hæc Cinnabaris vox paulatim ad noſtram Cinnabarium mineralem abuſive transmiſſa fuit, quæ Græcis Minium dicebatur; ſicut ſimili abuſu hæc vox, Minium, a Cinnabari foſſili ad rubram Plumbi calcem ſenſim ducta eſt.

Dioſcoridis tempore illa erat quorumdam opinio hunc ſuccum eſſe ſanguinem induratum alicujus Draconis, quam quidem rejicit, licet non dicat quid ſit ille ſuccus. Jamdiu apud rei medicamentariæ ſcriptores conſtat eſſe ſuccum ex arbore ſtillantem. Monardes hanc arborem Draconis nomine inſigniri aſſerit ob dracunculi figuram ejus fructui a natura inſculptam. Verum nonne ob arboris denominationem, Draconis figuram in hoc fructu quæſierunt, & ſibi finxerunt? Quidquid ſit, de quatuor plantarum ſpeciebus diverſis Botanici ſcriptores mentionem faciunt, quæ Sanguinem Draconis officinarum ferunt.

Prima dicitur Draco arbor, *Cluſii Hiſtor.* 1. *C. B. P.* 505. Palma prunifera, foliis Yuccæ, e qua Sanguis Draconis officinar. *Commel. H. Amſtel.* Arbor eſt procera, Pinum procul referens: adeo æquales, & ſemper virentes ſunt ejus rami, ejus truncus craſſus, octo vel novem cubitos altus, in varios ramos diviſus nudos, in ſummo geſtantes capita plena foliorum cubitalium, ab unciali latitudine paulatim in mucronem deſinentium, coſta media denſiore & eminentiore, ut in Iridis foliis. Fructus ſphærici ſunt, quatuor linearum diametri, flaveſcentes & aliquantiſper acidi; & nucleum continent durum, nucleo Chamæriphes ſimilem. Truncus ſcaber multis rimis hiat, humoremque fundit per Caniculæ æſtus, qui in lacrymam denſatur rubram, primo mollem, deinde ſiccam & friabilem, verum & genuinum Sanguinem Draconis *officinarum*. Hæc arbor in Canariis inſulis naſcitur, potiſſimum in inſula Portus ſancti prope Maderam.

Secunda ſpecies dicitur Palma Amboinenſis, Sanguinem Draconis fundens altera, foliis & caudice undique ſpinis longis, acutiſſimis, nigris armata, D. Sherard, *Dale Pharmacol. ſupplem.* Arundo farcta Indiæ orientalis Sanguinem Draconis manans, *Hiſt. Oxon.* Palma-pinus ſive conifera, *J. B. I.* 398. Arundo Rotang, *Bontii*; Rottani Dsjerenang, *Indorum*: Arundo farcta ſeu Palma conifera ſpinoſa; *Kæmpfer amænitat. exoticar.*

ticar. 552. Palma pinus eſt trium ad ſummum hexapedarum altitudinis; undequaque ſpinis horrida atroſpadiceis, rectis, uncialis pene longitudinis, compreſſis, tenujbus. Caudex ad tertiam exſurgit ulnam, humani brachii craſſitie, ſimplex, rectus, ex luteo palleſcens, aculeis verſus horizontem extenſis, & in imo caudice denſiſſimis armatus, per ſpithamarum intervalla geniculatus, geniculis ad frondium baſes, quibus involvuntur, non apparentibus. Frondes baſi tubulatæ ſunt, ſingulæ ex ſingulis geniculis ortæ, ita ut inferior ſuperioris exortum perpetuo complectatur; quo ipſo fit ut articuli non appareant, niſi involucris liberati. Hæc involucra ſive tubi, ut caudicis exteriorem ſuperficiem, ita & majorem ejus partem conſtituunt; nam iiſdem remotis, ipſa prodit in conſpectum pars intima medullaris ſuperficie nitida, coloris ſpadicei, ſubſtantiam obtinens laxam, fibratam, vertice ſolidiorem, carnoſam, edulem, ſaporis expertem, candidiſſimam. Frondibus gaudet in caudice pro articulorum numero raris & inordinatis, in vertice denſioribus, haud numeroſis tamen: quorum exteriores lege palmarum longiores ſunt; interiores velut ſucceſſu temporis naſcentes, breviores & imperfectæ. Frondes in ulnæ longitudinem extenſæ utrinque pinato foliorum ordine decorantur, ima earum parte, quam ſcapum vocant; nuda. Coſta earum lævis eſt ex craſſiori principio ſenſim tenujor, quadantenus compreſſa, ſumma facie herbacea; averſa pallida, luteſcente; utroque latere ex quo folia prodeunt, carinato: ſpinis armatur brevibus, raris, in dorſo uncis, & inſtar cornuum per paria junctis. Folia, quæ vulgo pinnas vocant Botanici, ſunt arundinacea, coloris herbacei, cubitum longa, ſemiunciam lata, in longum apicem producta, tenuja, pendula; prona facie raris aculeis aſpera, nervis donata tribus, in longitudinem decurrentibus, uno inſigniori medio, cœteris tenujoribus, unde in plicas totidem inclinant, & marceſcendo quodammodo coeunt. Fructus ſingulari naturæ induſtria producuntur, racemis conſiti in coma ex frondium axillis, in caudice vero palmari a frondibus intervallo enatis. Racemi duobus loricantur adverſis folliculis foliaceis, tenujbus, ſtriatis, fuſcis, in longiſſimum apicem acute lanceatis; uno inferiori & magis externo qui geminam ſpithamam longitudine, ſeſquiunciam latitudine excedit, & in convexo ſpinis pollicaribus compreſſis, ad rectum angulum exporrectis aſperatur: altero vero ſuperiori ſive caudicem ſpectante, qui nudus eſt & brevior. Ipſe racemum dodrantalem obtinet longitudine, ex paucis (quatuor, quinque, vel ſex) racemis minoribus, ſtylum medium in longitudinem ſtipantibus compoſitus, quos ſingulos ſinguli intercipiunt folliculi alii, prædictis ſimiles, ſenſim breviores, & anguſtiores, ita ut ſubinde priorum complexu poſteriores imbricentur. Divaricantur racemi in bacillos ſeu pediculos breves, pingues, firmos, ex breviſſimis intervallis ad alterna latera retortos, tuberculiſque conſpicuos exiguis, ſquamoſis, non deciduis, quibus inſiſtunt fructus, qui baſi ſuæ ſubnexas exhibent ſex lacinias tenues, (calycis floris reliquias) membranoſas, fuſci coloris; quarum tres exteriores ſunt breviſſimæ, latæ, & frontatæ, cœteræ ex illorum interſtitiis prominulæ ſunt, longiores, anguſtiores, acuminatæ. Ipſe fructus ſubrotundus eſt; ovatus, Nuce Avellana major, ſquamulis nitidiſſimis deſuper loricatus, adeoque inverſum ſtrobilum referens, dum mucrones ſuperiores ſub-

inde claudunt interſtitia inferiorum, accurata quincuncialis ordinis venuſtate. Verticem ornant tres ſtyli tenues, arefacti, duriuſculi, in averſos gyros eleganter reflexi. Squamulæ ſunt parvulæ, duriuſculæ, tenues, arcte adnatæ, coloris Phœnicei, oris fuſcis, in angulum rectum mucronatæ: quibus remotis, conſpicitur membrana carnoſa, albicans, laxe involvens globulum carnoſum, per immaturitatem ex herbaceo pallentem, pulpoſum, ſuccoſum, ſaporis leguminoſi & inſigniter adſtringentis, qui ad linguæ contactum per gingivas, & oris parietes protinus ſe diffundit & citiſſime diſparet. Mutilam & imperfectam hujus racemi iconem Bontius, ſub generis Malaico nomine *Rotang* exprimere niſus eſt; peneque ſimilem proponit J. Bauhinus, ſub Palmæ-Pini titulo. Uſus vero hujus uterque eſt neſcius.

Ea eſt reſinoſi ſucci ex hujus arboris fructu eliciendi ratio apud Nigritas orientis, Malaios, & Javanos uſitata, & ab Engelberto Kæmpfero *Amœnitat. exotic.* recenſita. Reponuntur fructus in craticula ſupra vas amplum fictile, quod aquam ad ſui dimidium uſque continet. Quo facto, vas leviter operculatum ſupra prunas collocatur, eo fine ut elevatus aquæ bullientis vapor fructus emolliat atque emaciet: ita fit ut tinctura ſanguinea, quæ in diſſecto fructu ad oculum non comparebat, calente halitu extricata exſudet, & in fructuum ſuperficie ſiſtatur. Hæc bacillo abraſa in folliculos reconditur ex folio arundinaceo complicatos, mox filo nectendos in ſeriem, & in aere tamdiu ſuſpendendos, donec incluſus Sanguis exaruerit. Ab aliis ſimplici coctione opus perficitur; nimirum uſque eo ſtrobili excoquuntur, donec rubedinem in aqua depoſuerint: hæc, rejecto fructu, coctione ulteriori in ſpiſſum ſuccum redigitur, folliculis pariter involvendum.

Tertia nominatur Ezquahuitl, ſeu Sanguinis Arbor, *Hernandez* 59. Arbor magna eſt, inquit Hernandez, folia ferens Verbaſci, ampla & anguloſa, ſanguinem ſtillans, quem vocant Draconis. In nova Hiſpania naſcitur.

Quarta vero appellatur Draco Arbor Indica ſiliquoſa, Populi folio Angſana vel Angſava Javanenſibus, *Commelin. Horti Med. Amſtelod. rarior.* 213. Arbor hæc Javæ, quin ipſius Bataviæ urbis incola, eſt procera, ligno duro, cortice rubicundo obducto. Folia profert incondita, pediculis longis tenuibuſque fulta, forma Populi ſimilia, ſed minora, duas uncias longa, vix ſeſquiunciam lata, mucronata, tactu mollia, glabra, nitentia, hilariore virore ad flavedinem inclinante perfuſa, ſapore fatuo. Flores parvi, lutei, odorati, ſaporis amariuſculi. Fructus pediculis longioribus innixi, colore ſunt cinereo, rotundi, plani, utrinque tamen in ſui medio tumidi & duri, margine membranacei, coſtulis eminentibus præditi. Semina in unoquoque fructu bina ternave oblonga, incurva, rubicunda, glabra, ſplendentia, renis aut phaſeoli gracilioris figuram nonnihil imitantia. Hunc fructum J. Comelinus non male convenire aſſerit cum eo quem Monardes deſcripſit, in quo Dracunculi figuram a natura inſculptam eſſe tradit. Ablata enim ejus tunica exteriore, diſperſæ per fructum viſuntur plures venæ ex quarum diſtributione, & concurſu Dracunculi figuram ſibi imaginantur homines, ſicuti fingere ſolent ex ignis flamma, nubibus & aliis. Illius arboris truncus, & rami

rami ſcarificati humorem fundunt, qui illico condenſatur in lacrymam rubram, & in lacrymis aut maſſulis tenuibus junceis involucris concluſus nobis affertur.

Succorum ex diverſis illis plantis oriundorum differentiam, ſi quæ ſit, definire non poſſum; cum illi ſucci in officinis non diſtinguantur.

Sanguis Draconis genuinus aqua non ſolvitur, ſed ſpiritu vini & oleoſis ſubſtantiis. Fumus qui ex eo incenſo exhalat, ſubacidus eſt, qualis ex Benzoino elevatur. Reſina eſt compoſita ex oleo craſſo copioſo & acido ſale ſimul permixtis: parum vero partium volatilium oleoſarum continet, ut ex eo concludi poteſt quod ſaporis & odoris ſit expers.

Sanguis Draconis vi pollet incraſſante, exſiccante & adſtringente; & in dyſenteria, hæmorrhagiis, vehementioribus fluxibus, ac ulceribus internis utiliter adhibetur interne a ℈ß. ad ℈j. Externe ulcera exſiccat, vulnera glutinat, commotos dentes firmat, & gingivas roborat.

℞. Sanguinis Draconis, Corall. rubr. ana ʒj. M. F. pulvis qui dividatur in ſex doſes quarta vel ſexta quaque hora exhibendas in cruenta expuitione aut hæmorragiis.

℞. Sang. Dracon. ℥j. Alum. cryſtall. ℥ij. Conſerv. Roſar. rubr. ℥iij. M. F. Electuar. cujus doſis ad ʒj. quarta quaque hora iteranda eſt in hæmorrhagia vehementiori.

℞. Sang. Dracon. Corall. rubr. Terræ Japon. & Boli Armenæ lotæ ana ℥ß. Mivæ Cydonior. q.ſ. Fiat Electuar. in dyſenteria.

℞. Sang. Dracon. ʒiij. Camphor. ʒij. Terebenth. Venetæ ℥ij. M. Fiant Pilulæ ad gonorrhæam, Doſ. ℈ß.

Uſurpatur in Pulvere dyſenterico & Pilulis ad ſiſtendam gonorrhæam *Charas*, Empl. ſtyptico, ad Eq. pedis punctionem, & de Alabaſtro *Ejuſdem*.

Pictoribus inſervit & ex ea fit vernix rubra, qua ciſtæ & pixides Sinenſes obduci ſolent.

ARTICULUS DECIMUS SECUNDUS.

De Styrace ſolido.

DUplex eſt Styrax in officinis; liquidus nempe, & ſolidus: qui quidem diverſi ſunt, & ex diverſis arboribus originem ducunt. De liquido jam egimus, nunc vero de ſolido.

Styrax ſolidus vel Storax, *Off.* Στύραξ *Dioſcoridis* & *Græcorum veterum*: Aſtarac vel Aſtorac & Lebni, *Avicennæ*, vulgo *Storax*. Eſt ſubſtantia reſinoſa, cujus duæ ſpecies jam a veteribus Græcis diſtinctæ nunc adhuc in officinis diſtinguuntur; ſcilicet Styrax calamita, & Styrax vulgaris ſeu in glebas compactus.

Styrax calamita, *Off.* Στύραξ καλαμίτης, *Græcorum*, vulgo *Storax en en larmes*. Eſt ſubſtantia reſinoſa, nitens, ſolida, nonnihil pinguis, & ſub

dentibus lenteſcens, ex candicantibus & rufeſcentibus grumis ſeu micis concreta; ſapore reſinoſo, ſubacri, non ingrato; odore fragrantiſſimo, præſertim ubi prunis injecta fuerit, quæ igne cito liquatur, flammæ admota flammam concipit, & claro incendio lucet. Olim ex Pamphylia in arundinibus afferebatur, teſte Galeno; unde Calamites dictus fuit, qui quidem plurimi æſtimabatur.

Styrax vulgaris, ſeu in glebas compactus, *Off.* Styrax ruber, *Quorumdam:* vulgo *Reſine de Storax*. Subſtantia eſt in glebas reſinoſas concreta, e flavo rubens vel fuſca, ſplendens, pinguis, nonnihil lenteſcens, melleum liquorem veluti exſudans, aliquot micis candicantibus reſperſa, & ejuſdem cum priore odoris & ſaporis.

Illæ duæ reſinæ Styracis ſpecies non ab invicem differunt. Prima eſt Styracis lacryma, quæ ex tenuioribus arboris rimis vel inciſuris guttatim ſtillavit, & citiſſime exſiccata fuit, atque collecta. Altera vero ſuccus eſt ex grandioribus vulneribus uberius defluens, qui nonniſi poſt diuturniorem moram inſpiſſatur; ita ut aeris calidioris contactu rufeſcat vel nigreſcat, antequam exſiccetur.

Eliguntur Styracis lacrymæ vel glebæ puræ, nitidæ, odoratæ, abſque ulla ſcobe lignea, aut aliis inquinamentis. Ex Syria aliiſque Indiæ orientalis locis per Maſſiliam nobis affertur.

Tandem ſcobs quædam lignea nonnihil reſinoſa, odore Styracis perfuſa, venalis proſtat in officinis, quæ ſcobs Syracina, *Sarrilles de Storax* vulgo dicitur. Ad uſum medicum inutilis eſt, prorſus abjicienda.

Quidam ex Arabibus, præſertim Serapio, Styracem liquidum de quo jam egimus, quemque *Miha* nominant, cum ſolido hoc Styrace, ſive Styrace Græcorum confundunt. Hæc duo tamen diſtinxit Avicenna, qui Styrace liquido ſub nomine *Miha*, & de Styrace Græcorum ſeu ſicco, tum ſub nomine *Aſterac*, tum ſub nomine *Lebni* tractavit.

Paulus Ægineta, Nicolaus Myrepſus & Græcorum nonnulli de quodam Stacte Styrace mentionem faciunt, qui pro reſina peculiari, & a Styrace prorſus diverſa a plurimis habetur: aliis vero nihil eſſe videtur aliud, quam Styracis reſina liquida collecta & aſſervata, antequam areſcat; de qua Dioſcorides mentionem facit. Fortaſſe quoque illud nomen Styraci liquidæ ſeu Mihæ Arabum Græci impoſuerunt. Rem decernere difficile eſt admodum, & cœteroquin parvi momenti.

Arbor ex qua hæc reſina manat, dicitur Styrax folio Mali cotonei, *C. B. P.* 452. *Inſtit. R. Herbar.* 598. Oleæ magnitudinem æquat in ſylvis Gallo-Provinciæ circa Cartuſiam Morienſem, *la Chartreuſe de Monrieu*; Belgenſerium, *Baugencier*; & Solarium, *Soliers*, inter Magdalenæum & Telonem. Trunco, cortice, & foliis Malum cotoneum æmulatur: folia autem alterno ordine oriuntur e rotundo acuminata, ſeſquiunciam longa, paulo anguſtiora, cum nitore virentia, prona parte candida & pubeſcentia, Flores naſcuntur in ſurculis annotinis quaterni, quini aut ſeni, candidi, odorati, Mali Aurantiæ floribus ſimiles, ſed monopetali, in tubum brevem inferius abeuntes, ſuperius in ſegmenta quinque vel ſex ſtellatim diviſi ſemiuncialia, acuta, duas lineas lata, cum calyce cavo & campaniformi, duas lineas longo, putreſcente, tum & piſtillo globoſo poſticæ floris parti adinſtar clavi infixo, qui

muta-

mutatur in fructum Avellanæ magnitudine & forma craſſum, incanum, carnoſum, primum ſubdulcem, deinde amaricantem, in quo continetur unum aut alterum oſſiculum perdurum, læve, nitidum, cum rubore fuſcum, quo perfracto nucleus albus apparet pinguis, oleoſus, odoratus, odoris reſinoſi Styracis proximi, ſaporis acris & ingrati. In Gallo-Provincia nihil aut perparum reſinæ hæc arbor fundit. Quæ calidioribus in regionibus naſcuntur, uberiorem reſinam largiuntur. Styrax, quo utimur in officinis, ex arboribus in Syria & Cilicia natis oritur.

Analyſi Chymica ex Styracis puriſſimi ℔ij. prodierunt phlegmatis limpidi, ruſeſcentis, acidi, odoris reſinoſi Styracini ℥ij. ʒvij. gr. xlviij. olei eſſentialis limpidi, ruſeſcentis ℥j. ʒv. gr. xxxvj. olei ſpiſſioris & melleæ conſiſtentiæ cum ſale eſſentiali volatili, ſeu floribus ſalinis Benxoini floribus ſimilibus permixti ℥ij. ʒij. (poſt tres quatuorve dies butyroſa illa ſubſtantia in oleum fere tota colliquata fuit.) tandem olei fluidi, rufi, aliquantiſper empyreumatici ℥iij. ʒiij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥ix. ʒv. quæ per 20. horas in crucibulo calcinata ex nigro in fulvum mutato colore pendebat ℥j. ʒiiij. ex quibus lixivio ſalis fixi ſalſi gran. vij. extracta fuerunt. Partium deperditarum in hac diſtillatione quantitas fuit ℥iiij. gr. lx. in calcinatione ℥viij. & ʒj. Unde liquet, Styracem eſſe reſinam ex magna olei craſſi, minori olei tenujoris quantitate, mediocri ſalis acidi portione, parum vero terræ & ſalis alcalini compoſitam. Minorem ſalis eſſentialis volatilis quantitatem continet, quam Benzoinum, plus vero olei tenujoris.

Styrax Benzoino paulo fragrantior eſt ob majorem olei tenujſſimi copiam: minus tamen detergit propter minorem ſalis eſſentialis quantitatem. Quare, licet nonnunquam utiliter adhiberi poſſit in aſthmate humorali & tuſſi contumaci, ad infarctus pulmonum diſcutiendos & eorum tubercula reſolvenda, tamen Benzoinum ut efficacius illi anteponitur. Ob ejus ſuaveolentem fragrantiam, ad cerebrum roborandum, ſpiritus animales recreandos, inordinatoſque eorum motus compeſcendos commendatur: idcirco antidotis cardiacis utiliter adhibetur. Venenis quæ vi refrigeratoria nocere dicuntur, adverſatur; tametſi vis anodyna in eo deprehendatur, qua dolores capitis & tuſſim inveteratam ſedat, nempe humorum acrimoniam demulcendo oleoſis ſuis partibus. Ratione earumdem particularum raucedini, gravedini, & capitis diſtillationibus conducit intus ſumptus a ℈ß. ad ʒß. externe in ſuffitu caput roborat, vertigini & catarrhis ſuccurrit: ventriculi regioni admotus illud viſcus firmat, & ciborum concoctionem juvat: paralyſi & doloribus a frigore oriundis medetur. Ad odoramenta & ſuffumigia cum Benzoino frequenter uſurpatur.

℞. Styracis calamit. Benzoin. ana ℈j. Succi Liquiritiæ ℈ß. Landani op. gr. ß. Elixir propr. q. ſ. Fiant Pilulæ hora ſomni exhibendæ in cephalalgia, coriza, catharris & tuſſi inveterata.

℞. Styracis ʒß. Balſam. Peruvian. ℥ß. Fiat linimentum ad artus paralyticos, aut rheumaticis doloribus affectos inungendos.

Paratur e Styrace oleum odoratum ſuaviſſimum, macerando Styracem

in aquæ comm. q. ſ. per triduum, deinde diſtillando primum aquam; deinde oleum flavum, ad ulcera interna & præſertim pectoris præſtantiſſimum, cujus guttæ octo vel decem pro doſi exhibentur.

Flores ex eo ſicut ex Benzoino fieri poſſunt & ejuſdem energiæ, ſed parum uſitati. Styracis quoque tinctura conficitur ope ſpiritus vini eodem modo ac Benzoini tinctura, & ad eadem valet.

Styrax uſurpatur in Pulvere lætificante *Charas*, Pulver. cephalico odorato, Theriaca, Mithridatio, Diaſcordio, Trochiſcis Aliptæ Moſchatæ, Balſamo apoplectico, Unguento pomato officinali, martiato, Emplaſtro cephalico *Charas*, ſtomachico *Ejuſdem*, & in aviculis Cypriis.

ARTICULUS DECIMUS-TERTIUS.

De Tacamahaca.

TAcamahaca, *Off.* Subſtantia eſt reſinoſa, arida, odore fragrans, cujus duæ ſpecies in officinis reperiuntur; una quæ Tacamahaca præſtantior, ſublimis & in conchis, dicitur, vulgo *Tacamaque ſublime, ou en coque*. Reſina eſt concreta, pinguis tamen & molliuſcula, pallida, nunc flaveſcens, nunc vireſcens, in conchis ex cucurbitaceorum quorumdam fructuum corticibus paratis collecta, & foliis cooperta; odoris aromatici fragrantiſſimi & ſuaviſſimi, ad Lavandulæ & Ambari cineracei odorem accedentis; ſaporis reſinoſi, aromatici. Raro admodum in officinis reperitur.

Altera ſpecies vulgaris eſt, & in granis vel in glebis albicantibus, flaveſcentibus, rufeſcentibus, vireſcentibus aut variegatis ſemipellucidis habetur, odoris fragrantis, ad prioris odorem accedentis, ſed minus grati. Ex nova Hiſpania primum ab Hiſpanis in Europam allata fuit, antea vero prorſus incognita. In aliis etiam Americæ provinciis & in inſula Madagaſcar colligitur.

Arbor quæ hanc reſinam vel ſponte vel inciſis corticibus fundit, dicitur Arbor Populo ſimilis reſinoſa altera, *C. B. P.* 430. Tacomahaca, *Hernandez* 55. Tacamahaca foliis crenatis, lignum ad ephippia conficienda aptum, *Plukn. Phytog.* Arbor eſt procera, Populum quodammodo referens, admodum odorata: folia profert obrotunda, mediocria, acuminata & ſerrata. De floribus auctores nihil referunt. Fructus in extremis ramorum flagellis naſcuntur parvi, ſubrotundi, fulvi referti ſemine nucleo Mali Perſici haud abſimili: ſponte lacrymas reſinoſas pallidas effundit, quæ & odore & tenuitate partium præſtantiorem Tacamahacam conſtituunt. Qui vero ex inciſo cortice manat ſuccus reſinoſus, prout varias corticis partes fluendo proluit, variis coloribus inficitur, & ſolis ardore inſpiſſatus reſinam efficit in glebas, nunc flavas, nunc rufeſcentes, nunc fuſcas, & micis albidis variegatas concretam. Prior huic anteponitur.

Analyſi Chymica, Tacamahacæ ℔ij. præbuerunt phlegmatis, primum odore grato perfuſi & ſubacidi, deinde minus odori, & acido ſapore pungente do-

donati ℥iij. ʒv. olei limpidi rufeſcentis, & fluidi ℥ij. ʒv. gr. liiij. ſpiſſioris aut melleæ conſiſtentiæ, & fuſci coloris ℥xij. ʒj. gr. xxxvj. concreti vero & conſiſtentiæ butyroſæ ℥vij. ʒij. gr. liiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥ij. ʒiij. gr. xlvij. quæ per horas quindecim in crucibulo calcinata cinerum e fuſco ſubrubentium ʒj. tantum reliquit; ex quibus nihil ſalis fixi extractum fuit. Partium deperditarum quantitas in diſtillatione fuit ℥iij. ʒv. gr. xxv. in calcinatione vero ℥ij. ʒij. gr. xlvij. Unde liquet hanc reſinam multum ſalis acidi, ſed tenujoris cum oleo ſubtili conjuncti, obtinere mediocrem olei craſſioris portionem, nihil vero aut perparum terræ; & ideo hanc reſinam tenujſſimis partibus donari, ita acurate craſſiobus temperatis, & permixtis, ut compoſitum inde exſurgat fragrantiſſimum.

Tacamahaca raro interne uſurpatur. A quibuſdam in pectoris affectibus commendatur: ſed externo uſu eſt frequentiſſima. Ad quoſcumque partium externarum dolores compeſcendos utiliter præſcribitur, præſertim ab humoribus frigidis & flatulentis oriundos: tumores reſolvit & maturat: defluxiones in oculos, & alias faciei partes revellit, linteo excepta & emplaſtri modo temporibus aut poſt aurem applicata, aut ſuffitu naribus attracta: umbilico impoſita paſſiones hyſtericas & ſuffocationem uterinam ſedat: ventriculi regioni applicata illum roborat, ciborum concoctionem juvat, flatus diſcutit, & appetitum excitat. Præ cœteris ſpecificum expertum in dolore ventriculi a Poterio prædicatur. Eo Michaelis feliciter utebatur in febribus malignis, ubi de anxietate præcordiorum ægri conquerebantur. Idem illius emplaſtrum commendat Ettmullerus in vomitu compeſcendo. Capiti impoſita cephalalgiam ſublevat, & catarrhos cohibet: nervorum, tendinum, & articulorum vulneribus conducit Hocſteterus, *in obſervationibus*, Emplaſtro de Tacamahaca capiti raſo admota, ſurditatem ſe curaſſe refert.

♃. Tacamahacæ ʒjß. Styracis calamitæ ℥ß. Olei Nuc. Moſch. q. ſ. Fiat Emplaſtrum ventriculo imponendum, in ventriculi dolore, imbecillitate, & colicis doloribus.

♃. Tacamahacæ, Ladani ana ℥ß. Caſtorei ʒv. Olei Succini q. ſ. M. F. Emplaſtrum umbilico applicandum in paſſione hyſterica, & ſuffocatione uteri.

♃. Tacamahac. & Carannæ ana q. l. Diſſolve in olei eſſentialis Lavandulæ q. ſ. Fiat linimentum quo partes paralyſi affectæ vel doloribus rheumaticis inungantur.

Uſurpatur in Pulvere cephalico odorato *Charas*, Empl. cephalico, Empl. ſtomachico, Empl. pro matrice *Ejuſdem* in Empl. diabotano *D. Blondel*, & in Empl. de Maſtiche *Pharmac. Londinenſ.*

DE SUCCIS GUMMOSIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Gummi Arabico, Seneca, & noſtrate.

GUmmi Arabicum *Off.* Κόμμι ἀκακίας ἀκάνθης, *Dioſcordis*: Κόμμι proprie dictum, & Κόμμι θηβαικὸν, *Galeni*: Gummi Babylonicum, Gummi Sarracenicum, *Quorumdam*: Gallice *Gomme Arabique*. Succus eſt concretus in grumos, Nucis Ponticæ vel Juglandis magnitudine, & amplius, globoſos, alias longos & teretes vermium inſtar, aut contortos & in ſe convolutam erucam imitantes, pellucidos, ex flavo palleſcentes, aut omnino flavos, aut rutilos, ſuperficie fere rugoſos, fragiles, & intus ſplendentes vitri inſtar, in ore lenteſcentes, & dentibus adhæreſcentes, aquæ, in qua diſſolvuntur, lentorem viſcidum conciliantes, ſaporis expertes. Ex Ægypto, Arabia, & Africanis oris affertur.

Probatur candidum vel pallide flaveſcens, pellucidum, nitens, ſiccum, nullis coinquinatum ſordibus.

Affertur quoque in majores glebas compactum rufeſcentes, ſordidas, quæ ad uſus mechanicos tantum reſervantur.

Satis conſtat, Gummi proprie dictum, Gummi Thebaicum vel Ægyptium *Græcorum*, Gummi Arabicum *Serapionis*, eſſe gummoſum ſuccum ex arbore ſpinoſa Acacia dicta exſudantem. At nonnulli dubitarunt utrum Gummi in officinis Arabicum hodie dictum idem ſit, ac Græcorum Gummi, an potius Pomorum, Ceraſorum, Prunorum Gummi? Verum omne Gummi, quod nobis per Maſſiliam ex Ægypto, & Africanis oris affertur, non poteſt eſſe harumce arborum Gummi, quæ illis in regionibus non reperiuntur. Deinde Acaciæ arbores in illis regionibus luxuriant, & uberrimam Gummi copiam fundunt, ut Bellonius, & Alpinus teſtantur. Inſuper fructus, & ſpinæ, quæ in Gummi Arabici capſis deprehenduntur, ſunt Acaciæ Ægyptiacæ fructus: unde concludi poteſt, ſi non ex ſola hujus Acaciæ ſpecie colligitur, ſaltem illud pro majori parte ex hac arbore deſumi.

Arbor, ex qua gummoſus ille ſuccus diffluit, dicitur Acacia folio Scorpioides leguminoſæ, *C. B. P. 392.* Acacia vera, *J. B. I. 429.* Acacia ſanat Akakia, *P. Alpin. de Pl. Ægypt. 15.* Acacia Ægyptia, *Fab. Columnæ in Recch. obſerv. 866.* Acacia Ægyptiaca foliis Scorpioides leguminoſæ; ſiliquis albis compreſſis, iſthmo interceptis, floribus luteis, *H. Lugd. Bat.* Arbor eſt procera, & patula, radicibus multifidis hac illac diffuſis, trunco pedem ſæpe craſſo, cœteras Acaciæ arbores altitudine æquante aut ſuperante, firmo, brachiato, aculeis validis armato foliis conjugatis tenuiſſimis, coſtæ duas uncias longæ utrinque adhærentibus. Pinnulæ obſcure vireſcunt, tres lineas longæ, unicam lineam vix latæ. Flores in

eorum

eorum alis oriuntur in glomeramen ſphæricum coacervati, petiolo unciali inſidentes, aurei, monopetali, inodori, ex tubulo anguſto in calathum quinquepartitum ampliati, cum numeroſa ſtaminum congerie & piſtillo abeunte in ſiliquam Lupini ſiliquis quodammodo ſimilem, quinque uncias plus minuſve longam fuſcam vel ruſeſcentem, compreſſam, in medio lineam craſſam habentem, circa oras tenujorem, non æqualiter latam, ſed per intervalla adeo coarctatam, ut orbiculos depreſſos quatuor, quinque, ſex, octo, vel decem aut amplius quaſi filo quodam trajecto connexos repræſentet. Latior orbiculorum pars ſeu diameter ſemiunciam æquat, intermedium vero orbiculorum vix lineam attingit. Singulorum orbiculorum medium occupat ſemen ovatum, depreſſum, durum, minus quam Carobæ, ſpadiceum, circulo in orbem ducto, ut in Tamarindis, mucagine quadam gummoſa, adſtringente, ſubacida, ruſeſcente involutum. In Ægypto circa Cairum frequens naſcitur, teſte Aug. Lippi, *Epiſtol. ad ill. D. Fagon.*

Ex ſiliquis adhuc viridibus contuſis ſuccus exprimitur, qui inſpiſſatus Acacia dicitur; de quo ſuo loco agemus.

Ex corticis ramorum & trunci fiſſuris humor viſcidus ſponte fluit, qui per tempus indureſcit; & eſt Gummi haud diſſimile gummoſo ſucco, qui ſponte ex Prunis, Pomis, Ceraſis, aut aliis arboribus hic diſtillat. Sæpius in grumos variæ magnitudinis, & figuræ concreſcit, nonnumquam etiam in ſtirias longas, teretes, incurvas, vermium, aut erucarum inſtar, quæ vermiculata dicitur, & ab antiquis plurimi æſtimabatur, licet ab altera nonniſi ſola figura differat.

Analyſi Chymica, Gummi Arabici electi ℔ij. exhibuerunt phlegmatis inodori, ſaporis expertis & limpidi ℥iij. ʒv. acidi & ruſeſcentis ℥x. ʒiij. gr. liiij. liquoris alcali ℥j. ʒvj. gr. xxxvj. olei tum tenujoris, tum ſpiſſioris conſiſtentiæ ℥j. ʒv. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥vij. ʒvj. quæ per horas 30. in crucibulo igne reverberii calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥j. gr. xxxvj. ex quibus ſalis alcali fixi ʒiij. gran. xxxvj. extracta ſunt.

Gummi Arabicum ſaporis eſt expers ſicut & odoris: aqua diſſolvitur, non ſpiritu vini aut olei. Igne in carbonem convertitur, non flammam concipit: unde liquet, compoſitum eſſe ex ſale ſalſo cum oleo craſſo & terræ portione non mediocri conjuncto.

Partibus ſuis mucaginoſis limpham acrem demulcet, tenujorem inſpiſſat, vehementiorem humorum motum ſedat. In faucium affectionibus, raucedine, tuſſi, catarrhis ſalſis, hæmopthiſi, ſtranguria, & urinæ ardore utiliter exhibetur. Doſis ℈j. ad ʒij. Convenit quoque, ubi mucus quo partes internæ obducuntur, abraſus fuit, velut in faucibus, ventriculo, inteſtinis veſica & urethra: meatus enim mucagine ſua obducit, & ab humorum acrimonia rodente præſervat. Præterea utiliter adhibetur cum medicamentis acribus & irritantibus, ad eorum vim obtundendam, & temperandam. Externe admotum vulneri ſanguinem ſiſtit. Ut optime pulveretur, in mortario calido contundi debet. Non ſolum ſub pulveris forma interne exhibetur, ſed etiam in aqua conveniente ſolutum nonnumquam propinatur.

℞. Gumm. Arabic. ʒj. Succi Glycyrrhizæ ʒß. Sacchar. Cand. ℥ß. Aq. flor. Au-

Aurantior. q. ſ. Fiant Trochiſci vel rotulæ ad faucium aſperitatem ; raucedinem , & tuſſim diuturnam .

℞. Gumm. Arab. ʒß. Pulver. Glycyrrhiz. ℈j. Fiat pulvis in urinæ ardore.

℞. Gumm. Arab. ʒß. Diſſolve in aq. Scabioſ. ℥iij. Dilue Theri ℈j. Diacod. ℥ß. aq. Cinnam. ſpiritu. ℥j. Fiat potio cochleatim nocte ſorbillanda adverſus tuſſim veſpertinam inter decumbendum in lecto vehementer divexantem .

℞. Gumm. Arab. ℥j. Coq. in aq. Hord. ℔ij. ad ſolutionem . Cum hac ſolutione, & ſemin. Melonum Papav. alb. Amygdalar. dulc. excorticatar. ana ℥ß. fiat emulſio , cui ad Syr. Althææ ℥iij. Hauriat per cyathos in quolibet urinæ ardore .

℞. Gummi Arab. ʒß. Solve in aq. Puleg. vel Papav. erratic. q. ſ. Solutioni adde olei Lini recenter expreſſi ℥j. Syrup. de Ibiſco , vel de Symphyto ℥ij. M. F. linctus in tuſſi catarrhali, hæmoptoe.

Gummi Arabicum uſurpatur in Looch ſano reformato *Charas* , in ſucco Liquiritiæ nigro *Ejuſdem*, Pulvere diatrion ſantalon , Pulver. diatragacanthi frigidi , Theriaca *Andromachi* , Mithridatio *Damocratis* . Trochiſcis albis *Rhaſis* , Troch. de Karabe , Troch . *Gordonii* , Tr. de Camphora . Præterea ad varios uſus mechanicos adhibetur .

Gummi Senega vel Senica *Off.* aliud eſt Gummi genus Arabico prorſus ſimile . Senega dicitur , ex eo quod ex Provincia Nigritarum juxta fluvium Senega ſita afferatur . Magna ejus copia nunc in officinis reperitur, & in majoribus glebis quam Arabicum . Verum ex quanam arbore emanet , ignoramus; ni forte Acaciæ quædam ſpecies ſit . Candida illius Gummi fruſtula , & translucida pro genuino Gummi Arabico ſæpe venduntur : ab eo nullo modo diſcerni poſſunt, nec qualitatibus , aut virtutibus differre videntur . Hocce Gummi cum lacte cocto Nigritæ ſæpe veſcuntur .

Gummi noſtra *Off.* vulgo *Gomme du pays* , ab Arabico diſcrepare non videtur . Ex Ceraſis , Prunis , Pomis , Perſicis , aliiſque ejuſmodi arboribus ſtillat . Iiſdem virtutibus cum Arabico donatur . Verumenimvero ad uſum medicum Gummi Arabicum cœteris anteponitur, quandoquidem ejus vires uſu diuturniori cognitæ ſunt , & comprobatæ .

Gummi Senega , & Gummi noſtras pro mechanicis uſibus tantummodo reſervantur .

ARTICULUS SECUNDUS.

De Gummi Tragacantho .

TRagacantha , Tragacanthum , & Dragacanthum , *Off.* Τραγάκανθα, *Dioſcoridis* : Chitica , Itica , Cateth, Alcuted, Alchatad . *Arabum* : vulgo *Gomme Adragant* . Succus eſt gummoſus , modo in filamenta longa , teretia diverſimode contorta , exiguos vermes referentia, aut in tænjas circumvolutas aut varie complicatas , modo in grumos concretus , candidus , ſemipellucidus nonnumquam flaveſcens, ruſeſcens aut nigricans , ſiccus , aliquantiſper tamen lente-

lenteſcens, ſaporis & odoris expers. Ex Creta, Aſia, & Græcia affertur. Eligitur Tragacanthum vermiculare, candidum, Ichthiocollæ ſimile, nullis ſordibus inquinatum. Rufeſcens & nigricans rejicitur, & ad mechanicos uſus reſervatur. Sponte & per vulnera profluit ex trunco & ramis plantæ quæ dicitur Tragacantha Cretica incana, flore parvo, lineis purpureis ſtriato, *Coroll. Inſt. R. Herb.* 29. Radicibus eſt in terram profunde actis, multifidis & fuſcis, e quibus ſurculi prodeunt pollicem craſſi, ad duos treſve pedes extenſi, in orbem fuſi, humi ſtrati, duri, materie ſpongioſa ex variis fibris, tum circularibus, tum longitudinalibus, tum radiatim a centro ad peripheriam protenſis veluti contexta, & gummoſo ſucco infarcta; cortice rugoſo, fuſco, lineam craſſo circumveſtita. In ramulos innumeros divaricantur denſos, ſpinis horridos, quorum pars infima, arida, foliis denudata & quaſi mortua apparet: ſuperna vero foliis ornatur pinnatis, denſis, pinnis ſeptem vel octo coſtæ mediæ unciali inhærentibus. Folia duas treſve lineas longa dimidiam lata, ſubrotunda ſunt, obtuſe acuminata, incana, mollia: coſta media in ſpinam deſinit longam, rigidam, acutam, flaveſcentem; baſi vero inſtruitur lata, membranoſa, in duas alas diviſa, qua ſummos ramulos complectitur. Flores in ramulorum extremis ex frondium alis oriuntur papilionacei, quatuor lineas longi, pallide purpuraſcentes, quorum vexillum cœteras partes ſuperat, ſubrotundum, leviter inciſum, & lineis albis ſtriatum. (Stamina diadelpha ſunt, fere recta & æqualia, cum antheris ſubrotundis. Filamentum inferius quod infra medium membranaceum eſt, germen involvit, longitudinaliter ſurſum dehiſcens, & deſinit in novem filamenta ſubulata, antheris onuſta: ſuperius ſimplex eſt, & rimam filamenti inferioris tegit. Piſtillum vero conſtat germine oblongo, ſuperne ad baſim perforato, mellifero, deſinente in ſtylum ſubulatum leviſſime aſcendentem, ſtigma gerentem parvum obtuſum.) Calyx parvi cuculli formam exhibet, tres lineas longus, in quinque partes diviſus, lanuginoſus, caneſcens. Floribus ſuccedunt ſiliquæ villis candicantibus aſperſæ, turgidæ & in duo loculamenta diſtinctæ, in quibus ſemina continentur parva, reniformia. In Creta & multis Aſiæ locis naſcitur. Frequens hic frutex & copioſum ſuccum gummoſum manans, in vallibus circa montem Idam a Cl. Tournefortio repertus fuit. Ibi menſe Julio ſucco gummoſo adeo turgidus eſt, ut non ſolum corticis vaſcula, ſed etiam lignoſæ ſubſtantiæ poruli eo infarcti in ramulis reſectis appareant. Cum autem præ nimio caloris æſtu fibræ lignoſæ exſiccantur & contrahuntur, ſuccum gummoſum tanta vi exprimunt, ut vaſa, quibus continetur, diſrumpat, per hæc vulnera erumpat, & in filamenta vel tænias plus minuſve longas, pro vulneris magnitudine, & ſubſtantiæ abundantia, producatur & concreſcat. Revera ſi ramorum cortex ab hominibus calcatus aut a beſtiis præmorſus alicubi dilaceratus fuerit, inde ſuccus ille uberius diſtillat.

Analyſi Chymica, ex Tragacanthi ℔ij. prodierunt phlegmatis limpidi, inodori, inſipidi, ℥iij. ʒvij. humoris phlegmatici, rufeſcentis, odore empyreumatico, ſapore ſubacido, ſubamaro, quaſi nucleorum Perſicorum, qui acidi valentis notas præbuit ℥x. gr. xlviij. humoris leviter rufeſcentis, tum acidi, tum alcali urinoſi ℥j. ʒij. gr. lx. olei rufeſcentis, tum

tum tenuioris, tum ſpiſſioris ℥j. ʒij. gr. lvj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes carbonis inſtar denſa pendebat ℥viij. quæ per 28. horas calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥j. ex quibus ſalis alcali fixi ʒij. gr. xxx. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥vij. ʒij. gr. lij. in calcinatione ℥vij.

Itaque Tragacanthum iiſdem principiis & fere eadem quantitate donatur ac Arabicum Gummi: paulo plus tamen acidi continet, minus autem olei & paulo plus terræ. Oleis nec ſpiritu vini diſſolvitur: aqua maceratum admodum intumeſcit, rarius fit, & in denſum ac ſpiſſum convertitur mucum, qui magna aquæ quantitate affuſa vix diſſolvitur. Quamobrem a Pharmacopœis ad pulveres & ſaccharum in trochiſcos, pilulas, rotulas, placentulas, & tabellas redigenda frequenter uſurpatur; quandoquidem exigua hujus muci portio ad magnam pulveris molem in maſſam compingendam ſufficit.

Tragacanthum humores inſpiſſat, eorum motum minuit, acrimoniam demulcet, exaſperatas partes aut excoriatas muco obducit, ac proinde earum dolores mitigat. Unde in tuſſi ſicca & acri, raucedine & aliis pectoris affectionibus ab acri lympha oriundis ſæpe præſcribitur: necnon etiam in morbis ab urinæ acrimonia natis, ut in dyſuria, ſtranguria & renum exulceratione frequenter uſurpatur. Ejus pulvis cum aliis medicamentis incraſſantibus & demulcentibus conſociatur, vel in mucum cum aqua Roſar. flor. Aurantior. aut alia quacumque conveniente maceratum redigitur. Doſis a ℈ß. ad ʒij. Externe raro admovetur: ad fiſſuras manuum, pedum, papillarum, a quibuſdam commendatur, ſed tunc parum confert, imo ſæpius nocet: cuti enim admotum & partis calore exſiccatum vulnuſculi labia diſtrahit & magis dilacerat. Ingreditur pulverem ſympathicum compoſitum, qui convenit in vulneribus cum contuſione, oſſium fractura, & ſimilibus ſymptomatibus conjunctis, ubi ſuppuratione opus eſt. Conficitur ex æquali Vitrioli Romani ſub ſole calcinati & pulveris Tragacanthi portione accurate permixtis. Ille pulvis non tam cito vulnera occludit, imo illa detergit; & ſuppurationem tum promovet. Tragacanthum enim Vitrioli adſtrictionem minuit.

℞. Succi Glycyrrhizæ, Terræ Japonicæ ana ʒj. Sacchari Candi ʒiij. Opii gr. ij. Mucilag. Tragacanth. ſpiſſioris q. ſ. Fiant Trochiſci ſublinguales, ad excipiendos humores catharrales & tuſſim ſedandam. Vel

℞. Tragacanth. contuſi q. ſ. Digeratur in aq. Scabioſæ q. ſ. donec aqua Syrupi conſiſtentiam nanciſcatur. Tunc

℞. Hujus mucilaginis ℥iij. Aq. Naphæ ʒj. Olei Amygdalar. dulcium ℥j. Syrup. de Althæa ℥ij. M. F. Lohoc.

℞. Mucilagin. Tragacanthi dilutioris ℥ij. Olei Lini ℥j. Syrupor. Jujubini & Diacod. ana ℥j. Fiat Lohoc.

Uſurpatur in Pulvere Diatragacanthi frigidi, in Pulvere aromatico roſato, Pulver. Dierrhodon, Pulver. Diatrion Santalon, Trochiſcis albis *Rhaſis*, Trochiſcis de Karabe, Troch. de Camphora.

ARTICULUS TERTIUS.

De Manna ſolutiva.

MAn ſeu Manna, vox Hebraica, Chaldaica, Arabica, Græca, & Latina quadruplici ſubſtantiæ tribuitur. Hebræi, Chaldæi, Arabes & Græci Medici recentiores hoc nomine deſignaverunt ſuccum quemdam melleum concretum, quem in certarum arborum folia e cœlo cadere opinabantur, & mellis genus aerei dicebant. Poſtea Hebræi eodem nomine cibum illum cæleſtem ipſis in deſerto a Deo miſſum, quo veſcerentur, donaverunt; quandoquidem ſimilis erat Mannæ jam illis cognitæ. Etenim grana erant minuta, rotunda, alba Coriandri facie & magnitudine; quæ, pruinæ more, cœlo deſcendebant matutinis temporibus, ac ſole demum orto liqueſcebant, evaneſcebantque. Neque etiam niſi temere fortaſſe adſtrui poteſt Mannam illam, qua Iſraelitæ divino beneficio in deſerto per tot annos paſti ſunt, eamdem fuiſſe cum vulgari Manna, quæ per totum orientem notiſſima eſt. Sed ſi non res eadem, ſaltem idem nomen eſt. Quo tempore, inquit Salmaſius, primum Iſraelitis in deſerto morantibus cæleſtis ille Ros cœpit impluere, cum ignorarent quid eſſet, ex ſimilitudine quam videbant habere cum Manna ſibi nota, dicebant alter ad alterum: *Manhu*, Man eſt; non quaſi quærentes & interrogantes quid eſſet, ut quidam volunt; ſed Mannam eſſe vere pronuntiantes. Cum autem Manna ipſis cognita condimentum eſſer potius, quam alimentum, Moyſes non quidem negavit eſſe Mannam; ſed illud, quidquid eſſet, pro pane illis futurum pronuntiavit.

Præterea illud vocabulum Μάννα apud Græcos vetuſtiores uſitatum quoque fuit, ſed longe alia notione: ſic enim exiguas Thuris micas nominant; quamvis tamen ipſis non ignotos fuerit melleus ille ſuccus, quem Δρόσόμελι. Ἀερόμελι, Ἐλαιόμελι Mel roridum, Mel aereum, Oleum melleum paſſim appellant.

Tandem Mannæ nomine a Botanicis nonnullis inſignitur ſemen cujuſdam graminis eſculenti. Dicitur Gramen Dactyloides eſculentum, *C. B. P.* 8. Gramen Mannæ, *Matthiolli*: Manna cæleſtis Germanis, *Geſneri*: Gramen Mannæ eſculentum, *Adverſarior. Lobel.*

De Manna Thuris jam egimus: de Manna cæleſti hìc non agitur, neque de Manna ſemine. Itaque melleus ille ſuccus concretus inter Medicos uſitatus ſolus conſiderandus eſt.

De illo Græci veteres fere omnes mentionem fecerunt, Latini, & Arabes quoque. Ariſtoteles hujus mellis aerei meminiſſe videtur, cum de apibus ſic loquitur: „ Conſtruunt favos e floribus, ceram ex lacryma „ arborum fingunt: mella ex rore aeris, ſyderum ortu potiſſimum, & „ arcus cæleſtis incubitu contrahunt. *Et libro de mirabilibus auſcultatio-* „ *nibus*. Circa Cappadociam ajunt locis quibuſdam mella citra favos „ comportari, olei inſtar craſſa. In Trapezunti urbe ea, quæ in Ponto „ ſita eſt, mel ferunt e buxis produci graveolentiſſimum, &c. In Lydia

„ ajunt ex arboribus mella copioſa colligi, unde Paſtillos abſque cera „ indigenæ conficiunt, duritia tanta, ut niſi vehementiore attritu „ nihil demi inde poſſit. Fit & in Thracia mel non perinde ſoli- „ dum, ſed arenoſum aut granuloſum. Ejus diſcipulus Theophraſtus plus de illo melle noviſſe videtur. Nam præter illud quod de melle aereo ſcripſit, *lib. 3. Hiſtoriæ Plantar. cap. 9.* his verbis: „ Quercus „ ferax eſt plurimarum rerum. Si autem, auctore Heſiodo, mella „ quoque apeſque ferat, magis illud confirmatur. Ergo naſcitur hic „ liquor ex aere, nec aliis magis inſidet frondibus. In fragmento ſui libri de apibus, *apud Photium in Bibliotheca*, tria mellis genera conſtituit: unum quod ex floribus conficiunt apes: alterum quod ex aere venit, cum humor ille, quem terra exhalavit, a ſole concoctus & refuſus deciderit; quod præcipue contingit meſſis tempore, & Manna noſtra eſt: tertium in calamis, idemque cum Saccharo noſtro. Dioſcorides Elæomeli in Palmyris Syriæ ex quodam caudice manare narrat; oleum melle craſſius, ſapore dulci. Bilem cruditateſque detrahere, ſextario cum una aquæ hemina dato, pronuntiat. Quod quidem cum noſtra Manna pingui non male convenit. Galenus, *lib. 3. de alimentis cap. 39.* mel a plantis & ab animalibus oriundum diſtinguit, & de illo ſic loquitur: „ Oritur in plantarum foliis. Eſt autem neque „ ſuccus earum, neque fructus, neque pars, ſed ejuſdem eſt cum rore „ generis: non tamen aſſidue & copioſe, ut ille provenit. Memini ali- „ quando, cum æſtate ſuper arborum ac fruticum, herbarumque folia „ mel quamplurimum fuiſſet repertum; agricolas velut ludentes ceci- „ niſſe: *Jupiter melle pluit*. Præceſſerat autem nox, ut per æſtatem, „ bene frigida; (nam tum tempus anni æſtivum erat) pridieque calida „ & ſicca fuerat aëris temperies. Atque peritis naturæ interpretibus, „ halitus e terris & aquis prodeuntes, ſolis calore exacte attenuati, „ & cocti a frigore ſequentis noctis, in unum coacti atque denſati „ fuiſſe videbantur. Sed apud nos id raro accidit; in monte autem „ Libano quotannis ſæpe. Itaque coria ſuper terram extendentes, & „ arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas ac „ fictilia melle implent; vocantque id roſcidum & aerium mel. Hippocrates de hoc montis Libani melleo ſucco mentionem quoque feciſſe videtur, *l. de ulceribus*, his verbis: „ Medicamentum aliud „ ad ulcera vinum accipit, mellis cedrini paululum, &c. „ Mel cedrinum illum vocat, ex eo quod ſuper Cedros hujus montis colligeretur, ſicut Manna Brigantiaca ſuper Larices in Delphinatu colligi ſolet. Amynthas, *lib. 1. de Aſiæ manſionibus*, referente Athenæo, de aereo melle ſic loquitur: „ Simul cum foliis id decerpentes componunt & refingunt ad inſtar Syriacæ maſſæ. Quidam globos ex eo faciunt: & in ubi ſumere collibitum eſt, diffractas ex iis micas in ligneis pocu- „ lis quæ Tabætas nominant, dilutas antea & colatas bibunt, guſtu „ ſimili ac ſi quis mel dilutum bibat; imo vero etiam multo jucun- „ dioris ſaporis. Quæ quidem verba Mannæ noſtræ, ſeu qua utimur „ officinis, ſatis apte conveniunt. Plinius ſatis belle, minus tamen ve- „ de hoc melleo ſucco ſic loquitur: „ Itaque cum prima aurora folia ar- „ borum melle roſcida inveniuntur; ac ſi matutino ſub dio fuere, unctas li-

quore

„ quore veſtes capillumque concretum ſentiunt ; ſive ille eſt ſudor cœli ; „ ſive quædam ſyderum ſaliva , ſive purgantis ſe aeris ſuccus , &c. „ Nec Poetæ Latini de eo tacuerunt. Virgilius, *Eclog.* 4.

Et duræ Quercus ſudabunt roſcida mella.

Ovidius , 1. *Metamorph.*

Flavaque de viridi ſtillabant Ilice mella.

Arabes ſub melle aerio comprehendunt Tereniabin , Mannam & Saccahar Alhuzar aut Alaſſer , quorum varias ſpecies tradunt tanta obſcuritate , ut diſtingui non poſſint . Avicenna definit , Mannam eſſe rorem omnem dulcem qui de cœlo fluit ſuper lapides aut arbores , & coit ſicut mel & denſatur ſicut gummi , quemadmodum Tereniabin & Siracon , & mel quod affertur ex Caſſeranio monte in Rob ; (forte mel pingue & liquidum montis Libani in Syrupi ſpiſſioris conſiſtentiam .) „ Tereniabin „ ſeu Trungibin , inquit alibi , eſt ros plurimum cadens in Coraſſeni , in „ locis quæ ſunt ultra fluvium ; & in noſtra regione ut plurimum ca- „ dunt ſuper Alhagi. Sacchar Alaſſer eſt Manna cadens ſuper Alhuſar ve- „ luti fruſta ſalis.

Serapio Tereniabin eſſe ſcribit rorem cadentem de cœlo ſimilem melli granuloſo concreto . Vocatur Mel roris , inquit : plurimum cadit ſuper arbores in Orientis regione Coraſſeni dicta , quibus folia ſimilia ſpinis viridibus, & flores rubri , & quæ fructum non ferunt.

Et hæc Serapionis Manna fortaſſe non differt a Manna quæ ſuper Alhagi colligitur , ut ſupra dixit Avicenna . Cœteros Arabes prætermitto , ex quorum ſcriptis pauca certa colligi poſſunt de Mannæ natura & differentiis . Illud tantummodo liquet hunc ſuccum , Mannam & Mel aereum dictum , ipſis ſicuti Latinis & Græcis innotuiſſe.

Duo hìc conſideranda nunc veniunt : 1. An cœleſtis ille ros melleus , qualem quidam ex veteribus ſibi finxerunt, revera extiterit? 2. An Manna noſtra e cœlo in arbores & plantas decidua ſit , vel in earum ſinu producta?

Quoad primam quæſtionem , revera ingenue fatebor me hunc rorem non noviſſe . Nullus , ut mea fert opinio , ſuccus melleus in floribus , foliis, aut lapidibus deprehenditur e cœlo delapſus. Qui in floribus quamplurimis reconditur , ex plantæ interioribus organis originem ducit . Qui in frondibus vel liquidus vel concretus nonnunquam percipitur , vel per foliorum porulos exſudavit , vel etiam ex aliarum arborum frondibus diſtillavit . Tandem ſi lapides mellei humoris guttulis conſperſi nonnunquam appareant , non e cœlo , ſed ex arborum propinquarum foliis diſtillavit , aut aliquo alio modo ibi delatus fuit . Sic Bodæus a Stapel , *in notis Hiſtoriæ Plantar. Theoph.* refert obſervationem de Manna optima albiſſima copioſa , Sacchari dulcedine , in Salicibus , lapidibus & terra reperta ; quam quidem culices craſſi innumeri ibi tanta copia deponebant , ut rorem eſſe dixiſſes , ſi copiam guttarum cadentium ex loco Salicis ubi congeſtæ erant , conſideraſſes . Humor ille guttatim depoſitus in folia & lapides , brevi concreſcebat in puriſſimam Mannam albedine , dulcedine , conſiſtentia , & efficacia probatam ; & a multis ad uſus colligebatur . Reliquum quod in terram aut in ſordida loca deſidebat , peribat . Veriſimile eſt hoc culices hos ſucco melleo , vel in ipſis

Salicibus producto, vel ex aliis plantis collecto ſe ſe ingurgitaſſe, ita ut illum qualem acceperant, varia in loca deponere cogerentur: & eo quidem magis, quod in his culicibus quædam corporis partes prominentes obſervabantur cum parvis foraminibus, per quæ guttæ quædam parvæ albiſſimæ, ſudoris modo, copioſe eliciebantur.

Altera quæſtio Doctorum animos in varias opiniones diſtraxit. Antiqui fere omnes, tum Græci, tum Arabes, in ea ſunt opinione, Mannam quæ in arboribus quibuſdam colligitur, fieri a vaporibus calore ſolis elatis, non longe a terræ ſuperficie concretis frigore nocturno, non ſecus ac ros aut pruina; vel eſſe vaporem terræ ſuccoſum & optimum, Æſtatis calore elevatum, & in aere in dulcem liquorem excoctum, noctis frigore coactum, & roris modo ſupra arborum & fruticum folia decidentem. Contra vero Angelus Palea & Bartholomæus ab urbe veteri, Monachi Franciſcani, qui anno 1543. in Meſuem commentaria ediderunt, primi ſcripſere, mannam eſſe revera ſuccum concretum Fraxini, tum vulgaris, tum ſylveſtris, quæ Ornus appellatur. Hanc ſententiam ſequentibus obſervationibus confirmavit Donatus Antonius ab Altomari Medicus & Philoſophus Neapolitanus, qui claruit circa annum 1558. Eſt igitur, inquit, proprius dictarum arborum ſuccus ſeu humor, qui quotannis ſub Cane pluribus continuis diebus colligitur. Nam ſuperinjecto linteo vel panno laneo per plures dies, ac noctes ſupra Fraxinos, ita ut ros ad eas pervenire non poſſet, inventa nihilominus in eis, ac collecta fuit Manna ejſdem diebus: id quod fieri haudquaquam potuiſſet, ſi ſponte ex iiſdem arboribus non emanaſſet.

2. Fatentur omnes qui Mannam colligunt, poſt collectam in dictis arboribus ex iiſdem locis reliquam reſudare, emanare, atque ſenſim effluere, & deinceps ſolis calore coagulari.

3. Ajunt inſuper in Fraxini Ornique caudicibus juxta cortices ſæpius adnatas veluti veſiculas quaſdam inveniri ſeu tubercula, quæ liquorem quemdam continent album, dulcem, concretum & craſſum, qui in optimam Mannam convertitur.

4. Ad hæc ſi inciſis dictis arboribus in iiſdem inciſuris talem jam reperiant concretum & coagulatum humorem; quis hæſitare audeat, eum non eſſe earumdem arborum ſuccum ad eoſdem ramos & ſurculos detruſum?

5. Confirmant illud indigenæ, quoniam cicadas aut alia animalia ſe propriis oculis inſpexiſſe fatentur, quæ corticem earum arborum perforando hanc lacrymam exſugunt: quibus deinde fugatis, ex eodem foramine ſeu ſciſſura novam Mannam profluxiſſe affirmant.

6. Cognovi inſuper viros fide dignos, qui fatentur ſe pluries ſecuiſſe Ornos pro circulis doliorum parandis; quos cum fidiſſent, ſolique expoſuiſſent, non parvam in eis hujus Mannæ copiam in materia ipſa lignoſa inveniſſe.

7. Qui carbonibus conficiendis operam dant, igne accenſo, ex Ornis, qui prope fornacem adſunt, Mannam exſudare ſæpiſſime obſervant.

Obſervat idem Altomarus, Mannam quæ in Fraxino admodum copioſe provenit, in Orni foliis nunquam vel colligi vel reperiri, imo nec in

ramis

ramis aut ſurculis, niſi perquam rariſſime, eam vero in caudicibus ſeu truncis aut craſſioribus ramis dumtaxat colligi. Cauſa autem eſſe poteſt, quod cum in ſaxis, magiſque montoſis ac ſiccis locis proveniat Ornus, ſiccioris ſit naturæ: quapropter tantam in ſe non continet humiditatem ſuperfluam, neque adeo dilutam ac tenuem, ut ad folia uſque, exiguoſque ramulos proveniat. Eſt item ſcabroſa arbos, ita ut facile, priuſquam ad folia uſque aut ſurculos promanet ille ſuccus, intra caudicis craſſiorumque ramorum corticem abſumatur.

Notat inſuper, Mannam quotannis ex iiſdem Fraxinis colligi, quæ per triginta aut quadraginta annos eam fundere non deſinunt; ita ut non deſint qui eas arbores emant, tanquam ſingulis annis hoc vectigal producentes. Suntque eodem in loco & ejuſdem etiam ſpeciei arbores nonnullæ, ſuper quas Manna non reperitur.

Cœterum Altomari obſervationes confirmarunt Goropius *in ſuo Niloſcopio*, Lobelius & Pena, Coſtæus, Cornelius Conſentinus, Paulus Boccone, cœterique, qui majorem oculis fidem quam auctoritati adhibuerunt.

Itaque Manna eſt Gummi ſpecies, quod fluidum primo exſudat ex variis plantarum generibus, & poſtea in grumulos concreſcit ſub ſalis eſſentialis oleoſi concreti forma. Non ſolum autem in Fraxino & Orno, ſed etiam in Larice, Pinu, Abiete, Quercu, Junipero, Acere, Olea, Ficu, & aliis plantis nonnunquam reperitur.

Ratione conſiſtentiæ, formæ, loci ubi colligitur, & arborum ex quibus exſudat, Manna diverſa eſt. Alia enim liquida eſt & melleæ conſiſtentiæ: alia ſolida in grana concreta, quæ maſtichina: alia in grumos aut maſſulas, quæ *Manne en marons*: alia in lacrymas aut ſtirias coacta, vermicularis vel bombycina dicta: alia Orientalis, Perſica & Arabica: alia Europæa, Calabra, Brigantiaca: alia Cedrina, Fraxinea, Laricea, Alhagina, &c.

Ratione loci dividitur Manna in Orientalem & Europæam. Orientalis quæ in India, Perſia, & Arabia reperitur, duplex eſt; liquida quæ melli ſimilis eſt, & concreta. De liquida plurimi mentionem faciunt. Robertus Conſentinus & Bellonius eam in Arabia, voce quidem antiqua, Tereniabin nuncupari referunt. Exiſtimant eſſe Κέδρινον μέλι, *Hippocratis*, ſeu Mel cedrinum, & rorem montis Libani, de quo Galenus mentionem facit.

Bellonius enim, *in ſuis obſervationibus*, annotat, Monachos ſive Calojeres montis Sinai habere Mannam liquidam collectam in ſuis montibus, quam vocant Tereniabin ad differentiam duræ Mannæ. Eamdem quoque apud Indos, necnon etiam apud Italos in Apennino reperiri, melli albo purgato ſimilem Garzias & Cæſalpinus ſcribunt, quæ tamen facile corrumpitur. Hæc liquida Manna a ſolida nonniſi conſiſtentia differt, cum ſolida prius fluida fuerit, nec concreſcat, ſi aeris temperies humida ſit. Nunc nobis non affertur. Concretæ Mannæ plures adhuc ſpecies Avicenna, Garzias ab horto & Acoſta recenſent non accurate diſtinctas. Attamen tres potiſſimum illius ſpecies diſtinguuntur; ſcilicet granulata & maſtichina dicta, ex eo quod in granula Maſtiches granis ſimilia indurata ſit; bombycina, quæ in lacrymas ſeu grumos longos & teretes concrevit bomby-

bycibus ſimiles, in maſſulas compacta, qualis erat Athenæi Manna, vel Mel aereum veterum quod in glebas afferebatur. Talis eſt quoque hodie Manna quæ in grumos coacta affertur, vulgo dicta *Manne en marons*.

Europæa multiplex, Italica ſeu Calabra & Sicula, Gallica ſeu Brigantiaca; ſed concreta utraque.

Ratione arborum diverſarum in quibus colligitur, alia Cedrina de qua Hippocrates, Galenus, & Bellonius mentionem fecerunt: alia Quercina da qua Theophraſtus: alia Fraxinea apud nos frequenter uſitata: alia Laricea quæ in Brigantii territorio reperitur: alia Alhagina de qua quidam Arabum & Rauvolfius. Ex tot Mannæ ſpeciebus ſola Calabra vel Sicula quæ in illis regionibus ex quibuſdam Fraxinorum ſpeciebus colligitur, apud nos in uſum venit.

Manna Calabra, *Off.* Succus eſt melleus, modo in granula, modo in lacrymas, ſtirias aut grumos concretus, friabilis, candicans, dum recens eſt, & quadantenus pellucidus, per tempus rufeſcens, & aere humido liqueſcens ad mellis conſiſtentiam, ſapore grato Sacchari cum aliqua acredine. Probatur Manna candida vel flaveſcens, levis, in granula vel ſtirias cavas concreta, ſapore dulci nec injucundo, minus ſordida. Rejicitur pinguis, mellea, nigricans & ſordida. Pinguis & mellea, vulgo *Manne graſſe*, perperam a nonnullis anteponitur; quandoquidem hæc mellea Manna ſæpius depravata eſt, tum ab humidiori aere, tum etiam ex eo quod ciſtæ aqua marina, vel pluviali, aut alia madefactæ fuerint. Sæpe etiam pinguis hæc Manna nihil aliud eſt quam Saccharum craſſum cum melle, & tantillo Scammonii compactum: unde hæc Manna pinguior & mellea vehementer aliquando purgat. Rejiciuntur quoque maſſæ quædam candidæ, opacæ tamen, ſolidæ, graves, non ſtiriatæ, quæ nihil aliud ſunt quam Saccharum & Manna ſimul cocta ad Electuarii ſolidi conſiſtentiam: ſed facile diſtinguitur hæc artificialis Manna a legitima, denſitate, gravitate, candore opaco, guſtu a Mannæ ſapore prorſus diverſo.

Manna in Calabria & Sicilia ſponte vel per inciſuras fluit ex duabus Fraxini ſpeciebus, quarum altera dicitur Fraxinus humilior, ſive altera Theophraſti, minore & tenujore folio, *C. B. Pin.* 416. Ornus, *Lugd.* 83. Hæc eſt varietas potius Fraxini quam ſpecies diſtincta, cujus folia pinnata ſegmentis dividuntur tenujoribus, ſtrictioribus, acutioribus, perinde tamen ſerratis, ut vulgaris Fraxini. Rami pluribus & crebrioribus tuberculis foliorum pediculis ſedem daturis inæquales.

Altera dicitur Fraxinus rotundiore folio, *C. B. Pin.* 416. Ornus, *Quorumdam*. Fraxini quoque varietas eſt, cui conjugatim diſpoſita folia Piſtaciorum folia referunt, ſubrotunda, minora quam Fraxini vulgaris, in ambitu ſerrata, in quibus medietas interior ad nervi imum brevior quam exterior ſæpe conſpicitur; id quod in Terebintho & Piſtaciis ſæpe uſu venit.

Ex illarum arborum ramis & foliis in Calabria & in Sicilia æſtivis menſibus, niſi pluviæ impedimento fuerint, Manna exſudat, & in granula aut grumos ſolis calore concreſcit. Alia autem ſponte fluit, quæ ſpontanea; alia coacta ſeu per inciſuras elicita, quæ Calabris *Forzata* vel *Forzatella* dicitur, eo quod ex vulneribus arborum cortici inflictis tantum

tum effluat. Quæ ex foliis Fraxini ſponte fluit, *Manna di fronde*, hoc eſt Manna ex frondibus nuncupatur; alia vero *Manna di corpo*, ſeu Manna corporis & trunci.

Manna in Calabria cœlo ſicco a vigeſima die menſis Junii ad finem Julii, ex trunco & majoribus arborum ramis a meridie uſque ad veſperam ſponte fluit liquoris limpidi adinſtar, & ſenſim in varios grumos concreſcit, indureſcit, & albeſcit. Illos poſtridie mane colligunt, cultris ligneis abradendo, modo nox ſerena fuerit; pluvia enim aut nebula ſuperveniente, Manna colliqueſcit & prorſus deperditur. Collectos grumos in vaſculis terreis non vitreatis condunt, deinde ſuper menſas in chartis nitidis ſoli exponunt, donec manibus non adhæreant: & eſt Manna corporis electa.

Julio deſinente, cum hanc lacrymam Fraxini ſtillare ceſſant, ruſtici tum Fraxinorum, tum Ornorum cortices incidunt ad corpus uſque lignoſum; tuncque a meridie ad veſperam fluit idem liquor, & in craſſiores grumos cogitur. Sæpius tanta eſt hujus ſucci copia, ut ad arboris imum uſque diffluat, ibique in maſſas grandiores ceræ vel reſinæ inſtar concreſcat, quæ ibi per unum aut alterum diem inſpiſſandæ relinquuntur. Poſtea vero in fruſtula dividuntur, & ſoli exponuntur ad exſiccationem: & hæc eſt Manna coacta, *Forzata* & *Forzatella*. Ejus color non adeo candidus, rufeſcit magis, imo ſæpe nigreſcit ob terram & ſordes admixtas.

Tertia Mannæ ſpecies quæ ſupra Fraxini folia colligitur & dicitur *Manna di frondra*, menſibus Julio & Auguſto circa meridiem ad inſtar guttularum humoris pellucidi ſponte exſudat, majorum circa foliorum fibras nervoſas, minorum circa venulas. Aeris æſtu exſiccantur, & in granula concreſcunt albicantia Milii vel Tritici granorum inſtar craſſa; ita ut ſæpiſſime circa menſem Auguſtum Fraxini folia majora albida & quaſi nive cooperta appareant. Licet olim frequentiſſimus fuerit illius Mannæ ex frondibus uſus, nunc tamen propter collectionis difficultatem rariſſime in officinis Italicis reperitur.

Calabri Mannam diſtinguunt coactam manantem ex vulneribus arborum quæ jam ſpontaneam exhibuerunt, ab illa Manna coacta, quæ fluit ex vulneribus arborum ſylveſtrium ſeu Ornorum quæ nullam ſpontaneam mannam fundunt. Hæc illa præſtantior cenſetur, ſicuti Manna ſpontanea ex trunco diffluens cœteris præcellit. Nonnulli quoque apud Calabros inciſo fraxinorum cortice paleas, feſtucas aut virgas tenuiſſimas vulneribus inſerunt. Succus ſecundum illa corpora dimanans inſpiſſatur, & in ſtirias concreſcit prægrandes, quas, cum ſatis craſſæ ſunt, eximunt, & extracta palea ſoli exponunt, & exſiccant in elegantes lacrymas longiores, cavas, leves, intus ſtriatas, albicantes & nonnumquam leviter ſubrubentes. Eas rite exſiccatas in ciſtis ligneis pretioſiſſime includunt, & plurimi faciunt; nec immerito, cum nullis ſordibus inquinata fuerit. Mannæ lacrymæ apud nos dicuntur vulgo *Manne en larmes*. In officinis noſtris poſt eas Mannæ lacrymas Manna Calabra, & ea quæ in Apulia circa Garganum montem, hodie ſancti Angeli dictum colligitur, pluris æſtimatur, licet non admodum ſicca ſit, & aliquantulum flaveſcens: deinde Sicula, quæ alba & ſicca magis: tandem ea quæ in agro Romano, *La Tolfa*

 dicto,

dicto, prope Centumcellas colligitur, quæ ſicca, opaca magis, & gravior, minoris eſt pretii.

Analyſi Chymica, Mannæ electæ ℔ij. in B. V. diſtillatæ præbüerunt phlegmatis limpidi, odoris & ſaporis expertis ℥ij. ʒvj. gr. xlviij. quod tamen Heliotropii tincturam ſubrubram effecit. Deinde maſſa reſidua exſiccata, & in pulverem redacta, & per retortam diſtillata exhibuit liquoris limpidi & manifeſte acidi ℥j. ʒj. liquoris rufeſcentis, empyreumatici, tum acidi, tum aliquantiſper urinoſi ℥ix. ʒv. olei tenuiſſimi, rufeſcentis ℥ij. olei craſſioris reſinoſi & in grumos concreti ℥ij. ʒiiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥vj. ʒv. gr. xij. dura, compacta & ſaporis expers, quæ per horas octo igne reverberii calcinata, donec nullum amplius fumum emitteret, reliquit cinerum fuſcorum ʒvj. gr. vj. ex quibus ſalis alcali fixi ʒij. lixivio extractæ fuerunt. Partium deperditio in hac diſtillatione fuit ℥vij. ʒij. gr. xij. in calcinatione ℥v. ʒvij. gr. vj. Itaque Manna conſtat ſale eſſentiali ſeu Tartaro copioſo, & exigua portione ſalis Ammoniaci multo ſulphure, tum tenui, tum craſſo involutis.

Mannæ vis ſolutiva Galeno non innotuit, licet Dioſcoridi non ignota videatur; quippe qui Elaiomeli bilem & crudos humores detrahere pronuntiat. Actuarius inter Græcos primus de Manna ſolutiva mentionem facit, cum ait: „ Perquam moderate purgat Caſſia nigra & Manna. Caſ„ ſia quidem tribus aut quatuor drachmis ſumpta vix moveret alvum: „ Manna vero etiam majore modo quam Caſſia ſumenda eſt, & fla„ vam bilem ſimplici ratione pellit. „ Arabes virtutem clementer purgandi ipſi tribuerunt, & guttur thoracemque leniendi, ac ventriculum detergendi. Apud recentiores Medicos frequentiſſimus eſt illius uſus ad alvum blande ſolvendam, ſeroſos humores ſubducendos & ſpiſſam ac viſcidam primarum viarum ſaburram eliminandam. Mitiſſimum habetur medicamentum catharticum, quod tuto ſenibus, pueris, fœminis etiam prægnantibus & delicatis exhiberi poteſt.

Convenit præcipue, inquit Rolfincius, frigidis morbis, complexionibus & regionibus temperatis, humorum acrimoniam demulcet, lentorem diſſolvit. Unde in catharris & tuſſi a pituita tenui & acri initio feliciter exhibetur: illam enim pituitam per inteſtina ſtatim præcipitat. In morbis pectoris, præſertim ubi pulmones pituita tenaci ac viſcida infarciuntur, ut in aſthmate humorali, admodum proficua eſt. In bilioſis affectionibus cœteriſque in quibus adeſt inflammatio, ut in pleuritide, peripneumonia, & abdominis tenſione a bile ſpiſſa & æſtuante, valde prodeſt, humorem ſolvendo & per alvum ſubducendo; quidquid in contrarium dicant nonnulli.

Calidis temperaturis nocet, inquit Rolfincius, & morbis calidis, niſi acida illi admiſceantur, ut Tamarindi: alias vertitur in bilem, calidæ ſiccæque cacochymiæ fomitem ſubminiſtrat. Picrocholis periculoſam eſſe Rondeletius, & Duretus exiſtimant. Revera illis non exhibenda eſt ſolutiva illa Medicina, niſi adſit purgandi neceſſitas: ſi vero purgatione opus ſit, tunc nullum aliud catharticum tutius, & mitius exhiberi poteſt debite temperatum acidis, Tamarindis nempe, cremore Tartari, ſucco Limonum, vel Nitro purificato, Sale polychreſto, vel etiam pulpa Caſſiæ.

Tarde

Tarde eam operari ſcribit Meſuæus, unde eam cum aliis purgantibus admittendam eſſe monuit; quod Medici recentiores obſervaverunt, qui eam cum Caſſia, Senna, Rhabarbaro, &c. præſcribunt. Iis quoque ſtipatur incommodis, quod facile fermenteſcat, ſeu, ut loquitur Hofmannus, habeat flatuoſum quid: quare conſulit decoctam illam exhibendam eſſe. Interim levis ſit oportet decoctio, monente Rolfincio; ne tota evanida reddatur, aerea levi exſpirante ſubſtantia. Objiciunt tandem quod humores colliquet, ſeroſoſque tantum vacuet, quod ſiccitatem afferat, & ſitim; quibus de cauſis non ita pridem ſpectatiſſimis practicis ſuſpecta fuit.

Verum ſi quis ſcrupuloſius cathartica ſingula expenderit, nullum occurreret quod ſuis non obnoxium eſſet incommodis, utpote cum omnia, teſte Galeno, naturæ quandatenus adverſari videantur; quod potiſſimum de hydragogis intelligendum eſt, quæ non ſolum inteſtinorum membranas vellicando actionem ſuam exerunt, ſed etiam maſſam ſanguineam & lympham in primis fermentando & diſſolvendo.

At vero quandoquidem purgantibus, imo & aliquando hydragogis opus eſt, Manna præferenda eſt; cum inter purgantia efficax ſit, & inter hydragoga ejus ſit qualitatis, ut minus noceat. Si quid habet acrimoniæ, demulceri poteſt Tamarindorum aut Caſſiæ conſortio quibuſcum pauliſper bulliendo temperatur. Si vero ſtimulo egeat, Senna aut Rhabarbarum ei admiſceantur: potentius adhuc acuitur, & efficacius Tartari ſtibiati granis aliquot in plures doſes diſtributis, uno pro ſingula doſi. Sic abſque ulla moleſtia, nauſea, vomitione, aut torminibus copioſa ſeri bilioſi evacuatio promovebitur. Itaque Manna commodum ſatis, & benignum erit medicamentum, modo, ſicuti cœtera purgantia, occaſione opportuna legitimaque methodo exhibeatur.

♃. Mannæ Calabræ ℥ij. Cryſtall. Mineral. ʒj. Diſſolve in juſculo alterante. Sumat æger ad alvum blande emolliendam.

♃. Mann. electæ ℥ij. Tamarindor. ℥j. Bulliant in ſeri lactis ℥xij. Fiat colatura in duas doſes dividenda, unius horæ intervallo propinandas.

♃. Mann. Calabræ ℥iß. Rhei el. & ſalis vegetab. ana ʒj. Bulliant leviter in decocti radicum Graminis & Cichorii ſylveſtris ℥vj. Colaturæ adde ſuccum acidum expreſſum ex Malo Aureo Citreo.

♃. Medull. Caſs. cum nucl. ℥j. Mann. Calabræ ℥jß. Salis polychreſti ʒj. Bull. in aq. Cichor. ℥vij. Fiat colatura, in qua diſſolve Syr. de Pomp. comp. vel florum Perſicor. ℥j. Fiat potio mane jejuno ventriculo exhibenda duabus horis ante juſculum.

♃. Medull. Caſs. recens extract. e ſiliquis cum nucleis ℥iij. Mann. Calabr. ℥ij. Bulliant in decocti Hord. ℥xij. Fiat colatura, in qua diſſolve Tartari ſtibiat. gr. vj. Dividatur liquor in duos hauſtus quarta quaque hora exhibendos, interjecto juſculo.

♃. Mann. Calabr. ℥iij. Tartar. ſtib. gr. v. Diſſolve in aq. puræ ℔ij. Fiat colatura per cyathos propinanda.

♃. Mann. Calabr. ℥ß. vel ʒvj. Lactis vaccini ʒiij. Coquantur, & exhibeatur colatura infantibus.

♃. Mann. Cal. ℥ij. Salis comm. ʒß. Diſſolve in aq. comm. bullientis ℥iiij.

In diſſolutione contunde Amygdalas amaras n. vj. & adde lactis vaccini ℥iiij. Fiat colatura cum expreſſione. Calida ſumatur.

℞. Foliorum Oriental. ʒijß. Cinnamomi & Coriandr. ana ʒß. Glycyrhiz. raſæ, & contuſ. ʒij. Sal. vegetab. ʒj. Macerentur in aq. limp. ℥viij. per ſex horas. In colatura dilue Mann. Cal. ℥ijß. Clarifica cum ovi albumine & Aceti fortis ℥ß. Fiat potio.

℞. Mann. Cal. ℥ij. Folior. Or. ʒij. Rhei el. minutim conciſi, & Salis polych. ana ʒj. Macerentur per duas horas in juſculi vitulini ℔ß. cum folior. Oxytriphyl Acetoſæ, Chærefol. Pimpinell. Lactuc. Portulac. & Cichor. ſylv. ana m. j. Fiat colatura, in qua contunde corticem exteriorem flavum plurium Citreorum tenuiter ſectum. Coletur denuo, & calens exhibeatur.

℞. Mann. Calabr. & Confection. univerſalis ana ℥j. Bull. in aq. Plantag. ℥vj. Fiat colatura propinanda in diarrhæis & dyſenteria.

℞. Mellis aerei ℥jß. Electuar. Cathol. cum Rh. duplicato ℥j. Bulliant pauliſper in decocti Gram. ℥vj. Fiat colatura, cui adde olei Amygdalar. dulcium ℥j. Propinetur in colicis doloribus & viſcerum inflammatione, ubi purgatione opus eſt.

In Opiatis purgantibus & alterantibus loco Conſervæ Manna adhiberi poteſt.

℞. Mann. elect. ʒiij. Pulver. Jalap. gr. xij. Pulver. Cornachin. ℈j. Aquil. alb. gr. x. Syr. de Rhamno cathartico q. ſ. Fiat bolus hydragogus.

℞. Mann. elect. & Croci Martis cum rore Majali pp. ana ℥ß. Myrrh. Croci Or. & Aquil. alb. ana ʒij. Aloes lotæ, Cremor Tartar & Gumm. Ammoniac. ana ʒiij. Diagryd. ʒjß. Miſce cum Syr. de Cichor. Comp. c. Rh. q. ſ. Fiat ſ. a. Maſſa pilular. menſentericar. ad uſum, quarum doſis ʒß. quotidie, vel ʒj. tertio vel quarto quoque die.

Uſurpatur Manna in Electuar. Diacarthami, hydragogo eximio *Renaudæi*, Confectione Hamech correcta *Charas*.

Præter Calabram Mannam occurrit etiam Manna Gallica ſeu Brigantiaca, *Manne de Briancon*, quod prope Brigantium in Delphinatu ex Laricibus fluat: unde Manna Laricea quoque dicitur. Candida eſt, & in exiguos grumos coacta, modo ſphæricos Coriandri craſſitie, modo oblongos majoreſque, ſapore dulci ſaccharino, grato & tantiſper reſinoſo. Hic Pariſiis raro in uſum venit, eo quod Italica longe inferior ſit: multo minus enim purgat.

Laricea illa Manna eſt ſuccus nutritius arboris, quæ Larix folio deciduo conifera, *J. B.* vulgo *Meleze*, cujus deſcriptionem expoſuimus, cum de Terebenthinis egimus. A vigeſimo Junii die ad finem Auguſti ex foliis per diverſa temporis intervalla exſudat, annis tantummodo, quibus cœli temperies calida & ſicca eſt: pluvioſa enim tempeſtate Manna nulla apparet; difficillime a Laricis foliis, quibus tenaciter adhæret, divellitur. Ruſtici porro ad Larices mane appulſi faſces arborum ſecuribus in terram decutiunt, multos ramorum acervos ſub arboribus in umbra aſſervantes. Sic ſuccus ille mollior adhuc quam ut colligi poſſit, intra viginti quatuor horarum ſpatium inſpiſſatur & indureſcit: tum colligitur; ſoli exponitur, ut omnino ſicceſcat, & a foliolis permixtis, quantum fieri poteſt, ſeparatur.

Hanc

Hanc Mannam roris ſpeciem eſſe quidam afferunt. Verum Lobelius & Pena tradunt Laricis ramos in vinariam cellam æſtivo tempore aſportatos, Mannam poſtero die demonſtraſſe: quo experimento evidens eſt Mannam illam eſſe Laricis ſuccum, non vero cæleſtem rorem.

Alia autem Mannæ ſpecie in Oriente utuntur, quæ fluit ex tenui frutice qui Alhagi Maurorum, *Rauvolſii Hiſtor. Lugd.* 94. Geniſta-ſpartium ſpinoſum, foliis Polygoni, *C. B. Pin.* 394. Frutex eſt cubitalis & altior, cujus ex radice mediocriter longa, fuſca, aſſurgunt ſurculi recti, tenues, duas lineas circiter craſſi, molles, virides, incani, a quibus alterno ordine hinc inde ſparſi naſcuntur ramuſculi innumeri propemodum ac teretes, denſiſſimo ſpinarum uncialium acutiſſimarum, gracilium, flexiliumque ſtipatu referti. Folia ovata, quatuor lineas longa, ſeſquilineam lata, colore glauco, ſingula ad ſingularum ſpinarum exortum adhærent. Flores ex media ſpina viridi ſinguli exeunt parvuli, papilionacei, dilute purpuraſcentes, cum vexillo retrorſum inflexo. Floris piſtillum abit in ſiliquam pollicem circiter longam, teretem, ſeſquilineam craſſam, recurvam, ex multis partibus tumentibus quaſi articulatione conjunctis compoſitam, & in totidem loculamenta diviſam, Ornithopodii ſiliquę ſimilem, coloris punicei, leviter incanam, & in duas partes dehiſcentem. In ſingulis ejus loculamentis reconditur ſemen rubrum, ovatum vel reniforme, lineam circiter longum. Tota plana ſapore adſtringente donatur. Abunde naſcitur in Ægypto, Armenia, Georgia, Perſia, circa montem Ararat & Ecbatanas, & in quibuſdam inſulis maris Ægæi. Sæpe Cuſcuta circumvolute reperitur. Lacrymam rubram adſtringentem, narrante Aug. Lippi, nonnumquam fundit in Ægypto Sanguini Draconis ſimilem.

In ejus frondibus, caulibus & ramis præcipue apud Perſas, inquiunt Rauvolfius & Tournefortius, colligitur Manna, quam illi populi *Trunſchibin*, Arabes vero *Tereniabin & Trungibin* vocant. Hæc menſibus æſtivis calidioribus in guttas erumpit, quæ deinde in grana ſeminibus Coriandri paria ruſeſcentia indurantur. Ex his maſſa componitur a collectoribus una plerumque cum foliis, ſpinulis, & aliis ſordibus. Non minoris efficaciæ foret quam Manna Calabra, ſi ſordibus & foliis purgaretur. Exhibetur ad indigenis ad 24. drachmas ſeu ad ℥iij. quia ſæpiſſime plus foliorum habet quam ſucci concreti.

Clariſſimus Tournefortius non dubitat quin ſit illa Tereniabin *Serapionis & Avicennæ*, qui ſcripſerunt ejuſmodi Mannam roris inſtar e cœlo cadere in frutices quoſdam ſpinoſos.

DE

DE GUMMI-RESINIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ammoniaco.

AMmoniacum nomen duplici ſubſtantiæ conceſſum fuit, ſcilicet ſali cuidam tum nativo, tum arte facto, & concreto cujuſdam plantæ ſucco. De ſale inter mineralia mentionem fecimus; nunc de ſucco nobis agendum eſt.

Ammoniacum & Gummi Armoniacum, *Off.* Ἀμμωνιακὸν, *Dioſcoridis*: Ἀμμωνιακὸν θυμίαμα, *Galeni*: Gutta Hammoniaca, *Latinorum*: Raxach & Aſſach, *Arabum*: vulgo *Gomme Ammoniaque*. Succus eſt concretus inter gummi & reſinam medius, dum manibus tractatur lentore molleſcens, modo in majores glebas coactus, & ex grumis congeſtus, unguibus lactei coloris nitentibus aut rufis diſſeminatis per ſubſtantiam coloris obſoleti & fere fuſci, ut Benzoini mixtioni amygdaloidæ non inepte poſſit comparari, modo in lacrymas ſeu grumulos denſos ſolidoſque concretus, Thuri non diſſimiles, foris flaveſcentes vel fuſcos, intus candidos aut flaveſcentes, nitidos & ſplendentes; ſapore primum dulci, poſtea amaricante; odore fragranti, ad Galbanum accedente, ſed viroſiore. Sub dentibus facile diducitur ſibi cohærens, magiſque albeſcit: carbonibus accenſis injectum in flammam exardet, & aceto vel aqua calida ſolvitur. Ex Alexandria Ægypti affertur.

Lacrymæ pro uſu interno glebis anteponuntur. Eliguntur majores, puræ, aridæ, quæ nullis arenis, terra, aut aliis rebus extraneis ſordeſcunt. Glebæ vero probantur ſinceræ, quæ multa grana pura permixta habent. Si ſordibus coinquinatæ fuerint, ab illis purgantur, ſolvendo in aceto, percolando, & inſpiſſando; ſed hæc præparatio multum de partibus ejus tenuibus & volatilibus aufert.

Dioſcorides θραῦσμα dicit illud Ammoniacum, quod nitidum eſt & in lacrymas concretum; & φύραμα quod impurum eſt, terræ arenularumve particeps. Narrat liquorem eſſe Ferulaceæ cujuſdam arboris, quæ naſcitur in ea Lybiæ parte quæ eſt juxta Hammonis templum. Ille frutex, inquit, ἀγασυλλὶς dicitur: illum vero Plinius Metopion nominat.

Revera Ammoniacum lactis inſtar vel ſponte vel per vulnera fluit ex quadam nondum deſcripta planta umbellifera, ut manifeſtum eſt ex ſeminibus, quæ in glebis hujus gummi ſæpe reperiuntur, foliaceis nempe & anethinis ſimilibus ſed majoribus. Planta vero naſcitur in ea Africæ parte quæ Ægypto ad occaſum adjacet, quæque hodie dicitur Regnum de Barca, in quo fuit olim templum celeberrimum Jovi Ammoni dicatum, unde gummi nomen.

Analyſi Chymica, ex gummi Ammoniaci ſelecti ℔ij. diſtillaverunt phlegmatis limpidi, rufeſcentis, odorati & ſubacidi ℥vj. ʒj. gr. xxxiiij. phlegmatis urinoſi ℥j. ʒvj. olei limpidi, flaveſcentis, odorati ℥ij. ʒv. gr. xlviij. olei rufeſcentis & fuſci, ſpiſſioris ℥vij. ʒij. Maſſa nigra in retorta reſi-

reſidua pendebat ℥viij. ʒvij. quæ per horas xx. in crucibulo calcinata reliquit cinerum fuſcorum ℥j. gr. xij. ex quibus per lixivium extracta ſunt ſalis alcali fixi gr. lxj. In hac diſtillatione partium jactura fuit ℥v. ʒij. in calcinatione vero ℥vij. ʒvj. gr. lx.

Per hanc analyſim liquet, Ammoniacum multo ſulphure, tum craſſo, tum tenui, componi cum ſale Tartareo & Ammoniacali, pauca vero terra.

Ammoniacum partes duras emollit, humores craſſos incidit ; lentos ac tenaces reſolvit, collectos diſcutit. Aſthmaticis prodeſt, cruda pulmonum tubercula diſſipat, hepatis, meſenterii, lienis & uteri ſcirrhos reſolvit, menſes ſuppreſſos promovet, obſtructiones aperit, articulorum tophos diſcutit, & alvum nonnumquam blande ſubducit. Ejus ſubſtantia intus exhibetur a ℈ß. ad ʒj. Sub forma emulſionis, electuarii, boli vel pilularum extrinſecus in ſcirrhis, tophis, ſcropulis & tumoribus durioribus aut contumacibus reſolvendis adhibetur.

℞. Gumm. Ammon. elect. ʒß. Diſſolve in mortar. cum aq. Hyſſopi ℥iiij. vini albi ℥ij. Colatura ſit pro duabus doſibus in aſthmate.

℞. Gumm. Ammon. & Flor. Benzoin. ana ʒß. Balſam. Sulphur. aniſ. q. ſ. M. F. bolus ad pulmonum infarctus diſſolvendos.

℞. Gumm. Ammon. puriſſim. ʒjß. Flor. Benzoin. ʒj. Pulver. Milleped. ʒiij. Extract. Croci, Balſam. Peruv. ana ℈ß. Balſam. Sulphur. Terebenth. q. ſ. M. Fiant Pilulæ a Rich. Morton. in phthiſi ſcrupuloſa incipiente plurimum commendatæ. Doſis gr. xij. ter die.

℞. Gumm. Ammon. Aloes lotæ ana ʒj. Myrrhæ folior. Senn. pulver. Croci ana ʒß. Syr. de Abſynth. q. ſ. M. Fiant Pilulæ in uteri & viſcerum obſtruct. Doſis ℈j. quotidie mane jejuno ventriculo.

℞. Gumm. Ammon. pulv. Milleped. ana gr. xx. Æthiop. Mineral. ʒß. Conſerv. flor. Calendulæ q. ſ. M. F. bolus ſingulis diebus exhibendus ad ſcrophulas, purgando quarto quoque die cum bolo ſequenti.

℞. Gumm. Ammon. Aquil. albæ ana gr. xv. Trochiſcor. Alhandal gr. x. Syrup. flor. Perſicor. q. ſ. Fiat bolus.

℞. Gumm. Ammon. Aloes, Croci Martis aper. ana ℥j. Cinnamomi, Nuc. Moſch. ana ℥ß. Tartar. Vitriol. ʒij. Conſerv. florum Calendul. ℥iij. Syr. de Abſynth. q. ſ. M. F. Electuarium. Doſis ʒij. bis die in menſium ſuppreſſione, & in hepatis, uterique obſtructionibus.

℞. Gummi Ammoniaci & cremori Tartari ana ℥j. Sennæ pulver. ʒvj. Diaphoretic. Mineral. ʒiij. Agaric. Trochiſcar. ʒij. Trochiſcor. Alhandal ℈ij. Diacryd. ℈j. Electuar. Catholic. vel Benedict. laxativ. ℥ij. Syr. flor. Perſicor. q. ſ. Fiat Electuar. cujus doſis erit ad ʒiij. alternis diebus exhibenda in meſenterii obſtructionibus inveteratis.

℞. Gumm. Ammon. & Emplaſtri de Cicuta ana. Miſceantur, & fiat Emplaſtrum extrinſecus ſcirrho hepatis, lienis aut meſenterii admovendum.

℞. Gumm. Ammon. q. lib. Olei Caryophyllor. aromaticor. & olei Amygdalar. dulcium ana q. ſ. Fiat linimentum ad tumores ſcrupuloſos & articulor. tophos reſolvendos.

Oleum

Oleum flavum vel rufeſcens per retortam ex Gummi Ammoniaco extrahitur, in aſthmate & difficili reſpiratione commendatum. Oleum vero nigrum ultimo prodit, ad tumores ſcrupuloſos reſolvendos utile.

Ammoniacum uſurpatur in Pillulis de Ammoniaco *Quercetani*, Pilulis fœtidis, Tartarei *Bontii*, Pilulis de Sagapeno *Camilli*, Meſentericis *Charas*, Electuar. aperiente cathartico, & Electuar. antihydropico *Ejuſdem*, in Emplaſtro Diachylo cum Gummi, de Cicuta, de Meliloto, Divino, Oxycroceo, Magnetico *Angeli Salæ*, & Opodeltoch *Paracelſi*, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Olei commun. ℔jß. Lithargyrii præparati ℥ix. Lapid. calaminar. præparati ℥ij. Coquantur ad Emplaſtri duritiem. Tunc adde ceræ flavæ ℔j. Olei Laurin. ℥iiij. Gumm. Galbani, Opopanacis ana ℥iij. Myrrhæ, Thuris, Maſtiches ana ℥ij. Ammoniaci, Bdellii, ana ℥j. Radic. Ariſtolochiæ rotundæ ℥ij. Croci Martis adſtringentis, Mumiæ, Magnetis præparati, Magiſter. Corallior. albor. rubror. Terebenthin. Venetæ ana ℥ß. Olei Succini craſſioris, Camphoræ ana ʒj. Croci Oriental. ʒß. Fiat Emplaſtrum ſ. a.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Aſſa fœtida.

Aſſæ nomen duobus ſuccis concretis tribuitur in officinis, quorum unus Aſſa dulcis dicitur, & eſt Benzoinum de quo inter reſinas jam actum eſt: alter Aſſa fœtida ob vehementem graveolentiam dicitur. De hoc nunc agimus.

Aſſa Fœtida, *Off.* Σίλφιον, *Dioſcoridis & Theophraſt.* Οπος, *Hippocratis*; *οπος Μηδικός, παρθικός, κυρηναικός*, *Nonnullorum*: Laſer & Laſerpitium, *Plinii & Latinorum*: Althit, *Avicennæ*. Σκορδόλασαρον, *Quorumdam recentior. Græcorum*: Hingh, *Perſarum & Indorum*: Stercus Diaboli. *Nonnullorum*. Eſt Gummi-reſinæ ſpecies compacta, ceræ inſtar lenta & ſequax, ex variis ſplendentibus grumis, partim albicantibus aut flaveſcentibus, partim rufeſcentibus, incarnatis aut violaceis, in glebas grandiores coacta; odore viroſo, ad Allium accedente, ſed vehementiore; ſapore amaro, acri, mordace. Hujus duæ ſpecies proſtant in officinis: una impura, turbida ac ſordeſcens; altera pura, ſubrubens, translucens, quæ multas elegantes, albas lacrymas habet. Ex Perſia & India orientali ad nos transportatur. Probatur recens, fragrans & fœtida, non nimis pinguis lacrymis ſeu grumis puris & translucidis referta. Vetus, unctuoſa, nigra, opaca, arena, corticibus, ſimilibuſque coinquinata rejicienda eſt.

Celebris fuit ille ſuccus apud veteres non ſolum ad medicamenta, ſed etiam ad intinctus & embammata. Ejus duæ ſpecies diſtinguebantur, ratione loci ubi naſcebatur: alius Cyrenaicus, qui in Cyrenaica Africæ Provincia colligebatur præſtantior: alius Medius & Perſicus, qui ex Media & Perſide afferebatur, vulgatior, & minoris pretii. Cyrenaicus odorem Myrrhæ vehementem ſpirabat, teſte Dioſcoride: Perſici odor magis viroſus, ad Allii vel Porri odorem

rem accedens, unde Scordolaſarum dictus fuit. Non multum a Sagapeni odore diſcrepabat; quandoquidem Dioſcorides Sagapeni odorem medium eſſe inter Silphii, & Galbani odorem, & Silphium Sagapeno adulterari narrat Cyrenaicus itaque a Perſico differebat, quod odorem minus viroſum haberet, halitum oris, ſicut vulgaris, non adeo inficeret, nec diu odorem in ore ſuperſtitem relinqueret.

Succus Cyrenaicus jam Plinii tempore non amplius reperiebatur. Unus tantum caulis Laſerpitii tunc temporis in Cyrenaica Provincia repertus Neroni Principi miſſus fuit. Nec jamdiu Romam aliud invehebatur Laſer, quam quod in Perſide, Media aut Armenia large naſcebatur, ſicut hodie adhuc ibi naſcitur.

Magna fuit inter ſcriptores controverſia de Aſſa fœtida, *Off.* utrum illa eſſet Silphium, Laſer, & Succus Cyrenaicus veterum, necne? Hæ autem fuerunt eorum dubitandi rationes.

1. Quod Laſer apud veteres tanta eſſet in exiſtimatione, ut Cyrenæi Batto fundatori ſuo, obſequii & gratitudinis cauſa, Silphii plantam obtulerint; & numiſma cuſum fuerit, in quo ex una parte Batti effigies expreſſa erat, ab altera Cyrenæi regnum, & Silphium Batto offerentes apparebant. Unde proverbia: Batthi Silphium, & Silphio dignus. Iidemque Cyrenæi Delphis Apollini quotannis Silphii caulem ex agri ſui opibus offerebant.

2. Quod inter condimenta palato magis grata, & inter medicamenta præſtantiora, tum Cyrenaicum, tum Perſicum, & Medicum Laſer recen„ ſerentur. Quod Plinius teſtatur, *Lib.* 19. *cap.* 15. 570. *T.* 3. Ab his „ (tuberibus nempe & fungis) proximum dicetur auctoritate clariſſimum „ Laſerpitium, quod Græci Silphion vocant, in Cyrenaica Provincia re„ pertum; cujus ſuccum vocant Laſer, magnificum in uſu medicamentis„ que, ad pondus argenti denarii penſum. Multis jam annis in ea terra „ non invenitur, &c. Diuque jam non aliud ad nos invehitur Laſer, „ quam quod in Perſide aut Media, & Armenia naſcitur large, ſed mul„ to infra Cyrenaicum, &c. "

3. Quod præſtantiſſimum Silphium, Cyrenaicum nempe, odore blando, & guſtu grato donatum fuiſſe a pluribus diceretur; in quo longe videretur diſcrepare ab Aſſa fœtida noſtra, utpote graveolente, fœtidiſſima, & omnibus nunc præſertim Europæis adeo execranda, ut Stercus Diaboli nominetur.

Verum ſi tanti fuerit pretii Silphium apud Cyneræos, Græcos & Latinos; non minor eſt apud Perſas, & Aſiaticos populos ferme omnes Aſſæ fœtidæ æſtimatio: ea enim cibus Deorum, ab ipſis nuncupatur. Nec ad illam obtinendam durum illius meſſis laborem recuſant, ſuper aſpera montium juga, ſub deurentis ſolis ardoribus per plures dies pererrantes.

Nec Aſſa fœtida Silphium palato magis gratum fuit, cum odorem adeo viroſum & vehementem exhalaret, ut Κάκοσμον φυτάριον a nonnullis dictum fuerit. Econtra Indi, quibus Aſſæ fœtidæ eſus familiaris eſt, ſuaveolentem eam judicant, & pro re lautiſſimi ſaporis habent.

Præterea non exigenda hæc res eſt ad guſtum noſtrum. Multa enim, qua odore, qua ſapore placuiſſe antiquo ævo liquet, quæ hodie ingrata ſunt ac fœ-

fœtent. Mali Citri odorem pleroſque veterum execratos eſſe ſcimus. Hæc guſtuum moroſa diverſitas hodie quoque regnat. Multi ab Allio in tantum abhorrent, ut halitum eorum pati nequeant, qui id eſitaverint, tantum abeſt, ut ipſi guſtare ſuſtineant. Aliis tamen adeo ſapidum condimentum eſt, ut in carnes quibus veſcuntur, illud paſſim infarciant: adeo veriſſimum eſt ſuper ſaporibus non movendam eſſe diſputationem. Eamdem in odoribus levitatem noſtra vidit ætas. Tam grata ante quinquaginta annos ex Moſcho aromata ita obſoleverunt, ut poſteris forſan illius indoles obſcura futura ſit, quibus ſcilicet ejuſdem graveolentiam ſeu noxium odorem cum priſtina ſuavitate componere difficillimum videbitur.

Nec aliter judicandum eſt de illo Silphio præſtantiſſimo Cyrenaico, cui nonnulli comparative ſane odorem blandum, & ſaporem gratum aſſignaverunt. Dioſcorides ſuccum Cyrenaicum Perſico minus viroſum eſſe dicit; ſed odorem viroſum non omnino illi denegat. A Perſico in eo tantum differre pronuntiat, quod animum non adeo inficeret, nec diu odorem in ore ſuperſtitem relinqueret, & quod leniſſimum halitum daret.

Cum igitur de Perſia ut loco natali Laſeris, & Aſſæ fœtidæ hodie fere omnes conveniant; cum uſus hodie idem ſit apud Indos Aſſæ hujus, qui apud veteres Laſeris fuit, exiſtimatio eadem; cum Aſſa in Perſide hac ætate eodem prorſus modo præparetur, quo olim Silphii Succus; ac denique cum Cyrenaici Silphii ſuccus a Perſico non differat niſi fœtoris remiſſione: ideo concludendum eſt, Silphium, Laſer, & ſuccum Cyrenaicum veterum, atque fœtidam Aſſam officinarum, non eſſe ſuccos diverſi generis, & inter eos perparum intereſſe diſcriminis.

Planta, quæ Græcis Silpium dicebatur, Latinis vero Laſerpitium, ſecundum Theophraſtum, & Dioſcoridem, radice erat multa craſſaque; caule, qui Maſpetum vocabatur, ſimili Ferulæ; folio Apio ſimili; ſemine lato, & foliaceo: unde a quibuſdam φυλλον, folium dicebatur; ſuccus vero ex caule & radice profluens a quibuſdam Græcorum Οπος per excellentiam, & Οπος Σιλφιυ, a Latinis Laſer nominabatur.

Omnes hujus plantæ partes in uſum medicum, & culinarium veniebant. Non tantum autem ſuccum diſtinguebant ratione regionum ex quibus advehebatur, ſed etiam ratione partis ex qua prodibat; ſic alter ex caule καυλίας, alter ex radice ριζίης dicebatur: vilior hic eſt. Sunt, inquit Theophraſtus, veluti certæ menſuræ cædendæ radicis, quibus quantum conferre putant ad futuram cæſuram reſervantes, reliquum abſcindunt; quæ quidem cædendæ radicis menſuræ adhuc obſervantur in Perſia, ut paulo poſt videbimus.

Verum enimvero quæ ab illis auctoribus de illo ſucco ejuſque planta ſcripta ſunt, tantum abeſt ut illius hiſtoriam dilucidarent, ut econtra illam majori obſcuritatis caligine involverint. Garcias ab horto folia Coryli ipſi tribuit. Jacobus Bontius eumdem ſuccum ex duplici planta extrahit, ſcilicet ex planta quadam ſarmentoſa, Sali aquaticæ fere ſimili, & ab alia radicibus craſſiſſimis Raphanos referentibus, & foliis Tithymali. Quidam Mandeſſo unam eſſe fruticoſam plantam, ſarmentoſam, foliis parvis Orizæ ſimilibus dicit; alteram

ram vero Rapi folio, colore viridi folia Ficuum referente. Alii Phyllireæ ſpeciem eſſe volunt. Ullusque nihil certi de hac planta pronuntiaverat, donec Engelbertus Kæmpferus, dum Perſiam, & Indiam peragraret indagandæ hujus herbæ cupidine motus; 40. vel 50. milliarium iter emetiretur laborioſa peregrinatione, ac tandem genuinam, & acuratiſſimam illius hiſtoriam, & deſcriptionem *in amœnitatibus exoticis* promulgaverit.

Planta, ſicut & ſuccus in Perſia *Hingiſeh*, & per Indiam *Hiing* ſæpe indiſcriminatim nuncupantur. Uſitatius tamen eſt vocabulo *Hingiſeh* plantam, *Hiing* ipſam lacrymam exprimere. Itaque Hingiſeh *Perſis*: Umbellifera, Leviſtico affinis, foliis inſtar Pœoniæ ramoſis caule pleno maximo, ſemine foliaceo, nudo, ſolitario, Brancæ urſinæ vel Paſtinacæ ſimili, radice Aſſam fœtidam fundente, *Kempfer. amœn. exot. faſciculo* 3. 335. Radicem habet ad plures annos reſtibilem, magnam, ponderoſam, nudam, extus nigram, in ſolo limoſo lævem, in ſabuloſo ſcabram, & quadantenus rugoſam, ut plurimum Paſtinacæ inſtar ſimplicem; ſæpe paulo a capite duabus vel pluribus divaricationibus brachiatam, cujus faſtigium e tellure prominens fibris ſetarum inſtar ſurrectis, ex fuſco rufis, rigidis confertim ſtipatur velut in Peucedano: cortex ei pinguis eſt ſuccoſus, facile, dum radicem ſolo extrahis, abſcedens, concavitate glabra, & humida: ſubſtantiam obtinet ponderoſam, inſtar Rapæ ſolidam candidiſſimamque, plenam ſucci pinguis, albiſſimi, fœtidiſſimi, porraceo odore nares horride ferientis; qui ex ea collectus, Perſis *Hing*, Europæi. Aſſa fœtida appellatur. Folia ſero Autumnos ex vertice progerminant ſex, ſeptem, & pro radicis magnitudine plura vel pauciora, quæ per brumam luxurioſe vigent, adultoque Vere exareſcunt. Folium autem eſt ramoſum, planum, longitudinis cubitalis, folii Pœoniæ, ut plurimum figuram, Leviſtici ſubſtantiam, colorem, & lævitatem exhibent: odorem obtinet ſucci odore remiſſiorem, ſaporem cum amaritie, & aromatica acredine hircoſum. Structura conſtat ex ſcapo & ramo: ſcapus ſpithamalis, & amplius longitudinis eſt, humano digito tenujor, quadantenus ſtriatus, nervoſus, coloris herbacei, circa baſim ex mutuo complexu canaliculatus, cœtera teres. Ramus alas refert impariter adverſas quinque, rarius ſeptem, palmaris, & amplius longitudinis, oblique ſurrectas, imas ſuperioribus longiores: alæ utrinque in lobos dividuntur incerto numero plures, inæqualis magnitudinis oblongos, & quadantenus ovatos, in aliis plantis peranguſtos, longiores, ad coſtam uſque, & largiori intervallo diſtinctos, adeoque pauciores, & ſolitarios, quaſi ſingula folia referant; in aliis vero latiores, breviores, & ob parciorem diviſionem continuos: finibus ſive inciſuris plerumque ovatis vel orbiculatis, pro vario naturæ ludentis genio, qui ſæpe in foliis diverſarum ejuſdem ſpeciei plantarum adeo diſcrepat, ut ejuſdem ſpeciei folia eſſe vix appareat. Lobi autem oblique ſurrecti ſunt, ſubtus anguſto ductu per coſtæ latera demiſſi, coloris ex glauco virentis, læves, exſucci, rugidi, fragiles, prona facie ſubconcavi, nervo donati unico tenuj, qui a coſta per longitudinem inæqualiter decurrit, raro lateralibus aliis ſociatus: magnitudo incerta eſt, quam reducere ad longitudinem triuncialem, latitudinem plus minus pollicarem liceat.

liceat. Ante radicis interitum, qui ut plurimum ſera ætate evenit; una cum foliorum faſciculo emergit caulis ſimplex, rectus teres, quodammodo ſtriatus, glaber; herbaceus, in orgyjæ (*braſſe*), ſeſquiorgyjæ vel majorem longitudinem luxurioſe exſurgens, craſſitie in imo quanta manus complexum ſuperat, ex qua paulatim factus tenujor in ramos paucos, hi vero in umbellas, ferulaceorum lege, divelluntur. Foliorum veſtitur rudimentis per intervalla palmaria alternatim conſitis, quorum baſes latæ, membranoſæ, turgidæ, caulem inæqualiter & utcumque decuſſatim amplexantur, dilapſæque impreſſis ſignant veſtigiis genicula mentientibus. Medulla farcitur geniculis haud intercepta, copioſſima, candidiſſima, fungoſa, paucis permixta fibris brevibus, vagis, in longum exporrectis. Umbellæ pedali, aliæ ſpithamali vel breviori ſtylo nixæ in radios explicantur pluſculos 10. 15. 20. in orbem diſperſos, qui ſinguli quaſi ſubalternas umbellas redditurì in radiolos paucos alios 5. vel 6. biuncialis longitudinis terminant, axillis brevibus tenujſſimiſque ſuſtentantes ſemina nuda ac ſurrecta. Semen eſt planum, foliaceum, ex fuſco rufum, figuræ ovatæ, phondylii vel Paſtinacæ hortenſis ſemini non abſimile, hoc tamen paulo majus, & nigrius, quadantenus piloſum ſive aſperum, tribus notatum ſtriis, una per mediam longitudinem, reliquis per fimbriam arcuato ductus ad apices utrinque productis: odore donatur exiguo, porraceo, ſapore gravi, acute amareſcente: medullam ſeu verum ſemen in medio fovet atram, compreſſam, figuræ ex ovato mucronatæ. Flores Kæmpferus non vidit, ſed ex aliorum relatione præparvos dicit, & in albidum pallentes: auctor pentapetalos eſſe non dubitat.

In Perſia hæc planta naſcitur; & omnis Aſſa fœtida, quæ in Europam affertur ex ſola Perſia venit. Non ubique tamen reperitur, in duobus tantummodo hujus Regni locis creſcit, nempe in campis, montibuſque circa *Heraat* emporium Provinciæ *Choraſaan*, & in Provincia *Laar* ſupra montium jugum quod a flumine *Cuur* uſque ad urbem *Congo* ſecundum Perſici ſinus tractum extenditur, duabus, tribus, pluribuſque paraſangis (*3600. pas*) a littore. Utrobique tamen ſucci ferax quocumque loco planta non eſt; ſed circa Heraatum, ſaltem, quæ campeſtre deſertum occupat; in tractu Laarenſi, tantum illa, quæ creſcit in montibus vicinis territorio & tepido *Diſguun*, quæ his regionibus ultra citraque germinat, vel ſucci inops eſt, non redditura colligenti operæ pretium; vel ſi redditura fuerit, non colligitur. Ultra Diſguunum herba duleſcere dicitur, & fœtorem pene exuiſſe; adeo ut caprarum greges foliis veſcatur avide, & eorum eſu mire pingueſcant, Solum amat ſabuloſum, cum interſperſo limo aridum, & ſaxoſum. Raro in ſolo humido aut terra pingui reperitur.

Plantæ duplicem nonnulli conſtituunt ſpeciem; unam quæ lacrymam ſtillat parcam, macriorem, odoris & virtutis debilioris, quæ *Hus jeb* dicitur; alteram quæ ſuccum uberiorem profundit, pinguiorem, fœtidiorem, ideoque præſtantiorem. Verum Kæmpferus illas plantas non differre niſi ratione ſoli natalis aſſerit.

Longævitatem radici miram eſſe narrant, & æmulam vitæ humanæ; ex quo mon-

monſtroſam aliquando magnitudinem conſequitur. Si loci conditio ferat, nec in Ferulam (quod aliquando accidit) prima ætate efferatur, longitudinem ulnæ & peræ humanæ craſſitiem aſſequi affirmant: cum mediæ ætatis eſt, ſuræ vel brachii; annuam vero pollicis craſſitiem exhibere, cui longitudo proportione ſemper reſpondeat. Nulla radix invenitur, quæ ante Ferulæ productionem ſuccum non fundat: ſi vero ſuo relinquatur fato, in caulem ſerius ocius aſſurgit, & ſemen gignit; quo producto, exhauritur radicis ſuccus, areſcit planta, atque radicitus moritur.

Omnis Aſſa fœtida nunc ex radice manat ſauciata. Nulla autem ex caulibus, vel ſponte fluens, vel arte expreſſa amplius colligitur; ac proinde nulla eſt amplius in ſcapariam & radicariam veterum diviſio. Radix quadriennio minor parum lacteſcit, & nunquam ſecatur: quo autem vetuſtior & major, eo majorem impertitur lacrymæ copiam. In tranſverſum diſſecta ſummum diſcum perfundit lacteo ſuo ſucco; inſpecta attentius duplicem prodit ſubſtantiam, aliam firmiorem & fibratam, aliam magis ſpongioſam, congenerem & mollem. Exſiccatæ radici evaneſcit omnis mollior ſubſtantia; fibrata remanet, & in ſtupeam quaſi medullam contrahitur, dum rugoſus cortex de amplitudine ſua parum amittit. Succus ex utriculis ſuis recens emanans, candidiſſimus, liquidus, & pinguis eſt, cremori lactis exacte ſimilis, adeoque omnis exors lentoris: ad aeris vero ſoliſve contactum colorem ſubfuſcum induit, & coaleſcens lentorem quoque. Fœtor virtutis index quo major eſt, eo meliorem Aſſam teſtatur: at ille in recenti lacryma vehementiſſimus eſt, & cum eo quem concreta & antiquor redolet, qualem Europa recipit, nullo modo comparandus. Kæmpferus affirmat unam recens effuſæ drachmam majorem ſpargere fœtorem quam centum libras vetuſtioris, quem ſiccum aromatarii noſtrates venumdant.

Theophraſtus *in ſua Plantarum Hiſtoria* refert certas eſſe cædendæ radicis menſuras. Et revera certus modus certæque menſuræ in cæſione radicis ad ſucci extractionem adhuc in Perſia obſervantur. Ea eſt autem illius collectionis ratio a Kæmpfero relata, quæ abſolvitur quatuor actibus ſeu excurſionibus ex vicinis pagis ad Hingiferorum montium juga.

1. Collectores ad montes affluunt medio Aprilis, quo tempore hujus plantæ folia palleſcunt, & a vigore ſuo in marcorem declinant; & per vaſta montium ſpatia ſecedunt, procul ſeſe diſſociantes: ita ut qui ex compacto in communem cenſum colligere propoſuerunt, ſeu ſingulæ domus, ſeu familiæ cognatæ, ſeu vicatim & a pluribus initæ ſocietates, alium occupent montis tractum, quem ad meſſem inibi inſtituendam ſibi aſſignant. Solet ſocietas quatuor vel quinque hominum ſibi vindicare circiter bis mille ſtirpes. In hoc tractu plantas unuſquiſque æmula alacritate adortus, primo terram quæ radicem in circuitu proxime ambit, compactam videlicet, ope ligonis, quo armatur, ad palmi ſpithamæve profunditatem eruit; ita ut modica longitudine radix nudam ſe prodat. 2. Scapos foliorum tranſverſa manu apprehenſos intorquendo a radice avellit: ab impedimento quoque fibrarum quæ hirſutam mitram referunt, radicis faſtigium repurgat; quo remoto rugoſam calvariam exhibet. 3. Terram manu vel ligone rarefactam radi-

radici rurſus ad verticem uſque circumponit. Tum avulſa folia, & ſi quod aliud herbæ genus adeſt, in faſciculos aptata his radicibus imponunt, ſuperaddito lapide, ne a vento hic ſæpe vehementiſſimo longe lateque auferantur & diſpergantur. Hoc opus eſt tegumento, quo a radiis ſolaribus radix nuda tueatur; quia ab iis ſemel percuſſa intra diem putreſcit. Radicibus ſic præparatis (quod intra triduum fere abſolvitur), collectores relictis montibus lares repetunt.

Elapſo triginta vel quadraginta dierum intervallo, turba colligentium ad montes affluens ſocialiter ſecedit in loca quæque ſua, ut ex radicibus priori actu præparatis liquoris tributum exigat. Inſtrumentis ad hoc neceſſariis muniri debent, ſcilicet cultro acutiſſimo pro radice reſecanda, ſpathula pugillari ferrea lato fronte ad abradendam lacrymam, patella ſeu calyculo fœmori affixo, in quo ſucci ablatam portionem ſubinde recondant, & gemina corbe ex humero bajulanda pro reponenda, & reportanda collecti ſucci annona. Notandum eſt ſocietatem unamquamque loci illius tractum quem meſſi ſuæ diligit, atque ideo omnem in eo radicum copiam in duas claſſes dividere, circa quas, miſſa alterutra, alternis diebus occupetur, quandoquidem, ablato ſucco, radix unius diei integri intervallum requirit, tum pro recuperando quem tranſmittat liquore novo, tum pro effuſi neceſſaria quadam inſpiſſatione.

Collectores ſtatim atque ad hunc locum pervenerunt, ſinguli ſingulas accurrunt ad radices; remotiſque umbraculis, egerunt manu aliquam terræ ambientis portionem, quanta operationi obſtaret. Quo facto, radicis verticem, quouſque hirſutus fuerat, per tranſverſum abſcindunt; ita ut truncus diſcum exhibeat planum, in quo exſudans liquor poſt biduum excipiendus ſine defluvii periculo ſubſiſtere poſſit.

Tum ut in priore actu ſauciatam radicem a ſole rurſus defendunt ea cautione, ne faſciculus herbaceus impoſitus diſcum attingat, hoc fine in arcum quodammodo cogendus, emanantem ſuccum alioquin diſcuſſurus.

Poſtero die in alterum locum migrant, atque eodem modo radix truncatur, omnique ſtudio rurſus operitur. Tertio die in priorem locum regreſſi, remotis umbraculis, liquorem in ſuperficie depoſitum ſpatha extergunt, & ſubinde deponunt in receptaculum quod fœmori inhæret. Tunc remota terræ accumbentis portione quanta ſectioni obeſt, areſcentem diſci ſuperficiem reſecant, ablato tantum orbiculo tenuiſſimo vix culmum avenaceum craſſo. Satis enim eſt, ſi vel extima, quæ poros claudebat, ſuperficies auferatur, quo poſſint præ ſiccitate occluſi ductus ſuccum dimittere. Collectores ſubinde patellas deplent, & in receptacula majora, vel in folia humi ſtrata gummoſum ſuccum deponunt, ut ſoli expoſitus magis indureſcat. Sic diverſum a nativo candore colorem induit pro partium mollitie, & ſitu diverſo qui torrentes radios inæqualiter admittit: radice cooperta, labor finitus eſt. Quarto die ad alterius loci radices redeunt. Gummoſus ſuccus colligitur; remoto terræ obſtaculo, radices reſcinduntur, rurſuſque conteguntur. Sicque ſecundus actus peragitur, ſingulas radices alternis diebus ter ſecando, & ſuccum bis colligendo. Tunc radices per octo vel decem dies intactæ relinquuntur; & annona omnis in corbes congeſta, humeris incumbente

per-

pertica, domum tranſportatur, ſingulis quatuor vel quinque hominum ſocietatibus ſpolium librarum circiter quinquaginta referentibus. Hujus primæ collectionis lacryma non habetur pro Aſſa optima, ſed inferioris notæ.

3. Poſtquam radicibus mora octo vel decem dierum pro recuperando ſucco indulta eſt, ad novam meſſem iterum auſpicandam accedunt, ad radices primæ claſſis; remotiſque umbraculis, & impedimentis terræ, nova colligitur lacryma; abſciſſoque ſummo orbiculo, vulnerata radix herbis operitur. Poſtero die ſecundam claſſem adeunt; & ſic alternis diebus eadem operatio per tres vices in eadem radice inſtituitur, ac tandem radices denuo coopertæ relinquuntur.

4. Exacto domi triduo, collectores ad radices redeunt; & ambæ radicum claſſes ter alternis diebus reſecantur. Denique ſectione intermiſſa, radicum reliquiæ non opertæ relinquuntur, libero aeri, & radiis ſolaribus expoſitæ, & brevi intermorituræ: ſic Hingifera meſſis ut plurimum abſolvitur. Nam ſi radices grandiores, ideſt, vicenariis majores reperiantur, non tam cito dimittuntur, niſi poſtquam fere exhauſtæ fuerint.

Analyſi Chymica, ex Aſſæ fœtidæ electæ ℔ij. prodierunt phlegmatis lacteſcentis, Allii odore perfuſi, acidi ℥v. ʒiij. rufeſcentis, tum acidi, tum urinoſi ℥j. ʒvij. olei fœtentis, flaveſcentis, fluidi, & limpidi ℥ij. ʒij. gr. xxxvj. rufi, & ſpiſſioris conſiſtentiæ ℥xj. ʒv. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥ix. ʒij. quæ per horas 30. in crucibulo calcinata reliquit cinerum leucophæorum ℥ij. ʒiij. gr. xxxvj. ex quibus ſalis fixi ſalſi gr. xij. extracta fuerunt. Partium in diſtillatione deperditarum quantitas fuit ℥ij. ʒiiij. gran. xij. in calcinatione ℥vj. ʒv. gran. xxxvj.

Per hanc analyſim patet Aſſam fœtidam componi ex ſulphure fœtido, tum tenuiore, tum craſſo copioſo, non mediocri ſalis acidi portione, exigua volatilis urinoſi ſalis quantitate, modica terra: unde compoſitum exſurgit ſalino-ſulphureum, cujus portio non mediocris ſpiritu vini ſolvitur, & major pars aqua calida.

Priſci Medici multas, & præclaras virtutes Laſeri tribuerunt: narrant illud intus ſumptum paralyſi, & nervorum vitiis mederi, menſes, & urinam ciere, concoctioni ciborum plurimum conferre, mentem ab ægritudine recreare, venena telorum, & ſerpentum extinguere, corpora pinguefacere, peſti, & malignis morbis mederi, hydropi, ictero, pleuritidi, contractionibus ſpaſmodicis, aſthmati, reſpirationi difficili, tuſſi, & raucedini conferre, externe admotum lienes tumidos reſolvere, admotum vulvæ menſes movere, pedum clavos ferro circumſcarificatos mixtum ceræ extrahere, venenatis vulneribus, animalium venenatorum ictibus, ulceribus non matureſcentibus, carbunculis excreſcentibus circa ſedem, podagricis doloribus, & rheumaticis plurimum conducere.

Garcias ab horto, & alii aſſerunt nullum medicamentum ſimplex per totam Indiam majore in uſu eſſe quam fœtidam Aſſam, tum in Medicina, tum in condiendis cibis. Eam enim ſolent Indi fere omnes, & præſertim Baneanes ſuis juſculis, & oleribus commiſcere, confricato primum ex ea lebete; nec alio condimento utuntur omnibus in cibis.

Sumunt quoque Aſſam tanquam medicamentum ad dejecti appetitus faſtidia tollenda, ſtomachum roborandum, flatus diſcutiendos, & venerem excitandam.

Galenus tamen, *L.* 8. *de Simpl.* omnes Silphii partes flatulentæ eſſentiæ eſſe pronuntiat, ac proinde coctu difficiles; foris tamen impoſitas corpori efficaciores eſſe, & potiſſimum ſuccum, cui admodum attrahentem facultatem tribuit, & præterea vim excreſcentias emolliendi, & liquandi.

Plinius quoque Laſer cum cibis mixtum difficilis coctionis accuſat: inflationes, & ructus producere, & urinæ noxium eſſe dicit. Inſuper illius uſum in odontalgia timet, magno experimento hominis qui ſe eâ de cauſa præcipitavit ex alto. Addit etiam Laſer tauros inflammare naribus illitis. Unde nec temere externe admovendum eſt.

In Europa Aſſa fœtida non ſolum ex condimentis procul rejicitur, ſed etiam in medicamentis propter odoris gravitatem rarius uſurpatur: utiliter tamen in colicis flatulentis, in hyſtericis affectionibus, cum externe, tum interne præſcribitur. Convenit quoque pro pellendis menſibus, lochiis, & ſecundinis: diaphoreſim, & ſudores potenter movet: humores malignos a centro ad circumferentiam pellit, unde plurimum confert in febribus malignis, variolis, & morbillis: nervorum quoque affectionibus, ſicut & paralyſi medetur. Præſcribitur a granis xij. ad ʒj. vel etiam ad ʒij. uſque. In aſthmate cum ovo ſorbili ſumpta commendatur, & tanquam efficaciſſima prædicatur contra vim Opii, & cœterorum narcoticorum: odore mulieres a ſuffocatione hyſterica liberat: externe admota potenter emollit, & reſolvit; unde ad lienis tumores reſolvendos commendatur.

Tinctura antihyſterica ex Aſſa fœtida cum ſpiritu vini tartarizato præparatur; cujus doſis ad ʒij.

℞. Aſſæ fœtid. ʒß. Salis Ammon. gr. xviij. Extracti Papaver. Rhæad. q. ſ. M. F. bolus ad diaphoreſim provocandam.

℞. Aſſæ fœtid. & Myrrhæ ana ℈j. Extract. Croci gr. ij. cum conſerv. flor. Calendulæ q. ſ. ad menſtrua provocanda.

℞. Aſſæ fœtid. ℈j. Caſtorei gr. vj. Succini pp. xx. Extracti Meliſſæ q. ſ. Fiat bolus in paſſione hyſterica.

℞. Aſſæ fœtid. granor. Juniper. & Caſtor. ana ℥ß. Mellis ℥iiijß. Fiat Electuar. cujus doſis ʒj. adverſus ſoporem nimium ab Opio aut aliis narcoticis aſſumptis.

Aſſa fœtida uſurpatur in Pulvere hyſterico *Charas*, Trochiſcis de Myrrha, Balſamo uterino, & Empl. pro matrice.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

De Bdellio.

QUid ſit Βδέλλιο Βδέλλιον veterum Græcorum ; & utrum ad nos uſque pervenerit, non plane conſtat. Triplex Bdellii genus Dioſcorides diſtinguit. Primum eſt lacryma arboris Sarracenicæ, & eſt Gummi translucidum, taurini glutinis in modum, intus pingue, liqueſcens facile, ligni ac ſordis expers, guſtu amarum, ſuffitu odoratum, ungui ſimile. Alterum ſordidum eſt, nigrum uberioribus glebis in offas convolutum, Aſpalathi odore, ex India advectum. Tertium ex Petra oppido, ſiccum, reſinoſum, liveſcens, ſed facultate ſecundum.

Galenus, *L. Simplicium medicamentorum*, de duplici Bdellio mentionem facit: Scythico uno, quod atrius eſt & reſinoſum magis; Arabico altero colore dilucidiori & humido, & facile molleſcente.

Plinius de Bdellio hæc tradit. „ Vicina eſt Bactriana in qua Bdellium „ nominatiſſimum. Arbor nigra eſt, magnitudine Oleæ, folio Roboris, „ fructu Caprifici naturaque. Gummi alii Brochon appellant, alii Mala- „ chran, alii Maldacon, nigrum vero & in offas convolutum Hadrobo- „ lon. Eſſe autem debet translucidum, ſimile Ceræ, odoratum, & cum „ fricatur, pingue, guſtu amarum citra acorem. Naſcitur & in Arabia, „ Indiaque, & Media, ac Babylone. Aliqui Peraticum vocant ex Media „ advectum, fragilius hoc & cruſtoſius amariuſque; at Indicum humi- „ dius & gummoſum. “

Ex his liquet quam increta ſit Bdellii hiſtoria in veterum ſcriptis. Nec ab Arabibus magis illuſtratur, quandoquidem Serapio duo Bdellii genera conſtituit: unum Judaicum, quod Avicenna Mochel Judaicum nominat, & ipſum Dioſcoridis Bdellium videtur eſſe; alterum cujuſdam plantæ Palmæ ſimilis fructum eſſe tradidit. Hoc Mochel Mecchenſe ab Avicenna dicitur.

Nec ſuper hanc rem neoterici conſentiunt. Quidam enim Myrrham legitimum Bdellium eſſe exiſtimaverunt, teſte Matthiolo. Sunt qui Anime verum Bdellium eſſe putant, inquit Cluſius. Alii, Olivo teſte, pro Bdellio carbunculos, alii cryſtallum intelligunt. C. Bauhinus apud Matthiolum ſex Bdellii differentias habet.

1. Majoribus glebis rufum, & cum frangitur, in plurimos gramulos diſſiliens, mediocriter ſplendens.

2. Minoribus glebis ſubfuſcum, intus rufum, cum frangitur, in duas partes quaſi diſſectum ſe dividens, translucens, denſum, lentum, glutinoſum, pingue, & lacrymas albas calido in loco emittens.

3. Nigrum, intus in nigro rufum, glutinoſum, mediam inter Thus & gummi Ceraſorum qualitatem reſipiens.

4. Nigrum quoque, ſed intus fulvum, purpureo colore, maxime translucens, molle, glutinoſum, Ceraſi gummi ſimile, ejuſdemque ſaporis.

5. Colore & ſapore priori ſimile, ſed intus pallidis aut candicantibus maculis diſtinguitur.

6. Pallidum aut candidum, grumis oblongis, mediocribus, multis, longis, guttis denſatis concretum, amarum, ingratum, omnibus ſpeciebus acerrimum.

Samuel Dale duas Bdellii ſpecies, *in ſua Pharmacologia* deſcribit. Primum, inquit, eſt ſubſtantia gummoſa & reſinoſa, pinguis, Ceræ inſtar, tenax, glutinoſa, coloris ex ferrugineo nigricantis, ad Myrrham accedentis, cujus ſaporem & odorem æmulatur. Ex Arabia, Media, & India advehitur. Secundum eſt ſubſtantia reſinoſa, duriuſcula, nigricans, friabilis, in guttas concreta & indurata, ſapore & odore præcedentis. Ex Ganea affertur.

Petrus Pomet, *in ſua rei medicamentariæ Hiſtoria*, obſervat plurimas gummi ſpecies ſub Bdellii nomine in officinis reperiri, modo reſinam Americanam ex arbore *Courbaril* manantem & Anime dictam, modo reſinam alterius arboris Caningæ ſeu Caſſiæ caryophyllatæ, modo coſti corticoſi reſinam, quam Gummi *Alouch* nominat, aut alias minus notas.

At vero quod in officinis noſtris pro genuino Bdellio habetur, a priori ſpecie a Samuele Dale deſcripta non differt: & eſt Gummi-reſina in glebas diverſæ figuræ & magnitudinis concreta, extus Myrrham vulgarem aliquando referens, coloris ferruginei rubentis, aliquando ex fuſco nonnihil rufeſcentis, intus quodammodo pellucida, & taurino glutini aliquatenus ſimilis, fragilis, in ore molleſcens & dentibus adhærens, ſapore ſubamaro, longe remiſſiori quam in Myrrha; odore non inſuavi, præſertim dum incenditur: flammam concipit & quidem pertinacem licet cum crepitu, cujus in ſuperficie granula exſudantis glebæ hinc inde nonnunquam apparent. Sæpius cum Myrrha in Ciſtis permixtum reperitur, & nonnunquam cum Gummi Senegal. Hæc ſubſtantia, ſi non eſt præſtantius Dioſcoridis Bdellium, ſaltem ad illud proxime accedit.

De arbore Bdellifera nihil certi traditur. Deſcribente Plinio, nigra eſt, magnitudine Oleæ, folio Roboris, fructu Caprifici. Alii arbori Myrrhæ eam valde ſimilem faciunt: & Thevetus affirmat ſe bis mille Myrrhæ & Bdellii feraces arbores in eadem ſylva ſimul creſcentes vidiſſe. Lobelius & Pena inter alias merces ſe multos hujus ligni ſurculos expiſcatos tradunt, ſolida ſubſtantia, cortice duro, nigricante, ſpinis multis rigidis & craſſiuſculis horrentes. Unde quærit Samuel Dale an ſit arbor lacteſcens aculeata, foliis quernis, Americana, (Bdellifera forte,) ſive arbor Bdellium ferens in America, *Plukn. Phytogr. tab.* 145.

Bdellii altera pars aqua ſolvitur, pars altera ſpiritu vini aut oleis. Accenditur, & flammam emittit luculentam & durabilem, licet comburendo crepitus aliquos edat propter partem ſalino-aquoſam cum reſina permixtam. Tota ejus ſubſtantia ſpiritu vini tartarizato, alcalinis liquoribus, vino aut aceto ſolvitur.

Bdellio vis emolliendi tribuitur; & ea quidem potentior, dum recens eſt. Inſigniter etiam diſcutit, aperit, atque abſtergit, ſed alia atque alia ætate: ſi diſcutere velis, mediæ ætatis ſumendum eſt; ſi abſtergere tantum, quo vetuſtius, eo melius. Interne rari eſt uſus. Commendatur tamen in affectibus pectoris, tuſſi, reſpiratione difficili, pul-

pulmonum apoſtemate, ad urinam ciendam & calculos expellendos. Pilulæ de Bdellio in fluxu hæmorrhoidali valde laudantur a plurimis, præſertim Solenandro, Foreſto, & Riverio, ſi ʒj. exhibeatur. Potenter enim fluxum inhibet, in primis ſi accedat ſuffitus Bdellii receptus per anum. Externe tumores mollit & reſolvit, abſceſſus maturat, vulnera recentia ſanat.

℞. Bdell. optimi ℥xij. Sem. Ammeos ℥iij. Myrobalanor. Chebular. Indor. Belliricor. Emblicor. Conchar. Venerear. uſtar. Succini pp. ana ℥ijß. cum Mellis roſati q. ſ. Fiat maſſa Pilular. Doſ. ʒj. in fluxu hæmorrhoidali.

Uſurpatur in Mithridatio *Damocratis*, Trochiſcis Cyphæos, Pilulis fœtidis, Unguento Apoſtolor. Emplaſtro diachylo, gummato, divino *Paracelſi*, ſtiptico, diabotano *D. Blondel.*

ARTICULUS QUARTUS.

De Euphorbio.

Euphorbium, *Off.* Εὐφόρβιον, *Dioſcoridis*: Euforbion, *Arabum*. Eſt gummi-reſina concreta in guttas vel lacrymas ex pallido flaveſcentes aut coloris aurei, ſplendidas, modo rotundas, modo oblongas, ramoſas & cavernoſas, ſaporis acerrimi, exurentis, nauſeoſi; odoris expers. Affertur ex Africæ regionibus a mari remotiſſimis per Selam urbem, vulgo *Sale*, in Barbariam; unde in Europam tranſvehitur.

Eligitur purum, ſiccum, pallidum vel flaveſcens, & acre, quod levi linguæ contactu totum os accendit.

Dioſcorides refert Euphorbium tempore Jubæ Lybiæ Regis detectum fuiſſe. Plinius vero dicit ab ipſo Rege Juba compertum, & nomen ſui Medici Euphorbi fratris celeberrimi Antonii Muſæ, Cæſaris Auguſti Medici, impoſitum fuiſſe. Obſervat tamen Salmaſius *Tractatu de Homonymis*, Εὐφόρβης ἀχάνθης mentionem eſſe apud auctorem longe quam Juba eſt antiquiorem, Meleagrum ſcilicet Poetam æqualem Menippi Cynici, in quodam poemate Græco inſcripto Στέφανος.

Planta dicitur Euphorbium antiquorum verum, *Commel. H. Med. Amſtelod.* 23. Schadidacalli, *Horti Malabar.* 2. 81. Frutex eſt altitudine duorum hominum & amplius, naſcens in arenoſis; radice craſſa, recta in terram deſcendente, fibras hinc inde emittente, intus lignoſa, cortice exterius fuſco, intus candido & lacteo circumveſtita. Stipes qui e radice ſimplex oritur, trigonus vel tetragonus, quaſi articulatus ſeu diverſis nodis diſtinctus, marginibus inter nodos ſinuoſis, anguloſis, & in angulis ſpinis rigidis, acutis, rectis, fuſcis & nitentibus, binis munitus, cortice craſſo, viridi, fuſco conſtat & pulpa humida, albicante lacte turgida abſque ullo ligno. In plures ramos expanditur ſine frondibus; niſi particulas quaſdam ſeu appendices, quæ in oris ſolitariæ &

 ſpinis

ſpinis adſitæ prodeunt parvæ, rotundæ, craſſæ, lacteæ, & parvis; craſſis, planis, viridibus ac lacteis pediculis innixæ, foliolorum nomine inſignire quis vellet. Flores in oris naſcuntur maxime ex ſinibus cavis inter angulos extuberantes ſeu ſpinarum ordines intermediis, ex parte eorum profundiore terni, ut plurimum ſimul in uno pediculo parvo, ferme ſemiunciali, rotundo, viridi, lacteo, craſſo, recta exſurgente. Medius flos & major primo ſeſe expandit, cœteris conſequentibus priori adnatis, & ex adverſo poſitis, pedicelliſque minimis aut nullis fultis. Conſtant autem calyce monophyllo, ventricoſo, rugoſo, colorato, ore quinquedentato & perſiſtenti; petalis vero quinque, turbinatis, gibbis, craſſis, cum dentibus calycis alternis, unguibus margini calycis impoſitis. Ex eorum medio ſtamina plura, quinque vel ſex bifurcata, ſuperne rubra, inordinate aſſurgunt: piſtillum ſimplex breve germen gerit ſubrotundum, triquetrum, cum ſtigmatis tribus: floribus prodeuntibus, appendices foliaceæ ſeu foliola decidunt. Floribus ſuccedunt fructus ſeu vaſcula ſeminalia, tricocca, plana, lactea, primum virentia, dein ex parte rubentia, ſaporis adſtringentis; in quibus tria ſemina rotunda, extus cinerea, intus albicantia continentur. Sæpe in ſaccis coriaceis cum Euphorbio hujus plantæ fragmenta, capſulæ ſeminales & flores exſiccata repeBriuntur. Tota planta ſucco acri, lacteo turget, qui, quacumque parte læſa, copioſe ex ea profluit. In Africa, Malabara, & India orientali creſcit. Videtur autem illud Gummi colligendi modus Malabaribus incognitus.

Analyſi Chymica, Euphorbii ℔ij. exhibuerunt liquoris limpidi, perfuſi odore ingrato, qualis ex oleo Olivarum diſtillato exhalat, ſaporis acris & aliquantiſper urentis abſque acido aut alcali manifeſto, ℥iij. ʒij. ille ſapor a ſubtili quodam ſpiritu analogo illis liquoribus qui ex Elleboro, Croco, & aliis extrahuntur: phlegmatis acidi, limpidi, rufeſcentis, empyreumatici odoris, ſaporiſque, ℥iij. ʒvij. gr. liiij. humoris rufi, qui partim acidi, partim alcali volatilis urinoſi valentioris notas præbuit, ℥j. ʒiij. gr. xij. olei fuſci, tum fluidi, tum ſpiſſioris conſiſtentiæ ℥xj. gr. xviij. Maſſa nigra compacta in retorta reſidua pendebat ℥viij. ʒij. quæ per 19. horas in crucibulo calcinata cinerum rufeſcentium ℥ij. ʒiij. reliquit; ex quibus ſalis alcali fixi ʒij. gr. lviij. extracta fuerunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. ʒvj. gr. lx. in calcinatione ℥v. ʒvij.

De medicis plantæ Euphorbii viribus veteres nihil referunt. Malabares, narrantibus horti Malabarici ſcriptoribus, ex ejus radice addito pauxillo Aſſæ fœtidæ emplaſtrum præparant, quod ventri puerorum pro lumbricis enecandis commode ſuperimponitur. Cortex radicis contritus & ſumptus cum aqua alvum ſolvit. Stipes & rami contriti & aqua decocti juvant in doloribus podagræ, ſi pars affecta ejus fumo vel vapori exponatur.

Nulla apud Hippocratem de Euphorbii ſucco mentio eſt. Galenus & Dioſcorides de ejus purgandi facultate nihil memoriæ prodiderunt. Græci recentiores & Arabes inſignem ſerum ex toto corpore trahendi virtutem ipſi tribuunt. Eſt autem acerrimum omnium ardentiſſimumque hydragogum; adeo ut non ſine labore, animi defectu, ac ſudore frigido alvum dejiciat, & ſæpe inteſtina exulceret. Hinc monet C. Hoffmannus non tu-

tutum eſſe Euphorbii uſum interiorem, nequidem in viſceribus refrigeratis. Meſues quoque illud tanquam noxium medicamentum intus exhiberi vetat, niſi prius iis commiſceatur medicamentis, quæ acerrimam ejus vim retundere valeant. Fernelius ſcribit pericula ejus emendari, ſi diem unum maceretur in oleo Amygdalino, deinde exceptum mergatur in Citreo Malo acido, quod deinde maſſa obductum coquitur; cumque uſus expoſcit, datur a gr. vj. ad x. cum Maſtiche, Cinnamomo, & Spica: at ubi corpus perturbari cœperit, danda ſubinde potio, quæ & refrigeret, & leniat. Alii illud tenuiter pulveratum in Malo Cydonio includunt, & coquunt in clibano. Alii aceto, ſucco Limonum vel Granatorum, aut phlegmate Vitrioli illud temperant. Verum enimvero cum parum tutæ ſint illæ correctiones, cum Ludovico, Hoffmanno, Vvedelio, Timæo, & aliis, ab hoc cathartico abſtinendum eſſe cenſemus, vel ſaltem in illis tantummodo affectibus uſurpandum eſſe, in quibus viſcerum membranæ paralyſi affectæ nonniſi valentioribus, & irritantibus medicamentis commoveri poſſunt, ut in ſoporoſis affectionibus, letargo, apoplexia, paralyſi: tuncque a gr. ij. vel iij. ad vj. vel viij. Serapio, & Avicenna obſervant drachmarum trium pondere hauſtum potantem interficere, trium dierum ſpatio, eroſis ab eo inteſtinis, & ventriculo.

Adeo tenuium eſt partium, ut vel odore ſolo ſternutatorium ſit: ejus oleo etiam perunctæ nares aquoſo multo ſtillant humore: ejus pulvis naribus exceptus tantam excitat irritationem, ut ſæpius hæmorrhagiam nimium provocet, & nonnumquam cerebri membranas inflammet.

Externe admotum humores lentos & craſſos incidendo digerit, imo ruborem infert, inflammationem excitat, & nonnumquam exulcerat. Quapropter a Meſue commendatur tanquam proficuum reſolutis, convulſis, ſtupidis, tremulis, cœteriſque nervorum morbis a frigore oriundis, ſi ex Leucoii oleo lævigatum exterius inungatur. Jecori, lienique inunctum eorum dolores a frigore, & flatibus provenientes tollere, occipiti confricatum veternoſos oblivioſoſque juvare afferit.

Ex Fernelio quoque coxendicis & paralyticis confert. Ad hæc linimentis, & unguentis permiſcetur. Hermannus tumores ſcirrhoſos paucis diebus Euphorbio oleo ſoluto diſſolvit.

Euphorbii uſum egregium prædicant in carie oſſium, & nervorum puncturis. Pulveratum inſpergitur oſſibus carioſis, vel ſolum, vel permixtum cum æquali portione radicis Iridis Florentinæ, vel Ariſtolochiæ rotundæ, aut cum aliis ſimilibus.

℞. Euphorb. ſelect. ℈j. Terebenth. Venet. ℥ß. Ceræ parum. Fiat unguentum calide applicandum loco punduræ nervi.

Ex eo paratur Oleum de Euphorbio dictum. Uſurpatur in Pilulis de Euphorbio *Quercetani*, Pilulis fœtidis, & in Philonio magno ſeu Romano.

Ob ejus vehementem acrimoniam nonniſi magna cum moleſtia pulveratur; cujus rei gnari Pharmacopolæ ruſticis quibuſdam, & conditionis infimæ viris terendum committunt, monentque ut a pila in aqua teritur, vultum avertant. Numquam tamen ab ejus feritate intacti redeunt: nam ejus polline, & vapore

ſur-

ſurſum elato, tam importune feriuntur nares & cerebrum, ut ſternutatio, acrimonia, calor, dolor confeſtim & ſimul ingruant.

ARTICULUS QUINTUS.

De Galbano.

GAlbanum, *Off.* Χαλβάνη, *Dioſcoridis*: Chene, *Arabum*. Subſtantia eſt pinguis, ceræ inſtar ductilis, ſemipellucida, ſplendens, mediæ quodammodo naturæ inter gummi, & reſinam, ſiquidem accenditur igne ut reſina, & ut gummi humore aqueo ſolvitur, non oleis; colore albicante, fere translucido, dum recens eſt, poſtea flaveſcente aut rufo; ſapore amaricante, acri; odore vehemente cum gravitate quadam viroſa. Ejus duæ ſpecies occcurrunt in officinis. Aliud in grumos ſeu lacrymas concretum, vulgo *Galbanon en larmes*: aliud in maſſas coactum, vulgo *Galbanon en pains*. Probatur Galbanum recens, purum, pingue, mediocriter viſcoſum, inflammabile, ex albicantibus & ſplendentibus grumis compactum. Fuſcum, ſordidum, arena, terra, lignove permixtum rejicitur. Ex Syria per Maſſiliam affertur.

Veteribus Græcis hæc lacryma cognita fuit. Illam Dioſcorides ex quadam Ferula ſtillare ſcribit, quæ Meropion dicebatur. Revera ſponte vel vulnere fluit, ex ferulacea ſeu umbellifera quadam planta, quæ dicitur Oreoſelinum Africanum, Galbaniferum, fruteſcens, Aniſi folio, *Inſt. R. H.* 319. Ferula Africana, Galbanifera, Liguſtici foliis, & facie, *Paradiſi Batavi*: Aniſum Africanum fruticeſcens, folio & caule rore cæruleo tinctis *Plukn. tom.* 12. Oreoſelinum Aniſoides arboreſcens, Liguſtici foliis & facie, flore luteo, Capitis-bonæ ſpei, *Breyn.* 2. *Prodr.* Ex radice craſſa, lignoſa, pallida, in aliquot fibras brachiata, caules pollicari craſſitie aſſurgunt ultra tres quatuorve cubitos, perpetui, lignoſi, rotundi, geniculati, albida, duriuſcula medulla farcti, & ramos aliquot brachiati. Singula caulium & ramorum internodia teguntur foliaceo quodam involucro, ex quo frondes egrediuntur Aniſi folia referentes, ſed ampliores, firmiores, acute inciſi, glauci, ſaporis & odoris acris. Caules, rami & folia glauco rore obducuntur. Flores in caulium cacuminibus umbellatim diſpoſiti naſcuntur puſilli, pentapetali, roſacei, lutei, quibus ſuccedunt ſemina tenuja, pene orbiculata, compreſſa, e fuſco ſpadicea, ſtriata, & in ambitu tenuj membranacea ala marginata; ſaporis acris, aromatici, pungentis. Tota planta ſucco viſcido, lacteo, dilutiori turget, in lacrymam Galbano omnibus notis reſpondentem concreſcente, quem ſauciata fundit, licet paucum. Ex trimuli quadrimulive caulis geniculis ſua ſponte nonnumquam emanat. Sed caulem ſcinderes ſolent duobus vel tribus tranſverſis digitis a radice, unde ſiccus guttatim ſtillet: aliquot poſt horas concreſcit, induratur, & colligitur. In diverſis Africæ regionibus, Mauritania præſertim naſcitur, & in Perſia.

Longe alia planta eſt, quæ Ferula Galbanifera, *Lobelii Icon.* 779. dicitur,

tur, ſeu Ferulago latiore folio, *C. B. P.* 148. Ea enim Galbanum non profert, ut Cl. Tournefort. obſervavit, ſed aliud Gummi genus intenſe rubens, nec vehementer olens.

Analyſi Chymica, ex Galbani electi ℔ij. prodierunt phlegmatis ruſeſcentis, odorati, ſubacidi ℥iij. ʒij. liquoris acidi, rufi ℥iij. ʒv. gr. xxxiiij. liquoris fuſci, empyreumatici, partim acidi, partim alcalini ʒvij. gr. xxxvj. olei fluidi, fuſci ℥j. ʒvij. gr. xxx. ſpiſſioris, & ex viridi fuſci ℥v. ʒv. melleæ conſiſtentiæ ℥vij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥vij. ʒj. gran. xxxvj. quæ per horas 20. in crucibulo calcinata reliquit cinerum ʒv. gr. xlviij. ex quibus ſalis fixi non mere alcalini gr. xiij. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in hac diſtillatione fuit ℥ij. ʒiiij. in calcinatione vero ℥vj. ʒiij. gr. lx. Oleum per iteratas diſtillationes purgatum, colore cæruleo elegantiſſimo tinctum apparuit.

Galbanum vino, & aceto ſolvitur, ſicut etiam aqua calida; non facile oleis, aut ſpiritu vini. Conſtat ſale tartareo, & oleo craſſo fœtido.

Galbanum intus ſumptum viribus cum Ammoniaco convenit, licet paulo ſit debilius. Pituitam tenacem diſſolvit; unde aſthmati conducit, & tuſſi veteri: flatus diſcutit, & colicis affectibus medetur: uteri obſtructiones reſerat, menſes promovet, & purgamenta poſt partum, fœtum, & ſecundinas pellit: hyſtericos affectus ab uteri obſtructione ſublevat. Commendatur quoque adverſus venena coagulantia. Ejus ſuffitus in uteri ſuffocatione, & epilepticis paroxyſmis utilis eſt. Externe incidit, potenter attrahit, emollit, & maturat; eam ob rem plurimis emplaſtris admiſcetur ad bubones, & anthraces maturandos, & ſcirrhoſos tumores reſolvendos. Affectiones hyſtericas umbilico admotum mitigat: ſpaſmodicos inteſtinorum motus, artuumque convulſionem, & paralyſim ſedat ſuper alutam extenſum, & parti affectæ applicatum.

℞. Galbani & Gumm. Ammon. ana ℥ij. Vitriol. Martis Riverii ℥ß. Diacryd. ʒx. Syrup. de Rhamn. cathartico q. ſ. M. Fiat maſſa pilular. Doſis a gr. v. ad ℈j. in menſium ſuppreſſione, & retentis poſt partum purgamentis, modo abſit inflammatio.

℞. Galban. Aſſæ fœtid. Myrrh. ana ʒj. Camphoræ, ſalis Succin. ana ℈ß. Boracis ℈ij. Syrup. de Arthemiſia q. ſ. M. F. maſſa pilular. Doſis ℈j. in hyſterica paſſione & purgamentis poſt partum ſuppreſſis.

℞. Galbani, Aſſæ fœtid. & Myrrh. ana ʒß. Caſtorei ℈j. M. F. Trochiſci pro ſuffitu in hyſtericis paroxyſmis.

℞. Galbani q. ſ. Diſſolve in olei Succini & ol. Spicæ ana q. ſ. Fiat linimentum, quo partes convulſæ vel paralyticæ inungantur.

Ex Galbano paratur Galbanetum Theophraſti *Paracelſi*, quod præſtantiſſimum habetur medicamentum in nervorum contracturis, ſpaſmodicis affectionibus, colicis doloribus convulſivis, & membrorum paralyſi externe illitum. Sic autem confici debet.

℞. Galbani ℔j. Gumm. Hederæ ℥iij. Ol. Terebenth. ℔ß. Oleor. Laurini & ſpicæ Lavandul. ana ℥j. Digerantur per duos treſve dies: poſtea diſtillentur ex retorta. Liquor diſtillatus ſervetur ad uſum.

Gal-

Galbanum uſurpatur in Theriaca, Mithridatio, Diaſcordio, Unguento Apoſtolor. Balſamo uterino *Charas*, Ung. de Althæa; Emplaſtro de Galbano, dyachylo gummoſo, de mucaginibus, diaphoretico, Manus Dei dicto, magnetico *Angeli Salæ*, divino, pro matrice, oxycroceo, ſtyptico; diabotano *D. Blondel.*

ARTICULUS SEXTUS.

De Myrrha.

PLurima Myrrhæ genera veteribus fuerunt recenſita, & ab illis parum accurate deſcripta, aut ab invicem diſtincta. Necnon etiam nunc hodie in Myrrhæ ciſtis plurimæ deprehenduntur glebæ ſapore, odore, & conſiſtentia diverſe, modo odore Mirrhæ non inſuavi, modo gravi & ingrato, modo intenſe amaræ, & nauſeoſæ, modo levi amaritie perfuſæ, præter Bdellii, & Gummi Arabici glebas permixtas. Unde liquet aliquid intereſſe diſcriminis inter Myrrhæ lacrymas, prout ex diverſis arboribus, vel ex diverſis earumdem arborum partibus, vel ex iiſdem arboribus pro diverſa anni tempeſtate, pro cultura diverſa, ſponte vel inflictis vulneribus promanant.

Fuchſius Myrrham *Off.* non eſſe Myrrham veterum legitimam ſuſpicatur, ſed eam eſſe ſpeciem deteriorem, quæ Caucalis, & Ergaſine a Dioſcoride cognominatur. Verum, ut opinor, illa diverſa Myrrhæ genera hodie confuſa nobis afferuntur.

Braſſavolus aliique Myrrham noſtram pro veterum Bdellio habuerunt. Verum Myrrha facile diſcernitur, quod amara ſit, minus lenta, odoris acrioris & magis pungentis, quam Bdellium. Langius & alii Myrrham noſtram reprobantes, Benzoinum pro veterum Myrrha uſurpant. At ipſo confitente, in Benzoino deſideratur amaritudo, quam Dioſcorides in Myrrha requirit. Itaque cum J. Bauhino, & aliis cenſemus legitimam Myrrham adhucdum hodie nobis afferri, quamvis cum Gummi ſæpius permixtam. Nec obſtat quod a veteribus Myrrha inter aromata ſuaviora numeraretur, cujus odore vina pretioſiſſima condiri ſolebant. Nam, ut jam alibi diximus, de ſaporibus & odoramentis non eſt diſputandum; cum maxima ſit circa illa hominum mutabilitas.

Myrrha duplex a veteribus diſtinguebatur; liquida ſeu Stacte, & ſolida ſeu gleboſa. Myrrham liquidam ſeu Stactem duplicem adhuc conſtituunt; unam nativam, quæ vel ſponte ſudat ex arboribus, priuſquam incidantur, cui nulla præfertur, inquit Plinius; vel ex recentibus exprimitur glebis, quarum interior ſubſtantiam nondum induruit, ſed liquida adhuc, & oleaginoſa deprehenditur. Tales quandoque occurrunt in officinis glebæ recentis Myrrhæ ſucco oleoſo turgidæ, quam aromatarii Stacten etiam dicunt. Altera vero arte facta, quæ a veteribus præparabatur, erat recentis Myrrhæ cum modica aqua contuſæ, & per organum expreſſæ liquamen hodie fere ignotum, & inuſitatum. Sunt qui affirmant Styracem liquidum *Off.* ſtillatitiam ex Myrrhæ arboribus lacrymam eſſe, quæ Stacte veteribus dicebatur; quod

cum

cum veritate nullo modo convenit. Styrax enim liquidus *Off.* ſuccus eſt, ut diximus, a Myrrha prorſus diverſus.

Solidæ Myrrhæ ſeu glebofæ genera complura a veteribus recenſentur. Inter hæc Troglodytica, a Troglodytarum regione unde afferebatur ſic dicta, præſtantior a Galeno cenſetur; ſequens Minnæa, a Minnæorum pago. Hanc tamen Dioſcorides videtur improbare; niſi, ut quidam volunt, Myrrha Aminea *Dioſcoridis* diverſa ſit a Myrrha Minnæa *Galeni*; quod quidem decernere difficile eſt.

Nec præmittendum eſt quod Galenus refert de Opocalapſo ſeu Opocarpaſo, quod Myrrham optimam mentiebatur, cum illa ſuo tempore permixtum ſæpius reperiebatur, nec ab illa facile diſtingui poterat. Succus erat venenatus, ſoporem, & ſtrangulationem præcipitem inducens. Et Galenus in ætatis ſuæ decurſu ſe multos vidiſſe refert mori; quod Myrrham, cui Opocarpaſum admixtum eſſe neſciebant, ſumpſiſſent. Cujuſnam plantæ, arboriſve, an herbæ ſuccus eſſet Opocarpaſum dictus, nemo veterum nos docet, nec recentiorum quiſquam adhuc novit.

De Myrrha quadam Bœotica Dioſcorides mentionem facit, quæ arboris cujuſdam in Bœotia naſcentis conciſa radix eſt. Hæc hodie omnino non cognoſcitur.

Myrrha itaque, *Off.* Σμύρνα, *Dioſcor.* Μύῤῥα, *Hippocratis*: Ler, Mur, ſeu Mor *Arabum*: vulgo *Myrrhe*. Succus eſt reſinoſo-gummoſus, in fragiles concretus glebas variæ magnitudinis, modo Avellanæ, modo Nucis magnitudine, modo majores; colore flavo, rufo aut ferrugineo; quodammodo pellucidas, nitentes, quæ confractæ venas albidas ſemicirculares ſeu lunares unguium modo oſtendunt; ſapore amaro, ſubacri, aromatico, nauſeoſo tamen; odore gravi, nares feriente, dum conteruntur, nec inſuavi ſuffitu, dum comburuntur. Probatur friabilis, levis, undequaque concolor, amara, acris, odorata. Nigra rejicitur, ponderoſa, & ſordibus inquinata. Defertur Myrrha ex ea Æthyopiæ parte, quæ regio Troglodytarum olim dicebatur.

De arbore quæ Myrrham fundit, nihil certi traditur.

Analyſi Chymica, ex Myrrhæ electæ ℔ij. per retortam diſtillatis prodierunt phlegmatis rufeſcentis, odore, & ſapore Myrrham referentis ℥iij. ʒiiij. liquoris acidi auſteri ℥iiij. ʒvij. gran. xxxiiij. liquoris, tum acidi, tum urinoſi ℥j. ʒv. olei rufi, limpidi, & odorati ℥j. ʒvij. gran. xxxij. olei fuſci, aliquantiſper empyreumatici, & ſpiſſioris conſiſtentiæ, ſyrupi inſtar ℥iij. ʒvj. gran. xxxvj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥ix. ʒvj. gran. liv. quæ per 26. hos calcinata ruforum cinerum ℥ij. ʒiij. gr. xxxvj. exhibuit; ex quibus ſalis fixi ſalſi gr. xviij. lixivio extracta ſunt. Partium deperditio in diſtillatione fuit ℥vj. ʒij. gr. lxx. & in calcinatione ℥vij. ʒiij. gr. xviij.

Myrrha flammam concipit, ſicut Reſina: non tamen perfecte oleaginoſis, reſinarum more, diſſolvitur, ſed partim grumeſcit; nec etiam, gummi adinſtar, aqueis facile, & expedite diluitur, ſed in aqua relictæ major pars non diſſoluta limi inſtar diffluit. Spiritus vini rectificatus diuturniore digeſtione extrahit tincturam ſeu partem reſinoſam, gummoſa tantum remanente portione, odoris, & amaroris prorſus experte, quæ aqua diſſolvitur aut ſaltem molleſcit, & in mucum lentum ac viſcidum convertitur.

Tota

Tota diſſolvitur ſpiritu vini tartarizato, aut conſociato cum ſpiritu urinoſo ſalis Ammoniaci.

Itaque Myrrha eſt concretum ex Reſina, Tartaro, & Ammoniacali ſale adeo accurate permixtis, ut a ſe invicem ſeparari vix poſſint.

Myrrhæ vim exſiccantem, & abſterſoriam moderatam Galenus tribuit: alii in ea virtutem inſigniter reſolvendi agnoſcunt. Reipſa ſanguinem craſſum ac viſcidum, bilem grumeſcentem, & humores glutinoſos, & concretos potenter diſſolvit. Unde intus ſumpta commendatur in uteri, & viſcerum obſtructionibus. Menſes, puerperarum purgamenta, & fluxum hæmorrhoidalem movet: placentam uterinam, & fœtum mortuum pellit: pulmonum infarctus diſcutit. In aſthmate, tuſſi, & ad pulmonum tubercula, in ictero, & in ſcorbuticis, & cachecticis affectionibus utiliter præſcribitur. Vermes interimit, tum inſigni amarore ſuo, tum etiam humorem viſcidum, quo ventriculi, & inteſtinorum parietes interni obducuntur, & ubi horum animalculorum ova reconduntur, ſolvendo, & foras amandando. Ventriculum roborat, ciborum concoctionem juvat, flatus diſcutit. In febribus malignis, putridis, & peſtilentialibus, in variolis, & morbillis confert, putredinem arcendo, blandam diaphoreſim excitando, & cutaneam eruptionem accelerando. In ulceribus, tum internis, tum externis tanquam Balſamum ſingulare commendatur. Corruptionem, & putredinem ulceroſam in quacumque corporis parte corrigit: unde in empiemate, ulcere pulmonum, hepatis, renum, uteri, aut cæterorum viſcerum, & in dyſenteria feliciter uſurpatur. Exhibetur ejus ſubſtantia ſub forma boli vel pilularum, raro ſoluta ob inſignem amaritiem, a ℈ß. ad ʒß.

Externe attenuat, diſcutit; & egregium eſt traumaticum. Vulnera inveterata, quæ jam in ulcera convertuntur, a putredine verminoſa præſervat, & mundificat. Gangrænæ, & corruptioni vulnerum quæ ex defectu ſpirituum in parte læſa ſupervenit, atque cariei oſſium medetur, ſive cum decoctis aut tincturis, ſive cum emplaſtris aut unguentis miſceatur.

Verum Myrrha non ſemper innoxia; ſiquidem Myrrhæ odor, ut J. Bauhinus poſt Galenum obſervat, plurimis etiam ſanis dolorem capitis inducit. Præterea Myrrha non ſolum menſtruas fœminarum evacuationes pellit, ſed etiam quaſcumque quocumque in loco ſanguinis eruptiones excitat aut auget: quapropter illius uſus in illis, qui ſputo aut mictui cruento, aut aliis quibuſcumque hæmorrhagiis obnoxii ſunt, malum ſopitum revocat. Neque etiam temerarie, & incaute gravidis mulieribus exhibenda eſt, ne abortum provocet.

Myrrhæ præparationes uſitatiores ſunt tincturæ, & olea.

Tinctura extrahitur cum ſpiritu vini rectificato; vel ſolo, quo pars reſinoſa ſola diſſolvitur, remanente gummoſa, inſipida, & inodora; vel conſociato cum ſpiritu volatili urinoſo ſalis Ammoniaci: & tum tota Myrrhæ ſubſtantia diſſolvitur. Exhibetur utraque a gutt. v. ad ʒß.

Oleum fit, Myrrham per retortam igne blando, & gradatim aucto diſtillando: ſic enim oleum cum ſpiritu acido extrahitur ſpiſſum, quod ab humore ſpirituoſo ſeparatum iterum cum multa aqua diſtillandum eſt, ut

ut limpidum obtineatur, tenue, & odorum. Alius quoque humor Oleum Myrrhæ per deliquium in officinis improprie dicitur, cum nihil aliud ſit quam Myrrhæ liquamen, mediante humore ſulphureo ſalino albuminum ovorum. Sic præparatur. Ova recentia ad duritiem cocta per mediam longitudinem in duas partes æquales incidantur; exemptiſque vitellis, Myrrha electa pulverata cavitates albuminum impleantur. Albuminum medietates iterum junctæ, & filo leviter conſtrictæ, in cella vel alio humido loco ſuſpendantur; ita ut Myrrhæ liquamen in vas aliquod vitreum ſenſim diſtillet. Humor ille blando igne in vaſe aperto ad quartæ partis diminutionem exhalet, & ſervetur ad uſum. Commendatur ad lentigines, rugas faciei, & deformes vulnerum cicatrices delendas, ſi ſæpius illinatur.

℞. Myrrhæ elect. gr. xij. Croci Martis aper. & Gumm. Ammon. ana gr. x. Syr. de Abſynth. q. ſ. Fiat bolus mane, & ſero exhibendus in menſium ſuppreſſione.

℞. Myrrh. gr. xv. Boracis ℈j. Cinnamom. gr. xviij. Fiat pulvis Conſervæ Abſynth. vel Calendulæ q. ſ. excipiendus. Fiat bolus ad menſes ſuppreſſos, aut puerperarum purgamenta provocanda, & ad fœtum mortuum expellendum.

℞. Myrrhæ & Oliban. ana gr. xv. Croci pulver. gr. vj. Balſam. Ægyptiaci q. ſ. Fiant pilulæ, incipiente phthiſi, ad pulmonum tubercula reſolvenda, ulcuſcula ſananda.

℞. Myrrh. Elect. ℈ß. Diaphor. miner. Viperinæ Virginian. ana ℈ß. M. F. bolus cum ſ. q. Syrup. Caryophyllor. hortenſ. in variolis, morbillis, & febribus maligni moris.

℞. Rad. Ariſtoloch. rotund. Ireos Florent. Euphorbii ana ʒj. Myrrh. Aloes ana ʒjß. M. F. pulvis oſſi carioſo inſpergendus. Vel ex eodem pulvere extrahatur tinctura ope ſpiritus vini, ad putredinem carnium arcendam.

Trochiſcis de Myrrha nomen fecit. Uſurpatur etiam in Theriaca *Andromach.* Theriaca Diateſſaron, Mithridatio *Damocr.* Conf. de Hyacinth. Philonio, Pilulis *Rufi*, de Agarico, catholicis *Poterii*, Elixir proprietatis *Paracelſi*, Oleo Scorpionum comp. Unguento martiato, Apoſtolor. mundificativo, de Reſina, Emplaſtro de Meliloto, divino, oxycroceo, ſtiptico, & aliis.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Opopanace.

OPopanax, & Opopanacum, *Off.* Ὀποπάναξ, *Græcorum*. Succus eſt gummoſus, & reſinoſus, concretus in grumos, Piſi circiter magnitudine, nunc majores, nunc minores, foris ruſeſcentes, intus vero ex flavo albicantes, intenſe amaros, acres, graveolentes, aliquantiſper nauſeoſos, pingues, friabiles tamen. Sordidiſſimas in glebas compactus ſubinde affertur ex rufo nigricantes, caulium feſtucis aut quiſquiliis permixtas. Eliguntur lacrymæ nitidæ, pingues, friabiles, colore foris croceo, interne albi-

albido aut ſubfulvo, ſapore amaro, odore gravi: niger improbatur, & ſordidus. Affertur ex Oriente; ſed ignoramus plane ex qua planta exſudet. Græcis notus fuit. Ex Papanace Heracleo dicto extrahitur, inquit Galenus, radicibus, & caulibus ipſius inciſis. Quinam vero ſit ille Panax Heracleus, incertum eſt apud auctores.

Analyſi Chymica, ex Opopanacis puriſſimi ℔ij. prodierunt phlegmatis limpidi, odori, & ſubacidi ℥iiij. ʒiiij. humoris ſubrufi, acidi, empyreumatici ℥iiij. ʒv. gr. xij. humoris, tum acidi, tum urinoſi ℥j. ʒvj. gr. lx. olei limpidi, tenuis, levis, rufeſcentis ℥j. ʒj. gr. lxvj. olei craſſioris, ſpiſſioris, aqua gravioris, fuſci ℥iiij. ʒj. gr. xij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes rara, & ſpongioſa pendebat ℥xj. ʒj. quæ per horas 26. in crucibulo calcinata reliquit cinerum fuſcorum ℥j. ʒiij. gr. xxxvj. ex quibus lixivii ope ſalis alcali fixi ʒij. gr. xlij. extracta ſunt. Partium deperditio in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒiij. gran. lxvj. in calcinatione vero ℥ix. ʒv. gr. xxxvj.

Opopanax flammam concipit ſicut Reſinæ, aqua ſolvitur ut gummoſæ ſubſtantiæ; ſed aquam efficit lacteam ratione olei copioſi. Conſtat igitur ex Tartaro, ſale Ammoniacali, & oleo arte conjunctis.

Intus ſumptus humores viſcidos, & craſſos incidit, & dividit, flatus diſcutit, & alvum citra moleſtiam purgat. Unde in cerebri, & nervorum morbis, paralyſi, epilepſia, aſthmate humorali, veteri tuſſi, meſenterii, & viſcerum obſtructionibus, & menſium ſuppreſſione utiliter exhibetur a ʒß. ad ʒj. Externe tumores emollit, & diſcutit, ſcirrhos, nodos, & ganglia reſolvit.

♃. Opopanacis ʒß. Croci gr. vj. Cinnamomi ℈j. cum Syr. de Abſynth. q. ſ. M. F. bolus in menſium ſuppreſſione.

♃. Opopanac. Rad. Irid. Florent. Agarici levis ana ʒß. Syr. de Eryſimo q. ſ. M. F. bolus in aſthmate.

Uſurpatur in Theriaca, Mithridatio, Hiera diacolocynthid. Trochyſcis de Myrrha, Pilulis de Opopanace dictis, Pil. fœtidis, El. antihydropico *Charas*, Unguento Apoſtolorum, Empl. de mucaginibus, Manus Dei dicto, divino, ſtiptico, & diabotano, *Collectan. Pharmaceuticor. Penicher.*

ARTICULUS OCTAVUS.

De Sagapeno.

SAgapenum, & Serapinum, *Off.* Σαγάπηνον, *Græcor.* Sachabenigi ſive Sechbenigi, *Arabum.* Succus eſt medius inter gummi, & reſinam, modo guttis magnis conſtans veluti Thuris, modo in glebas magnas compactus, externe rufeſcens, intus corneo quodam colore præditus, ſub dente vel etiam digito lenteſcens, albeſcenſque; mordaci, & acri ſapore; odore viroſo, gravi, ad Porri, & Pinus ſaporem accedente, & quaſi medio inter Aſſam fœtidam, & Galbanum: Candelæ admotus flammam concipit, & aqua, vino vel aceto ſuper pruna incoctus totus reſolvitur. Impuriores occurrunt in officinis glebæ concretæ, & veluti fuſæ, colore obſcuro aut ſordido, ſapore, & odore ſimili.

Com-

Commendatur Sagapenum pellucidum, foris rufum, intus, cum frangitur, candicantibus aut flavis guttis compactum, quod inter digitos, ſi tractetur, lenteſcit, odorem fragrantem gravem emittit. De quodam Sagapeno foris, & intus albo Charas mentionem facit, quod recens & optimum fuiſſe exiſtimat: ſed tale rariſſime in officinis aromatariorum reperitur.

Græcis veteribus notum fuit: Dioſcorides Ferulaceæ herbæ ſuccum eſſe dicit, quæ in Media naſcebatur. Hodie ex Perſia & Oriente nobis adhuc affertur.

Planta ex qua ſtillat, ignota eſt. Ferulæ ſpeciem eſſe conjiciunt ex caulis partibus & ſeminibus cum hoc ſucco ſæpius intermixtis.

Analyſi Chymica, ex Sagapeni puriſſimi ℔ij. prodierunt phlegmatis rufeſcentis, acidi, porracei odoris, ſaporis reſinoſi ad Juniperum accedentis, ℥vj. ʒiij. gr. xviij. humoris acidi, fuſci aut crocei coloris ℥iij. ʒij. gr. xxxvj. liquoris alcalini urinoſi ℥j. ʒj. olei limpidi, fluidi, viridis ℥j. ʒvj. gr. xlij. olei cærulei ℥iij. ʒij. gr. xlij. olei ſpiſſioris & ex fuſco rufi ℥iij. ʒiij. gr. xij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥viij. gr. lxvj. quæ per 20. horas in crucibulo calcinata cinerum ruforum ℥j. ʒiij. gr. xxxvj. reliquit; ex quibus per lixivium ſalis fixi ſalſi ʒj. gr. ix. extracta fuerunt. In diſtillatione partium jactura fuit ℥viij. ʒvj. gr. xlij. in calcinatione ℥vj. ʒv. gr. xxx.

Sapapenum itaque conſtat ex ſulphure, ſale acido & volatili urinoſo cum pauca terra: quæ compoſitum conſtituunt reſinoſum, & ſalinum Ammoniacale.

Arabicæ familiæ auctores inter purgantia medicamenta Sagapenum referunt, quamquam ea Sagapeni facultas a Græcis ſilentio fuerit prætermiſſa. Reipſa alvum movendi virtute donatur, ſed adeo debili & ignava, ut cœterorum catharticorum ſtimulo egeat. Potentiſſime aperit, diſcutit, & attenuat, non leviter etiam abſtergit. Inde commendatur in affectibus thoracis a craſſa pituita oriundis, item in tumoribus duris, & calloſis, præcipue partium nervoſarum, necnon in capitis morbis diuturnis: in ſumma ubicumque humores craſſi inſpiſſati, & coagulati ſolvendi ſunt & attenuandi. Intus ſumitur a ℈j. ad ʒj. Uſus obtinuit ut numquam ſolum uſurpetur, ſed ſemper cum aliis medicamentis propriis, & convenientibus mixtum, & quidem ſæpius in pilulari forma ob ingratum ſaporem. Utiliter præſcribitur in aſthmate, obſtructione, & tumore ſplenis, hydrope, nervorum morbis, ſpaſmo, epilepſia, artuum tremore, & paralyſi. Menſes movet, at fœtum enecare dicitur: quare ab eo gravidæ mulieres abſtinere debent. Præterea Meſue illud ventriculo, & hepati nocere afferit: quamobrem adſtringentibus & roborantibus ſtomachicis temperatur, ut Spica, Maſtiche, Cinnamomo, & aliis. Commendatur quoque ad quartanam, & ex eo Pilulæ parantur a Quercetano deſcriptæ, & dicuntur Pilulæ de Sagapeno *Camilli*, a quodam nempe Camillo Medico Genuenſi celeberrimo.

℞. Sagapeni electi ʒvj. Ammoniaci puriſſimi ʒiij. Extracti Trochiſcor. alhandal ℥j. Scammonii præparati ℥j. Salis gemm. ʒjß. Miſce cum Syrupo violato acidulo tincto. Fiat maſſa ex qua Pilulæ conficiantur Piſi aut Ciceris magnitudine. Unica Pilula exhibeatur initio paroxiſmi, conti-

continuando per aliquot dies. Conducunt etiam pertinacibus affectibus debellandis, hypochondriacis, & viſcerum infarctibus a craſſis & glutinoſis humoribus oriundis.

Tantam Sagapeno obſtructiones tollendi potentiam Rolfincius tribuit, ut exterius etiam admotum, inquit, incantamenti inſtar, viſcerum obſtructiones tollat. Laterum dolores mitigat, ſcirrhoſis lienis affectibus medetur, viſcerum duritiem & obſtructiones tollit.

Uſurpatur in Theriaca *Andromachi*, Mithridatio *Damocratis*, El. aper. cathartico *Charas*, & Elect. antihydropico *Ejuſdem*, Hiera diacolocynthidos, Trochiſcis de Myrrha, Pilulis fœtidis, Emplaſtro diachylo, gummato, de mucaginibus, Manus Dei, magnetico *Angeli Salæ*, ſtiptico *Crollii*, diabotano *D. Blondel.*

ARTICULUS NONUS.

De Sarcocolla.

Sarcocolla, *Off.* Σαρκοκόλλη, *Græcorum*: Anſarot, Anazaron & Anzurut, *Arabum*: vulgo *Sarcocole*. Succus eſt gummoſus, aliquantiſper reſinoſus, minutis, & veluti friatis conſtans; grumis albicantibus, aut ex albo rufis, aut rubentibus, ſpongioſis, friabilibus, micis lucentibus ſubinde mixtis; ſaporis ſubacris, amari, cum quadam ingrata dulcedine obſcura, nauſeam provocantis. Globoſarum Piſi aut Avellanæ magnitudine lacrymarum fragmina videntur, quæ ſeminibus, Papaveris non multo majora ſunt. Sub dentibus lenteſcit, in aqueo humore diſſolvitur, & candelæ admota primum ebullit, poſtea in claram flammam exardet. Eligenda eſt rara, ſpongioſa, candida, amara. Ex Perſia & Arabia affertur.

Alia eſt Sarcocollæ ſpecies fuſca, ſordida & in glebas compacta, de qua Pometus mentionem facit; ſed prorſus rejicienda.

Planta quæ hunc ſuccum fundit, a nullo vel veterum, vel recentiorum, deſcripta fuit; hodieque adhuc ignota eſt.

Analyſi Chymica, ex Sarcocollæ ℔ij. prodierunt phlegmatis limpidi, flaveſcentis, ſaporis ſubſalſi, fatui, quod alcali urinoſi notas ſed leves præbuit, ℥ij. ʒvj. humoris acidi rufeſcentis ℥v. ʒvj. gr. xxxvj. humoris, tum acidi, tum urinoſi ℥ij. ʒij. gr. xxxvj. olei fluidioris & fuſci ℥iij. ʒvj. olei ſpiſſioris ℥iiij. gr. xxxvj. Maſſa nigra in retorta reſidua rara, ſpongioſa pendebat ℥vij. ʒvj. gr. lxvj. quæ per xxiiij. horas in crucibulo calcinata reliquit cinerum ex rufo fuſcorum ʒvij. gr. liij. ex quibus lixivio ſalis fixi ſalſi ʒj. gr. ix. extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥v. ʒij. gr. xlij. in calcinatione ℥vi. ʒvij. gr. xij.

Itaque Sarcocolla conſtat oleo copioſo, mediocri ſalis acidi portione, ſale alcali, tum volatili, tum fixo, uberrimo & terra; ex quibus exſurgit compoſitum gummoſum ſeu ſaponaceum, & aliquantiſper reſinoſum.

De Sarcocollæ viribus auctores inter ſe non conveniunt. Ejus purgatoriæ virtu-

tutis veteres Græci non meminerunt, eaque nonniſi extrorſum utebantur. Arabes pituitam craſſam & glutinoſam purgandi facultatem illi tribuunt. Galenus refert, eam citra morſum exſiccare & vulnera glutinare. Serapio inter cathæretica medicamenta illam recenſet: extus comedere carnes ulcerum, intus exulcerare inteſtina, & inducere calvitiem aſſerit. Nihilominus internum illius uſum proponit a ℥j. ad ℥iij. modo ſicut Euphorbium oleo Nucum vel Amygdalino temperetur. Verum C. Hofmannus internum illius uſum prorſus damnat & rejicit.

Attamen fere omnes Sarcocollam commendant maceratatam in lacte aſinino vel muliebri in ophthalmiis ſeu oculorum fluxionibus, quas lymphæ acrimoniam demulcendo compeſcit. Præterea abſtergit, conſolidat, & cicatrice obducit. Unde nomen adepta eſt.

℞. Sarcocollæ lacte nutritæ ℥j. Tuthiæ pp. ℥ß. Mucilag. Semin. Cydonior. in aq. Roſar. extract. ℥iij. M. F. collyrium in oculor. inflammationibus.

℞. Myrrhæ, Aloes, & Sarcocollæ ana q. l. M. F. pulvis pro conſolidandis vulneribus.

Uſurpatur in Unguento mundificativo de Reſina.

CAPUT OCTAVUM.

De Succis arte quadam e plantis extractis.

JAm recenſitis ſuccis liquidis vel concretis, qui ex plantis, vel ſponte, vel per illata vulnera dimanant; ſupereſt ut de aliis quibuſdam ſuccis concretis diſſeramus, qui arte quadam extrahuntur; ſive extracti ſolidi conſiſtentiam ſervent, quales ſunt Aloe, Scammonium, Gutta gummi, Opium, Acacia, Hypociſtis, Catechu, ſive ſalis ſpeciem induant, quales ſunt Saccharum & Tartarum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Succo Aloes.

ALoe & ſuccus Aloes, *Off.* Ἀλόη, *Dioſcoridis*: Laber & Cebus, *Arabum*. Succus eſt inſpiſſatus, cujus diverſa genera in officinis diſtinguuntur, tum ratione regionum, tum ratione plantarum, tum ratione ſubſtantiæ.

Veteres duo tantum genera diſtinguebant, teſte Dioſcoride; unum arenoſum, craſſum & impurum: quod puriſſimi fæx erat: alterum purum, hepaticum dictum, ſeu ad jecinoris colorem ex rufo rubentem vergens.

Hodie vero vulgatiſſima eſt in officinis Aloes diſtinctio, ratione ſubſtantiæ puræ vel impuræ, in Soccotrinam, hepaticam & caballinam. Soccotrinam, vel ut alii volunt, Sycotinam & hepaticam disjunxerunt neoterici, licet una & eadem fuiſſe videatur apud veteres. Enimvero Aloe hepati-

patica a veteribus Græcis Ηπατὶς & Ηπατίζουσα nominata, a Barbaris Sycotina a recentiorum Græcorum vocabulo συκωτὸν; jecur dicebatur. Cum autem præſtantior Aloe hepatica ex inſula Soccotora afferretur, tum pro Sycotina Sycotrinam & Succotrinam dixerunt: quo nomine non amplius hepatica ut olim, ſed ſolummodo Aloe præſtantior deſignatur; ſcilicet Aloe puriſſima, rufa aut ſubrubra vel crocea, nitens, & pellucida: unde Aloe lucida quoque dicitur, ſapore amaro, adſtringente, aliquantiſper aromatico; odore gravi, non ingrato.

Hepaticam vero nuncupant Aloem denſam, aridam, opacam, ad hepatis colorem accedentem, ſapore amaro magis, & adſtringente, gravioriqué odore.

Caballina tandem deterior eſt Aloes ſpecies, ponderoſa, denſa, nigra, terra, arenuliſque plena, amariſſima, nauſeoſa, viruſque olens, veterinariis relinquenda.

Nos autem cum Botanicis accuratioribus, poſt J. Commelinum, Aloen diſtinguemus in præſtantiorem ſeu Soccotrinam, vulgarem ſeu minus præſtantem & fœtidam ſeu caballinam. Vulgaris iterum pura eſt, & hepatica dicitur; vel impura ſeu vilior, & caballina nuncupatur: ſicut fœtida, quæ iterum in hepaticam ſeu puram dividitur, & ſordidam ſeu caballinam.

Aloe præſtantior, ſeu Soccotrina & lucida, puriſſima eſt, nitens, pellucida, pinguis, hyeme friabilis, æſtate molliuſcula, in manibus lenteſcens, fulva ſeu ex purpureo rufeſcens, pulverata, colore aureo nitens, aromaticam amaritudinem reſipiens; odore gravi: aromatico tamen, nec adeo ingrato, Mirrhæ proximo.

Non ex eadem planta elicitur, ex qua hepatica & caballina, ſicut poſt Joann. Commelinum Samuel Dale *in ſuæ Pharmacolog. ſupplemento* obſervavit.

Hæc planta dicitur Aloe Succotrina, anguſtifolia, ſpinoſa, flore purpureo, *Breyn. 2. Prodrom. Commelin. Horti Amſtel. rarior.* 91. Aloe Indiæ orientalis ſerrata, ſive Succotrina vera, floribus Phœniceis, *Horti Baumont*: Aloe Americana. Ananæ folio, floribus ſuaverubentibus, *Plukn. Phytograph. tab.* 240. *fig.* 4. Ex radice tuberoſa cortice cinereo obducta folia emittit ſaturate vireſcentia, ſeſquipedalia, anguſta, craſſa, ſucculenta, extremo in mucronem deſinentia, ſentibuſque exiguis, pallidis denſe ſtipatis, mollioribus armata. Ex horum medio thyrſus ſeu caulis emittitur ſeſquipedalis & altior, teres, lævis, parte ſuperiore foliolis amictus colore fuſco, cujus cacumen floribus ornatur denſiſſime ſtipatis & ſpicatis, liliaceis, monopetalis, veluti tubulatis, in ſex partes ſectis, dilute purpureis, nutantibus, cum ſtaminibus ſex rubicundis receptaculo, non vero corollæ, ut in cœteris monopetalis, inſertis, extra flores emicantibus; quibus ſuccedunt fructus triangulares & tricapſulares, ſeminibus fœti. Caule evanido novæ ſoboles aut germina producuntur e lateribus plantæ; quibus multiplicatis, uno eodemque tempore plures thyrſi ſimul exeunt. Folia tranſverſim ſecta ſuccum emittunt luteum atque amarum, qui odore gratior eſt, quam vulgaris Aloes ſuccus.

Ex foliis e radice avulſis manu vel inſtrumento leviter compreſſis ſuccus diſtillat in vas recipiens. Subſidere debent partes craſſæ per noctem, aliæ vero ſupernatant. Poſtero die in aliud vas infundunt, & inſolant ut concreſcat & exſic-

exſiccetur. Tunc fulvum acquirit colorem. Ex inſula Soccotora in coriis ad nos tranſportatur.

Aloe minus præſtans ſeu hepatica obſcurior eſt, minus ſplendens, magis denſa & arida, jecinoris colorem referens, odore graviore, ſapore intenſius amaro.

Extrahitur ex planta, quæ dicitur Aloe vulgaris, *C. B. Pin.* 286. Radice eſt pedali, duas uncias ſuperante, fibris leviter flaveſcentibus munita, ex qua oriuntur folia in orbem digeſta, cubitalia, tres quatuorve pollices lata, unciam craſſa, in acumen ſenſim deſinentia, in ambitu dentata, leviter aculeata & cœſio pulvere aſperſa. Caro interior mollis, ſubdulcis, glutinoſa, Gelatinæ translucide ſimilis, quam trajiciunt hinc inde vaſcula nonnulla flavum ſuccum intenſe amarum fundentia. Cortex autem foliorum ſimilibus vaſculis contexitur eo turgidis ſucco qui concreſcit in maſſam aridam, obſcure ruſeſcentem. Caulis ad duos cubitos aſſurgit rectus, plerumque bifidus vel trifidus, in quo flores longa ſerie diſponuntur monopetali, penduli, unciam ſuperantes, poſterius tubulati, anterius in ſegmenta ſex diviſi, flaveſcentia, lineis quibuſdam vireſcentibus diſtincta: piſtillum quod occurrit in fundo floris, mutatur in fructum trigonum, & in tria loculamenta diviſum ſeminibus planis fœta. Hæc planta in Oriente & in Occidente creſcit: & ſuccus ejus non ſolum in plurimis Indiarum locis ut Cambaja, Bengla paratur, ſed etiam in plurimis Americæ regionibus, ut Mexicano Regno, nova Hiſpania, Braſilia, Barbadenſibus inſulis, &c.

Folia minutim ſecta & contuſa in vas oblongum & cylindriforme reponunt per dies 25. Spuma attollitur inutilis & abjicienda. Tum ſuperior ſucci pars ſumitur, a fœcibus ſeparatur, & calore ſolis concreſcit in Aloen hepaticam: fœces vero inſpiſſatæ impurum præbent extractum quod caballinæ Aloes nomine donatur.

Aloe fœtida vilior, & caballina proprie dicta, odore ſuo ingrato, ac vehemente a cœteris Aloes ſpeciebus facile diſtinguitur, licet cum vulgari cœteroquin ſat bene conveniat: imo nonnunquam adeo lucida & pura præparatur, ut a Soccotrina nonniſi odore tetro diſtingui poſſit. Caballina dicitur quia ſolis veterinariis ad brutorum uſum relinquitur, ob odorem & ſaporem teterrimum. Sicut vulgaris pura eſt, vel ſordida.

Aloe Soccotrina fere ab omnibus ad uſum internum expetitur, ad externum hepatica; licet contra ſentiant nonnulli, qui hepaticam, tum ad externum, tum ad internum uſum præſtantiorem eſſe aſſerunt.

Reipſa clariſſimus vir Simon Boulduc Reg. Scientiar. Academ. Socius multum diſcriminis inter diverſas Aloes ſpecies obſervavit; quandoquidem in Aloe Soccotrina lucida minus reſinæ ſeu ſulphuris, plus ſubſtantiæ gummoſæ ſeu ſalinæ, quam in hepatica, contineri per illarum ſubſtantiarum extractionem deprehendit: ſiquidem in Aloes Soccotrinæ ℥iij. affuſa aquæ bullientis q. ſ. & igne arenæ maceratis tota Aloes ſubſtantia diſſoluta fuit. Verum ſolutione in loco frigido per aliquot horas repoſita, portio quædam reſinoſa ſpiſſior, & gravior vaſis fundum petiit, liquore aqueo ſupernatante. Separatis liquoribus, reſi-

reſinoſum ſedimentum ſolis radiis expoſitum & exſiccatum pendebat ʒvij. gr. xij. Hanc reſinoſam ſubſtantiam exſiccatam ſpiritu vini diſſolvit, remanente quadam quaſi arenoſa & terrea portione non diſſoluta ponderis lx. granor. Vini autem ſpiritu blando ignis calore exhalato, reſinoſum extractum reſiduum, & prorſus inflammabile pendebat ʒvj. gr. xxiiij. Liquor aqueus vel gummoſus balneo cinerum exſiccatus reliquit extracti gummoſi ℥ij. ʒj.

Similiter Aloes hepaticæ ℥iiij. in aqua bullienter prorſus ſolutis, & ſolutione refrigerata, portio quædam gravior, ſpiſſior & reſinoſa per tempus vaſis fundum petiit. Utroque liquore ſeparato, reſinoſum ſedimentum exſiccatum pendebat ℥ij. ex quo ope ſpiritus vini reſinæ inflammabilis ʒxj. extraxit, remanente ſalino-terrea portione ad pondus ʒiiij. gr. xxxvj. quam ſalem eſſentialem Tartaro fere ſimilem ſuſpicor. Ex aquoſa ſolutione evaporata extracti gummoſi ʒxj. obtinuit.

In his ſolutionibus & extractionibus magna fuit partium deperditio, ſcilicet pro Aloe Soccotrina ʒvij. gr. lx. & pro Aloe hepatica ʒv. Unde concludere liceret Aloen Soccotrinam majore partium volatilium, tum ſalinarum, tum ſulphurearum copia donari quam hepaticam; reſinoſæ portionis dimidio minorem quantitatem, gummoſæ ſubſtantiæ fere duplam, perparum vero terræ & ſalis fixi.

Idem auctor experientia compertum habuit reſinam ſeu ſulphuream partem vi dejectoria fere deſtitui, ſolam gummoſam purgare; & quidem vehementius, cum a ſubſtantia reſinoſa ſeparata fuit. Aſſerit Soccotrinam vehementius purgare quam hepaticam. Reipſa Soccotrina majori partium volatilium & actuoſarum copia inſtruitur, a quibus potiſſimum vis cathartica pendet. Inſuper ſalina pars in hepatica a reſinoſis debite temperatur, non item in Soccotrina. Nec Soccotrinam ad uſum externum præſtantiorem, imo longe inferiorem, eſſe hepatica quæ majori ſulphurearum & balſamicarum partium copia donatur: necnon etiam expertus fuit reſinoſam Aloes ſubſtantiam inſigni balſamica virtute donari, & in vulneribus exterius admotam efficaciſſimam fuiſſe. Ex quibus ſequitur hepaticam Soccotrinæ anteponendam eſſe, tum ad uſum externum, tum etiam ad uſum internum. Quod jam nonnulli contra vulgi opinionem tueri ac probari conati ſunt, ut Jubera Pharmacopæus Hiſpanus *apud Zacutum Luſitanum*; & alii *apud Rolfincium*, *p. 36. De purgantibus*.

Analyſi Chymica, ex Aloes hepaticæ ℔ij. per retortam diſtillatis prodierunt phlegmatis limpidi, ſaporis & odoris expertis ʒiiij. gr. xxxvj. humoris limpidi, ſubadſtringentis, quod tamen alcali volatilis notas præbuit, ʒv. gr. xxvj. liquoris, tum acidi, tum urinoſi, primum coloris limpidi, & odoris bituminoſi; deinde rufeſcentis & empyreumatici, ℥x. ʒiiij. gr. xviij. olei ſpiſſioris ad Syrupi conſiſtentiam, ſaporis acris, pungentis ſine amarore, & aquæ gravioris, ℥j. ʒvij. gr. xlvj. Maſſa nigra rara, levis ſaporis expers, in retorta reſidua pendebat ℥xv. ʒij. quæ per aliquot horas calcinata reliquit cinerum ℥ij. ʒv. gr. xlij. ex quibus ſalis fixi ſalſi ʒiij. gr. xxxiij. lixivio extracta ſunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. gr. xvij. in calcinatione vero ℥xij. ʒiij. gr. xxx.

Ex hac analyſi ſequitur Aloen conſtare ex ſulphure craſſo & copioſo; ſalis Ammoniaci portione non mediocri, Tartari vero modico, cum multa terra conjunctis. Unde compoſitum exſurgit ſalinogummoſum & reſinoſum.

Aloe medicamentum fuit ab omni ævo commendatiſſimum, tum ad uſum internum, tum ad externum. Veteres purgandi, viſcera roborandi, venas aperiendi, vulnera & ulcera glutinandi, & ſanguini profluvia ſiſtendi facultatem huic ſucco tribuerunt, non tamen abſque controverſia.

Primi quidem dubitant, an inter εκκοπρωτικα Aloe ſit recenſenda, an inter καθαρτικα? Galenus, *L. 6. De ſimpl. Medicamentor. facultatibus, cap. de Aloe*, eam medicamentis ſtercora educentibus annumerat, eique Paulus Ægineta aſſentitur. Idem Galenus, 8. *De compoſitione Medicamentorum ſecundum loca, cap.* 2. debilem purgatoriam vim Aloen obtinere ſcribit, atque illam tantum purgare quæ circa alvum reperiuntur. Idem quoque 6. *De ſanitate tuenda, cap.* 10. bilem ſolam purgare ait in ventre: & alibi excludit pituitam, dum docet Aloen non conducere illis, quibus in tunicis ventriculi pituita eſt impacta.

Contra vero Arabes aliter ſentiunt: & Meſue hoc medicamento bilem, pituitam, viſcidoſque alios, tenaces & craſſos humores purgari aſſerit, caput & ventriculum mundari, jecurque ab infarctu liberari.

Reipſa Aloe non ſolum alvinas fœces dejicit, ſed etiam bilis vitiis medetur, craſſiorem dividendo & attenuando, inertem acuendo, ita ut poſtea facilius & uberius per inteſtina fluat. Si vero majori doſi exhibeatur ad uberiorem catharſim promovendam, tunc non tam humores quam ſanguinem prolicit, illum in vaſis hæmorrhoidalibus fermentando & rarefaciendo. Itaque Aloe parva doſi ſumpta in eccoproticorum medicamentorum numero adſcribenda eſt: ſed majori doſi exhibita non tam veluti vehemens quam noxium catharticum ſe præbet. Si vero catharticam ejus vim intendere velimus, aliorum purgantium conſortio indiget, quæ pro re nata eligenda & ipſi conſocianda ſunt.

De roborandi viſcera, ventriculum & jecur, aliaque purgantia emendandi virtute auctores inter ſe non magis conveniunt. Dioſcorides Aloen mixtam cum aliis purgantibus minus ſtomacho noxia ea reddere refert. Galenus, 6. *De ſimpl. Medicamentor. facultatibus*, ſtatuit eam gratam ſtomacho, ut ſi quid aliud. Idem ſentit Paulus Ægineta. Omnia, inquit, purgantia ſtomacho inimica, ſola Aloe grata. Meſue luculentum ſalutaris ejus operæ teſtimonium præbet; Aloen enim proponit veluti Medicinam purgantem cœteris longe præſtantiorem; quæ tantum abeſt quin corpus debilitet, ſicuti cœtera purgantia, illud econtra roborat; quæ aliorum purgantium vitia emendat, læſionibus medetur, effectus juvat. Alii tandem hunc ſuccum ſalutaris naturæ Balſami titulo inſignierunt; utpote qui humores naturales conſervat, præternaturales evacuat, medios emendat, & univerſos putrefieri & corrumpi prohibet; unde tritum illud adagium: *Qui vult vivere annos Noe, ſumat pilulas de Aloe.*

Non omnes tamen de Aloes virtutibus in eadem ſunt ſententia; cum

econtra ventriculo, jecori nocere, imo vitam abbreviare nonnulli aſſerant. Galenus 3. *Aphoriſmor.* 15. frequentiorem purgantium etiam lenientium uſum damnat his verbis: „ Qui veritus, ne multa in corpore „ excrementa cumulentur, purgationem bis aut certe ſemel in menſe „ adhibeat, is præterquamquod in malam conſuetudinem corpus adducet, „ etiam ipſum labefactabit, deteriuſque reddet. “ Quod licet de Aloe ſpeciatim non ſit prolatum, non minus de hoc medicamento quam de cœteris intelligi debet. Qui vero cum Galeno reſpondent, Aloen eſſe ſtomacho amiciſſimam, a Cardano & Scaligero vehementer redarguuntur. Aſſerunt enim eo errore infinitos homines ſperantes hoc auxilio ad ſenectutem ſe perventuros, illius uſu ante maturam ætatem interiiſſe, aut in graviſſimos morbos conjectos fuiſſe.

Nec mitius de Aloe Fernelius fert judicium, *L. 3. Methodi medendi, cap. 9.* Aloe, inquit, nocet hepati, cujus venas tenues amarore & acrimonia vellicat, podicem corrodit, aperitque hæmorrhoidas. Adverſiſſima illis, qui ſanguinem vomunt, aut exſcreant, aut quovis modo ex alvo aut utero profundunt: inutilis naturis calidis & ſiccis, extenuatiſque corporibus, niſi cum ingens eſt humidiorum excrementorum proventus; nec puero apta, nec prægnanti tuta, nec ſeni excrementis vacuo conveniens.

Caſpar. Hoffmannus, *de Medicam. officinalib.* ſcribit poſt Helidæum, interiorem Aloes uſum ſuſpectum eſſe, niſi ſanguinis ciendi gratia exhibeatur. Idem etiam ſano ſenſu intelligi debere exiſtimat immanes illas laudes a Meſue & aliis decantatas; præcipue quod ventriculo grata eſſe dicatur, non ſola conſtrictione, verum etiam occulta proprietate. Primo enim purgans eſt proprie dictum, quo ipſo affert ſecum aliquid naturæ adverſum, quod dum corrigere volunt Maſtiche, Croco, Cinnamomo, tacite fatentur culpam. Non igitur, ut jam diximus, inter lenientia annumerandum eſt, ſed inter purgantia collocandum, licet in inferiori gradu, ut Manna & Rhabarbarum.

Verum has lites ſic componere tentabimus. Aloes uſus aſſiduus immoderatus & illegitimus nocet: moderatus ac legitimus prodeſt, præſertim magnatibus & opulentis civibus qui laute & opipare viventes tot diverſis ciborum & condimentorum ſpeciebus indeſinenter farciuntur & ſaginantur; ita ut ventriculus aſſiduo digeſtionis labore & enormi ciborum copia oppreſſus & debilitatus, hujus amari medicamenti ſtimulo nonnunquam indigeat, tum ad illuviem crudam, tenacem, parietibus ſuis adhærentem, incidendam, reſolvendam, tum etiam ad eam foras cum fœculentis ſordibus quæ in inteſtinis turgent, eliminandam. Aloe, inquam, his quibus per vita deſidem & inexercitatam humores in abdominis vaſis ſtagnant craſſi, viſcidi, lutulenti, & magis magiſque concreſcunt, apprime conducit.

Tunc ventriculum & inteſtina juvat, fœces quibus obruuntur dejiciendo & concoctionem perficiendo: hepati conducit, ſanguinem ſpiſſum & bilem viſcidam ſolvendo, fluidiores efficiendo, eorumque motum concitando. Si quid vero detrimenti a frequentiori Aloes uſu helluonum corpus patitur, nihil faciendum eſt præ noxa quam ſuperfluorum redundantia inferret. At vero de aliorum corporibus aliter ſentiendum eſt. Corpora enim

excre-

excrementis vacua lædit : ſicca , & bilioſa magis , ac magis exſiccat , & in atrophiam inducit : viſcera jam præfervida inflammat , & in hæmorrhagias inducit , æſtuantemque ſanguinem magis accendit.

Vis ἀναστομωτικὴ , ſeu venarum orificia aperiendi , & ſanguinem eliciendi ſucco Aloes ab Arabibus , & neotericorum plurimis tribuitur . Græci autem de illa alte ſilent : econtra Dioſcorides cruentas exſcreationes ſiſtendi poteſtatem ipſi tribuit . Verum quotidiana experientia confirmat , diuturnum Aloes uſum hæmorrhoidum fluxum promovere , menſtrua mulierum profluvia excitare , & fœtum pellere . Quapropter Medici omnes Aloen utiliter adhibent , vel ſolam , vel cum aliis medicamentis idoneis , ſi menſes vel conſuetus hæmorrhoidum fluxus ſubſtiterint , ad illas ſolitas evacuationes reſtituendas .

Quæ cum ita ſint , quærunt utrum Aloe, quæ inferiora ſanguinea vaſa aperire valet , ſuperiora quoque aperiat , & potiſſimum pulmonum vaſcula ; necne ? Dioſcorides Aloem cum aqua aut lactis ſero ſanguinis exſcreationes ſiſtere ſcribit : idem quoque Plinius refert . Verum Galenus , licet vim adſtringentem & ulcera glutinantem in Aloe externe admota agnoſcat , non tamen illam intus ſumptam in ſanguinis ſputo proponit . Inter Arabes Serapio Dioſcoridem ſecutus , illius opinionem tuetur : at Meſue de illius intus ſumptæ virtute mentionem non fecit . Neotericorum nonnulli , ut Monardus , utramque virtutem Aloes ſucco devorato tribuunt ; ſcilicet orificia venarum inferiorum, uterinarum nempe , & hæmorrhoidalium , aperiendi , & aperta pulmonalium vaſa occludendi : quæ quidem contrariæ virtutes in pluribus medicamentis obſervantur . Verumtamen praxeos Medicæ peritiores , poſt Fernelium , internum Aloes uſum in vomitu cruento aut ſanguinis exſcreatione reformidant . Saltem ab eo abſtinere tutius eſſe cum illis cenſemus , cum alia ſint medicamenta minus periculoſa , & præſtantiora .

Quarta , quæ huic ſucco tribuitur qualitas conſideranda venit , nempe vulnera , & ulcera glutinandi , & ſanguinis profluvia ſiſtendi . Nullus fere in dubium revocat virtutem vulnerum , & ulcerum glutinandorum , & ad cicatricem perducendorum , quæ Aloes ſucco externe admoto tribuitur , necnon ſanguinem ex vulneribus vel etiam ex hæmorrhoidibus promanantem ſiſtendi . In eo conſentiunt Arabes, & neoterici cum Græcis . „ Aloe , inquit Galenus , *L. 6. de ſimplicium Medicamentorum facul-* „ *tatib.* medicamen eſt , quod ſinus glutinat , ſanat ulcera, quæ ægre ad „ cicatricem duci queunt , & maxime , quæ ſunt in extrema principis „ inteſtini ora ac pudendo . “ Itidem , 5. *Method. medend. cap.* 4. *&* 5. miram in ſiſtendo ſanguine Aloi vim ineſſe indicat . „ Thuris, inquit, pars „ una Aloes parti dimidiæ miſceatur , cum ovi albumine ſubigatur , ut „ Mellis craſſitudinem reddat : deinde leporinis pilis molliſſimis excipia- „ tur , & vaſi aut ulceri imponatur . “ Avicenna idem medicamentum probat in hæmorrhoidibus . Nec minus recentiores eam ut balſamicam , & ſumme vulnerariam prædicant . Magni enim eſt uſus apud Chirurgos pro mundificandis vulneribus externis , quæ in ulcera ſolent mutari ; ſive decoquatur in vino cum Ariſtolochia, Nicotiana , Myrrha , &c. ſive miſceantur cum emplaſtris & unguentis idoneis , ſive ejus tinctura cum aqua vitæ aut ſpiritu vini adhibeatur pro ſordidis ulceribus eluendis .

Præ-

Præter vires jam recenſitas, virtus quoque vermes inteſtinorum necandi ipſi, tum intus ſumptæ, tum umbilico admotæ tribuitur.

De Aloes doſi veteres cum neotericis, ſaltem cum harumce regionum Medicis, non conveniunt. Dioſcorides ʒß. vel ʒj. proponit pro doſi ad alvum ſolvendam, & ʒiij. ad catharſim perficiendam. Hodie vero hæc doſis nimia videtur. Exhibetur tantum a ℈j. ad ℈ij. ſubſtantia ſub forma boli vel pilularum: adeo enim amara eſt, & nauſeoſa, ut palatum vix reperiatur, cui Aloe ſoluta poſſit exhiberi.

Nec de utendi tempore minus diſſentiunt. Paulus Ægineta Aloen mane, ſcilicet jejuno ſtomacho, ſumendam eſſe pronuntiat. Qui enim veſperi dant, inquit, aut poſt cibum, lædunt: corrumpit enim alimentum. Hodie tamen Aloe præſcribitur vel jejuno ventriculo, & optime purgat; vel cum alimentis, ineunte prandio vel cœna, & alvum tardam ſtimulat, ac deijcit.

A veteribus raro præſcribebatur, niſi lotione vel nutritione præparata. Sic lavari ſolet Aloe læviſſime pulverata; vel ſola, vel cum Creta tenuiſſime trita, ut vult Jacobus Sylvius, ex aqua fontana puriſſima agitetur aliquamdiu radicula lignea: deinde ſinatur per quadrantem horæ aut amplius ſubſidere; tunc quod clarius ſupernatat, inclinato vaſe in aliud tranſvaſetur, & per ſe inſolatu ſiccetur. Quod ſi nondum pura, & perlucens ſatis appareat, iterum teratur & lavetur ut prius; idque, ſi libet, tertio & quarto fieri poteſt. Nam toties lotam Aloen acrimonia & vi purgatrice prope tota deſtitui veteres exiſtimabant. Contra tamen ſentiunt neotericorum nonnulli: inter quos Ettmullerus duas ſubſtantias in Aloe agnoſcit, mucilaginoſam unam ex qua vis purgans atque laxans pendet, reſinoſam alteram in qua adſtringens ſeu ventriculi & inteſtinorum fibras roborandi vis latet. Unde ubi purgatione ſola opus eſt, mucilaginoſa ſubſtantia ſpeciatim convenit: tuncque Aloe lota, ſeu gummoſum extractum aquea lotione præparatum, illotæ Aloi præſtat, aut valentius purgat. Ubi autem opus eſt, ut ſubſtantia reſinoſa, & balſamica retineatur, ſive ad vim purgantem contemperandam, ſive aliam ob cauſam; tum illotæ Aloe erit uſurpanda. Quod etiam experimentis D. Boulduc confirmatur. Quod ſi Aloe more veterum præparata & lota minus purgaret, fortaſſe ex eo quod ſalinæ hujus ſucci particulæ alcalicis Cretæ partibus retuſæ inertes, & ad inteſtinorum fibras ſollicitandas prorſus ineptæ evaderent. Itaque cum D. Boulduc concludemus aqueam lotionem inutilem eſſe ad catharticam Aloes vim mitigandam; imo illam potius augere. Sufficit ergo ut Aloe ſive Soccotrina, ſive hepatica pura, & ab heterogeneis particulis munda ſeligatur.

Non idem dicemus de nutritione, ſeu, ut vocant, inſuccatione, alia nempe Aloes præparatione in officinis uſitata. Aloen electam & pulveratam ſolvunt in ſucco Roſarum, Violarum, Endiviæ, Fumariæ, aut alio vel in decocto medicamentorum purgantium aut aromaticorum, aut aliorum; & abſque colatura inſolant aut blando igne exſiccant; idque ſecundo aut tertio repetunt, ſicque obtinent Aloen roſatam vel violatam, ideſt, extracto Roſarum vel Violarum permixtam, & temperatam. Quidam hanc Aloes præparationem, lotionem quoque, ſed improprie vocant.

Aloe

Aloe uſta quoque a quibuſdam expetitur, ut alvum magis roboret, & fluxus ſiſtat. Sed inutilis eſt hæc præparatio, quæ Aloes ſubſtantiam deſtruit, non emendat.

Aloe itaque intus ſumpta bilioſos, & pituitoſos humores purgat: menſes, & hæmorrhoidas promovet obſtructiones uteri, hepatis, meſenterii aperit: ventriculum, & inteſtina firmat, & roborat: ciborum concoctionem juvat, & appetitum excitat: vermes necat, & expellit, & putredinem arcet. Convenit in morbis a viſcerum atonia, & obſtructione oriundis, cachecticis, frigidis, humidiſque corporibus: nocet vero illis quorum præfervida ſunt viſcera, ſanguis bilioſus, & æſtuans, hecticis, pthiſicis, & illis, qui ſanguinem vomunt aut excreant, aut ex quacumque corporis parte profundunt. Infeſtiſſima eſt in morbis acutis, & inflammatoriis & ab ea gravidæ mulieres abſtinere debent. Externe ad ulcera ſordida abſtergenda, & ſananda utiliter præſcribitur. Commendatur quoque in oculorum ulceribus.

℞. Aloes electæ ſubtiliſſime pulver. ℔ß. Succ. Roſar. ad eminentiam quatuor tranſverſor. digitor. Miſceantur, & in pultem redigantur. Cribro ſetaceo tecta ſolis radiis exponantur, & ad Mellis conſiſtentiam inſpiſſentur. Novus ſuccus affundatur, & evaporetur; idque novies repetatur. Tandem exſiccata maſſa veſica excipiatur, & ad uſum ſervetur: eſt Aloe roſata. Ex ea formentur pilulæ exiguæ. Quo minores ſunt, eo melius operationem ſuam abſolvunt. Eodem modo Aloe violata præparari poteſt.

℞. Aloes roſat. & Extarct. Rhabarbari ana ʒj. Maſtiches ℈. Extractor. Gentianæ, & Abſynth. ana ʒß. Fiant pilulæ ad alvum ſolvendam, ventriculum roborandum, & ciborum concoctionem juvandam. Doſis ʒj. ante cibum.

℞. Aloes hepaticæ, & pulver. Jalapæ ana ℈ß. Trochiſcor. Alhandal gr. ij. Agarici trochiſcati, gr. x. Olei Aniſi gutt. ij. Syrup. flor. Perſicor. q. ſ. M. Fiant pilulæ purgantes, & cephalicæ, mane jejuno ventriculo exhibendæ.

℞. Aloes lucidæ gr. xv. Gummi guttæ gr. ij. Aquil. albæ gr. vj. Syrup. de Rhamno cathartico, q. ſ. M. Fiant pilulæ hydragogæ; cum olei Cinnamom. gutt. j. aromatizandæ.

℞. Aloes hepaticæ & Scammon. ana ʒij. Maſtiches, & ſucci Glycyrrhizæ ana ℈ij. Syr. Roſar. ſolut. q. ſ. M. Fiant pilulæ purgantes, cum oleo Caryophyllor. aromatizandæ. Doſis ℈j. vel ʒß.

℞. Aloes lucidæ ʒj. Myrrhæ ʒß. Croci gr. xv. cum Syr. de Abſynthio q. ſ. M. Fiant pilulæ ad alvum ſolvendam, ventriculum roborandum & menſes provocandos, Doſ. ʒß.

℞. Aloes Soccotrinæ, & Gumm. Ammon. ana ʒvj. Croci Martis aper. ʒv. Extracti Centaurii minor. ʒiiij. Syrup. de Abſynth. q. ſ. M. F. Maſſa pilular. aper. in Chloroſi, & cachecticis affectionibus. Doſis ʒj. mane & veſperi.

℞. Aloes Soccotrinæ ʒß. Vitrioli albi gr. v. Aquar. Fœniculi, & Euphraſiæ ana ℥iij. Fiat ex arte collyrium.

Ex Aloe Tinctura, & Elixir proprietatis *Paracelſi* præparantur.

Tinctu-

Tinctura Aloes extrahitur, pulveri Aloes affundendo ſpiritum vini ad eminentiam duorum vel trium digitorum, digerendo in balneo arenæ, donec colore intenſe rubicundo ſpiritus tingatur. A fœcibus tinctura ſeparetur, & ſervetur ad uſum. Vi purgante donatur, ſed debiliori quam aquea Aloes ſolutio: ventriculum roborat: vermes necat. Externe vulneraria eſt inſignis, & putredinem arcet.

Elixir proprietatis *Paracelſi* conficitur ope ſpiritus vini, vel abſque acido, vel cum acido, vel cum ſpiritu volatili, urinoſo.

♃. Aloes Soccotrinæ, Myrrhæ electæ, & Croci optimi minutim ſecti ana ℥j. Sp. vini rectif. ℥xx. Digerantur ſimul in B. M. vel fimo equino per 15. dies: dein liquor ſupernatans effundatur, & in loco calido per diem unum aut alterum detineatur, donec fœces omnes ſubſederint, deinde reponatur ad uſum.

Nonnulli huic tincturæ addunt ſp. Sulphuris per campanam extracti ℥j. Digerunt adhuc per tres ſeptimanas: & liquor a fœcibus, ſi quæ ſint, ſeparetur; & eſt Elixir cum acido paratus. Alii in locum acidi ſpiritus ſpiritum ſalis Ammoniaci volatilem ſufficiunt ad ℥j. & ſic præparant Elixir proprietatis cum alcali. Hoc Elixir alvum blande ſubducit, vermes necat, ſubdores pellit, fibrarum ventriculi, & viſcerum tonum firmat & roborat, menſes pellit, & hæmorrhoidales venas aperit. Præſervativum eſt egregium in putredine ſcorbuto, peſte, morbis malignis, & contagioſis, præſertim cum acido paratum: uterinis, & hypochondriacis proficuum eſt. Doſis ad alterandum, & roborandum a gutt. vj. ad xx. ſemel atque iterum die, ad debitam evacuationem a ʒj. ad ʒij. Eædem cautiones, ac pro Aloes uſu adhibendæ ſunt.

Uſurpatur Aloe in Hiera picra *Galeni*, Hiera de Agarico, *Nicol. Myrepſi*, Hiera Logudei *Nicol. Myrepſi*, Pilulis Aloephanginis *Ph. Lond.* de Hiera ſimpl. de Hiera comp. aggregativis ſeu polychreſtis, de Ammoniaco *Quercetani Ruphi*, cochiis, fœtidis, aureis, ſine quibus, ſtomachicis ſeu ante cibum, Angelicis, Mercurialibus, Rudii *Ph. Lond.* Imperialibus *Lugdunenſium*, hyſtericis, & menſentericis *Charas*, hydropicis, & Tartareis *Bontii*, Tartareis *Schroderi*, Extracto panchymagogo *Charas*, in Oleo Scorpionum comp. *Matthioli*, in unguento de Arthanita *Meſues*, Unguento mundificativo de Apio, in Emplaſtro *Paracelſi*, de linamento, ſtiptico *Charas*, Colyrio *Lanfranci* ad ulcera venerea detergenda, & in Pulvere ad implendas cadaverum cavitates.

ARTICULUS SECUNUS.

De Scammonio.

SCammonium, Scammonia, & Scammonea, *Σκαμμωνία*, *Dioſcoridis*: *Δακρύδιον*, *Tralliani*, *& quorumdam Græcorum recentiorum*: Diacrydium

Cœl-

Cœlii Aureliani : Scammonea & Sachmunia, *Arabum* : vulgo *Scammonée*. Succus eſt concretus, reſinoſus & gummoſus, purgans, apud veteres & neotericos maxime uſitatus; cujus duo genera in officinis reperiuntur, unum Alepenſe, alterum Smyrnæum.

Scammonium Alepenſe eſt ſuccus concretus, levis, rarus, fungoſus, friabilis, e cinereo nigricans, & ſplendens, dum frangitur; in pulverem albidum aut cinereum abiens, cum digitis tractatur; ſaporis amaricantis cum quadam acrimonia, & odoris virulenti. Ex Alepo affertur, ubi colligitur.

Scammonium Smyrnæum nigrum eſt, magis denſum ac ponderoſum. Ex Smyrna aſportatur: illuc vero affertur ex urbe Gallo-Græciæ ſive Galatiæ Contejo nunc *Cutè* dicta, & ex Iconio nunc *Cogni* dicto Licaoniæ ſeu Cappadociæ Provinciæ, non procul a flexu Tauri montis; ubi ampla hujus mercedis ſeges eſt, ut vir clariſſimus & rei Botanicæ peritiſſimus D. Sherard Anglus, qui Smyrnæ per 13. annos nationis Anglicæ conſulatum geſſit, mihi narravit. Alepenſe Smyrnæo anteponitur.

Scammonium eligatur tenerum fractu, & pulveratu facillimum, nitens, linguam parum vehementer urens, quod fractum linguæ ſalivoſæ tactu vel humoris alicujus albeſcit & lacteſcit. Rejicitur aduſtum, nigrum, ponderoſum, arenulis, lapillis aut aliis heterogeneis refertum.

Planta quæ hunc ſuccum profert, dicitur Convolvulus Syriacus & Scammonia Syriaca, *Moriſſon. Hiſtor. Oxon. part.* 2. 12. Ex radice craſſa, Bryoniæ forma, carnoſa, intus albida, foris pulla, fibris quibuſdam donata, & lacteo ſucco turgente, viticulas emittit tricubitales, ſeu caules tenues, ſcandentes, & circa vicinas plantas ſe convolventes. Folia in his alterno ordine diſponuntur, Convolvuli minoris arvenſis foliis ſimilia, triangula, glabra, cum baſi ſagittata. Ex eorum alis flores naſcuntur campaniformes, ex candido purpuraſcentes aut flaveſcentes. Horum piſtillum abit in capitulum ſeu capſulam acuminatam, ſeminibus fœtam nigricantibus & anguloſis. Naſcitur in Syria, & ſolo pingui delectatur circa Alepum.

Doctiſſimus Tournefortius obſervat, Dioſcoridem alter Scammoniam plantam deſcribere. „ Scammonia, inquit, ab una radice ramos emittit „ trium cubitorum, multos, pingues, & qui nonihil craſſitudinis præſe- „ ferunt: ſoliis Helxinæ aut hederaceis, mollioribus tamen, hirſutis & „ triangulis; flore candido, rotundo, in calathi modum cavo, graveolen- „ te; radice prælonga, craſſitudine cubitali, candida, gravi odore, ſucco „ gravida. “ Laudat idem Dioſcorides Scammoniam ex Myſia Aſiæ regione delatam: improbat vero Syriacam & Judaicam, quæ ſuo tempore gravis erat, denſa, levi farina & Tithymalo adulterata. Hanc Convolvuli hirſuti ſpeciem Cl. Tournefort. obſervavit in Myſiæ campis inter montem Olympum & Sipylum, ſed etiam circa Smyrnam & in inſulis Leſmo & Samo, ubi hodierna die ſuccus concretus etiam colligitur Scammonio Syriaco longe inferior. Itaque Cl. Tournefort. nos inducere videtur, ut credamus Scammonium *Off.* ex plantis, ſi non diverſi generis, diverſæ ſaltem ſpeciei oriundum eſſe, Syriacum nempe ſeu Alepenſe ex Scammonia folio glabro; Smyrnæum & Dioſcoridæum, ex Scammonia

monia folio hirſuto : quod tamen non affirmat. Cum tamen hac de re clariſſimum D. Sherard. percontarer, retulit, ſeipſum quoque circa Smyrnam eumdem Convolvulum hirſutum, obſervaviſſe, ſed nullum ex illo ſuccum extrahi; tanta copia Scammoniam Syriacam ſeu Convolvulum glabrum ibi ubique naſci, ut ſolus ſufficiat ad Scammonium, quo utuntur, præparandnm; nec ad hunc ſuccum extrahendum Scammoniam quocumque in loco natam ſeligi, ſed eam præcipue quæ in declivi montis ſub Smyrnæ caſtello creſcit, expeti, ubi aliquantiſper remota terra radicem detectam incidunt, & vulneri Mytulorum conchas apponunt, quibus ſuccus lacteus excipitur, & exſiccatus aſſervatur. Hoc Scammonium in conchis ad incolarum uſum reſervatur, rariſſime ad exteros mittitur. Omne Scammonium quod per Smyrnam ad nos venit, ex Contejo & Iconio, ut jam dixi, affertur; atque mercatores his in locis ex eodem Convolvulo glabro colligi aſſerunt.

Diverſæ ſunt illius ſucci legendi rationes a Græcis & ab Arabibus recenſitæ. Duas Dioſcorides proponit. 1. Capite exempto, radix in teſtudinis inverſæ ſpeciem cultro excavatur, quo fit, ut in cavum confluat ſuccus, qui conchis demum excipitur. 2. Alii ſcrobes in terra concamerato ſinu fodiunt, in quas ſubjectis Juglandium foliis profundunt ſuccum, ſiccatumque extrahunt. Quatuor autem a Meſue recenſentur, quæ quidem diverſum quoque ſuccum exhibent. Primo, cum primum radix ſuper terram extiterit, pars ejus quæ terræ ſupereminet inciſa ſuccum gummeum quotidie remittit, qui ſiccatus ſervatur. Deinde radix omnino evulſa inciditur, lacque inde profluens ſiccatur, vel igne lento, vel ſole; & in offas quaſdam formatur & obſignatur : colore autem eſt ſubalbo vel vario. Poſtea taleolæ radicum tritæ exprimuntur, & ſuccus ſiccatur, ſigilloque notatur : eſt autem hic craſſus, niger, gravis. Sunt etiam qui ex foliis & caulibus tritis ſuccum extrahunt, ſiccant, coguntque : ſed hic ex nigro vireſcit, eſtque odoris tetri. Hodie Scammonii maſſæ ſigillo notatæ non amplius afferuntur.

Scammonii lacryma quæ ex radice inciſa ſponte fluit, qualis circa Smyrnam in conchis colligitur, licet præſtantior ſit, rariſſime vel nunquam ad nos venit. Colore eſt pellucido, albicante vel flaveſcente, reſinæ vel glutini Taurini inſtar. De tali Scammonio pellucido Lobelius & Pena *in adverſariis* mentionem faciunt. Scammonium autem, quod nobis hodie aſportatur, eſt in glebas compactum, opacum, & cinereum. Quiſnam autem ſit illius ſucci colligendi modus plane ignoramus. Sed veriſimile eſt illas glebas eſſe ex ſuccis, tum inciſione, tum expreſſione extractis coagmentatas; unde tanta in eadem gleba varietas deprehenditur.

Analyſi Chymica, Scammonium fundit nonnihil liquoris acris, tenujs, qui primus in diſtillatione elevatur, nec acidi, nec alcali notas præbet; deinde liquoris acidi portionem non mediocrem; humoris, tum acidi, tum urinoſi aliquantulum; tandem multum olei craſſi & empyreumatici, modicum terræ & ſalis fixi. Ex his exſurgit compoſitum gummoſum & reſinoſum, ita tamen ut ex Scammonii ℥vj. Reſinæ ℥v. ope ſpiritus vini extrahantur. Major ejus pars ſpiritu vini ſolvitur, relictis mucaginoſis ſalino-terreis quibuſdam partibus. Verum tota ejus ſubſtantia aqueis men-

ſtruis

ſtruis ſolvitur; ſed lacteo colore tingitur ſolutio, ob reſinoſas partes ſalinis & aqueis intermixtas.

Scammonium, tum Græcis, tum Arabibus cognitum fuit & uſitatum. A Meſue habetur tanquam medicamentorum purgantium maximum, adeo ut Purgatorii nomine ſimpliciter pronuntiato per ἀντονομασίαν Scammonium intelligatur, & ab Oribaſio omnium purgantium violentiſſimum. De illo tamen Galenus *libro de ſimplic. Medicamentor. facultatibus* non meminit, licet alibi hujus medicamenti ſæpe mentionem faciat.

Nec de Scammonii viribus neoterici a veteribus diſſentiunt. Nec etiam minus frequentis eſt uſus apud eos, ad humores bilioſos & pituitoſos ſeu ſeroſos e partibus remotis educendos. Vires ejus laudantur in corporibus frigidis & ſeroſis, in febribus intermittentibus, cruditatibus: magis autem in robuſtis & ætate conſiſtente; minus in infantibus, imbecillioribus; puerperis, gravidis, febribus ardentibus, calidis morbis, aut conſtitutionibus.

Duplici autem ratione catharſim moliri mihi videtur, tum fixis ſuis partibus acrioribus ventriculi & inteſtinorum membranas iritando & ad contractionem ſollicitando, tum etiam volatilibus, oleoſis particulis acribus nervos convellendo, ſicque omnes viſcerum abdominis glandulas paululum exprimendo. Cœterum maſſam ſanguineam & lympham viſcidam non æque ſolvit ſicuti Manna, Jalapium, & cœtera hydragoga; unde tanta ſeri tenuis & fluidioris copia ab illo non educitur. Hæc vero Scammonii operatio a Fernelio accurate & eleganter depingitur *Methodo medendi l.* 5. *cap.* 9. his verbis: „ Bilem tenuem atque citrinam ex univerſo corpore, „ ſimulque aquam citrinam ac ſeroſos humores trahit. Cumque vis ejus „ quaſi furens & effrænata ſit, prompte quidem ac cito & e diſtantioribus vacuat, neque tamen craſſiuſculos ullos humores, ſeu pituitoſos, „ ſeu bilioſos, qui circum præcordia ac viſcera concreverunt & obhærent, „ evellit; ſed effectum quaſi præcipitans & accelerans, eos dumtaxat, qui „ tenues ſint & fluxioni apti, humores ſecum rapit: idque tum ex abdomine ut hydropicis, tum e venis & ſummo corpore, ac inde pauca „ ſuccedit emictio “.

Verum enim vero cum omnia purgantia medicamenta corpori ſint infenſa, Scammonium ut inter valentiora eſt valentiſſimum, ſic inter infenſa eſt infeſtiſſimum. Reipſa Medici de eo multa & gravia proferunt incommoda: ex quibus quinque vel ſex potiſſimum vitia illi exprobrantur, 1. Quod ſit medicamentum maxime infidum, & cujus operatio admodum incerta eſt; quandoquidem ab exigua doſi hypercatharſis nonnunquam excitatur, & doſis debita ac requiſita ſæpe irrita eſt ac inanis. 2. Quod flatus quoſdam mordaces gignat uſque adeo ſtomachum laceſſentes, ut ſumentibus nauſeam commoveat. 3. Quod vehementi acredine partes inflammet; quo fit ut ſitim inexplebilem accendat, & febres excitet, iis præcipue qui viſcerum obſtructionibus & humoribus putreſcentibus obnoxii ſunt. 4. Quod eadem acredine ſua recludat ora venarum, adeo ut ſequantur evacuationes nimiæ, hypercatharſes dictæ. 5. Quod acrimonia abradat inteſtina, reliqua viſcera exulceret, & dyſenteriam aut teneſmum excitet. 6. Quod malignitate quadam ſpeciali principibus

bus Partibus bellum inferat, & cor, ventriculum, hepar, &c. graviter lædat.

Hæc autem Scammonii vitia quibuſdam cautionibus emendari poſſunt: 1. Si tempore opportuno exhibeatur, id eſt vel ineunte morbo, ſi materia turgeat & quidem ſtatim ab initio, vel ſecus cum humores concocti fuerint & fluidi facti. 2. Si doſi congrua ſumatur. 3. Si rite fuerit præparatum.

De hujus medicamenti doſi auctores inter ſe non conveniunt. Græci veteres cathartica medicamina ſumma cum prudentia & cautione, ſed larga manu, exhibere ſolebant. Nos vero in purgando audaciores, ſed in medicamentorum doſi timidiores, non eumdem ex catharticis medicamentis fructum obtinemus. Revera fluxiora noſtra corpora hoc ſub climate purgantibus medicinis facilius etiam reſolvuntur, quam robuſta & exercitationibus, laboribuſque aſſueta Græcorum & calidarum regionum incolarum corpora. Dioſcorides itaque ad bilem & pituitam ducendam per inferna cum Mulſa exhibet ʒj. ſeu obolorum quatuor pondus. Paulus Ægineta & Aetius uſque ad ℈ij. aſcendunt, Meſue a gr. v. ad gr. xij. vel xv. tantum. Bodæus a Stapel ſcribit ſe ſæpiſſime gr. xx. etiam xxv. cum violaceo ſyrupo feliciſſimo ſucceſſu exhibuiſſe; pueris vero octo decem vel duodecim annorum gr. xij. aut xv. quinquennibus gr. vj. vijve. Diſtinctione utitur Vedelius. Datur, inquit, vel ut baſis, vel ut ſtimulans & adjuvans. Ut ſtimulans datur ad gr. ij. iijve; ſi autem primaria doſi, vel ut baſis detur, ad gr. xv. aut ℈j. a nonnullis exhibetur. Tandem Fallopius de doſi controverſiam dirimit. Conſulo, inquit, ut ſemper exhibeatis paucam quantitatem, quæ quantitas ſit potius pro calcari. Vocatur autem calcar pauca Scammonii quantitas addita medicamentis purgantibus pro ruſticis, vel pro aliis robuſtioribus cervicoſis hominibus, aut etiam monachis cucullatis. Ego vero Scammonium electum & rite pulveratum a gr. ij. vel iij. ad gr. x. vel xij. ad ſummum exhibeo, ſed rariſſime, nec abſque ſollicitudine de operatione quæ ſemper incerta eſt. Nam quando ventriculi & inteſtinorum parietes muco fœculento uberrimo & tenaci obducuntur; tunc Scammonium hoc muco involutum irritum & iners per inteſtina permeat. Cum econtra nullo fere muco inteſtinorum membranæ illiniuntur, Scammonium, vel in rugis ventriculi, vel in inteſtinorum cellulis inhærens & membranis adhærens ob reſinoſas ſuas partes, membranarum fibras irritat, convellit, inflammat, exulcerat; unde etiam ab exigua doſi ſuperpurgatione, teneſmi & dyſenteriæ.

Cum Scammonium, ut jam diximus, ſit ſubſtantia reſinoſa & gummoſa, ſed in qua reſina præpollet, in aquoſis liquoribus non perfecte ſolvitur, ſed reſinoſa pars paulatim grumeſcit & ſubſidet: ideo in æqueis liquoribus ſolutum tuto propinari nequit. Quapropter ſæpius ſub forma boli vel pilularum ſumitur, raro autem in potionibus; tuncque non exhibetur, niſi ſpiritibus, oleis aut ſalibus dilutum. Præterea ad ejus acrimoniam temperandam, cœteraque ejus vitia emendanda, plurimæ excogitatæ ſunt hujus medicamenti correctiones & præparationes.

Primus Scammonii corrigendi modus a Galeno, *L. 1. de Alimentor. facultatibus*

tatibus ſic refertur. Mali Cydonii meditullium & ſemina exſcalpebant: deide cavitatem Scammonio implente, farina ex aqua ſubacta circumlinebant, aſſabant, atque ita Malum mandendum exhibebant. Nunc vulgo pulpa removetur, & Scammonium coctum retinetur. Alii pulpam retinent, Scammonium removentes. Alii cum Galeno utrumque retinent.

Scammonium quocumque modo præparatum, hodie in officinis Diacrydium, Diagridium, & Diadagrydium dicitur, & a Scammonio crudo ſic diſtinguitur. Hæc vero præparatio Diacrydium Cydoniatum nuncupatur.

Veteres illud etiam ptiſanæ cremore temperabant, ut videre eſt apud Galenum loco ſupra citato. Meſue Scammonium cum ſeminibus Dauci, Fœniculi & Galanga coquit ſub prunis vel in clibano: Valerius Cordus illud oleo violato aſpergit & macerat, deinde in excavato Malo Cydonio maſſa farinacea obducto aſſat; tandem affuſo Cydoniorum ſucco in quo Myrobalani infuſæ fuerint, loco calido ſenſim exſiccat. Nonnulli miſcent illud cum ſucco Cydoniorum expreſſo, ſenſimque evaporant.

Neoterici vero malignam Scammonii qualitatem ſucco Glycyrrhizæ aut ſulphure emendare contenderunt, unde Diacrydium exſurgit glycyrrhizatum, ut ajunt, & ſulphuratum. Primum fit ſufficientem Glycyrrhizæ quantitatem in aqua communi decoquendo, percolando, & inſpiſſando ad mellaginem. Tum addunt Scammonii electi & rite pulverati q. ſ. & aſſidue agitando in B. M. ad extracti conſiſtentiam exſiccant.

Alterum ſic conficitur. Scammonium tritum extendunt ſuper chartam bibulam, & ſupra prunas ſulphure injecto fumantes exponunt, continuo ſpatula agitando & commovendo, donec calore Scammonium liqueſcere videatur. Quod diutius Scammonium ſulphuris fumo imbutum eſt, eo melius præparatum cenſetur.

Hoc ſulphuratum Diacrydium baſis eſt maxime decantati & in officinis uſitati Pulveris de tribus dicti, ob numerum medicamentorum ex quibus componitur. Dicitur quoque Pulvis Comitis Varvicenſis, ab illuſtriſſimo Anglo Roberto Dudlejo Comite Varvicenſi ejus inventore; & Pulvis Cornachini, ab ejus præcone Marco Cornacchinio, Medicinæ in Piſano gymnaſio Profeſſore, tractatu cujus titulus eſt: *Methodus qua omnes humani corporis affectiones ab humoribus copia vel qualitate peccantibus genitæ, tuto, cito, & jucunde curantur*. Componitur ex Scammonio ſulphurato, Antimonio diaphoretico, & cremore Tartari. Doſes diverſæ ſunt apud auctorem, ratione humorum peccantium: nam præſcribit Diagrydium a gr. vj. ad xxij. Antimonium diaphoreticum a gr. iij. ad xx. cremorem Tartari a gr. ij. ad vj. Verum hodie apud Parmacopœos Pariſienſes hic Pulvis in officinis aſſervatur præparatus ex æqualibus Diacrydii, Antimonii diaphoretici & cremoris Tartari partibus: ſicque variis ætatibus, & conſtitutionibus doſis facilius & tutius accommodatur, cognoſcendo quantum ſit Scammonii in ſingula Pulveris doſi præſcripta. Præſcribitur hic Pulvis a gr. vj. aut ix. pro lactentibus, ad ℈j. vel ʒß. pro adultis. Laudatur a Cornacchinio veluti Panacea ad omnes morbos profligandos vel præcavendos. Illam exhibet in febribus intermittentibus, putridis, acutis, delirio ſine, febre, cholera, hydrope, pleuritide, diarrhæis, dyſen-

dyſenteria, arthritide, variolis, & adverſus lumbricos. Sed ne quid nimis. Eædem enim cautiones in hujus Pulveris adminiſtratione adhibendæ ſunt, quæ in Scammonii & cœterorum purgantium exhibitione requiruntur. Confitendum eſt tamen Scammonium ſic præparatum ſupradictis nocumentis minus eſſe obnoxium, a Medico tutius præſcribi poſſe, & abſque faſtidio ab ægrotantibus hauriri.

Chymicorum induſtriæ debentur tinctura & extractum reſinoſum, improprie Magiſterium dictum. Tinctura fit ſolvendo Scammonium in ſpiritu vini, & a fœcibus reſiduis liquorem limpidum ſeparando. Extractum autem ſeu reſina fit tincturam ad medietatem evaporando, & aquam communem vel aliam odoratam aut convenientem huic affundendo: ſic ſpiritus vini reſinam quam ſolutam, & fluidam ſuſtinebat, deſerit; & reſinoſæ particulæ ſub Terebenthinæ ſpecie aquæ fundum petunt. Hæc reſina pluribus aquis abluitur, ac tandem ſolis calore exſiccatur. Sed reſina minus purgat, quam Scammonium eadem doſi exhibitum; attamen inteſtina vehementius irritat, & ſæpe inflammat. Quapropter tutius eſt Scammonium electum, quam reſinam Scammonii uſurpare; quod jam de nonnullis purgantibus reſinoſis obſervavimus.

Scammonium quoque acidis liquoribus corrigere tentant; vel ſucco Citri, illud diſſolvendo in balneo fervente, per linteum ſolutionem tranſcolando & exſiccando ad extracti conſiſtentiam; vel ſpiritu vitrioli aut ſulphuris Scammonium pulveratum irrorant & exſiccant. Sed hæ correctiones Scammonii ſubſtantiam aliquantiſper deſtruunt, ac proinde illius effectum minuunt. Satius eſſet Scammonium pulveribus quibuſdam commiſcere, ut fit in Pulvere Cornachini.

Longe laudabilior eſt Scammonii corrigendi ratio in pluribus compoſitionibus pharmaceuticis obſervata, in quibus Scammonium plantarum ſuccis, fructuum aut ſeminum pulpis, aromatum & odoratorum ſeminum oleoſis partibus extenditur & demulcetur, qualia ſunt Electuaria ſolutiva & Pilulæ purgantes. In his Scammonium uſurpatur, vel tanquam baſis & fundamentum, vel ſicut cœterorum purgantium ſtimulus ſolummodo, & calcar; ubi obſervandum eſt Scammonii uſum ſub pilularum forma minus tutum eſſe, cum in illis reſinoſæ ejus partes non ſufficienter extendi poſſint, ſed tantum pro ſtimulo cœteris purgantibus admiſcendum eſſe.

Tandem æquiſſimum quod de hoc medicamento judicium vir doctiſſimus D. Necquet *Tractatu de Purgantibus* tulit, hic addam; ſcilicet nullum eſſe medicamenti genus, quod in medente plus conſilii, in ægro plus opportunitatis, & in utroque plus requirat ordinationis, & apparatus.

Apud veteres uſurpabatur exterius in linimentis & unguentis ad ſcabiem, ad affectus capitis frigidos, ad tumores duros & ſcirrhoſos reſolvendos, ad iſchiadicos dolores, &c. & lana ſubditum, ad menſes movendos. Hodie vix alio uſu eſt quam ad purgationes.

℞. Scammonii electi & ſubtiliſſime pulverati gr. viij. Vitelli ovi aliquantulum, ſeu ℥ij. Terantur per aliquod tempus in mortario marmoreo cum piſtillo ligneo, donec Scammonium ſolutum appareat. Adde

Syrup.

Syrup. Capillor. Vener. ℥j. Accurate ſimul mixtis ſenſim affunde decoct. Hordei ℥vj. Aq. flor. Aurantior. gutt. aliquot. Fiat potio purgans palato grata.

♃. Scamm. elect. & pulver. gr. xv. Amygdalar. dulcium excorticatar. ʒiiij. Contundantur & terantur ſimul in pultem tenuiſſimam, ſenſim affundendo decocti Hordei ℥xij. Fiat colatura cum expreſſione, in qua diſſolve Syrup. Violarum vel Capillor. Veneris, ℥jß. Aq. Cinnamom. vel Naphæ ℥ß. Fiat emulſio purgans pro duabus doſibus.

♃. Diagryd. glycyrrhizati pulver. gr. vj. Sacchar. albi ℥j. Tartar. ſolubilis ʒij. Terantur ſimul & accurate miſceantur. His affunde aq. comm. ℔j. expreſſum Malor. Citrior. duorum ſuccum, & aq. Naphæ gutt. x. Fiat limonatum catharticum per cyathos propinandum.

♃. Scamm. pulver. ʒv. Sp. vini ℔j. Digerantur per novem dies, & fiat colatura per chartam bibulam. Liquor diſtilletur ad dimidium. Adhuc calenti adde Sacchari albiſs. ℔ß. Fiat Syrupus olei Cinnamomi guttis aliquot aromatizandus. Doſis ab ℥ß. ad ℥j. in quovis liquore conveniente.

♃. Scamm. ℈iiij. Cinnamomi ʒij. Caryophyllor. ʒß. Sp. vin. rect. ℔j. Digerantur ſimul ſub ſole per 9. dies, indentidem agitando. Liquor limpidus ſenſim effundatur Huic adde Syrupi Cydonior. ℔j. Miſceantur, & mixtura ſervetur ad uſum. Doſis ab ℥ß. ad ℥iij.

♃. Diacryd. glycyrrhizati gr. vj. Rhabarbar. pulver. ℈j. Mivæ Cydonior. q. ſ. Miſce. Fiat bolus.

♃. Diagryd. glycyrrh. gr. vj. Pulver. Jalap. gr. xv. Aquilæ alb. gr. x. Medull. Caſs. recens extract. ʒij. M. F. bolus.

♃. Sennæ pulver. Rhei & cremoris Tartar. ana gr. xv. Diacryd. gr. iij. Conſerv. Roſar. q. ſ. M. F. bolus.

♃. Diagryd. ſulphur. & diaphoretici mineral. ana ℥ß. Croci Martis aper. & Cinnamomi ana ʒij. Gumm. Ammoniaci ℥j. Syrup. de Abſynth. q. ſ. M. F. maſſa pilularum meſenticar. Doſis a gr. vj. ad ℈j. in cachexia & obſtructionibus menſenterii.

♃. Diacryd. Cydoniat. ʒj. Aloes lucidæ ʒiij. Trochiſcor. Alhandal ʒij. Maſtich. Macis ana ʒj. Croci ʒß. Syr. flor. Perſicor. q. ſ. M. Fiant pilulæ purgantes. Doſis a gr. x. ad ℈j.

♃. Diacryd. Cydon. Aquilæ albæ ana ℈j. Extractor. Fumariæ & Gentianæ ana ʒj. M. Fiant pilulæ. Doſis a ʒß. ad ℈ij.

Scammonium uſurpatur in Pilulis aggregativis ſeu polychreſtis, cochiis, fœtidis, aureis, ſine quibus, meſentericis *Charas*, Mercurialibus, hydropicis *Bontii*, de Sagapeno *Camilli*, hiera diacolocynthidos *Pachii*, Benedicta laxativa, Diapruno ſolutivo compoſito, diaphœnico, Confectione Hamech, Electuar. de Pſyllio, Caryocoſtino, Opiata meſenterica, laxativa *Pariſ. Medicor.* Electuar. diacarthami, de Citro ſolutivo, de ſucco Roſar. &c.

ARTICULUS TERTIUS.

De Gummi Gutta.

PRæſtantiſſima naturæ dona, inquit Rolfincius *Tractatu de Purgantibus*, ſæpe latent in obſcuro, imo abjectiſſimis calcantur pedibus; dum mediocria ſæpe magni fiunt, imo ad ſydera extolluntur. Talia dicere poſſumus de illa re, de qua nunc agitur; quæ plurimarum appellationum honore decoratur; hos vero titulos mediocriter meretur.

Gummi Gutta, Gummi Gotta, Gummi Guttæ, Gummi Gitta, Gummi Gamandræ, Gummi de Gamandra, Gummi de Goa, Gummi de Peru, Gummi Peruanum, Gummi de Jemu, Gummi laxativum, Guttu Gamandra, Gutta Gamu, Gutta Geman, Ghitta Jemon, Catta Gamma, Catta Gemu, Gutta ad podagram, Scammonium orientale, Chryſopum, Cambodium & Cambogium, *Offic.* vulgo *Gomme Gutte*. Succus eſt concretus, reſinoſus & gummoſus, inflammabilis, ſiccus, denſus, durus, nitidus, opacus, ex croceo flaveſcens, in maſſas orbiculares vel in baculos cylindraceos compactus, odoris nullius, ſaporis fere expers. (Saltem cum in ore detinetur nullum alium ſaporem primo refert, quam Gummi Arabicum, ſed paulo poſt in facibus levem relinquit acrimoniam cum quadam ſuccitate.) In ſpiritu vini diſſolvitur ſicut in aqua, quam lacteam efficit vel potius turbidam, & flaveſcente colore tingit. Dubitant nonnulli utrum genuina ſit diſſolutio, an partium ſegregatio; quandoquidem illius ſucci partes paulatim ſubſident in aquam, illamque limpidam relinquunt. Ex Cambaja, Siamenſi Regno, China, necnon etiam ex quibuſdam Americæ Provinciis affertur. Tot obtinuit nomina, tum ab arthritide, vulgo *Goutte*, quam ſanare dicunt, tum a regione Cambaja, Cambodja, vel Cambogia, prout a diverſis nationibus pronuntiatur, & ab aliis regionibus, unde affertur.

Veteribus prorſus ignotus fuit, nec niſi paucis abhinc annis cognitus fuit & uſitatus, multo quidem magis apud pictores quam apud Medicos. Anno 1603. primum Cluſio miſſus fuit, poſtea in Europa ſenſim cœpit ad uſus adhiberi. Probatur purus, ſabulo carens, ſordibus nullis infectus, coloris fulvi ſeu ex croceo flaveſcentis, qui ad ignem ardet, qui ſalivam vel aquam flavo vel ſulphureo colore inficit.

De illius ſucci origine auctores diu incerti fuerunt. Carolus Cluſius Euphorbii ſuccum eſſe ſuſpicatur. Alii ex Rhabarbaro recenti ſuccum expreſſum & inſpiſſatum eſſe opinantur: alii ſuccum Beidelſar *Proſp. Alpini*: nonnulli compoſitum quoddam ex Tithymali ſucco & Scammonio. C. Bauhinus *in Pinace* Ricini Indici expreſſum ſuccum eſſe credit. Joann. Carolus Roſenbergius, *P.* 2. *Rhodolog. c.* 22. aſſerit lacrymam eſſe ex vulneratis illius Riccini radicibus ſtillantem, poſtmodum Indica Croco infectam & exſiccatam. C. Hoffmannus conjicit eſſe ſuccum ſeminis Riccini ſucco Rhabarbari tinctum. Jacob. Bontius *de Medicina Indorum cap.* 9. lacrymam

hanc

hanc flavam fluere dicit in Cambodia regione Chinæ vicina, ex planta cujuſdam Tithymali ſpeciei ſimili, quæ excreſcit in altitudinem tantam, ut omnes proceras arbores quas inſtar Hederæ amplectitur, æquet, imo ſuperet. Verum Bontius ex aliorum relatione loqui videtur, nec plantam Cambogium fundentem unquam vidit; ſiquidem illius ſucci origo ab arboribus duabus Carcapulli nuncupatis deducitur.

Prima dicitur Carcapulli, *Acoſtæ Hiſtor. Aromat. cap.* 46. Coddam-Pulli, *Hort. Malabar. T.* 1. 41. Ghoraka Cingalenſibus dicta, *Hermans not. ad H. Malab.* Arbor eſt procera, patula, frondoſa, cujus radix craſſa brachia ſeu ramos ſubtus & ſuper terram late diffundit. Caudex, quantum duo homines amplecti poſſunt, ligno albicante, cortice intus albicante, ſubflavo, extus rubeſcente, cum nigricante cruſta circumveſtitur. Folia conjugatim bina ſurculis adnaſcuntur, petiolis brevibus, oblongo-rotunda, in medio latiora, ad utramque extremitatem ſenſim contractiora, cuſpide verſus unam partem nonnihil inflexa, oris verſus exteriora nonnihil incurvatis, teſtura craſſa, ſpiſſa ac ſolida; ſuperne obſcuro virore nitentia, inferne dilutiora, nervo medio & venulis paucis oblique verſus extremam tendentibus, inferne prominentibus, ſapore acido. Flores in ſummis ſurculis breviſſimis inſident pediculis incarnati & flaveſcentes, inodori, ſubacidi, quatuor petalis rotundis, parum oblongis & concavis, craſſis & denſis ſine venis. In medio florum viridis emicat globulus, rudimentum fructus, in octo latera oblonga per ſtrias diſtinctus, in vertice capitulo ſeu umbilico, quod ex gemmis albicantibus conſtat, donatus; quem ſtamina ſurrecta albicantia circumſtant, apices ex flavo rubros ſuſtinentia. Calyx quatuor pallidis concavis foliis conſtat. Fructus uncialibus petiolis appenſi grandes ſunt, rotundi, Mali aurei magnitudine, octo, novem, decemve coſtis extuberantes, capitulo in vertice parvo, quod etiam coſtulis ſtriatum eſt, primum virides, deinde flaveſcentes; cum maturi, albeſcentes, ſapore acido dulci. In medio pulpæ ſemina oblonga magnitudine unius articuli, compreſſa, colore cœruleo nigro.

Altera ſpecies dicitur Carcapulli *Linſchot*: Carcapulli *de Bry*: Kanna-Ghoraka, id eſt Ghoraka dulcis Cingalenſibus, *Hermans notis ad H. Malab.* Differt a priori, flore & fructu dulci, rotundo, Ceraſi magnitudine, licet in reliquis conveniant.

Caſp. Bauhinus *in Pinace* utramque arborem ſub eadem ſpecie perperam comprehendit. Binæ illæ arbores, inquit P. Hermans, ex trunco inciſo Gummi Gutta fundunt. Præſtat autem illud, quod ex Kanna-Ghoraka; mitius enim eſt. In Cambaja, China, & inſula Ceylan creſcunt.

Arborem Quercu non minorem Gummi Guttam fundentem in quibuſdam Americæ locis D. Richer obſervavit, ſed potiſſimum in Cayenna inſula. An eadem ſit cum præcedentibus, an diverſa, neſcio.

D. Paulus Hermans *Mater. Med. Mſſ.* refert, ſuccum lacteſcentem, flavum, ex arborum ſupradictarum vulneribus ſtillare, calore ſolis primo inſpiſſari, & quando manibus tractari poteſt, in maſſas orbiculas grandiores aut in baculos cylindraceos efformari, atque perfecte exſiccari.

Arnoldus Syen, *in ſuis Commentariis in Hortum Malabaricum*, hoc Gummi Guttæ genus diſtinguendum putat a Guttæ Gummi vulgari, quod ex Eſulæ Indiæ affini planta *Bontii* colligi credit. Sed Paulo Hermans tanquam oculato teſti potius, quam D. Syen fidem adhibemus. Gummi Gutta apud Indos uſui Medico non inſervit: illis tantum pro pigmento eſt. Illud in oleo Lini diſſolvunt; & quando alvo adſtricta laborant, hauriunt pigmentum. Fructus Coddam-pulli ſiccus ex Malabar in alias Provincias fertur. Eo utuntur in cibis, magnaque apud Incolas illius eſt laus in curationibus: ſed inter omnes quæ experientia comprobatæ ſunt, prominet profluvii albi cujuſcumque generis conſtrictio, in illis præſertim qui nimio veneris uſu hoc malum contraxerunt. Mirum ſane quod in fructu ſit vis adſtrictoria, & in ſucco purgandi vis.

Analyſi Chymica, ex Gummi Guttæ ℔ij. prodierunt primo humoris aliquantiſper turbidi, ſubacidi, auſteri, & Amygdalas amaras ſapore & odore referentis ℥ij. ʒij. liquoris rufeſcentis acidi, auſteri & linguam pungentis ℥iij. ʒj. gr. xviij. liquoris fuſci, tum acidi, tum urinoſi ℥ij. ʒiij. gr. vj. olei limpidi, fluidi, fuſci ℥iiij. gr. lx. olei craſſioris & aqua gravioris ℥j. ʒiiij. Maſſa nigra in retorta reſidua rara & ſpongioſa pendebat ℥xj. ʒvj. quæ per 38. horas in crucibulo calcinata exhibuit cinerum leucophæorum ℥j. ʒv. gr. xxiiij. a quibus ſalis fixi ſalſi gr. xxiv. lixivio extracta fuerunt. Partium deperditio in diſtillatione fuit ℥vj. ʒiiij. gr. lx. in calcinatione vero ℥viij. gr. xlviij.

Gummi Gutta flammæ admotum accenditur & ardet lucida flamma, ſicut reſinæ, fumum copioſum ſpargens. Solvitur in ſpiritu vini, ſed non totum: ſexta enim circiter ejus pars non diſſoluta remanet, gummoſa nempe, quæ aqua calida vel oleo Tartari prompte reſolvitur. Solvitur quoque in menſtruis aqueis in lac albicans aut flaveſcens, ſed non accurate; quandoquidem reſinoſæ particulæ ſenſim concreſcunt & vaſis fundum petunt, aqua remanente liquida. Unde liquet, hunc ſuccum eſſe concretum ſalino-ſulphureum ſeu reſinoſum & gummoſum, conſtantem ex ſulphure tenuj quod amarorem & odorem phlegmati primum prodeunti impertitur, ſulphure craſſo quod nonniſi igne vehemente & aperto elevatur, & a terra ſeparatur, & ſale tartareo aliquantiſper Ammoniacali, qui diſtillationis ope partim in acidum, partim in urinoſum reſolvitur. Aquea Gummi Guttæ ſolutio ab oleo Tartari per deliquium vel aqua Calcis affuſis colorem ſanguineum acquirit, ob ſulphurearum partium expanſionem, ſicut videre eſt in diſſolutione ſulphuris mineralis per forte lixivium alcalinum.

Purgantem Gummi Guttæ virtutem a tenujori ſulphurea ſubſtantia pendere exiſtimo, cum ſalibus volatilibus certa proportione temperata; quatenus ſcilicet illæ particulæ ſalino-ſulphureæ ſucco ſtomachali evolutæ, & a craſſioribus & fixis principiis ſegregatæ, ventriculi & inteſtinorum membranas vellicant, nervorum poros ſubeunt & convellunt: unde in ventriculo nauſeas & vomitiones excitat, in inteſtinis alvi expreſſiones & dejectiones.

Quidam uberrimum ſalem alcali in hoc Gummi contineri, ex eo quod aquea ejus ſolutio cum ſyrupo violaceo mixta viridem colorem ſuſciperet, exiſtimaverunt. Sed non ab alcalino ſale in eo latente ille color ori-

oritur; ſed exſurgit ab intermixtione flaveſcentium & cœrulearum moleculariun in eo liquore: quod pictores quotidie experiuntur, pulveres flavos & cœruleos miſcendo, & Phyſici vitra flava & cœrulea conjungendo.

Gummi Gutta inter valentiora purgantia hydragoga recenſetur. Humores in primis ſeroſos, ac bilioſos tenues per ſuperiora & inferiora evacuat, idque cito, non diu moram in corpore trahens, & abſque moleſtia aut torminibus. Hinc ejus uſus creber eſt in hydrope, cachexia, tuſſi, dyſpnæa, aſthmate, ictero, catarrho, arthritide, ſcabie, & ejuſcemodi morbis. Quidam in illius medicamenti uſu timidi primum fuerunt, ejus violentiam reformidantes. Ex his fuit Gregorius Horſtius qui *Sect.* 9. *Epiſtolarum* ab ejus uſu, ne per aliorum dolores experimenta faceret, abſtinendum eſſe putavit. Idem tamen poſtea Ulmæ archiater conſtitutus, mitius de illo ſentire cœpit, variis additis correctionibus. Alii felicem experti ſucceſſum, larga manu illud exhibere non dubitaverunt, etiam pueris, ſenibus, prægnantibus & phtiſicis: quos inter Philippus Hechſtetterus Medicus Auguſtanus, qui intra novennium ad libras plures ægris innumeris præſcripſit. Revera qui hoc medicamentum caute & opportune adminiſtrare norunt, illud commodi in eo deprehendunt, quod ſit ſaporis & odoris expers, parva doſi exhibeatur, intra breve temporis ſpatium operationem ſuam exerat, & quod ſuccos viſcidos, ac tenaces in quacumque corporis parte ſtagnantes & adhærentes potentiſſime diſſolvat, eoſque qui in ventriculo ſunt, per vomitum expellat, cœteros vero per inferiora uberrime propellat.

Doſes diverſæ ab auctoribus proponuntur. Americani, referente Nicolao Monarde, illius Gummi non pulverati fragmentum, Nucis Ponticæ magnitudine ſeu circiter ʒij. in aquei cujuſvis liquoris ℥ij. per noctem integram macerant, poſtea mane percolant & bibunt. Revera non totum fragmentum ſolvitur; nihilominus tamen hæc doſis pro nobis nimia foret. Differt natura a natura, & regio a regione. Americani naturæ robore purgantium medicamentorum virtuti magis reſiſtunt. Præſcribitur a gr. ij. v. vel vij. ad grana xv. ad ſummum, licet Cluſius doſim ad grana xx. extendat. Sæpius Gummi Guttæ exhibui a gr. ij. ad iiij. abſque vomitu. Nonnulli vero ex granis iv. ventriculi perturbationem paſſi ſunt, ſed pauci. Eiſdem vero eadem doſis ſi per plures dies reiteretur, poſt primam aut alteram vicem ad vomitum non amplius provocat. A granis iv. ad viij. vel x. per ſuperiora & inferiora blande atque copioſe & abſque violentia purgat; nec ea doſi exhibitum correctione eget, ſi præſertim copioſo liquore diluatur & extendatur. Si ſub forma boli vel pilularum exhibeatur, facilius vomitum excitat, rarius vero cum Mercurio dulci conjunctum.

Iiſdem nocumentis obnoxium cenſetur atque validiora purgantia, nempe ventriculi ſubverſioni, vomitioni, & ſuperpurgationi: quibus occurrunt iiſdem cautionibus, quæ in cœterorum purgantium & emeticorum adminiſtratione adhiberi ſolent. Ph. Hechſtetterus, ut vomitum impediat, & ſtomacho aptius medicamentum reddat, addit aquam Betulæ cum paucis ſpiritus Vitrioli guttis. Alii illud corrigere tentant ſpiritu Vitrioli,

ſucco acido Citri, ſucco Cydonior. fumo Sulphuris, oleis Cinnamomi; Macis aut aliis, aqua Cinnamomi, aut ſyrupis & ſalibus. Verum his correctionibus materiæ in ventriculo inhærentis ejectio per ſuperiora non impeditur. Præterea correctione, ut jam dixi, non eſt opus; modo debita doſi exhibeatur, & ſatis dilutum. Quibus autem facile vomitum natura negavit, & qui ad vomendum ſunt inſueti, ab eo abſtinere debent.

Chymici illius ſucci reſinam & magiſterium præparant. Sed inutiles ſunt illæ elaboratæ præparationes, quæ plus nocumenti afferunt quam commodi: purgantium enim reſinæ minus purgant, & majorem æſtum in viſceribus accendunt.

Idem Hechſtetterus inſuper obſervavit ſincerum & ſolum plus agere, quam cum aliis purgantibus mixtum, in pilulis parum, & cum infuſo plurimum operari.

℞. Gumm. Gutt. gr. vij. Diſſolve in decoct. Hordei ℥xij. Adde Syr. Violar. ℥ij. Fiat potio viridis in duas doſes diſtribuenda, in anaſarca & ſeroſa colluvie.

℞. Gumm. Gutt. gr. vj. Aq. commun. ℥vj. Succum ex Malo Citrio expreſſum. Sacchar. albiſſim. ℥ß. M. F. ſ. a. Limonatum hydragogum.

℞. Mann. Calabr. ℥jß. Diſſolve in aq. ebull. ℥vj. Fiat colatura, in qua diſſolve Gumm. Gutt. gr. iv. Adde aq. Cinnam. ℥ß. Fiat potio hydragoga.

℞. Gumm. Gutt. gr. vj. Mann. Cal. ℥jß. Diſſolve in aq. Endiviæ ℥vj. Adde Sp. Vitrioli gutt. iij. Sp. Citri ℥ß. Fiat potio.

℞. Gumm. Gutt. gr. iij. Aq. Nucum & flor. Aurantior. ana ℥iij. Sacchar. alb. ℥ß. Fiat hauſtus hydragogus.

℞. Gumm. Gutt. gr. vij. Aquil. albæ gr. x. Conſervæ Roſar. q. ſ. M. F. bolus in ſcabie & affectibus cutaneis.

℞. Gutt. Gumm. gr. vj. Eleoſacchar. Cinnam. ʒij. M. F. pulvis purgans.

℞. Gutt. Gumm. gr. x. Olei Juniper. gutt. ij. Mithridatii q. ſ. M. F. pilulæ hydragogæ.

℞. Pulver. Jalap. gr. xij. Cambogii gr. iv. Cremor. Tartar. ʒß. Syr. de Rhamno cathartico q. ſ. M. F. bolus hydragogus.

Uſurpatur in Electuario antihydropico *Charas*, Extracto catholico *Sennerti*, Extracto catholico & cholagogo *Rolfincii*, Pilulis hydropicis *Bontii*, Pilulis de Gummi Gutta *Lemort*, & Pilulis de Gutta Gamandra *Pharmacop. Londinenſ.*

ARTICULUS QUARTUS.

De Opio.

OPium & Meconium, *Offic.* Ὄπιον & Μηκώνειον, *Græcor.* Affion & Amſion, *Arabum*. Succus eſt concretus, reſinoſus ſimul & gummoſus, ponderoſus, denſus, lentus, inflammabilis, ex fulvo nigricans, odoris

ris viroſi, ſoporiferi, ſaporis amari, acris, in placentas compactus ſubrotundas, depreſſas, unciam circiter craſſas, ſemilibram vel libram ponderantes, & papaverinis foliis involutas. Ex Natolia, Ægypto, & India affertur.

Arabes, & officinæ Thebaicum, ſeu quod in Ægypto circa Thebas colligebatur, Opium præ cœteris commendarunt. At vero hodie non amplius diſtinguitur, ex quocumque loco veniat Opium, probatur ſincerum molliuſculum, ſub digitis lenteſcens, inflammabile, colore fuſco aut nigricante, odore vehemente, & viroſo *ſtupefaciente*. Rejicitur aridum & friabile, aut combuſtum, terra aut arenulis permixtum, aut aliis ſordibus inquinatum.

Apud veteres duplex ſucci papaverini genus diſtinguebatur. Unum erat lacryma ex inciſis Papaveris ſativi capitibus diffluens, *Μηκωνος ὀπος*; vel apud Medicos per Antonomaſiam *Ὄπιον* dicta fuit, alterum, *Μηκώνειον* vel *Μηκώνιον* dictum, ſuccus erat ex tota planta contuſa extractus, & inſpiſſatus. Meconium Opio longe ignavius dicebant. Hodie vero unum tantum genus nobis affertur ſub Opii nomine, ſuccus nempe ex vulneratis Papaveris albi capitibus ſtillans; neque ulla alia ſpecies apud Turcas, & Conſtantinopoli reperitur præter illud idem, quod in placentas nobis affertur. Apud Perſas tamen lacrymas ex vulneratis capitibus promanantes diſtinguunt, & primo prodeuntes ſedulo excipiunt, & tanquam viribus præſtantiores plurimi faciunt, ut infra dicemus.

Planta ex qua ſuccus ille extrahitur, dicitur Papaver hortenſe ſemine albo, ſativum Dioſcoridi, album Plinio, *C. B. P.* 170. Radice eſt digito circiter craſſa, amaro lacte, ſicut & tota planta turgente, caule bicubitali, in alas diviſo, lævi plurimum, nonnumquam modice hirſuto; cui folia adnaſcuntur Lactucæ æmula, oblonga, laciniata, criſpa, colore glauco, flore roſaceo, quatuor plerumque petalis candidis brevi deciduis, in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce bifolio ſurgit piſtillum ſeu capitellum ſtatim ab initio multis ſtaminibus ſtipatum, quod deinde abit in fructum unicapſularem ſeu teſtam ovatam, capitello ornatam radiato ſeu ſtellato, variis per longitudinem intus munitam lamellis parieti pericarpii adnatis, quibus tanquam placenti adhærent numeroſa ſemina minutiſſima, ſubrotunda, candida, & ſapore oleoſo dulci. In diverſis Aſiæ minoris Provinciis agri conſeruntur Papavere albo, ut apud nos Tritico. Ubi capitula producit, leviter inciduntur; & effluunt aliquæ guttæ humoris lactei, quas concreſcere ſinunt & colligunt. Clariſſ. Tournefortius refert, majorem Opii quantitatem extrahi ex contuſione, & expreſſione eorumdem capitum. At Bellonius de illa capitum contuſione, & expreſſione nihil profert, neque Kæmpferus de Opio quod in Perſide colligitur, differens. His triplex eſt Opium ſed inciſione tantummodo extractum, ut mox dicemus.

In Perſide Opii collectio celebratur ineunte Æſtate, propinqua maturitati capita decuſſatim ſauciando per ſuperficiem. Culter huic negotio inſerviens quintuplici acie inſtructus, una ſectione quinque infligit vulnera longa parallela. Ex vulnuſculis promanans ſuccus poſtridie ſcalpro abſtergitur, & in vaſculum abdomini præligatum reconditur. Tum altera capitum facies eodem modo vulneratur, ad liquorem pariter proliciendum.

Primæ

Primæ collectionis lacryma *Gobaar* dicta præſtantior cenſetur, & majori pollet cerebrum demulcendi virtute, colorem exhibens albidum vel ex luteo pallentem, ſed qui ex longiori inſolatione & ariditate infuſcari ſolet. Altera collectio ſuccum promit priori, ut virtute, ita & pretio inferiorem, coloris plerumque obſcuri vel ex rufo nigricantis. Sunt qui & tertiam inſtituunt, qua obtinetur lacryma nigerrima, & exiguæ virtutis.

Opium ſcalpro abſterſum, & aſſervatum præparant, illud aquæ pauxillo humectando vel melle, ſpata craſſa lignea continuo & fortiter tractando in patina lignea & plana, donec elaboratiſſimæ Picis conſiſtentiam, tenacitatem & nitorem induat. Ita diu multumque ſubactum, ultimo manu nonnihil tractatur nuda, & demum in cylindros breves rotatum venale exponitur, forcipe dividendum, cum particulas emptores petunt.

Hac ſerie pertractatum a Perſis nominatur *Theriaack malideh* ideſt Theriaca molendo præparata, ve *Therioack afiuun*, ideſt Theriaca opiata ad differentiam Theriacæ Andromachi, quam *Theriaack faruuk* vocant. Nam his populis Opium eſt Poetarum illa γαλήνη, ἱλαρη & εὐδία, ideſt Medicina animo tranquillitatem, hilaritatem, & ſerenitatem conferens, quo olim tergemino elogio Theriacale Antidotum Andromachi appellatum legimus.

Hic Opii præparandi labor perpetuus eſt propolarum quorumdam, qui in foris, & quadriviis ſedentes in eo brachia ſua ſtrenue exercent.

Nec una eſt illius ſucci præparandi ratio. Sæpenumero non aqua, ſed melle Opium ſubigitur ea copia admiſſo, quæ non ſiccitatem modo, ſed etiam amaritiem temperet. Et hæc ſpecialiter *Bœhrs* appellatur.

Inſignior præparatio eſt, quæ ex Nuce Myriſtica, Cardamomo, Cinnamomo, ſubtiliſſime præparatis, & cum Opio accurate mixtis conficitur, quæ cordi, & cerebro inſigniter prodeſſe creditur: Polonia, vel ut alii pronuntiant, Pholonia dicitur, puta Philonium Perſicum ſeu Meſuæ. Alii, omiſſis aromatibus, croceo, & Ambra tantummodo maſſam infarciunt. Multi ſuam præparationem ipſi pro libitu in uſum proprium domi conficiunt.

Præter has præparationes, quæ ſola pilularum forma deglutiuntur, de liquore quodam apud Perſas celebri *Coconar* dicto Kæmpferus mentionem facit qui affatim & per intervalla propinatur.

Parant hunc liquorem alii ex Papaveris foliis aqua ſimplici per brevem moram coquendis; alii ex capitibus contuſis & aqua macerandis, aut ex iiſdem ſupra colatorium repoſitis, aquam eamdem ſepties octieſve ſuperfundendo, admixtis pro cujuſque placito, quæ ſapori gratiam concilient.

Tertium Opiati genus Kæmpferus addit, quod Electuarium lætificans, & lætificando inebrians nominat. Illud Electuarium cujus baſim idem Opium etiam conſtituit, a Seplaſiariis, & Medicis varie elaboratur, ac diverſis medicaminibus ad roborandos, & exhilarandos ſpiritus dirigitur. Unde diverſæ ejus exſtant deſcriptiones, quarum primaria, & celeberrima eſt, quæ debetur Hasjem-begi; quandoquidem commedentis animum miris perfundere gaudiis, & magicis cerebrum demulcere ideis & voluptabus dicitur.

Capi-

Capita Papaveris teneriora aceto condita a nonnullis in menſa ſecunda appetuntur.

Inſtituta plantæ Papaveris albi analyſi, e foliorum cum thyrſis recentium ℔v. prodierunt primo phlegmatis limpidi, flaveſcentis, ſubacidi, odoris, & ſaporis ingrati, viroſi, narcotici, qualem folia contrita emittunt, ℔j. ℥vj. ʒvj. gr. iij. deinde liquoris limpidi, rufeſcentis, intenſe acidi, auſteri, odoris empyreumatici ℔ij. ℥xv. ʒj. tandem humoris obſcure fuſci, alcali urinoſi, cum ſalis volatilis tantillo ℥j. ʒj. gr. liiij. olei ſpiſſioris conſiſtentiæ ℥j. ʒij. gr. lxvj. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥iiij. ʒiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ℥j. ʒiij. gr. xlviij. ex quibus lixivio extracta fuere ſalis fixi mere alcali ʒiiij. gr. lx. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iij. ʒj. gr. xxj. in calcinatione ℥ij. ʒvij. gr. xxiiij.

Ex capitum ſeu fructuum Papaveris albi recentium nec perfecte maturorum ℔ij. ℥xv. per retortam diſtillatis prodierunt primo phlegmatis limpidi, ſubacidi, odoris, & ſaporis ingrati, viroſi, qualem folia plantæ contrita emittunt, ℥xj. ʒvij. gr. xlij. deinde liquoris initio limpidi, ſub finem rufeſcentis, ſaporis acidi, & auſteri, odoris empyreumatici ℔j. ℥xiij. ʒi. gr. xj. tertio humoris obſcure rufeſcentis vel fuſci, alcali urinoſi cum ſalis urinoſi tantillo ʒiij. gr. xxiiij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥ij. gr. xxxvj. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum ʒiij. gr. lj. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒj. gr. xviij. extracta fuerunt. Partium jactura in diſtillatione fuit ℥iiij. ʒvj. gr. vij. in calcinatione ℥j. ℥iiij. gr. lvij.

Ex his analyſibus liquet haſce Papaveris partes conſtare ex ſale Tartareo, & Ammoniacali ſimul junctis, & oleo admodum craſſo; minus autem terræ eſſe in capitibus quam in foliis, & caulibus.

Opii vero analyſi inſtituta, hujus ſucci puri & ſinceri ℔ij. præbuerunt liquoris, tum acidi, tum urinoſi ℥xij. ʒi.. olei craſſioris ℥ij. ʒiij. Caput mortuum in retorta ſuperſtes pendebat ℥xv. ʒiiij. quæ igne reverberii calcinata reliquit cinerum fuſcorum ℥ij. gran. lx. ex quibus lixivio ſalis fixi mere alcali ʒiiij. gran. xlv. exracta fuerunt. Deperditio partium in diſtillatione fuit ℥j. ʒvij. in calcinatione ℥xiij. ʒiij. gran. xij.

Itaque in Opio plus ineſt ſalis volatilis urinoſi, quam in foliis, aut capitibus. Sed non ſolus ſal alcali urinoſus in Opio reperitur, ut Pitcarnius exiſtimavit; verum etiam acidus ſal, & quidem potens: quod probatur tum per analyſim, tum etiam ſi ſolutio Opii in Heliotropii tincturam affundatur; colorem enim rubrum igneum huic tincturæ conciliat.

Ex ſale, tum acido, tum alcali, & oleo conjunctis compoſitum exſurgit reſinoſum, & gummoſum, quod igne inflammabile eſt cujus maxima pars aqua ſolvitur, & portio mediocris ſpiritu vini. Sulphur craſſum quod in Opio deprehenditur, admodum rareſcibile eſt, ut liquet ex Opii diſtillationibus vehementi odore Opii reſperſis: & ab hoc ſulphure condenſato, & ſummæ raritatis capaci ejus virtutem pendere exiſtimo, ut poſtea dicemus.

De Opii qualitatibus non unus eſt omnium conſenſus. Alii conſiderantes

Opium

Opium paucorum granorum doſi exhibitum caput gravare, ſomnum conciliare, doloris ſenſum obtundere, reſpirationem intercludere, hominemque dormientem vita privare, illud non modo frigidum, ſed quarto receſſu eſſe tale pronuntiaverunt. Alii ad ejus ſaporem amarum, acrem & cauſticum attendentes, illud calidum eſſe conſtituerunt; nec magis de illius virtute inter ſe convenerunt. Alii illud virulentiæ, & narcoſeos accuſantes culparunt & rejiecerunt. Alii illud magni-faciunt, & pluribus titulis ac elogiis cumulant. Veterum Græcorum plurimi, narrante Dioſcoride, illius uſum vel etiam externum reformidarunt. „ Raro cogimur, inquit Galenus *Lib.* 2. *de compoſitione Medicamentor. ſecund. locos* „ (de dolore capitis agens,) pharmacis ex Opio uti; cum videlicet „ præ doloris vehementia homo de vita periclitatur: quanquam & tunc „ ſolidæ partes ex ejus uſu offendantur, adeo ut poſthac correctione opus „ habeant. Sic ex Opio collyria multis detrimento fuerunt, ita ut debilem oculum reddiderint, & viſus hebetudinem: velut etiam auditus „ gravitatem inducunt, quæcumque ad vehementem aurium dolorem ex „ Papaveris ſucco ſunt compoſita. Pharmaca enim ex Papaveris ſucco „ omnia ſenſum ſtupefaciunt: & ob id ſane cogimur ipſis uti, ubi nullum aliud mitigativum opem tulit". Galenum ſecuti ſunt plurimi veterum & neotericorum; Fernelius, Matthiolus, Ruellius, Tabernæmontanus, Rhodius, Renodæus, Zacutus Luſitanus, Quærcetanus, Schroderus, &c. Dioſcorides tamen illius uſum non adeo reformidavit. „ Opium, inquit, ſumptum Ervi magnitudinem dolorem finit: concoquit, „ & ſomnum allicit: tuſſi atque cœliacorum valetudini auxiliatur. Verum ſi copioſius hauriatur, nocet, cum lethargicos efficiens interimat. „ Ad dolores capitis cum roſaceo oleo perfuſum efficax eſt: aurium dolori cum Amygdalino, Myrrha, & Croco inſtillatur. Inflammationibus „ oculorum cum torrefacto ovi luteo proficit; igni ſacro, & vulneribus „ cum aceto; podagris cum lacte mulieris, & Croco. Somnum accerſit ſubditum ſedi pro Balano". Inter recentiores felix Platerus diu neglectum Opium, ut ait, ſub ſcamno rejectum, in uſum revocavit; „ quem ſecutus eſt Franciſcus Sylvius Batavus ſeu De le Boe, qui dixit ſe nolle Medicinam exercere, ſi careret Opio: unde Doctor Opiatus dictus eſt. Sed ut Opii natura, & vires melius innoteſcant, conſiderandum eſt, quinam ſint illius effectus modica doſi exhibiti, quomodo ægri a nimia doſi afficiantur, ac tandem quæ ſymptomata diuturniorem illius uſum ſequantur.

Opium vel interne uſurpatur, vel externe. Externe admotum tumores incidit, reſolvit, & diſcutit; emollit, & relaxat; maturat & ſuppurationem promovet. Diu cuti admotum illam pilis nudat; pruritum in ea excitat, eamdem nonnumquam exulcerat, & in veſiculas attollit, ſi recens ſit, & tenerioris ſit texturæ caro. Perinæo applicatum ad venerem quandoque proritat: nonnumquam extinguit, harumce partium ſenſus ſtupefaciendo. Sæpe externe admotum ſoporem inducit, & dolores ſedat, licet hi effectus admodum incerti ſint. Capitis ſuturis applicatum nonnumquam interimit: nervos relaxat, ſtuporem, & paralyſim inducit.

Opium intus ſumitur, vel juſta doſi, vel nimia. Juſta doſis grana duo vel tria

tria raro ſuperat, licet nonnumquam ad drachmam unam & ultra extendatur. Subſtantia ſub pilularum forma exhibetur, vel quovis liquore diſſolutum. Intra breve ſpatium, poſtquam aſſumptum fuit, operationem ſuam exerit; ſemihoræ circiter, ſi diſſolutum; & ſeſquihoræ plus minuſve; ſi ſub forma ſolida in ventriculum injectum fuerit.

Debita doſi exhibitum quamdam circa præcordia gratam ſenſationem excitat: animum ad hilaritatem promovet, ſicut fit ex modica vini potatione: curas & mœſtitiam removet, ſæpe animum ad ſua munia obeunda alacriorem ac vegetiorem reddit; unde audacia, ſui fiducia, fortitudo, magnanimitas & periculorum contemptus ut plurimum ſequuntur. Eam ob rem Turcæ ampla ejus doſi ſeſe ad prælium accingunt. Sanguinis & ſpirituum motus efferos compeſcit, dolores demulcet, corpus laboribus gravatum ſublevat, hæmorrhagias ab æſtuante ſanguine oriundas ſiſtit: cœteras evacuationes ſaltem per tempus cohibet; exceptis ſudoribus & inſenſibili tranſpiratione; late enim promovet: arteriarum pulſum magnum, elatum & tardum efficit, oris ſiccitatem affert: in cute ruborem & levem pruritum excitat; ſemen auget, & venereum appetitum ſtimulat, præſertim ſi larga doſi hauriatur. Majorem effectum ſortitur in calida & humida tempeſtate, & in corporibus laxioris texturæ, ut in mulieribus & infantibus.

Alii quidem ſunt effectus, qui opium juſta doſi ſumptum frequentiſſime ſequuntur, licet non coſtanter. Sic ſoporem ſæpius inducit, ſed non ſemper; quidam enim ab aſſumpto Opio minus dormiunt. Somnia grata ac jucunda ut plurimum provocat: vomitum & ſingultum ſedat, quandoque excitat, ſicut & ſpaſmos & convulſivos motus: tardiorem efficit in ventriculo ciborum concoctionem: ciborum appetentiam minuit: ſudores excitat: muliebrium menſtruorum, & poſt partum ſuppreſſarum a fibrarum erethiſmo & convulſione purgationum fluxum nonnumquam promovet: placentæ evacuationem aliquando juvat: arenularum & calculorum expulſioni ſæpe conducit: hæmorrhagias quaſdam cohibet: lac nutricum auget: mammarum intumeſcentiam, penis erectionem, ſomnia venerea, & in ſomno ſeminis emiſſionem, cutis ruborem & pruritum, urinæ profluvium, & nonnumquam ſuppreſſionem inducit; licet illi effectus non conſtanter ſubſequantur.

Quidam vero ſunt alii effectus minus frequentes; videlicet fugaces paralyſes, præſertim veſicæ, balbuties, maxillæ inferioris relaxatio, ſudorum ſuppreſſio, alvi ſolutio, aquarum hydropicorum evacuatio, ut VVillis obſervavit, ſtuporis artuum a frigore externo concitati curatio, ſuffocationes, anxietates circa præcordia, ſingultus, vomitus, ſpaſmodici motus, ſincopes & lipothymiæ, & quandoque mors, quæ tamen rariſſime, nec niſi in corporibus ſumme plethoricis, aut in corporibus ſumme debilitatis, & jam a longo tempore attenuatis accidit: unde illius uſus poſt enormes hæmorrhagias aut quaſcumque vacuationes nimias metuendus eſt. Econtra mira quandoque virium & vitæ recreatio in quibuſdam ſemimortuis, ut ita dicam, & ad extrema redactis percipitur. Nonnumquam etiam Opium diutius in ventriculo moratur abſque effectu, humoribus nempe ſpiſſis & viſcidis involutum.

Ceſſan-

Ceſſante narcotici operatione, hæc ut plurimum, ſubſequuntur : regreſſus affectionum & dolorum quæ ſedaverat, & ſæpe graviorum quam antea, niſi beneficio ſudoris aut alio modo eorum cauſa ab Opio expulſa aut deleta fuerit; ſudor licet non ſemper ſuperveniat; mictio frequens, nonnumquam alvi ſolutio, triſtitia, & ſpirituum defectus, pulſus languidus ac depreſſus cutis pruritus.

Nimiam Opii doſim ſequuntur fere iidem affectus, qui a vini ingurgitatione produci ſolent, ſcilicet animi hilaritas, riſus immoderatus, artuum relaxatio & debilitas, mentis alienatio, memoriæ defectus, vertigines, oculorum caligines, corneæ laxitas, pupillæ dilatatio, balbuties, ſopor, pulſus magnus & tardus, faciei rubor, maxillæ relaxatio, labiorum intumeſcentia, ſpirandi difficultas, furor, ventriculi ardor, & nonnumquam gravitas, æſtus venereus, priapiſmus, cutis calor & pruritus, nauſea, ſingultus, vomitus, pulſus inæqualis, modo depreſſus, modo elatus, convulſiones, ſudores frigidi, ſyncopes, lypothymiæ, mors. Quæ quidem ſymptomata non omnes omnia aggrediuntur, neque æquali vehementia, ſed alios alia plus minuſve pro varia corporis conſtitutione, Opii doſi diverſa, & aliis circumſtantiis.

Qui non pereunt, liberantur ut plurimum uberrimo alvi profluvio, vel ſudoribus copioſis, qui Opii odorem referunt, magno cutis pruritu ſtipatis. Equidem obſervandum eſt alvi profluvium tutius ab Opii doſi nimia affectos liberare; periculoſius illos ægrotare, quorum cutis laxioris eſt texturæ & ventriculus debilis : & ut illorum alii furioſi ſunt, alii vero ſtupidi, ita furioſos mortem facilius declinare quam ſtupidos & comatoſos.

Immoderatus & diuturnus Opii uſus procreat partium omnium relaxationem & debilitatem, incuriam, languorem, deſidiam, laboris inertiam, corpus torpidum, animum ſtolidum & hebetem, ſicut in ebrioſis obſervare licet, illo tempore excepto quo recens injectum in ventriculum Opium digerunt. Deinde ciborum inappetentiam, difficilem & tardam concoctionem, hydropem, motuum & ſenſuum imminutionem, corporis incurvationem, artuum tremorem, prææmaturam ſenectutem, ſanguinis acrimoniam & depravationem, frequentem micturitionem, in venerem propenſionem, priapiſmum, atque frequentes inter dormiendum ſeminis emiſſiones.

Qui vero Opio aſſuefacti poſt diuturnum & immoderatum illius uſum illud derepente relinquunt, his afficiuntur ſymptomatibus gravioribus vel levioribus pro diverſa hominis conſtitutione, & plus vel minus longo & immoderato ejus uſu; ſcilicet ſumma & intolerabili mœſtitia, anxietate, languore, & ſpirituum defectu, quibus ægrotans dire cruciatus ad extrema ducitur, & nonnumquam ad mortem uſque ipſa vita magis illi exoptatam, niſi ad Opii uſum redeat vel vini, cujus vis Opii virtuti nos eſt comparanda. Sæpius quoque cum illis affectionibus priſtina mala ab Opio palliolata & coercita, majori cum vehementia regrediuntur.

Præcipuis Opii operationibus recenſitis, nunc nobis liceat de ejus operandi ratione aliquid conjicere. Supra recenſiti Opii effectus ab inſigni illius actione in ſanguinem proficiſci videntur. Opium autem ſanguineum lati-

laticem mirum in modum diſſolvit, expandit, & rariorem efficit. Inde tot phœnomena diverſa vel ſæpe etiam contraria oriuntur. Sanguinis diſſolutionem & rarefactionem arguunt pulſus magnus, elatus, mollis tamen & infrequens, facies tumidior cum rubore, calor per totum corpus diffuſus, fluiditas ſanguinis eorum, qui Opio aſſidue utuntur; vix enim refrigeratus concreſcit. Et obſervarunt cruorem ex Turcarum & Indorum in præliis occiſorum cadaveribus poſt unum aut alterum diem æque fluidum dimanare, ac ſi noviſſime fuiſſent enecati.

Sanguine ſic expanſo, arteriæ per totum corpus diſtenduntur; & pro diverſis viſceribus in quibus hæc ſubita fit ſanguinis rarefactio, ſcenæ diverſæ, effectus varii apparent. Statim atque ſanguis per arterias cerebri permeans rareſcit, arteriolæ diſtenſæ & majus ſpatium occupantes nerveos canales intertextos comprimunt, plus minuſve pro majori vel minori ſua dilatatione. Nervos compreſſos nimis minor ſucci nervoſi e glandulis effuſi copia ſubit, & ad partes pervenit; unde corporis functiones minus belle ſe habent, arteriæ tardius vibrant, licet a rarefacto ſanguine plus ſolito diſtendantur: unde pulſus magnus elatus, ſed minus frequens. Calor præternaturalis per totum corpus accenditur, ex eo quod imminuto ſanguinis motu circulari ſeu progreſſivo & aucta fluiditate, motus ejus inteſtinus ſeu fermentatirius augeatur, a quo calor pendet. Ab imminuto ſucci nervoſi ad partes affluxu, & ejuſdem refluxu a partibus ad cerebrum, artuum torpor, motus & ſenſus imminutio ſubſequuntur. Somnus quoque excitatur plus minuſve profundus, quo plus vel minus nervi ſeu nervorum principia functionibus animalibus dicata ab arteriis comprimuntur. Mors denique nonnumquam evenit, ſi ex nimia & ſubita arteriarum intumeſcentia nervoſarum fibrarum cerebri major pars adeo coarctetur, ut illas poſtea ſuccus nervoſus permeare nequeat. Eadem prorſus ratione dolores ſublevantur ab Opio aut ſedantur, non quod doloris cauſa tollatur, ſed quod nervoſi ſucci in nervos influxum inhibendo, impediat quominus irritationis ſenſatio a parte læſa ad nervorum principium ſeu animam uſque perveniat.

Defectu ſucci nervoſi ſeu ſpirituum animalium, ſecretiones & excretiones imminuuntur aut prorſus deficiunt: quod potiſſimum obſervare eſt in hepate & renibus. Idem inſuper illis in viſceribus accidit ac in cerebro. Arteriis ſcilicet præter modum diſtenſis, excretoria bilis aut urinæ vaſa comprimuntur, & horumce humorum excretio ſiſtitur. Sola poſt aſſumptum Opium per cutis membranarumque poros perſpiratio viget, imo vires acquirit ab eo; quandoquidem nulla ſunt vaſa ſecernentia perſpirationi dicata: ſed perſpirationis materia per vaſorum quorumlibet poros membranarum extenſione dilatatos exitum ſibi quærit. Sudor quoque nonnumquam ſupervenit ex eo, quod ſudoriferi meatus in extimis vaſis & cute collocati nullis ſint impliciti arteriolis vaſiſve aliis dilatatis, quorum compreſſio huic evacuationi obſtare queat.

Revera quædam evacuationes ſuppreſſæ nonnumquam reſtituuntur ab Opio; ſi nempe illa ſuppreſſio oriatur a vehementiori nervoſarum membranarum irritatione, ita ut aſſiduo & uberiori ſpirituum animalium ad par-

partes affluxu fibræ continuo & vehementer criſpentur & convellantur. Hoc ſpirituum animalium affluxu ab Opio cohibito vel imminuto, fibræ nervoſæ relaxantur, & ſuppreſſæ evacuationes ſaltem per aliquod tempus reſtituuntur. Sic nonnumquam ab aſſumpto Opio catharſis, diureſis menſium & lochiorum fluxus, ſecundinarum ejectio, necnon calculi renalis excretio, aut aliæ promoventur evacuationes: nec diſpari ratione motus ſpaſmodici hyſtericorum aut hypochondriacorum ab eodem medicamento ſedari ſolent.

Qui per longum tempus Opiatis remediis utuntur, ſæpe experiuntur eamdem illam doſim, quæ ad ſoporem inducendum initio ſufficiens erat, poſt aliquod tempus inutilem & irritam fieri; majorem requiri, vel etiam ad ſomnum conciliandum quotidie ampliandam eſſe. Illud autem evenit ex eo, quod ex primis Opii doſibus aſſumptis ſanguis certum quemdam fluiditatis gradum adipiſcatur, quem eadem doſis augere nequit. Superfluis enim ſanguinis recrementis per ſudores vel per tranſpirationem exhalatis ſanguinea moles imminuta, non amplius arterias adeo diſtendit, ut nervos comprimere valeat ad ſomnum inducendum. Nec eadem Opii portio ſufficit ad arterias ad æqualem amplitudinem attollendas; major Opii quantitas requiritur ad ſanguineam molem ulterius ſolvendam & rarefaciendam, & quidem magis ac magis, donec omnem fluiditatem poſſibilem acquiſiverit: tunc enim ampliores Opii doſes magis ac magis creſcentes non amplius ſomnum arcerſunt.

Quæret aliquis quænam ſint principia, quibus Opium hanc inſignem ſanguinis diſſolutionem & expanſionem excitare valet? Cui reſpondeo, Opium ſalibus, tum acido, tum alcali urinoſo & ſulphure craſſo plurimum condenſato, ſed ſummæ diviſibilitatis & expanſioni capace, componi. At vero non tam a ſalibus, quam a ſulphure ejus vim ſoporiferam pendere exiſtimo; quandoquidem obſervamus corpora ſimili ſulphure turgida, ut ſunt Crocus, Nux Moſchata, Caſtoreum, &c. in ſoporem inducere.

Opium autem & aromata ſoporifera in ventriculum injecta, a fermentativo ventriculi liquore ſolvuntur, & fermentationem ſuſcipiunt. Hac fermentatione ſemiexpanſa ſulphura narcotica ad maſſam ſanguineam deveniunt: non ſolum fermentativum motum in ventriculo ſuſceptum conſervant, ſed etiam a ſpirituoſis ſanguinis partibus in majorem motum concitantur, cum ſulphureis ſanguinis partibus permiſcentur, eaſdem in fermentationem ſecum trahunt, dividunt, attenuant, ſicque totam maſſam diſſolvunt ac rarefaciunt: unde ſopor. Nec prius operatur Opium, quam ejus ſulphura diviſa ad maſſam ſanguineam pervenerint. Revera paulo poſt quam Opium in ventriculo injectum fuit, quidam nec ingratus caloris ſenſus in ventriculo percipitur, ex blanda titillatione partium ſalino-oleoſarum a ſtomachali ſaliva explicatarum; ſed ſomnus non invadit, niſi poſt ſemihoram aut horam unam, tempus nempe requiſitum ut ſulphureæ Opii particulæ ad maſſam uſque ſanguineam deferantur.

Si forte Opii particulæ diutius in ventriculo retineantur, aut ſi majori quam par eſt, copia ingerantur; tum e nimia & incommoda fibrarum nervearum ventricali titillatione & irritatione oritur nauſea, ſingultus, vel etiam vomitio.

His

His rite perpenſis, cœterorum Opii effectuum ratio ſatis elucefcet: quapropter in illis explicandis diutius non immorabor.

Opio nimia doſi aſſumpto, & mortem gravioribus ſymptomatibus minitanti medetur, primo venæ ſectione & emetico medicamento. Hoc non ſolum Opii reliquiæ in ventriculo ſuperſtites rejiciuntur, ſed etiam vomitus conatibus nervoſæ ſuccutiuntur membranæ, & illis ſuccuſſibus ſpirituum ad partes affluxus inhibitus reſtituitur: illa vero vaſa ſanguinea a ſanguine rariore facto ultra modum diſtenſa vacuantur, & ad ſolitum diametrum reducuntur. De utroque id in primis cavendum, ut vires naturæ adhuc conſtent; alias pejus fortaſſe foret malo remedium. Deinde potionibus acidis, ex ſuccis Citri, Mali Aurantii, granorum Ribeſiorum, aceto, ſpiritibus Vitrioli, aut ſulphuris: ſulphurum enim expanſioni obſtant, illorum vim coercent, & rariorem factum ſanguinem cogunt. Clyſteres acriores injiciuntur, Pyrethri aut Euphorbii pulviſculus naribus inſufflatur, ſalia volatilia intus ſumuntur: veſicatoria, ſinapiſmi, & epiſpaſtica medicamenta plantis pedum aut imæ cervici impoſita, item cucurbitulæ, ſcarificationes, uſtiones, punctiones & frictiones dolorificæ, feliciter adhibentur. His enim remediis membranas nervoſas fortiter ſtimulantibus villi concutiuntur, ſpiritus ad partes majori copia allabuntur, partium tonus reſtituitur, fluida carnalium renum fortius preſſa, qua data porta ruunt, ſecretiones & excretiones reſtituuntur.

Circa epiſpaſticorum operationem in deliriis ab Opio natis Alexander Thomſon Anglus, *Diſſertationibus medicis de Opio*, obſervat, ægros, cum prima epiſpaſtici operatione inter delirandum coqueruntur de frigido a ſincipite per cervicem delapſu, confeſtim a delirio ſanari. Maximum ſane argumentum, ſtimulum ab epiſpaſtico nervæ cerebri compagi inditum, eamdem a nimia liquidi copia depleviſſe; unde delirii ſolutio.

Veteres, qui Opium frigidiſſimum eſſe arbitrabantur, illud corrigere tentarunt calidis medicamentis, & coagulatum ſanguinem ſolventibus. Hinc Theriaca Mithridatium, Philonium, & aliæ Opiatæ compoſitiones. Recentiorum vero unuſquiſque, prout de Opio diverſe ſentiebat, diverſas illius temperandi rationes inſtituit. Alii Caſtoreo, & Croco ejus vim narcoticam emendant: alii aceto, ſucco Citri, ſpiritu Vitrioli vel ſulphuris, aut ſimilibus acidis liquoribus: alii ſalibus alcalicis, tum fixis, tum volatilibus: alii ſpiritu Vini, aqua vitæ, vino, aut aliis fermentatis liquoribus: alii ipſa fermentatione: alii igne, & torrefactione. Verum, quandoquidem Opium non præſcribitur niſi ad ſomnum conciliandum & dolores demulcendos, fruſtra illam vim anodinam & ſomniferam corrigere vel minuere tentant. Sibimeptiſi contrarii ſomniferum expetunt, ſomniferum timent; ſomniferum ingerunt, & illud, ſi poſſent, ejus virtute ſoporifera ſpoliarent. Nihil equidem in Opio veneni reconditur præter hanc virtutem; non igitur correctione opus eſt. Sola purgatio a ſordibus, terra, arena, aut aliis inquinamentis, quibus conſpurcatum ad nos ſolet pervenire, requiritur; nihilque ab eo reformidandum, modo juſta doſi & rite exhibeatur.

Purgatur autem a ſordibus, vel, ut ajunt, præparatur ſolutione in liquore quovis idoneo & tranſcolatione. Sæpe colatura ſervatur & exhibetur

per guttas ſub nomine tincturarum Opii vel Laudani liquidi: nonnunquam etiam liquor ad extracti ſolidi conſiſtentiam exſiccatur, & ſub forma pilularum vel pulveris exhibetur.

Cum duæ ſint in Opio ſubſtantiæ, gummoſa una, & reſinoſa altera, ille ſuccus non æque ab omnibus liquoribus ſolvitur. Aqueis gummoſa tantum ſubſtantia liquatur, remanente reſinoſa integra; ſpiritu vini ſola extrahitur reſinoſa: vino aut aceto vel aqua vitæ ambæ ſimul diſſolvuntur. Ex hac menſtruorum diverſitate diverſæ Opii tincturæ exſurgunt, non ſolum natura diſcrepantes, ſed etiam effectibus. Opii enim tinctura cum ſpiritu vini extracta, omnium fere conſenſu vi narcotica intenſiori donatur, caput vehementius afficit, & ſæpe delirium inducit; ut in hypocondriaco ſæpius obſervavi, qui in ſomniis affectus uſu tincturæ Opii cum aqua paratæ ſomno placido corripiebatur; econtra vero phrenitide mire divexabatur; cum tincturam Opii cum ſpiritu vini paratam ſumebat.

Opii tinctura cum aceto parata urinas nonnumquam ſupprimit, ut Medicinæ, & Chymiæ peritiſſimus Jacobus Le Mort obſervavit. Quæ cum alcalinis ſalibus conficitur ad ſomnum conciliandum, parum utilis eſt; quandoquidem ſales acrimonia ſua membranas nervoſas ſollicitando, ſoporem ab Opio excitatum diſcutiunt. Revera Opii tinctura cum ſalibus urinoſis volatilibus conſociata ſudores movet, ſicque præparatum quibuſdam in affectionibus convenit. Opium vero cum aqua præparatum omnium tutiſſimum, & efficaciſſimum cenſemus cum doctiſſimo VVedelio, & peritiſſimo Chymico, & Medico ſupra nominato. Nihil enim ex hoc menſtruo pertimeſcendum eſt; & Opium ſic præparatum non ſolum hæterogeneis partibus purgatur, ſed etiam ſua reſina nonnullis Medicis reformidanda ſpoliatur: ita ut apud Joannem Jones Medicum Londinenſem, *Tractatu Anglico de detectis Opii myſteriis*, hæc tinctura Panaceæ titulo inſigniatur. Revera, quandoquidem conſtat Opium non eſſe frigidum, nec ſanguinem coagulare, ut putabant veteres; quid opus eſt tot calidis aut aromaticis ſubſtantiis, quibuſcum conſociari ſolet? An ad juvandam Opii virtutem? Sed quæſo, quid Opium adjumenti recipere poteſt a Croco, Caſtoreo aut cœteris aromatibus quibus longe præſtat, tum ad ſoporem inducendum, tum ad ſudores movendos. Aliis quoque de cauſis hæc aromata in præparationibus, uſitatis a nonnullis admittuntur, ſcilicet ad viroſum Opii odorem emendandum, vel etiam ad illud magis extendendum, ut facilius in parvas doſes diſtribuatur. Eamdem ob cauſam quoque Sydenham Opium liquidum extracto ſicco anteponit, quod granum unum Opii ſolutum facilius in quindecim vel viginti guttulas dividatur, quam extractum ſiccum in viginti partes grani unius.

Opii purgatio vel præparatio cum aqua ſic inſtituitur.

℞. Opii minutim ſecti q. l. Diſſolvatur in aq. limpid. ſtillatitiæ q. ſ. digerendo in B. aren. Solutio a maſſa ſuperſtite ſeparatur. Refrigerata per chartam bibulam tranſcoletur. Nova aqua maſſæ reſiduæ affundatur, digeratur. Secernatur a fœcibus, & tranſcoletur; ſicque aqua affuſiones iterentur, donec nulla amplius extrahatur tinctura. Solutiones confuſæ evaporentur in B. M. ad extracti ſolidi conſiſtentiam. Doſis exhibetur a quarta grani parte ad gran. j. aut alterum.

Cum

Cum Opium liquidum deſideratur, extracti hujus granum unum in aq. convenientis q. l. diſſolvitur, & poſtea partitis vicibus pro libitu propinatur.

Tinctura Opii cum aqua parata in officinis non diu ſervaretur, ſed brevi mucronem contraheret. Quapropter ſi Laudanum liquidum ſervandum ſit, hæc tinctura paratur vel cum vino, vel cum aqua vitæ; unde duæ Laudani opiati præparationes hic Pariſiis maxime uſitatæ, nempe Laudanum liquidum Sydenhamii, & Guttæ anodinæ Equitis Talbor vel Tabor. Ad Laudanum liquidum Sydenhamii conficiendum

♃. Opii in taleolas tenues ſecti ℥ij. Croci minutim conciſi ℥j. Cinnamom. Caryophyllor. contuſor. ana ʒj. Vini Hiſpan. ℥xvj. Digerantur ſimul in B. M. per dies duos vel tres. Fiat colatura: ſervetur ad uſum.

Guttæ anodinæ Talbot ſic præparantur.

♃. Opii lamellatim ſecti ℥iß. Corticis Saſſafras ℥ß. Rad. Azari ℥ß. Aq. vitæ ℔j. Digerantur ſub radiis ſolaribus in vaſe clauſo per novem dies. Colatura ſervetur ad uſum. Doſis a gutt. iiij. ad xv. vel xx.

Opium præparatum Laudani nomen in officinis obtinuit a Paracelſo, qui primus illud ſic nominavit quaſi laudandum medicamen.

Opii torrefactio a nonnullis proponitur ad virus narcoticum auferendum. Revera minor eſt Opii torrefacti virtus, non ob ſulphuris narcotici, ut ajunt, exhalationem, ſed quod plurimæ Opii particulæ combuſtione deſtructæ fuerint, & in carbones redactæ. Inutilis itaque hæc emendatio nobis videtur.

Alii fermentatione craſſum Opii ſulphur dividere, & attenuare conantur. Reipſa fermentatum non adeo conſopit, & potius ſudores movet, & diaphoreſim, aromatum more, ſanguinem, & humores exagitando. Sic autem illam perficiunt fermentationem.

♃. Opii ℔j. Aq. comm. ℔iij. Fiat diſſolutio. Tum

♃. Mellis optimi ℔iiij. Aq. comm. ℔xij. Fiat diſſolutio, quæ cum Opii ſolutione permixta, & in vaſe idoneo recondita, reponatur in hypocauſto calido ad fermenteſcendum. Cum liquor fermentans odorem vinoſum exhalat, ſpuma, & fœcibus ſeparatis, diſtillatur, & ſpiritus extrahitur. Liquor in alambice reſiduus percolatur, blando igne evaporatur, & ad extracti conſiſtentiam reducitur; ſolvitur denuo cum humore ſpirituoſo prius elicito, & tinctura ad ſyrupi dilutioris conſiſtentiam redacta ſervatur ad uſum.

Equidem hæc tinctura majori doſi exhiberi poteſt, quam Opii tinctura ſimplex, cum aqua vitæ: ſed parum commodi ex hac operoſa præparatione refertur. Nec magis utilem aut proficuam eſſe exiſtimamus hanc Helmontianam Opii cum ſucco Cydoniorum fermentati præparationem.

♃. Succi Cydonior. recenter expreſſi ℔x. Opii in tenues lamellas diſſecti ℔j. Stent in leni calore, ut fermenteſcant per ſeptimanas ij. vel iij. Fœcibus poſtea ſubſiſtentibus liquor limpidus effundatur, cui adde Cinnamomi ℥iij. Caryophyllor. Macis, Nuc. Moſch. Cardamom. ana ℥j. Galang. minor. ℥jß. Digerantur ſimul per duos, treſve dies. Liquor per chartam emporeticam tranſcolatus evaporetur ad extracti ſolidi conſiſtentiam.

Quidam viroſum Opii odorem diuturna digeſtione, & iteratis diſſolutionibus & diſtillationibus auferunt, & ſic veneno narcotico illud ſpoliari exiſtimant, hac ratione.

℞. Opii q. l. Diſſolve in aq. comm. q. ſ. ſolutio per chartam emporeticam transcoletur. Colatura in baln. aren. digeratur per octiduum, & poſtea blando ignis calore per alambicem vitreum diſtilletur ad melleam conſiſtentiam. Melleo huic extracto novam aquam affunde. Digerantur per octiduum, & iterum diſtillentur ad mellaginem. Iterentur novæ aquæ affuſiones, digeſtiones & diſtillationes, donec aqua inodora prodeat, & maſſa reſidua nullum amplius odorem emittat. Tunc nova aqua ultimo ſolvatur, percoletur, & evaporetur ad extracti ſolidi conſiſtentiam, cujus vis adeo debilis eſt, ut ad grana iij. iv. v. viij. vel x. tuto exhiberi poſſit.

Iteratis Opii digeſtionibus & diſtillationibus, ſulphura dividuntur, & attenuata avolant cum ſalinis partibus volatilibus. Unde moleculæ terreſtres cum ſulphuribus & ſalibus craſſioribus remanent fere inertes. Idcirco hanc præparationem parum utilem cenſemus.

Recenſitis Opii præparationibus frequentius uſitatis, nunc quædam monita circa illius uſum exponamus.

1. Tinctura aut extractum Opii cum aqueis menſtruis præparata, cæteris præparationibus præſtant.

2. Opii tincturæ & extracta reſinoſa cum ſpiritu vini præparata rejiciuntur. Intenſiori enim vi narcotica donantur, caput gravant, ſanguinem & ſpiritus inflammant, nonnunquam etiam ventriculi membranis inhærent; ibique gravitates, nauſeas, ſingultus, & vomitiones excitant.

3. Rejiciuntur Opii præparationes cum acidis, quæ ipſius vim retundunt & deſtruunt. Neque utiliores cenſentur cum ſalibus volatilibus, quorum acrimonia ſomnus removetur, niſi ſudores promovendi ſint; tunc enim Opio opem ferunt: neque cum ſalibus alcali fixis, qui urinas promovent, ſed ſomniferam Opii virtutem admodum minuunt.

4. Opium ſub pilularum forma minus conducit, incertæ enim eſt operationis. Satius eſt illud ſub forma boli debite cum aliis pulveribus permixtum & ſufficienter extenſum exhibere, vel quovis liquore ſaporis non ingrati dilutum: citius enim actionem ſuam exerit, & minus frequentes nauſeas excitat.

5. Nunquam in ventriculum cibis repletum ingeratur. Quapropter quatuor horarum intervallum a paſtu, ſi ſolidi fuerint cibi, requiritur; & ſaltem duarum horarum poſt juſculum ad illud propinandum. Neque etiam alimenta ſolida exhibeantur, niſi abſoluta Opii operatione; nec juſcula propinanda ſunt, niſi urgente neceſſitate, & tribus tantum horis poſt narcoticum exhibitum.

6. Non exhibeatur, dum fluunt menſtruæ mulierum purgationes, puerperarum purgamenta, periodicæ hæmorrhagiæ, aut criticæ evacuationes: nec niſi caute poſt enormes evacuationes quaſcumque, ne ſpirituum defectu ægrotantes ad ſomnum jam proclives in ſomnum diuturniorem & fortaſſe ſempiternum inducantur, aut paralyſi afficiantur.

7. Summa cum cautela exhibendum hominibus debilioris conſtitutionis, laxio-

laxioris texturæ, longo morbo debilitatis, infantibus, mulieribus prægnantibus & ſenibus, illis quorum ventriculus debilior cibos difficillime concoquit, illis quoque, qui ſummam patiuntur ſanguinis plethoram, ne, a ſubita ſanguinis expanſione, vel ſomnus letalis vel hæmorrhagia superveniat; rariſſime in morbis acutis & inflammatoriis præſertim, ne ſimulata morbi ſedatione, & Medicus & æger ſimul decipiantur.

8. Illius uſus identidem intermittatur, ne aſſiduo uſu prorſus irritum aut noxium evadat.

9. Tres ſunt potiſſimum Opii exhibendi indicationes, ſcilicet, vigiliæ nimiæ, dolores acerbi & diuturni, enormes vomitiones vel dejectiones.

10. Addit quoque Thomas Sydenham inſigniores ſpirituum animalium ataxias: unde nonnunquam in ſpaſmodicis nervorum affectibus & paſſionibus hyſtericis plurimum juvat.

11. Ab ea potiſſimum virtute pendet illa quæ in Opio deprehenditur facultas quaſdam evacuationes provocandi a convulſivis nervorum criſpaturis ſuppreſſas. Sic idem Sydenham *Epiſtola ad Cole*, *p.* 488. ad ſuppreſſa hac ratione puerperarum purgamenta reſtituenda, aliis remediis fruſtra tentatis, proponit Laudanum una ſaltem vice tentandum. „Hic, inquit, Laudanum quantumlibet ſua indole adſtringat: cum tamen ſpirituum perturbationem, a qua ſolemnis lochiorum evacuatio fuerat interrupta, compeſcat, quandoque plurimum juvare, &, emmenagogis „nihil proficientibus, lochiorum fluxum revocare poteſt. Sedulo interim „animadvertendum eſt (pergit idem auctor) quod ſi telo hoc ſemel miſſo ſcopum non attingamus, nec ſequantur lochia, Opium nullo modo „eſt repetendum.“

12. Opium in quibuſcumque morbis, tum chronicis, tum acutis non ſolum ut ſoporiferum, ſed ut inſigne alterans medicamentum a plurimis Medicis prædicatur, & hoc nomine multis laudibus cumulatur. Verum quam infida ſit & illuſoria hæc praxis, brevi experientur illi qui naturæ motus in morbis per aliquod tempus attente perpenderint. Opium enim non modo fugitivum levamen affert, ſymptomata tantum ſedando brevi regreſſura, intacta morbi cauſa, ſed etiam ſigna ex quibus Medicus & morbum dignoſcere & indicationes ſuas depromere debet, ſpiſſa caligine obnubilat, alia & morbi prorſus aliena ſymptomata ſuſcitat, naturæ conamina ad criſim perficiendam infirmat vel potius extinguit, & diuturno uſu morbos periculo vacuos in graviſſimos & ſæpe exitiales convertit. Sic ſoporifer ille ſuccus fallacibus induciis ægrotanti & Medico imponere ſolet; quandoquidem morbus eſt ſæpe naturæ conatus ad peccantem cauſam ſuperandam, & ipſe dolor eſt nonnunquam illius conaminis ſenſatio, ſed ſæpius partis affectæ ſtimulatio ab humore peccante, qua natura ad hanc cauſam expellendam vehementer concitatur. Sane ille ſuccus remedii nomen non meretur, qui hoc naturam orbat incitamento. Sic ex. gr. in nephriticis doloribus a calculo ureteres obſtruente oriundis non inutiles cenſendi ſunt dolores quibus æger divexatur. Renes enim, ureteres & muſculi abdominis his irritationibus ſollicitati modo convelluntur, modo laxantur: ſic quandoque calculus conteritur, comminuitur, vel vehementer protruditur, ac tandem iteratis illis conaminibus, & medicina obſtetricante, tandem in veſicam expellitur. Idem dicendum de ar-

thriticis doloribus : humor enim in peculiaribus articulorum vaſis concretus & hærens ab irritata & inflammata parte paulatim conteritur & reſolvitur ; ita ut tandem ex minoribus in majora vaſa tranſvehatur , vel a calore partis per dolorem accenſo blandam concipiat effervescentiam, qua tenujor fit & per cutis poros perſpigandi capax . Si in his Opii uſus noxius , quid in aliis ? Fruſtra felicem opiaticorum Medicorum praxim nobis opponunt . Attendamus aliquantiſper ad eorum methodum medendi tot acribus medicamentis , ſpirituoſis , ſtimulantibus , ſalibus nempe volatilibus , oleis eſſentialibus , odoratis , & aromatibus innixam : nec difficile erit judicare vel hanc methodum ad pravos Opii effectus emendandos, ſoporoſas nempe affectiones diſcutiendas & torpeſcentem ab Opio naturam excitandam , excogitatam fuiſſe ; vel Opium utiliter ab his adhibitum fuiſſe ad tumultus ab illegitima & ad hoc uſque tempus inaudita methodo excitatos inhibendos quodammodo, & refrænandos .

13. Opium cum clyſteribus in inteſtina injectum eoſdem producit effectus ac per os ſumptum , imo ſæpe majores ; & graviora nonnunquam inducit ſymptomata. Quare raro in clyſteribus diſſolvitur : ſed potius infuſa vel decocta ex Papaveris albi capitibus exhibentur , nec niſi cum ſumma cautela uſurpanda ſunt , & ſolummodo ad immoderatos & acerrimos alvi fluxus ſiſtendos , aut in atrociſſimis colicis doloribus .

14. Externe admotum dubiæ & incertæ eſt virtutis : quapropter rariſſime ad ſoporem inducendum applicatur , quod quidem nec temere fieri debet . Sæpius ad odontalgiam ſedandam Opii granum unum aut alterum temporum arteriis applicatur , nec abſque levamine . Verum Galenus monet opiata pharmaca auribus & oculis admodum noxia eſſe : viſus enim hebetudinem & auris gravitatem inducunt. In vulnera quoque gangrænam ſæpius inferunt.

15. Idem ferendum eſt judicium de Papaverinis ac de Opio , licet eorum vis ſoporifera longe remiſſior ſit.

Ex Papaveris albi partibus capita fere ſola hic in uſum veniunt . Matura colliguntur & exſiccata ſervantur . Ex his diſruptis & laceratis , rejecto ſemine tanquam inutili , infuſa & decocta præparantur ſicut & ſyrupus , Diacodium vulgo dictus . Semina vero ſomnifera non ſunt , ſed oleoſa & nutrientia : ex illis olim , teſte Dioſcoride , panem conficiebant. Nec ſolum Papaveris albi , ſed etiam nigri ſemen eſculentum eſt ; ſiquidem ſcribit Matthiolus eos, qui Tridentinas valles , Stiriam, & ſuperiorem Auſtriam incolunt , placentulis veſci cum utriuſque Papaveris ſeminibus & farina paratis, oleoque expreſſo in cibis continuo uti , non tamen veternoſos fieri aut diuturniori ſomno capi. Nuperrime quoque , cum oleum Olivarum , necatis perfrigida anni 1710. hyeme Oleis , nobis fere deficeret , oleo ex ſeminibus utriuſque Papaveris expreſſo in olei Olivarum vicem noſtrates in cibis innoxie uſi fuerunt . Præterea Cl. Tournefort. Gennuæ obſervavit nobiliſſimas matronas & puellas ſemina Papaveris albi ſaccharo obducta affatim vorare , neque in veternum incurrere. Quapropter in emulſionibus præparandis ad humorum acrimoniam demulcendam aut æſtum compeſcendum , cum quatuor ſeminibus frigidis frequenter . Papaveris albi ſemen uſurpatur : ex eo quoque oleum extrahitur ad uſum externum in linimentis & unguentis adhibendum.

℞. Papaveris albi caput unum minutim conciſum, rejecto ſemine . Co-

que

que in aq. fontis ℥xij. ad medias. Fiat colatura. Capiat æger hora ſomni, ad ſomnum conciliandum.

♃. Capitum Papaver. alb. n. ij. Conciſa coquantur in aq. limpid. ℔j. ad tertiæ partis diminutionem. In colatura ſenſim contunde ſemin. Papaver. alb. & ſemin. Melon. ana ℥ß. Fiat expreſſio, in qua diſſolve ſyr. Nenuphar. ℥j. Dividatur emulſio in duas doſes per noctem quatuor horarum intervallo propinandas.

♃. Quatuor ſemin. frigidor. major. ℥ß. Contunde in decoct. Hord. & rad. Althææ ℥vj. Fiat colatura, in qua diſſolve Diacodii ℥ß. vel ʒvj. Fiat emulſio hora ſomni & longe a paſtu exhibenda.

♃. Diacodii ʒv. Aq. ſtillatit. flor. Papaver. erratic. & Portulacæ ana ℥iiij. Aq. flor. Aurantior. ℥ß. Fiat potio in duas doſes diſtribuenda: altera hora ſomni propinetur; altera aliquot poſt horis, ſi ſomnus non ſuperveniat.

♃. Extracti Opii ſolidi granum unum, oculor. Cancror. pp. ℥ß. Terantur in mortario marmoreo & accurate miſceantur. Dividatur pulvis in ſex partes æquales ſexta quaque hora ſumendas ad tuſſim vehementem demulcendam.

♃. Laudan. opiat. gr. ß. Extracti Croci gr. j. Syr. de Althæa ℥ß. Diſſolve in infuſionis flor. Papaver. rhæad. ℥vj. Fiat potio hora ſomni exhibenda ad tuſſim per noctem ſedandam & ſomnum conciliandum.

♃. Laudani opiat. gr. j. Corall. rubri & terræ Japonicæ ana ʒß. Terantur, & accurate miſceantur. Tum adde pulver. Cinnamomi & Nucis Moſch. pulverat. ana ℈j. Extracti Juniperi ʒj. Syr. de Abſynthio q. ſ. M. F. opiata in quatuor doſes diſtribuenda, & per vices oggerendas in alvi profluviis immoderatis cum torminibus, aut in ſuperpurgationibus.

♃. Caſtorei gr. v. Opiati Laud. gr. j. vel Laudani liquid. Sydenhami guttas xij. Diſſolve in aq. flor. Aurantior. atque Arthemiſ. ana ℥iij. Solutioni add. Syr. de Arthemiſia ℥j. Fiat potio cochleatim exhibenda ad affectus hyſtericos compeſcendos.

Opium uſurpatur in Theriaca *Andromachi*. Mithridatio *Damocratis*, Electuar. Diaſcordio, Antidoto Orvietano *Freder. Hoffmann.* Philonio Romano *Nicolai Salernitan.* Philon. Perſico *Meſues*, Pilul. de Cynogloſſo, Pilulis Matthæi vel Starkei *Th. Bat.* Balſamo hypnotico *Charas*, Pulvere *Requies Nicolai Alexandrini* dicto, Trochiſcis de Karabe. Semina Papaveris albi uſurpantur in Syrupo Jujubino *Meſues*, Pulvere Diarrhodon *Abbatis*. Pulver. Haly. Diatragacanthi frigidi *Nicol. Alexandr. Requies Nicolai* dicto, Philonio Perſico *Meſues*, Trochiſcis Alkekengi *Meſues* & Trochiſcis *Gordonii*.

ARTICULUS QUINTUS.

De Acacia vera, & Acacia noſtrate.

Acacia vera & ſuccus Acaciæ, *Off.* Ἀκακία, *Galeni*, *Damocratis & aliorum*: Ἀκακίας, *Dioſcor.* Δάκρυον κυανώπὸν ἀκάνθης, *Andromachi.*

Succus eſt inſpiſſatus, gummoſus, colore extus fuſcus aut nigricans, intus rufeſcens ſeu ſubfulvus, conſiſtentiæ firmioris, duræ, in ore lenteſcens, ſaporis auſteri adſtringentis, non ingrati, in maſſulas ſubrotundas 4. 6. vel 8. unciarum pondere, & tenujoribus veſicis involutas compactus.

Probatur recens, purus, nitidus, qui aqua facile diſſolvitur. Nigerrimus & ſicciſſimus improbatur, ſicut etiam ſordibus conſpurcatus. Ex Ægypto per Maſſiliam nobis affertur.

Exprimitur ex ſiliquis immaturis plantæ quæ dicitur Acacia folio Scorpioides leguminoſæ, *C. B. P. 392.* Acatia ſant, & Akakia, *P. Alp. de Pl. Ægypt.* cujus deſcriptio *Articulo de Gummi Arabico* expoſita fuit, quandoquidem eadem arbor Gummi Arabicum & hunc ſuccum ſuppeditat. Siliquæ nondum maturæ, aqua perfuſæ contunduntur, exprimuntur, & ſuccus expreſſus coctione inſpiſſatur, & in maſſulas cogitur.

Conſtat ex mediocri ſalis acidi portione, paululum ſalis alcali, terra adſtringente copioſa, & oleo tum tenuj, tum ſpiſſo plurimo: ex quibus conjunctis compoſitum exſurgit ſalſum, aluminoſum, mucaginoſum.

Inter incraſſantia, adſtringentia & repercutientia medicamenta numeratur. Ventriculum firmat, vomitum ſedat, & alvi profluvia, hæmorrhagias quaſcumque ſiſtit, ſanguinem inſpiſſando, humorum acrimoniam demulcendo, & ſolidas partes roborando, ac firmando. Intus exhibetur, vel ſub forma pulveris aut boli, vel conveniente liquore diſſolutus a ʒß. ad ʒj.

Ægyptii, referente Alpino, ſanguinem ſpuentibus Acaciæ drachmam ſingulo mane aliquo liquore diſſolutam potandam offerunt. Idem mulieribus, quæ immodicas uterinas patiuntur hæmorrhagias, hunc ſuccum diſſolutum & in uterum injectum proponit. Frequentiſſimum eſt in collyriis apud Ægyptios illius uſus ad oculos roborandos, atque ab inflammationibus, quæ ibi frequentiſſimæ ſunt, tuendos. In gargariſmatibus repercutientibus, in angina ad fluxionem incipientem cohibendam utiliter uſurpatur. Ad anum uterumque procidentem ſucco diſſoluto cum foliorum florumque decocto nihil præſtantius eſſe idem Alpinus aſſerit. Ab eodem ad podagricos dolores in fotu commendatur, ſed adſtringendo repercutit: quare his in affectibus minus tutum eſt; quandoquidem humoris fluxum coercet, ſæpiuſque verſus interiora repellit.

℞. Acaciæ veræ ʒß. Conſerv. Roſar. rubrar. ʒj. Coral. rubr. ℈ß. Syr. de Symphyto q. ſ. M. F. bolus in cruenta exſpuitione.

℞. Acaciæ Ægyptiacæ ʒj. Diſſolv. in ſuccor. Plantag. & Heder. terreſtris ana ℥iij. Adde Syr. Roſar. ſiccar. ℥j. M. F. potio cochleatim exhibenda in hæmorrhagiis.

Uſurpatur in Theriaca, Mithridatio, Trochiſcis de Karabe, Ung. ſtiptico *Charas*.

Cairi, inquit P. Alpinus, Coriarii ad denigrandas pelles multam copiam illius ſucci abſumunt.

In officinis Acaciæ veræ defectu alium ſuccum extractum ſæpe ſubſtituunt, quem Acaciam noſtratem ſeu Germanicam nominant, licet viribus ab Acacia vera paulo diverſum. Quapropter ad Theriacæ confectionem Pharmacopæi curare debent, ut veram & genujnam Acaciam conquirant, quæ magni eſt uſus in Ægypto, & facile apud nos reperitur.

Aca-

Acacia noſtras, & Acacia Germanica, *Off.* Succus eſt inſpiſſatus, ſiccus, durus, ponderoſus, niger, intus nitens, in maſſulas veſicis involutas compactus, ſapore acido auſtero. Ex Germania affertur, necnon etiam in officinis noſtris præparatur.

Planta ex cujus fructu ſuccus ille elicitur, dicitur Prunus ſylveſtris, *C. B. P.* 444. vulgo *Prunellier* vel *Prunier ſauvage*. Arbor fruticoſa eſt, ſepibus notiſſima, multis ramis donata, & ſpinoſa, cortice ſubpurpureo, & cinereo circumveſtitur. Folia profert lanceolata, in ambitu ſerrata, ſapore adſtringente. Flores ante folia e ramulorum tuberculis naſcuntur conferti, niveo candore inſignes, teneri, amari, aliquantiſper odorati, roſacei, pentapetali, in quorum medio ſtamina alba apicibus intenſe croceis ornata ſtylum viridem longiorem circumdant, ex calyce exſurgentem; qui calyx deinde in fructum abit. Floſculis pari fertilitate ſuccedunt fructus parvi, ex rotundo oblongi Ceraſis vulgatis minores, primum virides, paulo ante maturitatem glauci, tandem matureſcentes atro-cærulei, inſigni adſtrictione præditi, oſſiculum continentes Ceraſi oſſiculo par aut paulo minus, ſed longius, cum nucleo ſimili. Radice nigra eſt.

Folia, cortex & fructus immaturi refrigerant, exſiccant & adſtringunt: unde uſus eorum in hæmorrhagiis, & alvi profluviis frequens.

Licet Matthiolus omnibus ſylveſtris Pruni partibus adſtringentem facultatem tribuat, flores tamen fructus maturi excipiendi ſunt qui alvum laxandi virtute pollent. Unde flores ad alvum ſubducendum in vino macerati aut in ſyrupo crebris infuſionibus parato a quibuſdam exhibentur. Quin etiam eoſdem exſicatos in Cereviſia calida propinatos alvum movere Simon Paulli refert. Aquam e floribus diſtillatam & potam ad laterum dolorem & pleurutidem Tragus commendat: eamque multo efficaciorem aſſerit, ſi flores recentes vino generoſo macerati in B. M. diſtillentur; quandoquidem ſpiritus ille ſudorificus eſt ab ℥iiij. ad ℥vj. propinatus.

Fructus bene maturi alvum laxant; ſed immaturi refrigerant, & adſtringunt: quapropter melle conditi dyſentericis, & alvi profluviis laborantibus exhibentur. Ex Prunis ſylveſtribus immaturis in clibano exſiccatiis, & poſtea cum muſto vel Cereviſia fermentatis apud Germanos vina & Cereviſiæ præparantur in alvi profluviis & immoderato menſium fluxu proficua.

Ex iiſdem immaturis & recentibus ſuccus exprimitur, coquitur & inſpiſſatur ad extracti ſolidi conſiſtentiam ſub Acaciæ Germanicæ nomine, & Acaciæ veræ ſuccedaneum habetur. Majori tamen aciditate donatur, quapropter magis refrigerans & adſtringens cenſetur: multo minus olei continet; idcirco humorum acrimonia non æque ac vera Acacia temperare valet. Adverſus hæmorrhagias & alvi profluvia ad ʒj. ſub forma boli vel in potionibus dilutus nonnumquam exhibetur: ad anginam ſtatim initio in gargariſmatibus utiliter miſcetur.

♃. Acaciæ noſtratis ʒj. Sal. Prunell. ʒß. Mellis roſati ℥j. Aquar. ſtill. Roſar. & Plantag. ana ℥iij. M. F. gargariſma in angina incipiente.

Pruni ſylveſtris folia in Unguento Comitiſſæ uſurpantur.

AR-

ARTICULUS SEXTUS.

De Hypociſtide.

HYpociſtis, *Off.* Ὑποκιςὶς, *Dioſcor.* Taraſith, *Arabum.* Succus eſt exſiccatus, niger, nitens, ſaporis auſteri. Ex Gallo-Provincia, Gallia Narbonenſi, & Orientalibus plagis nobis affertur. Eligatur purus, nitidus, niger, non aduſtus.

Planta, ex qua extrahitur, dicitur Hypociſtis officinar. *C. B. P.* 465. E variorum Ciſti generum radicibus veluti ſurculus erumpit, Orobanches forma: caule infima parte quatuor vel quinque lineas, ſuprema pollicem vel duos pollices craſſo, tres quatuorve alto, carnoſo, ſuccoſo, diſruptu facili, candicante, purpuraſcente aut ſubluteі coloris, ſaporis amari & ſumme adſtringentis, foliolis ſeu ſquamis craſſis, ſemipollicem longis, duas treſve lineas latis, obtuſe acuminatis, diverſi coloris in diverſis ſpeciebus, undique obſito. Multos gerit in ſummitate flores congeſtos cum foliolis, ſquamis plurimis ſimilibus craſſis intermixtos & circumſeptos, Flos mali Punicæ cytino ſimilis monopetalus eſt, campanulatus, ſeptem vel octo lineas longus, cujus pars infima pro calyce eſt, ſuprema in quinque dividitur ſegmenta duas lineas longa, ſubrotunda; quorum medium piſtillum occupat duas lineas longum, in globulum deſinens ſtriatum, cujus ſtriæ ſtato tempore dehiſcentes tenuiſſimum pollinem emittunt: ſicque hæc pars piſtilli ſtaminum & apicum vices gerit. Infima floris pars paulatim intumeſcit ad ſemiunciæ craſſitiem, & fructum conſtituit ſubrotundum, ejuſdem cum flore coloris, mollem, intus veluti radiatim in ſex vel octo partes diviſum, ſucco turgidum lento, glutinoſo, limpido, ſaporis fatui, & ſeminibus fœtum pulveris adinſtar tenuiſſimis. Sphæriceo huic fructui ſtriatus piſtilli globulus ſupereminens ſemper adhæret. Caulis a Ciſti radicibus, quibus innaſcitur, facile avellitur; & ſcrobiculum reliquit in radice lævem abſque ullo fibrarum veſtigio. Cl. Tournefortius in Creta Inſula obſervavit Hypociſtidis ſpecies colore diverſas ut videre eſt *in Corollar. Inſtit. R. H.* Sola Hypociſtis flore luteo odorata erat, & odorem Lilii convallium referebat; cœteræ ſpecies erant inodoræ.

Ad ſuccum præparandum, cytinos ſeu fructus recentes contundunt, & ſuccum eliciunt, qui ſubinde inſolatur, & denſatur ad extracti ſolidi conſiſtentiam. Præter hanc Hypociſtidis præparationem nonnulli tempore Dioſcoridis plantæ ſurculos exſiccabant, fractos macerabant, incoquebant, percolabant, & ad extracti conſiſtentiam indurabant.

Hypociſtis ex iiſdem fere conſtat principiis, ex quibus Acacia, & iiſdem virtutibus donatur. Potenter adſtringit, & ad omnes fluxionum affectus, puta ſanguinis rejectiones, profluvia muliebria, cœliacos, dyſentericoſque affectus commendatur. Quin ſi quam partem roborare conſilium ſit, inquit Galenus *L.* 7. *de ſimpl. Medicam.* quæ videlicet pluſculo humore exſoluta fuerit, robur & firmitatem illi non imbecilliter addit. Sic ſane ſtomachicis epithematis, hepaticiſque commiſcetur, & ex viperis confecto antidoto inditur, nimirum quo corpora confirmet ac roboret. Intus ſumitur a ℈ß. ad ℈j. In gargariſmatibus repercutientibus ſicut Acacia uſurpatur.

℞. Hypociſtid. ℈ij. Syr. de Symphyto, & Berberis ana ℥j. Mucag. Gumm. Tra-

Tragacanth. ℥j. Aquar. Plantag. & Portulac. ana ℥ji. Fiat looch. ſ. a. quo utatur æger ex cochleari frequenter, in hæmoptoe.

℞. Hypociſtid, ʒj. Corall. rubr. Terr. ſigill. Lapid. Hæmatit. pptorum ana ℈j. Syr. Hederæ terreſtris ℥j. Aq. Plantag. & Portulac. ana ℥iij. M. F. potio cochleatim exhibenda.

℞. Hypociſtid. & Acaciæ noſtrat. ana ʒj. Conſerv. Roſar. & Cynorrhod. ana ʒij. Syr. Berber. q. ſ. Fiat opiata in quatuor doſes quarta quaque hora exhibendas diſtribuenda, ad ventriculum debilem roborandum & diarrhæam ſiſtendam, obſervatis obſervandis.

Uſurpatur in Theriaca *Andromachi*, Mithridatio *Damocratis*, Trochiſcis de Karabe, & in Emplaſtro regio ad hernias.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Ee Catechu, & Lycio veterum.

CAtechu, & improprie Terra Japonica, *Off.* vulgo *Cachou*. Eſt ſuccus gummoſus, reſinoſus, induratus, extrinſecus e rufo nigricans, intrinſecus e rubro fuſcus, ſaporis adſtringentis, ſubamari, poſtmodum dulcioris & grati, odoris expers. Duplex eſt: unus defœcatior, qui in ore cito liqueſcit; alter magis craſſus, terreſtris, & quaſi fœculentus, qui ſæpe terra, arena, lapillis, aut aliis heterogeneis permixtus reperitur, & nonnumquam aduſtus. Hic deterior cenſetur: ille rarior, ſed præſtantior, & cum reperitur, elgiendus. Ex Malabar, Suratta, Pegu, & aliis Indianis oris affertur. Improprie Terra Japonica dicitur, cum in Japonia non reperiatur niſi aliunde illuc advectus.

Mercatores ab hujus ſucci ariditate & friabilitate decepti terram eſſe crediderunt: verum nullus in dubium hodie revocat, quin ſit ſuccus ex Vegetabilium familia extractus & inſpiſſatus; ſiquidem in aqua communi facile diſſolvitur, & nulla terra ab eo tranſcolatione ſeparatur, igne accenditur, & comburitur, & paucos cineres poſt ſe relinquit. Sed de illius ſucci origine, ſeu de planta, ex qua extrahatur, apud auctores non plane conſtat. Imo ex pluribus, & diverſis plantis hic ſuccus coctione elicitur, qui his nominibus *Khaath*, *Cate*, *Catechu*, *Caetchu*, & *Caſtioe* inſignitur.

Si enim Garciam audiamus, arbor ex qua ſuccus Cate extrahitur, magnitudine eſt Fraxini, folio minuto Ericæ, aut Tamariſci ſimillimo, perpetuo virente, multis ſpinis horrida. Sic autem illius ſucci extrahendi rationem refert. Ramos hujus arboris minutim conciſos elixant, deinde contundunt; poſtmodum cum farina Nachani, & cujuſdam nigri ligni, quod iſthic naſcitur ſcobe, (interdum etiam ſine eo) paſtilli, & tabellæ formantur, quas in umbra ſiccant.

Jacobus Bontius eamdem deſcribit arborem creberrimis in trunco & ramis ſpinis obſitam, foliis fere Sabinæ vel arboris quam vocant Vitæ, ſed non tam pinguibus, & graſſis. Fabas fert rotundas, inquit, punicei coloris, in quibus tres aut ad ſummum quatuor nuces clauſæ latent tanta duritie ut dentibus frangi nequeant. Ex ejus radice, cortice, & foliis extractum *Cate* dictum excoquitur; quod illi auctores ambo Lycium Indicum Dioſcoridis eſſe exiſtimant.

Verum Herbetus de Jager, *Ephemerid. German. Decad.* 2. *Ann.* 3. ſcribit Ly-

Lycium Indicum, ſeu *Cate* Garciæ, vel *Khaath* ut Indi nominant, & *Reng* ut Perſæ dicunt, ſuccum eſſe extractum non ex una arbore, ſed ex fere omnibus Acaciæ ſpeciebus, quæ cortice adſtringente, & rubeſcente præditæ ſunt, multiſque aliis plantis ex quibus ſimilis ſuccus excoqui poteſt; qui omnes ſucci eodem nomine *Khaath* ibi deſignantur, quamvis bonitate & virtute diſpares. Unam tamen obſervat eſſe arborem, quæ præſtantiſſimum, & optimum Khaath reddit.

Ab ipſo dicitur Acaciæ ſpecies ex qua Khaath ſeu Lycium Indicum conficitur, Kheir *Indor.* & *Decanor.* Khadira *Brachman*: Tſaanra *Golcondenſ.* Karang-galli Patti *Malabarum*. Acaciæ ſpecies eſt ſpinoſa, ramoſa, cujus rami majores cortice albicante cinereo veſtiuntur; ſurculi autem qui folia producunt, cute rufeſcente obducuntur, & ex majoribus ramis erumpunt inter ſpinulas binas hamatas, ex adverſo oppoſitas. Folia alata ad coſtam unam adhærentia Acaciæ foliis ſimilia ſunt, ſed minora. Flores & fructus non vidit. Ex hac arbore in regno Pegu ſuccus coctione extrahitur, quo ſuum Khaath per totam Indiam adeo celebre conficiunt.

Necnon etiam inter plantas, quæ extractum Khaath ſeu Catechu præbent, inſignis eſt quoque Areca arbor, referentibus eodem Herbeto de Jager loco ſupra citato, & Joanne Otthone Helbigio *Ephemerid. Germ. Ann.* 9. & 10.

Palmæ ſpecies eſt, quæ dicitur Palma cujus fructus ſeſſilis *Fauſel* dicitur, *C. B. P.* 510. Filfel, & Fulfel, *Avicennæ*: Fauſel ſive Areca Palmæ foliis, *J. B. I.* 389. Areca ſive Fauſel, *Cluſii exot.* 188. Pinung, *Bontii*: Caunga, *H. Malabar. I.* Arbor eſt procera, radice nigricante, oblonga, ſpithamam craſſa, cum plurimis radiculis albicantibus & rufis; caudice ad radicem ſpithamam craſſo, in ſumitate paulo minore; cortice obducto dilute viridi, adeo lævi ut nullum aſcenſum præbeat niſi aptatis ad pedes compedibus & laqueis, aut cincto per intervalla caudice vinculis quibuſdam ex Sparto, aliave materia confectis. Frondes ſeu palmites ex caudice decuſſatim bini, ſuperiores ex inferiorum ſinu emergentes, ima ſui parte ſummitate caudicis inſtar vaginæ ſeu capſæ rotundæ & clauſæ circumplectentes; caput oblongum in ſummitate arboris ipſo caudice craſſius conſtituunt. Exteriores pede fiſſo ac rupto, poſtea ſucceſſive ſuo tempore decidunt. Palmites exeunt e coſta media, ſuperius nonnihil cava inferius rotunda, & pinnis ſeu foliis binis ordine oppoſitis, tres quatuorve pedes longis, quatuor plus minus pollices latis, ac inſtar flabellorum complicatis, viridibus & nitentibus. In ſumma arbore e foliorum ſinubus exeunt vaginiformes capſæ quatuor plus minus ſpithamas longæ, e ſingulis foliis ſingulæ, ſurculos floribus & fructibus onuſtos includentes, parte interiore, quæ palmitum medium ſeu centrum reſpicit, concavæ, & exteriore convexæ, ſuperficie glabra & æquali, in medio partis cavæ ſtria lacunoſa ſulcatæ, ſecundum quam rumpuntur & aperiuntur, exterius primum e viridi albicantes, per tempus flaveſcentes, interius candidæ. Surculorum in capſis incluſorum alii craſſiores ima parte fructibus teneris dotati ſunt, alii tenuiores gemmis florum in duabus oppoſitis partibus obducti: ſunt autem gemmæ iſtæ parvæ, anguloſæ, albicantes, in tria petala rigida, cuſpidata & craſſiuſcula ſe aperientes; continentque in medio ſtamina novem albicantia, tenuia, tria longiora, ex flavo albicantia, quæ a ſex minoribus magis flavis cinguntur. Fructus adhuc teneri, & molles candidi ſunt ac niten-

ten-

tentes, albicantibus ſurculis appenſi, forma non rotunda, ſed angulata, maxima parte foliis calycis oblongo rotundis & mutuo circumvolutis comprehenſi: humorem multum & limpidum ſaporis adſtringentis in medio pulpæ continent: pulpa per tempus aucta, humor minuitur, donec nullus ſuperſit: deinde medulla albicans naſcitur, pulpa indureſcente; & cortex tandem aureo-flavus fit. Fructus juſtam magnitudinem adepti, antequam ſiccati ſint, perquam ſimiles Dactylis ſunt; oblongo-rotundi: in una & ſuperiori parte ſtrictiores conſtant ex cortice craſſo, glabro, membranaceo, pulpa e fulvo rubeſcente, quæ per ſiccitatem fibroſa evadit ſeu lanuginoſa & flaveſcens, intus in medio medulla albicante, ſeu potius nucleo aut ſemine. Cum jam fructus exſiccatus eſt, nucleus a pulpa fibroſa facile ſeparatur, Avellanæ vel Nucis Moſchatæ magnitudine, turbinatus ut plurimum, vel una parte compreſſus & ſeſſilis, ex altera convexus, rugoſus, ſtriatus extrinſecus, coloris rufi aut Cinnamomei, materie dura non admodum cedenti cultro, venis candicantibus, rufis & rubentibus intus reſperſa, ſaporis nonnihil aromatici & pauliſper adſtringentis. In maritimis & arenoſis tantum locis hæc arbor naſcitur.

Maximam hujus arboris fructui famam conciliavit quotidianus ejus apud Indos uſus, qui eum ſive mollem, ſive durum cum Lycio Indico ſive Khaath, & foliis Betel, addito momento Calcis, aſſidue maſticant, ſuccum ſive ſalivam his rebus tinctam deglutiendo, cœtera expuentes.

Hæc eſt ex Areca extracti, Khaath quoque dicti, præparandi ratio, referente ſupradicto Herberto de Jàger, *Ephem. Germ. Dec.* 2. *Ann.* 3. Nucem Arecam vel Faufel, quando adhuc viridis nec plane matura eſt, in duo triave fruſta ſecant, & ita in aqua, addito parum Calcis ex teſtis oſtreorum uſtis, per quatuor horarum ſpatium excoquunt, donec ſegmenta colorem obſcuro rubrum contraxerint. Calx multum juvat. Tum adhuc calens decoctum percolatur, & refrigeratum ſenſim detrahitur a materia ſpiſſa & fœculenta in fundo relicta. Hæc fœcula ſola inſpiſſata Khaath quoque dicitur, & eodem modo ac extractum Cate uſurpatur. Sed ut illud extractum præſtantius efficiant, addunt corticum Tſiantæ ſeu Acaciæ prædictæ recentium & viridium tuſorum & per tres dies maceratorum aquam, & coquunt ad extracti molliuſculi conſiſtentiam. Tandem maſſam inſpiſſatam ſuper ſtoreas ſoli exponunt, & in maſſulas vel paſtillos redigunt.

Magnates & ditiores hoc Lycio ſive Catechu haud contenti, illi Cardamomum, lignum Aloes, Moſchum, Ambarum, & alia admiſcent, quo gratius & luxurioſius evadat. Talis eſt compoſitio quorumdam paſtillorum apud Indos paratorum, rotundorum, planorum, Nucis Vomicæ magnitudine, a Batavis in Europam allatorum ſub nomine *Siri Gata Gamber*. Tales ſunt quoque paſtilli nigri ſub diverſis formis, modo pilularum, modo ſeminum, florum, fructuum, muſcarum, inſectorum, modo muſcerdæ, aut aliorum ad libitum, a Luſitanis in urbe Goa efficti; quique ob vehementiorem aromatum fragrantiam, a noſtris ut plurimum reſpuuntur. Verum ut nationes illæ valde fraudulentæ ſunt, ſæpe contingit ut arenam, argillam aut alia heterogenea huic extracto permiſceant quo maſſam & pondus augeant; ideo ut raro mera illa pura & ſyncera ex illorum manibus haberi poſſit.

Are-

Areca, obſervantibus Garcia, & Jacobo Bontio, nondum matura, maſticata vertiginem cerebro ſubitam inducit, non ſecus ac ſi ſumpto vino quis ebrietatem contraxerit. Sed hæc alteratio, ſumpto pauco ſale, & hauſtu aquæ gelidæ, breviter evaneſcit.

Hanc maſticationem orientales populi commendant adverſus fœdum oris halitum, ad firmandos dentes, & gingivas, ventriculum roborandum, vomitiones, & diarrhæas ſiſtendas, ciborum appetentiam excitandam, concoctionem adjuvandam. Interim os maſticantium velut cruore delibutum, fœdo aſpectu ſqualet.

Catechu ſincerum, & ſine aromatibus modice adſtringit, dentes, & gingivas firmat, aphthas, & oris exulcerationes ſanat, tonſillis, & anginæ medetur, cruentam exſpuitionem ſedat, catarrhos inhibet, tuſſi, & raucedini conducit, pituitam acrem demulcet, ventriculum roborat, ciborum concoctionem juvat, alvi profluvia, diabetem, hæmorrhagias ſiſtit, & menſes immoderatos minuit. G. Volfgang. Vedelius *in Ephem. German.* refert obſervationem herniæ varicoſæ in juvene uſu Catechu ſanatæ.

De terræ Catechu doſi nimia nihil timendum mihi videtur: fruſtula enim aſſidue in ore detineri poſſunt, nova diſſolutis ſubſtituendo abſque ullo malo eventu. Obſervandum eſt quo minutiora ſunt fruſtula, eo palato gratiora deprehendi: fragmenta in os ingeruntur, ſeminis Aniſi vel Coriandri magnitudine. Subſtantia ſub forma boli vel tabellarum deglutitur a ℈ß. ad ʒß. Ex eo Vedelius tincturam ſic extrahit.

℞. Cathecu q. v. Pulverato affunde Sp. vini rectif. ſextuplum vel octuplum Digerantur; & extrahitur tinctura elegantiſſima, quæ ſenſim effundendo a fœcibus ſeparatur, & ſervatur ad uſum. Doſis a gutt. xx. ad lx.

Hæc tinctura ſicut etiam Catechu ſubſtantia feliciter uſurpantur in garriſmatibus adverſus anginam.

℞. Catechu ʒj. Sacchar. ℥j. Exacte pulverata miſceantur, & excipiantur mucagine Tragacanthi cum olei Cinnamom. gutta una vel altera. Formentur paſtilli ſublinguales, in tuſſi catarrhali, & diarrhæis.

℞. Catechu ℥ß. Nuc. Moſch. Corall. rub. pp. ana ʒj. Syr. Cydonior. q. ſ. M. F. opiata. Doſis ʒj. ter die exhibenda in hypercatharſi, diarrhæa, & dyſenteria.

℞. Terr. Catech. ʒj. Hæmatit. pp. ʒß. Diacod. ℥ß. Syr. e roſis ſiccis ℥j. Aquæ Portulacæ, & Sperm. Ranar. ana ℥iij. M. F. Julap. in hæmoptoe, & hæmorrhagiis.

℞. Cathecu pulver. ʒiij. Mucilag. Gumm. Tragacanth. & Syrup. de Symphyto ana ℥j. Aq. Plantag. ℥iij. M. F. lohoc, adverſus hæmoptoem, & tuſſim catarrhalem.

Num Catechu idem ſit cum Lycio Indico *Dioſcoridis* dubium eſt non facile ſolubile. Dioſcorides, Galenus, & Plinius duplicis Lycii meminerunt; Cappadocis nempe, & Indici. Primum erat ſuccus extractus ex arbore quadam ſpinoſa, virgis trium cubitorum aut longioribus, cortice pallido, foliis Buxi denſis, fructu Piperis inſtar nigro, lævi, amaro, denſoque, radicibus multis, obliquis, lignoſis, naſcente in Cappadocia, Lycia, pluribuſque aliis locis. A Græcis *Λύκιον*, & *Πυξάκανθα* dicebatur. Lycium ſeu extractum parabant ex ramis cum radicibus tuſis, &

per

per dies multos in aqua maceratis, denique coctis: tum quidem lignis abjectis, liquor iterum coquebatur, donec Mellis craſſitudo fieret. In maſſulas compactum erat extrinſecus nigras, intus, cum frangerentur, rufas, cito nigreſcentes, odore minime viroſo, cum amaritudine adſtringentes. Simili modo quoque fieri ſolebat Lycium, ſemine expreſſo, & inſolato.

Alterum ſeu Indicum Lycium, colore croceo, illo præſtantius, & efficacius. Tradunt, inquit Dioſcorides, fieri ex frutice Lonchitide vocato. Eſt is e ſpinarum genere, virgas habens rectas, tricubitales aut etiamnum majores, a radice numeroſas, & Rubo craſſiores. Ruptus cortex rufeſcit; folia vero Oleæ ſimilia viſuntur.

Hæ deſcriptiones cum Cate Garciæ, & Bontii, aut cum Herbeti de Jager Acacia Indica minime conveniunt: unde concludere poſſumus nos Græcorum Indico Lycio carere. Lycium autem Cappadocium in officinis non amplius reperitur.

ARTICULUS OCTAVUS.

De Succo Glycyrrhizæ.

SUccus Glycyrrhizæ, & Succus Liquiritiæ, *Off.* Γλυκυῤῥίζης χύλισμα; *Dioſcoridis*, & *Galeni*. Succus extractus, & inſpiſſatus in maſſulas aut laterculos ℥iiij. vj. vel viij. foliis laurinis involutos, compactus, niger, ſiccus, fragilis, intus, cum frangitur, ſplendens, in ore deliqueſcens, ſapore dulci cum quadam acredine. Optimus cenſetur, qui dulciſſimus, recens, purus, & linguæ ſubditus totus liqueſcit. Rejicitur aduſtus, amarus, arenulis aut ſordibus conſpurcatus. Ex Hiſpania Maſſiliam, & ex Hollandia affertur.

Planta ex qua extrahitur, dicitur Glycyrrhiza ſiliquoſa vel Germanica, *C. B. P.* 352. Glycyrrhiza radice repente, vulgaris Germanica *J. B.* 2. 328. Clycyrrhiza vulgaris, *Dodon. Pempt.* 341. cujus deſcriptionem, & vires *Cap. de Radicibus* expoſuimus. In Creta inſula, Italia, Germania, Gallia creſcit; ibique locorum ſuccus extrahitur. Sed laudari ſolet qui ex Hiſpania affertur, ubi magna copia præparatur, præſertim circa Dertuſam, & Ilerdam Catalauniæ civitates. Ibi, referente viro rei herbariæ, & hiſtoriæ naturalis peritiſſimo D. Ant. de Juſſieu, radices recentes Julio menſe colliguntur, purgantur, in aere fere exſiccantur: deinde minutim conciſæ ex aqua coquuntur, colantur, & exprimuntur. Expreſſus ſuccus igne inſpiſſatur, donec manibus tractari poſſit: tum in maſſulas compingitur, foliis laurinis involvitur, ac tandem ſole perfecte ſiccatur, & ſervatur.

Succus ille ad eadem valet ac Glycyrrhiza. Bechicum eſt eximium, quod per ſe utiliter ad pulmonum, & thoracis affectus ſumitur, & aliis medicamentis commiſcetur. A Dioſcoride ad veſicæ ſcabiem, & renum dolores commendatur.

℞. Succi Glycyrrhizæ Hiſpanici ℥ij. Sacchar. albi ℥iiij. Opii ʒß. Mucilagi-

laginis Gumm. Tragacanth. q. ſ. M. Fiant Trochiſci ſublinguales, ad tuſſim vehementem compeſcendam, & catarrhum diſcutiendum.

℞. Succi Glycyrrhiz. ℥j. Croci minutim ſecti ℈j. Vini Canarini ℔ij. Digerantur frigide per 9. dies. Detur hujus tincturæ cochlear unum aut alterum ſæpius die, ad pituitam viſcidam incidendam, & expectorationem promovendam.

℞. Aq. fontan. ℔ij. Aq. Calcis ℔j. Croci minutim conciſi ʒß. Succi Glycyrrhizæ Hiſpan. in tenues lamellas redacti ℥j. Mellis Narbonenſ. ℥ij. Digerantur calide in vaſe clauſo per 24. horas. Fiat colatura. Exhibeatur calida ad ℥iiij. tertia vel quarta quaque hora, in tuſſi vehementiori, in catarrho, & aſthmate, ad pituitam acrem demulcendam, craſſam incidendam, & expectorationem promovendam.

Succus Liquiritiæ uſurpatur in Theriaca *Andromachi*, & Trochiſcis bechicis nigris *Charas*.

ARTICULUS NONUS.

De Saccharo.

SAccharum, *Off.* Σάκχαροι *Dioſcoridis*: Σάκχαρ, *Galeni*: Μέλι ἐν καλάμοις, *Theophraſti*: Μέλικαλαμίνον, *Arriani*: Ἅλς Ἰνδικος, *Pauli Æginetæ*: Zuccar *Arabum*: Saccharon, *Plinii*. Eſt ſal eſſentialis, pinguis, oleaginoſus, rufus aut cinereus, ſi nondum purgatus fuerit; colore & ſplendore niveus aut cryſtallinus, ſiccus, & ſub dente friabilis, ſi optime depurgatus; qui cum aqua diſſolvitur & rurſus ad craſſitudinem coquitur: Mellis inſtar pinguis eſt, & in longum filum ductilis, ſapore dulci grato, odore fere nullo, ex Arundine ſaccharifera extractus.

Veteribus notum fuit, non tamen apud eos ut hodie apud nos uſitatum. Quod quidem ex plurimis auctorum teſtimoniis manifeſtum eſt; licet olim ſicut hodie ex diverſis plantis eliceretur, ut mox dicemus.

Strabo *L.* 15. *Geographiæ* aperte ſcribit in India Arundinem Mel ſine apibus gignere. Lucanus huic quoque ſuffragatur hoc carmine:

Quique bibunt tenera dulces ab Arundine ſuccos.

Necnon Marcus Varro his verſibus:

Indica non magna nimis arbore creſcit Arundo.
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant ſucco contendere Mella.

Seneca *Epiſtolar.* 85. de hac Arundine ſic loquitur: „ Ajunt inveniri „ apud Indos Mel in Arundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ip„ ſius Arundinis humor dulcis & pinguis gignat. " Melleus ille ſuccus, modo Mellis, modo Salis, modo Sacchari nominibus donabatur. „ Eſt „ aliud concreti Mellis genus, (inquit Dioſcorides, cum Mellis diver„ ſa genera recenſet) quod Saccharon nominatur. In India vero & fe„ lici Arabia in Arundinibus invenitur: Salis modo coactum eſt, den„ tibus ut Sal fragile. " Archigenes ait Salem Indum eſſe colore & conſiſtentia Salis communis, guſtu Mellis, magnitudine Lentis aut ad ſummum Fabæ. Galenus 7. *ſimpl. Medicam.* Sacchar ex India & felici Arabia afferri ſcribit, & in Arundinibus concreſcere: eſſe autem

tem & ipſum Mellis genus, & minus quidem dulce quam noſtrum. Saccharon, & Plinius Arabiam ferre narrat, ſed laudatius Indiam: eſſe autem Mel in Arundinibus collectum, gummeum, modo candidum, dentibus fragile, ampliſſimæ Nucis Avellanæ magnitudine, ad Medicinæ tantum uſum. Idem Plinius *Lib. 6.* Cannas Sacchariferas noſtras in inſulis Canarinis naſcentes indicaſſe videtur, dum refert ex Jubæ teſtimonio in Fortunatis inſulis creſcere arbores ſimiles Ferulæ, ex quibus aquæ exprimuntur, ex nigris amaræ, ex candidioribus potui jucundæ.

Ex his liquet, Arundines quaſdam hiſce temporibus humorem melleum dulcem expreſſione fudiſſe, necnon etiam ſponte manaſſe ſuccum lacrymas duras & fragiles concreſcentem, qui Saccharum nativum dici poteſt. Verum fatendum eſt nullam apud priſcos mentionem reperiri Sacchari arte facti ſeu ex hoc ſucco excocti, & in maſſas grandiores compacti, quale nobis hodie adferri ſolet. Sane veriſimile eſt tunc temporis illos populos hanc artem latuiſſe. Saccharum itaque priſcis notum fuit. At vero quænam ſunt illæ Arundines, quæ Saccharum ſeu melleum hunc liquorem fundebant, res adhuc in controverſia eſt: quandoquidem duo Arundinum genera Saccharum ferentia in India & Orientalibus regionibus hodie reperiuntur; ſcilicet Arundo Saccharifera vulgaris, & Arundo arboreſcens quæ Mambu, vulgo *Bambu* aut *Bamboe* dicitur. Ex hac Saccharum ſponte exſudat, ſed parva quantitate; & ſolis calore exſiccatur & concreſcit, quod ab Indis jam a longo tempore *Saccar Mambu* nuncupatur: nullum vero Saccharum ex ſucco illius expreſſo conficitur. Ex illa vero ſuccus exprimitur & coquitur in ſalinam duritiem. Quod quidem eruditiſſimo Salmaſio anſam præbuit cenſendi Saccharum veterum fuiſſe tantum lacrymam Arundinis Mambu, innixo præſertim auctoritate Marci Varronis qui illius Arundinis dulci ſucco prægnantis magnitudinem cum arbore non alta nimis comparat, & Solini qui *Cap.* 52. *de India ol.* 58. hæc verba refert: Quæ palluſtria ſunt, Arundinem creant ita craſſam, ut fiſſis internodiis „ lembi vice vectitet navigantes. E radicibus ejus exprimitur humor dul„ cis ad melleam ſuavitatem „. Verumenimvero, licet ea quæ de arboreſcente Arundine hic proferunt, ad Arundinem Mambu referenda ſint, non idcirco tamen excluditur Saccharifera Arundo nunc vulgaris, quæ multo majori ſucci Saccharei copia turgida Sacchaream hanc lacrymam longe uberius ſuppeditare debebat. Imo hanc ipſam Lucanus ſub teneræ Arundinis nomine deſignaſſe videtur.

Quærunt nonnulli, quare illud Saccharum nativum ſeu ſponte exſudans ex Arundine Saccharifera non amplius in officinis reperiatur, aut adferri deſierit? Quibus facilis eſt reſponſio: Quod hodie paucum admodum proveniat. Siquidem Dioſcoridis, & Galeni tempore quo copioſum convehebatur, cum illius ſucci exprimendi, & coquendi ratio nondum innotuiſſet; neceſſe quidem erat ut Arundines Sacchari liquore prægnantes, cum annis pluribus adoleviſſent, & falcem nunquam expertæ eſſent, per ſe liquorem exſudarent, veluti ex innumeris arboribus gummi & reſinæ emanant. Proinde non mirum ſi hujus nativi Sacchari antiquis fuerit ubertas. Sed poſtquam lucri dulcedo fulgentiſque auri ſitis docuit homines artem modumque quo Saccharum conciſis preſſiſque Arundinibus copioſius elicerent, & decoquerent, factum

Geoffroy Tom. I. Oo eſt

eſt ut Indi quotannis univerſos inciderint calamos atque iterum quotannis ſeverint. Hinc igitur evenit, ut, nullis remanentibus quæ ſaccharo plurium annorum ætate turgeant, naturæ impedita ſit operatio, deperditumque hac de cauſa ſit nativum antiquorum Saccharum.

Qui Saccharum veterum a noſtro diverſum fuiſſe putant, objiciunt Plinii teſtimonium qui Saccharum ad Medicinam tantum utile refert, nihilque de ejus utilitate ad culinam & condimenta profert. Sed id evenit quod Plinii tempore Græci & Latini Saccharum in cibis addere nondum curaverint, fortaſſe ob ejus penuriam, qua fiebat ut ad medicamenta vix ſufficeret illud omne, quod tunc ad eos conferebatur. Nihilominus tamen Indi, ut jam diximus, ex dulci Arundinum ſucco potiones tunc temporis præparabant, tum ad ſitim extinguendam; tum etiam ad palati delectamentum.

Arabes de triplici Sacchari ſpecie mentionem fecerunt; ſcilicet Sacchar Arundineum aut ex Cannis, Tabaxir, & Sacchar Alhuſar.

1. Sacchar Arundineum *Avicennæ* e Cannis reſudare dicitur, & ſuper eas inveniri tanquam ſal: Non ab antiquorum Saccharo ex Arundine Saccharifera exſudante diſcrepaſſe videtur. Idem illud Saccharum quod candidum reperiebatur, *Tabarzed* titulo inſigniebatur.

2. Tabaxir *Avicennæ*, quod interpretes ſpodium improprie ſeu cinerem verterunt, fortaſſe quia cineris ſpeciem referebat, nihil aliud eſt hodie apud Perſas, Turcas, & Arabes quam Sacchar Mambu Indorum ſeu Saccharum nativum veterum ex arboreſcente Arundine, de quo poſtea. Confitebor tamen non levem oriri ſuſpicionem Arabes hoc nomine primum Saccharum excoctum, & ignem expertum deſignaſſe, cum ad Avicennæ verba attendo. Tabaxir enim cinerem eſſe dicit Arundinum quarumdam exuſtarum, de quibus hanc fabulam vulgo tradi narrat; ſcilicet ſummitates Arundinum vento compulſante invicem confligere, & ex mutuo colliſu ignem creare quo aduruntur. Hæc fabula aliquod veritatis fundamentum habuiſſe videtur. Cum ſcilicet Saccharum excoctum primo allatum fuiſſet, non adeo depurgatum, ſed griſeum ſeu cinereum, facile eſt deprehendere cinereum hujus Sacchari colorem, qualis eſt hodie quoque in Moſcovato, ipſis impoſuiſſe, & pro cineribus illud Saccharum accepiſſe, non quidem igne combuſtum; ſed rectius ignem expertum aut excoctum, quo a veteri Saccharo nativo ſponte manante differebat. Quod tamen conjicere tantummodo licet, non aſſerere.

3. Saccharum Alhuſar *Avicennæ*: Alhaſter *Serapionis*; quod Manna quoque dicitur, a prioribus Sacchari ſpeciebus recenſitis, & ſapore, & viribus differt, ut poſtea dicemus.

Saccharum vulgare ſeu apud nos maxime uſitatum, ex Arundine Saccharifera deſumitur, & varias Sacchari ſpecies præbet pro diverſis coctionis & purgationis gradibus.

Planta, ex qua extrahitur, dicitur Arundo Saccharifera, *C. B. P.* 4. *Sloannes Hiſt. natur. inſul. Jamaic. fol.* 108. *Tab.* 66. Arundo Saccharina, *J. B.* 2. 531. Arundo & Calamus Saccharinus, *Tabern. Icon.* 157. Canna mellea, *Cæſalpin.* Viba & Tacomuree, *Piſon.* 108. Ex radice obliqua, craſſa, geniculata, fibrata & ſucculenta calamus ſeu culmus geniculatus levis, nitens, ad octo vel novem pedum altitudinem aſſurgit, pollices duos,

tres

tres quatuorve craſſus pro bonitate ſoli in quo creſcit. Geniculorum ſeu nodorum quilibet quatuor circiter digitorum interſtitio diſtat ab altero: & quo magis diſtant nodi, ſeu internodia longiora ſunt, eo melior judicatur Arundo.

Color Arundinis ex viridi vergit ad flavedinem: ad nodos ex una parte albeſcit, ex altera flaveſcit, quaſi duo annuli, alter flavus, alter albus circumdarent nodum, qui ipſe elevatus eſt, & caneſcit vel nigreſcit, cum medulla fungoſa, ſucculenta, dulci, alba. Folia ex quolibet internodio promit longa, acuminata, bicubitalia ac interdum longiora, ſurſum erecta, Arundis ſativæ foliis anguſtiora, paluſtri Typhæ tam figura quam poſitu ſimilia, ex viridi flaveſcentia, ſcabra & ſecundum longitudinem ſtriata, ſtolones amplectentia. Summus culmi vertex multis foliis condecoratus paniculam producit duos treſve pedes longam, ramoſam, in multos ramulos aut ſpicas adhuc diviſam, tenues, fragiles, geniculatos, quorum geniculis alternatim innaſcuntur (flores calyce deſtituti, at ſinguli lanugine ipſo flore longiori incluſi; corolla bivavis eſt, alvulis conſtans oblongo-lanceolatis, acuminatis, erectis, concavis, æqualibus, muticis. Filamenta tria capillaria, longitudine corollam æquantia, antheris inſtructa oblongiuſculis, germen ſtipant ſubulatum, duos ſuſtinens ſtylos cirroſos: corolla pericarpii vicem gerit, & fovet ſemen unicum, oblongum, anguſtum, acuminatum.) Sponte naſcitur in India, Canarinis inſulis & calidis Americæ regionibus. Seritur etiam alibi multis in locis: ſolum amat pingue, & humidum. In Provincia *Rio de la Plata* Cannas Sacchari ſponte naſci adoleſcereque in arboris proceritatem, atque cryſtalla ſaccharea æſtu ſolis exſudare, ex Piſonis teſtimonio conſtat.

Plantatur autem hoc modo. In terra exarata ſulci fiunt paralleli opera ligonis; his in ſulci Arundines diſponuntur, ita ut initium ſequentis attingat finem antecedentis: quo facto hæ taleæ inhumantur. Ad ſingula internodia germina ſua protrudit hæc plantata Canna, adeo ut quodvis internodium det novam Arundinem. Poſtquam ſic progerminaverit Arundo, ſingulis tribus vel quatuor menſibus pro ratione ſoli ab herba luxuriante purganda eſt, ne illa plus incrementi capiat quam ipſa Canna: iſque labor tamdiu repetendus, donec Arundo in aliquam altitudinem adoleverit. Spatio octo, decem, vel duodecim menſium a plantatione Arundo juſtam acquirit magnitudinem pro ratione ſoli, ita ut tunc apta ſit ad Saccharum ex illa conficiendum.

Hæc eſt Sacchari conficiendi ratio. Cannæ maturæ factæ circa radicem & in ipſo geniculo abſcinduntur, mundantur a frondibus, in faſciculos coguntur, & ad moletrinam deferuntur. Moletrina ex tribus graviſſimis axibus erectis, ex ſolidiſſimo ligno confectis, circuliſque ferreis obductis componitur. Inter axes ſe contingentes, & magna vi convolutos Arundo continenter inſerta & compreſſa liquorem fundit dulciſſimum. Axes vero vel aqua vel jumentis verſantur. Expreſſus liquor qui poſtea in Saccharum excoquitur, ad viginti quatuor horas dumtaxat aſſervari poteſt, poſtea aceſcit, & ad conficiendum Saccharum prorſus fit ineptus; ſed ſi diutius ſervetur, bonum inde naſcitur acetum. Axes aſſereſque per quos ſuccus fluit, bis die lavari debent; ne humor quo imbuuntur aceſcens, ſuccum ſupervenientem ad aceſcentiam inducat. Liquo-

rem expreſſum per canales & ductus ligneos in cortinas aheneas ampliſſimas derivatum, igne blando ſuppoſito, per diem integrum, nunc vehementius, nunc lenius effervеſcere ſinunt, aquam identidem affundendo, ut intenſior ebullitio coerceatur. Ab hoc ſucco in prima cortina fœculenta & copioſa ſpuma aufertur, quæ pecoribus eſcam potumque ſuppeditat. Deſpumatus liquor in proximum cortinam effunditur, in qua igne fortiori, adeo ut vehementer ebulliat, coquitur & prægrandi cochleari crebris foraminibus pertuſo a ſordibus liberatur. Ut accuratius purgetur ab immunditie, forte lixivium ex cineribus lignorum & Calce viva paratum injiciunt, aſſidue deſpumando: tunc per pannos tranſcolatur. Fæces apud quoſdam mancipiis victum ſufficiunt. Vinum quoque ex illis nonnulli, aquam intermiſcendo, conficiunt. Percolatus humor in tertiam cortinam infunditur, & igne intenſo ad debitam ſpiſſitudinem decoquitur, cochlearibus aſſidue agitando, concutiendo, deſpumando.

Dum Saccharum excoquitur, & ebullit, diligenter attendunt ne ſupra cortinarum oras intumeſcat: cui præcavent. 1. Ampliſſimis cochlearibus humorem agitando, quatiendo, attollendo & ex alto in vaſa rurſus effundendo: ſic enim humor nimis fervidus refrigeratur, & temperatur. 2. Statutis temporibus butyri aut olei modicum guttatim inſtillando: ſic enim Sacchari intumeſcentia ſubito ſedatur. Obſervatu quoque dignum eſt, quod ſi momentum ſucci Limonii aut alterius acidi injiciatur, Saccharum numquam ſolidam vel granulatam conſiſtentiam acquiret.

Debite coctus humor, id eſt, cum humoris portio cochleari deſumpta, & in aerem projecta ſtatim concreſcit in telam vel plumulam; tunc ex tertia cortina in cacabum aheneum transfunditur, in quo blando calore fovetur, donec in granula concreſcere incipiat. Statim effunditur calens adhuc in figulina vaſa quaſi infundibuliformia, (formas dicunt) ex latiori baſi in acumen deſinentia, utrinque aperta, & quibus os anguſtum in acumine paleis, vel ligno eſt obturatum; ibique per viginti quatuor horas, ut concreſcat, relinquitur. Poſtea formæ illæ fictiles innumeræ in ampliſſimas ædes transferuntur, & aliis vaſis fictilibus ſuperimpoſitæ, ordine diſponuntur; & reſerato uniuſcujuſque foraminulo, ibi per 40. dies plus minuſve relinquuntur, ut ſyrupus aut mellagineus humor facilius exeat. Deinde lutum ex argillacea terra & aqua ſubactum dilutius Saccharo jam concreto ſuperaffunditur ad duorum trium quatuorve digitorum ſupereminentiam. Aqua e luto ſenſim defluens, & per maſſam Saccharinam tranſiens, lavat ejus granula, & expurgat ab humore melleo, pingui, ſubfuſco, quem una ſecum per foraminulum devehit extra formas in vas recipiens ſubjectum: terra in ſuperiori formarum parte remanet arida. Omni humore exhauſto, Saccharum, quantum fieri poteſt, exſiccatum e formis excutitur, in fruſta ſcinditur rufa, cinerea, vel ex cinereo albicantia; & Moſcovatum, rufum, vel cinereum dicitur. Ex cinereo albicans, ſiccum, non pingue aut unguinoſum ſit, &, quantum fieri poteſt, nullum ſapore empyreuma prodat, ſi bonum velit haberi.

Saccharum ita crudum ſeu Moſcovatum, ſi præſertim rufeſcat, non adeo frequenter uſurpatur; ſed materia eſt, ex qua cœteræ Sacchari ſpecies præparantur omnes.

Hu-

Humor craſſus, pinguis, rufus aut ſubfuſcus, e formis delapſus inſpiſſari nequit, niſi ad Mellis conſiſtentiam: unde Syrupus Saccharinus dicitur, Mel Saccharinum, Mellago, Remel, vulgo *Melaſſe & Doucette*, in re cibaria & pharmaceutica inutilis rejiciendus. Ex dulciariis tamen nonnulli hunc ſyrupum rite defœcatum ad fructus rubros condiendos uſurpant, ſed perperam, ob ſaporem minus gratum. A quibuſdam ad aquam ardentem ſeu aquam vitæ conficiendam reſervatur. Qui hanc aquam vitæ Saccharinam conficiunt, calentis aquæ partibus octo hujus ſyrupi unam vulgo affundunt cum ſpumæ Cereviſiæ tantillo. Cuncta accurate mixta in vaſis clauſis fermenteſcere ſinunt, donec mixtura odorem ſubtilem, ſpirituoſum & vinoſum exhalet. Tum materiam ignis ope diſtillant, & aquam ardentem obtinent.

Moſcovatum vel in inſulis Americanis purgatur, vel purgandum in Galliam ad officinas purgatorias tranſvehitur: & ex eo fit Miſcellaneum Saccharum, Saccharum purgatum, & Saccharum, ut ajunt, finale aut Regium.

Saccharum Miſcellaneum ſeu, ut ajunt, Caſſonatum vel Caſtonatum, vulgo *Caſſonade* vel *Caſtonade*, Saccharum eſt in fruſta vel micas confractum, candidum, nonnihil pingue, odoris aliquantiſper mellei non ingrati, ad Violas nonnunquam accedentis, ſaporis dulcedine Mel ſuperans. Eligitur a Pharmacopœis ad Syrupos, Electuaria, & alias Confectiones conficiendas, tanquam præſtantius, tum ſapore dulci, tum propterea quod Confectiones candidiores & elegantiores efficiat, & Syrupi ex eo parati debitam conſiſtentiam diutius ſervent, nec in cryſtallos ſeu in Cantium, ut ajunt, tam facile concreſcant. Præſtat candidum, ſiccum, odoratum. Ex Moſcovato fit hac ratione.

In catinam aheneam Moſcovati quantumlibet immittunt, lixivii fortis quantum deſpumationi ſuffecturum ſit, affundunt: tum agitatione, ſcopuliſque tumidas multorum albuminum ovorum ſpumas ſenſim injiciunt, viciſſim deſpumando & rurſus affundendo, donec probe purgatus & limpidus fiat ſyrupus: humore nondum abſumpto, Syrupum tranſmittunt per colum, in quo feſtucas, quiſquiliaſque relinquat. Tum igne ſuppoſito fervet denuo, donec omnis ſuperfluus humor exſpiraverit. Jam ſyrupo ad duritiem excocto & adhuc calente formas figulinas prius fontana imbutas opplent, obturato prius foraminulo; reconduntque primo cella aut hypocauſto ſicciore tepidioreque.

Cum induruerit Saccharum, in formarum ordine diſpoſitarum latiorem baſim affundunt lutum ex argilla hic in Gallia prope Rothomagum effoſſa, qua ad fiſtulas Nicotianæ fumo hauriendo deſtinatas conficiendas utuntur, & aqua ſubactum & dilutius ad duorum triumve digitorum altitudinem ſupra Saccharum. Quæ maſſa ubi partim loci, partim Sacchari tepore ſicco & bibaci aruerit, demunt, novam apponunt: id bis terve repetunt. Sed ſingula in mutatione fuſi mucronem in foraminulum immittunt, ut facilius effluat craſſamentum pingujus, quod ſyrupum vulgo vocant. Maſſas pyramidales, ſeu metas Saccharinas, e formis eductas colore inæquales in tres partes vulgo dividunt; imam nempe, mediam, & ſupremam partem. Unamquamque ſeorſim ponunt, quarum poſtrema, ſeu metæ vertex, eſt viliſſima: quo facto, Caſſonatum magnis ſuper linteis diſpergitur, in aere ſiccatur, poſtea ciſtis & orcis inditum ad nos tranſvehitur.

Si vero Saccharum pyramidale & ulterius purgatum obtinere velint, ex forma erutum bis aut ter fontana liquefaciunt, coquunt, rurſumque in metas infundunt; reſeratoque ſubtus foramine, lutum addunt, cœtera ut de Caſſonato diximus obſervando: ſicque parant Saccharum pyramidale, quod pro diverſa puritate & candore diverſas ſpecies conſtituit. Præſtantiſſimum eſt, quod inter cœtera candore, puritate, ſplendore, ſiccitate emicat, & quod percuſſum digito ſonat ſicut marmor. Finale dicitur, quod ad ſummam puritatem perductum ſit, ita ut arte nulla purius & albidius reddi poſſit, vulgo *Sucre fin*: Saccharum quoque Regium, vulgo *Sucre Royal*, ob præſtantiam nuncupatur.

Olim ratione regionum in quibus Saccharum conficiebatur, diſtinguebatur in Maderenſe, Canarium, Braſilienſe, Thomæum, &c. Nunc vero illud omne quod in Galliam transfertur, ex inſulis Americanis Gallicæ ditionis originem trahit, ubi Arundo Saccharifera magna copia colitur.

Saccharum Candum, Cantum vel Canticum, *Off.* Κάντι vel Κάντιον, *Nicolai Myrepſi:* vulgo *Sucre Candi*. Saccharum eſt durum, pellucidum, anguloſum, unde nomen. Quod duplex eſt, aliud cryſtallo ſimile; ideoque cryſtallinum dictum, quod ex Saccharo optime purgato, & ut ajunt, finali paratur: alterum ſubrufum, quod nunquam clarum redditur, & ex Moſcovato aut Caſtonato conficitur. Eligendum durum, ſiccum, translucidum, cryſtallinum; licet a quibuſdam ruſeſcens utpote pingujus, & ad pulmonum affectus mitigandos præſtantius cenſeatur.

Cantum cryſtallinum hoc modo conficitur. Liquatur Saccharum optimæ notæ cum pauca aqua, & coquitur, ut craſſus fiat ſyrupus qui in ollam fictilem injicitur, in qua bacilli lignei cancellatim decuſſatimque aptati fuerunt. Reponitur olla ſuper aſſere in loco calido, ibique per 15. vel 20. dies relinquitur. Tunc qui non concrevit, ſyrupus effunditur: pauca aqua calida affunditur ad eluendam ſyrupi pinguedinem; qua denuo effuſa, reponitur vas in loco calido ad cryſtallos exſiccandas, & die ſequente frangitur, inveniunturque bacilli Saccharo Canto inſtar cryſtalli colluceſcente onuſti. Cryſtallinæ ac pellucidæ Sacchari Canti glebæ a vaſis lateribus & bacillis, quibus adhærent, ſeparantur, & probe exſiccatæ ſervantur.

Cantum ſubrufum eodem modo præparatur ex Saccharo Miſcellaneo ruſeſcente, vel ex Moſcovato.

Saccharum rubrum, *Off.* vulgo *Chypre* vel *Sucre rouge*. Saccharum eſt rufeſcens vel fuſcum, nonnihil pingueſcens, ex ſyrupis poſt Caſtonati purgationem reſiduis & excoctis confectum: rarioris nunc eſt uſus in officinis, niſi pro clyſteribus.

Analyſi Chymica, ex Sacchari albiſſimi ℔ij. prodierunt phlegmatis limpidi, inodori & inſipidi ℥j. gr. xxxvj. liquoris primo limpidi, deinde ruſeſcentis tenujoris ʒvj. ſpiſſioris ℥ij. ʒiij. gr. xliij. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥viij. ʒj. gr. lxiij. quæ per horas quindecim igne reverberii calcinata reliquit cinerum fuſcorum ℥j. ʒj. gr. x. ex quibus ſalis alcali fixi ʒij. gr. lx. lixivio extracta ſunt. In diſtillatione partium deperditio fuit ℥viij. ʒvj. in calcinatione ℥vij. gr. liij.

Saccharum eſt ſal eſſentialis conſtans ex acido ſale, oleo, & terra. Cum optime purgatum eſt, ut in Saccharo Canto, concreſcit in cryſtallos priſmaticas, ex octo ſuperficiebus planis conſtantes, quarum duæ baſes

oppoſi-

oppoſitæ æquales ſunt & parallelæ, cœteræ ſunt parallelogrammata. Nullas, aut acidi, aut alcali notas præbet: flammam concipit, & luculenter ardet: aqueis menſtruis facillime ſolvitur, ægre ſpirituoſis & oleoſis: aqua dilutum fermentationem ſubit, & vinoſum ſaporem primum acquirit, poſtea acetoſum.

Ex Saccharo itaque rite fermentato vinoſus liquor obtinetur, ſi nempe Sacchari libra una in aquæ ſex vel octo libris ſoluta & recentis fermenti Cereviſiarii cochlear unum accurate miſceantur, & lento calori exponantur in vaſe idoneo clauſo, ſed non omnino repleto: paucis horis fermenteſcere incipiet magna cum vehementia, & poſt tres quatuorve ſeptimanas plus minuſve pro quantitate liquoris, & loci tepore fortiſſimum liquorem præbet vinoſum, hydromeli non abſimilem. Ex eo diſtillato fortiſſimus ſpiritus ardens extrahitur. Si vero tota fermentans materia continuo calori diutius exponatur, intra breve temporis ſpatium in fortiſſimum acetum mutabitur aceto vini prorſus ſimile.

Saccharum, licet veteribus non ignotum, ab his tamen parce & laudatum & uſurpatum fuit. Poſteriora vero ſæcula pretioſiſſimum hoc naturæ munus plebi commune fecerunt in officinis pharmaceuticis, in culinis, in ſecunda & adverſa valetudine, in quavis ætate, regione, in eſu & potu. Tanta nunc copia ex occidentalibus oris in Europam advehitur, ut inter primarias illius orbis opes numeretur, & ejus commercium cœtera quæ ex oleo, vino, ſale, ſerico, lana, fieri ſolent, commercia æquet vel ſuperet. Mirum quantum in culina & in Medicina Sacchari abſumatur! Nulli cibi grati, niſi Saccharo temperati vel conditi, præſertim in menſis ſecundis. Hinc Saccharoconditores novum genus hominum priſcis incognitorum. Nulla Medicina ſine Saccharo, tum ad medicamenta ingrata demulcenda & palato gratiora efficienda, corruptibilia conſervanda, vehementiora temperanda & corrigenda; acria ſiquidem lenit, acida retundit, auſtera ſuaviora efficit, & ſaporibus omnibus majorem gratiam conciliat. Frequentiſſimus eſt uſus Sacchari ad ſyruporum, conditorum, electuariorum, tabellarum, & aliorum confectionem. Varia quoque ex eo potuum genera cum aqua, vino, ſpirituoſis liquoribus fructuum ſuccis, decoctis innumeris parantur, tum ad oblectamentum, tum ad Medicinam.

Veteres medicamenta Melle condire ſolebant. Actuarius Medicorum primus videtur in ſuis compoſitionibus in locum Mellis Saccharum ſubſtituiſſe, & ſuccos medicatos Saccharo excepiſſe.

Saccharum cum cibis moderate ſumptum ſatis laudabile nutrimentum ſubminiſtrat. Aſſerunt enim ex Arundinibus contritis & jam expreſſis ſues mirum in modum pingueſcere, eorumque carnem adeo teneram & ſapidam effici, ut caponis carni præferatur. Ciborum concoctionem promovet, ſi poſt largius aſſumptum cibum fruſtulum ejus in fine comedatur.

Medici fere omnes illud ad pectoris & pulmonum vitia commendant. Præſcribitur ad pituitæ acrimoniam demulcendam, tuſſim ſedandam, gutturis & pulmonum aſperitatem emendandam, vel Saccharum album, vel Saccharum Cantum in ore detentum: ſic enim ſaliva madefactum

colliqueſcit, illarumque partium parietes obducendo ab acri pituita defendit. Expectorationem promovet, præſertim ſi in ſyrupi conſiſtentiam redactum cum oleo Lini vel Amygdalarum dulcium permiſceatur. Idem quoque eodem modo ſumptum in colica coli dolores ſedat, & infantium tormina compeſcit. Potus ſaccharati pectus expurgant; tuſſim, pituitam eluendo, ſedant; raucedini medentur; pulmonum ulcera abſtergunt, urinas pellunt; ventrem ſolvunt, & in pleuritide ac peripneumonia ſalutares ſunt.

Si autem ſolum & majori copia ſumatur Saccharum, nocet, & præſertim cholericis. Fermenteſcit enim vehementius in ventriculo & inteſtinis, flatus excitat, bilemque fermentatione attenuando fluidiorem efficit: unde Saccharum & dulcia bilem producere dicuntur. Salinis Sacchari ſpiculis onuſta bilis acrior evadit: unde æſtum non ſolum in inteſtinis accendit, ſed etiam per totum corpus, dum in maſſam ſanguineam tranſvehitur. Infantibus vermes ingenerat. Dentibus ſi quid aliud inimiciſſimum exiſtimatur; affert enim nigredinem & rubiginem, eoſque tremulos efficit: quare poſt ejus uſum os & dentes aqua diligenter colluere prudentiores ſolent.

Leviora equidem ſunt hæc Sacchari immoderate ſumpti nocumenta. Longe graviora vitia illi exprobrantur, cum Vvilliſius, Simon Paulli, Joan. Rajus ſcorbuti & tabis Anglicanæ populariter graſſantium cauſas immoderato illius in cibo & potu uſui imputent. „ Et ne quis inquit J. „ Rajus, humidiori potius aeris conſtitutioni Anglicanas eas peſtes deberi „ ſuſpicetur, in Luſitania, ajunt, regione callida ob eamdem rationem „ tabes epidemica facta eſt: Luſitani enim plus Sacchari conſumunt quam „ quævis alia gens, præter Anglos". Vviliſius vero, C. 10. *Tractatu* „ *de Scorbuto*, ſic loquitur: „ Saccharo condita ut plurimum imbuta in „ tantum vitupero, ut illius inventionem & uſum immodicum Scorbuti „ in nupero hoc ſæculo immani augmento plurimum contribuiſſe exiſti- „ mem. Enimvero concretum iſtud ſale ſatis acri & corroſivo cum ſul- „ phure tamen delinito conſtat, prout ex analyſi ejus ſpargirice facta li- „ quido patet; quippe Saccharum per ſe diſtillatum exhibet liquorem „ Aqua Regia vix inferiorem. Quod ſi ipſum in veſica plurima aqua per- „ fuſum (& rite fermentatum) diſtillaveris, quamvis ſal fixus non adeo „ aſcendit; prodibit tamen liquor inſtar aquæ vitæ acerrimæ urens, ac „ ſumme pungitivus. Cum itaque Saccharum quibuſvis fere alimentis „ mixtum, ita copioſe a nobis aſſumitur; quam veriſimile eſt ab ejus „ uſu quotidiano ſanguinem & humores ſalſos & acres, proindeque ſcor- „ buticos reddi. Auctor quidem inſignis (Theophilus de Garencieres, *T.* „ *de Tabe Anglicana*) tabis Anglicanæ cauſam in immoderatum Saccha- „ ri apud noſtrates uſum retulit: neſcio annon potius etiam hinc Scorbu- „ ti increbreſcentis fomes derivetur. Hæc Vvilliſius.

Verumenimvero Fredericus Slare Medicus Londinenſis, & Regiæ Societatis Socius, in Sacchari defenſione Anglico idiomate ſcripta his argumentis optime reſpondet: 1. Quidem Scorbutus in ſeptentrionalibus regionibus longe ante graſſabatur, quam Saccharum illuc afferretur. Præterea morbus ille plebem & pauperes potius afficit, apud quos rariſſimus eſt Sacchari uſus, quam divites & magnates, quibus frequens & familiaris eſt. 2.

De

De tabe quam Theophilus de Garencieres Angliæ flagellum nominat, manifeſtum eſt Londinenſem aerem lithantracum fuligine coinquinatum primariam eſſe cauſam illius morbi, qui in primo morbi ſtadio ſola aeris mutatione ſæpe ſanatur. Inſuper epidemica hæc tabes apud Luſitanos non tam ad Sacchari aut ſaccharatorum abuſum referenda foret, quam ad acidorum eſum fere aſſiduum, niſi ad virus quoddam venereum ab eodem Friderico Slare referretur.

Sed objiciunt illi, quibus hæc dulcia eſculenta diſplicent, ſaltem ſalem acidum maxime corroſivum, & proinde noxium in Saccharo contineri. Fatemur equidem ſpicula acida potentiſſima in Saccharo fermentatione evolvi, aut diſtillatione ab aliis principiis ſegregari, licet non tanta copia ac ex Nitro vel Vitriolo eliciuntur: ſed proinde concludendum non eſt Saccharum ab hoc acido noxium fieri. Si enim iſta ratio quid ponderis haberet, nullum cibum homo ſine detrimento caperet: nam nullum datur mixtum in cibis, in quo hoc acidum principium non reperiatur. Nonne idem acidum & copioſius in muſto, & vino reconditur? Nonne in Hordeo & Cereviſia, in frumento & pane, in fructibus quibuſcumque latet, quod fermentatione aut ignis operatione manifeſtum fit? An idcirco hæc alimenta prava & noxia cenſentur? Nequaquam. Ex Saccharo, ſicut ex aliis ſuccis vegetabilium ſpiritus ardens extrahitur poſt debitam fermentationem; ſed non ideo deterius eſt alimentum: imo eodem ſpirituoſo liquore acidi liquores potentiores & magis corroſivi temperantur & miteſcunt. In Saccharo itaque ſicut in lacte, & cœteris in eduliis vegetabilibus, acidum oleoſis & terreis particulis ita implicatur & irretitur, ut ſapidum ſalutareque alimentum & condimentum præbeat gratiſſimum, non vero eſcam corroſivam, & infeſtam, ut auctores, alioquin de re Medica bene meriti, pauló inconſultius protulerunt. Idem Frid. Slare dulcem illum Salem Indicum pluribus nominibus commendat, illumque tanquam medicamentum bechicum, ſtomachicum, cor & cerebrum recreans, ophthalmicum, odontalgicum, ſternutatorium, & vulnerarium proclamat. Non alio pulvere, quam Saccharo albiſſimo dentes ſuos perfricuit, & ſanos ac nitidos per multos annos ſervavit, contra opinionem eorum, qui ab eo dentes corrodi aut rubigine deturpari aſſerunt. Balſamicam illi tribuit virtutem, ſeu viſcera a putredine præſervandi, ſicut vim obtinet flores, fructus, radices, & cœteras partes vegetabilium aut animalium integras & incorruptas per longum tempus ſervandi. Tantas vires duabus inſignibus obſervationibus confirmat, altera Angli perilluſtris Ducis de Beufort, qui ſeptuagenarius febre obiit, quique per annos fere 40. Sacchari ℔j. & amplius ſingulis diebus comedere ſolebat; hujus aperto cadavere, viſcera ſana, & illæſa reperta fuere, dentes integri, & firmi: altera cujuſdam Dn. Malory ipſius Friderici Slare avi. Hic centum annos vixit ſanus ac vegetus; Saccharo, & Melle delectabatur, & omnes cibos, carnes, fructuſve his, Saccharo præſertim, condire ſolebat.

Ex his concludere poſſumus nihil ab uſu Sacchari moderato metuendum eſſe: econtra vero cenſemus ab hoc condimento gratiam quamdam alimentis conciliari, qua ventriculus ad debitam ciborum concoctionem perficiendam diſponitur, ab eodem ſtomachale fermentum adjuvari, & alimenta ad requiſitam fermentationem, tum in ventriculo, tum

tum in inteſtinis ſubeundam diſponi, ac proinde ſanguinis & cœterorum humorum, totiuſque corporis craſim a prima digeſtione dependentem optimam effici.

Tantum abeſt vero ut Saccharum tabis pulmonalis cauſa cenſeri debeat, ut econtra Saccharum roſatum phthiſicis utiliſſimum, & hujus morbi veluti ſpecificam Medicinam plurimi in Medicinæ praxi verſatiſſimi pronuntiaverint. Saccharo roſaceo ſe quoſdam vidiſſe curatos teſtantur Montanus, Valeriola, Foreſtus, quo ægri in maxima quantitate utebantur. Riverius novit pharmacopœum quemdam phthiſicum, qui ingentem Sacchari roſacei quantitatem ſibi ipſi præparabat, idque perpetuo comedebat; & hoc ſolo remedio ſanatus eſt, ut refert *Capite de Phthiſi*.

Obſervandum tamen eſt ex unanimi Medicorum conſenſu bilioſos, melancholicos, ſcorbuticos, necnon hyſtericas mulieres ab eo abſtinere debere; facile enim fermenteſcit, & æſtuantium aut fermentantium humorum effervefcentiam & ardorem auget, eorumque morborum ſymptomata graviora efficit.

Externe Saccharum egregium eſt vulnerarium, putredini reſiſtit, præſertim ſi cum tantillo aquæ vitæ diluatur. Turcæ, inquit Ettmullerus, quotidie ſolent vulnera recentia abſtergere vino, & poſt abluitiones inſpergere Saccharum pulveratum: & ſic non inconcinne ſeipſos curant.

Saccharum aqua vitæ vel ſpiritu vini non rectificato ſolutum, a quibuſdam oleum Sacchari dicitur, ad expectorationem promovendam commendatum: externe quoque utile prædicatur ad vulnera glutinanda, ulcera mundanda & detergenda, & putredinem arcendam.

Saccharum Cantum aut Saccharum album tenuiſſime pulveratum & oculis inſufflatum corneæ albuginem diſſolvit. Idem præſtat in aqua Euphraſiæ, Chelidoniæ aut Fœniculi diſſolutum; ejuſdem quoque ulcera detergit & ſanat. Capitis defluxiones, ſi carbonibus imponatur, olfactu, vel ſuffitu arcet.

Ex Saccharo præparantur Saccharum penidium, Saccharum hordeatum, Saccharum roſatum, Manus Chriſti perlata, Julapium Alexandrinum &c. Uno verbo uſurpatur in omnibus fere medicamentis internis compoſitis; ita ut Pharmacopola ſine Saccharo dici mereatur ille, quicumque ſit, cui neceſſaria deſunt.

Quidam diſtillatione ſpiritum & oleum empyreumaticum ex Saccharo extrahunt, ſed nullius fere uſus.

Aliæ ſunt Sacchari ſpecies ex diverſis plantis extractæ, inter quas præcipua eſt Arundo, de qua mentionem jam fecimus, quæ veteribus non ignota fuiſſe videtur. Dicitur Arundo Mambu, *Piſon. mantiſſ. aromat.* 185. Arundo arbor, in qua humor lacteus gignitur, qui *Tabaxir* Avicennæ, & Arabibus dicitur, *C. B. P.* 18. Ili, *Hort. Malabar.* 1. 16. E radicibus geniculatis & fibratis caules in excelſam altitudinem attolluntur, teretes, cortice viridi, durius geniculati, lignoſis & albicantibus filamentis conſtantes, & ad geniculos interſepimento lignoſo clauſi, e geniculis novos ramos ſurculoſque emittentes, & ad geniculos ſpinis oblongis, rigidis, una, duabus, pluribuſque muniti, intus fiſtuloſi, ad duorum triumve hominum altitudinem aſſurgunt, priuſquam ramos emittant. Cum teneri & novelli ſunt, ex fuſco virides, ferme ſolidi, medulla lævi, ſpongioſa & liquida referti, quam vulgus grati ſaporis gratia avide

exſu-

exſugit. Vetuſtiores ex albo flavi & nitentes, intus cavi quodam calcis genere obducuntur: humoris enim contenti ſubſtantia, color, ſapor, & efficacia mutantur; atque paulatim protruditur foras, & juxta internodium vi ſolis ſæpe coagulatur, ac inſtar Pumicis albi indureſcit: mox nativæ ſuavitatis expers factus peculiarem ſaporem cum parva adſtrictione Eboris uſti æmulum acquirit, vocaturque apud indigenas Sacar Mambu, Tabaxir, *Garziæ*, & *Acoſtæ*, qui quo levior & albicantior, eo præſtantior; quo magis inæqualis atque cinerei coloris evadit, eo deterior habetur.

Folia ad genicula breviſſimis petiolis inſident, ſpithamam longa, latitudine ad petiolum digitali, verſus apicem ſtrictiora, ſtriata, oris aſpera viridia: flores in ſpicis ſquamoſis tritici ſimilibus, minores tamen, quæ nodulis caulium congregatim inſident, ſtaminei, filamentis tenuiſſimis dependent.

Quidam inter illas Arundines tantæ reperiuntur amplitudinis, & ſoliditatis, ut cymbæ exinde parentur, inquit G. Piſo; eæque non quidem excavatæ, ſed relictis ſolum duobus utrinque internodiis, per medium ſectæ.

Noviſſimi ſtolones qui maxime ſucculenti ſunt & ſapidi, in Indiis magnifiunt; quod baſes ſint celebris iſtius compoſitionis *Achar* dictæ, quæ ibi & in Europa in deliciis habetur.

Licet omnes illæ Arundines in principio liquore ſuavi ſcateant, ſuccus tamen ille induratus ad internodia, non in omni Arundine, nec in omni terra apparet; ſed pro ſolis vi, & ſoli natura felicius vel infelicius producitur. Verum licet pretium hujus Sacchari pro anni fertilitate variet, Piſo tamen refert in Arabia utcumque pari argenti pondere divendi; idque potiſſimum, quia Medicorum, tum Indorum, tum Arabum, Maurorum, Perſarum, Turcarum unanimi teſtimonio & experientia conſtat externis & internis convenire ardoribus & inflammationibus, ut & dyſenteriis bilioſis ſi Trochiſcorum vel potus forma exhibeatur. Indii ipſi contra ſtrangurias, gonorrhæas, & hæmorrhagias utuntur.

Hæc Sacchari ſpecies veteribus non ignota fuit, licet cum indurato Sacchariferæ Cannæ ſucco confuſa. Tabaxir adhuc a Perſis, & Arabibus dicitur, quod cinerem ſeu ſpodium Græci, Latini Arabum interpretes verterunt. Qua in re obſervandum eſt ſpodium Arabum a ſpodio veterum Græcorum longe diſcrepare: hoc enim cinis æreus intelligitur; illis Sacchar Bambu vel etiam Saccharum vulgare intelliguntur.

Altera Sacchari pinguis, ruſeſcentis, & dulcis ſaporis ſpecies ex Canadenſi Americæ ſeptentrionalis Provincia nobis affertur, quæ ex quibuſdam Aceris ſpeciebus colligitur.

Harum præcipua eſt Acer montanum candidum *C. B. P.* 430. Acer major multis, falſo Platanus, *J. B. I.* 168. Acer major, *Dod. Pemptad.* 840. Specioſa ac procera arbor eſt, cortice mediocriter lævi, materia interiore tenera ac tractabili. Ramos expandit in omnem partem complures, circa quos folia magna, lata, angulosa, vitigineis ſatis ſimilia, ſed læviora mollioraque, ſupra atro-virentia, infra pene incana, & pediculo longiore eoque rubente annexa. Flores roſacei, ex albido herbacei racematim dependent. Fructus ſuccedunt ex duabus, quandoque tribus capſulis com-

compoſiti, in alam foliaceam, Ephemeri aut interiorum cicadæ alarum ſimilem deſinentibus, & ſemine fœtis ſubrotundo, candido, & exiguo. Humectis, & montibus propria eſt. Majo floret, fructum maturat Septembri.

Veris initiis, cum germina novella turgeſcunt, antequam explicentur in folia, arbor hæc in trunco, ramis aut radicibus vulnerata dulcem & potulentum ſuccum copioſe effundit; quin & Autumno quoque poſt delapſa ſtatim folia, & per totam Hyemem. Succus hic Saccharum guſtu apprime refert. Canadenſes Americani, vulneratis arboribus ſub finem Hyemis, hunc ſuccum recipiunt ad potulenta inde paranda, illumque Sacchariferarum Canarum ſucci in modum excoquunt in Saccharum ab Arundino non diſſimile. Ex octo libris hujus ſucci remanet libra una Sacchari fulci, quod eodem modo purgari poteſt & candidum fieri velut Saccharum vulgare.

Ex hoc Saccharo rite deſpumato & foliis Adianti Canadenſis ſeu Americani cornuti ſyrupum præparant a plurimis etiam in Gallia in pectoris affectionibus expetitum.

Nec ſolæ plantæ terreſtres Saccharum præbent, ſed etiam marinæ. Olaus Borrichius, *in Actis Hafnienſibus annor.* 1671. & 1672. mentionem facit de quadam Alga Sacchariſera in littore Islandico reperta. Naſcitur, inquit, in mari Islandico Algæ ſpecies nulli, quod ſciam, auctori deſcripta, neque tamen valde diſſimilis Algæ vitrariorum anguſtifoliæ, niſi quod paulo pinguiori ſe folio commendet, & colore flaveſcente naturam diverſam fateatur. Hæc ipſa ubi a marinis fluctibus in littus rejecta aliquandiu jacuit, ſenſim proliciente ſolis calore, ſalinis hinc inde grumis obducitur; qui, cum dulcedine ſua gratiſſima linguæ blandiantur, ab accolis colliguntur ſollicite, ut inter epulas Sacchari vicem impleant. Quin cum notiſſima ſit Islandis maritimis Alga hæc Saccharum parturiens, anticipant frequenter conatum naturæ; ipſamque Algam, nondum dulci illo ſpiſſamento foliis conſpicuo, acetariorum loco menſis inferunt, ne ſic quidem inſuavem.

Antequam huic articulo finem imponamus, nobis de Saccharo Alhaſſer vel Alhuſar *Arabum*, aliquid conjicere liceat; cui modo Mannæ, modo Sacchari nomen impoſuerunt, incerti ad quam ſpeciem referrent.

Avicenna a Saccharo Arundineo Zuccarum Alhuſar diſtinguit. Zuccar Alhuſar, inquit, eſt Manna cadens ſuper Alhuſar, & eſt ſicut fruſta ſalis; & in ipſo quidem eſt cum abſterſione pauca & reſolutione ponticitas & amaritudo: & de ipſo aliud eſt Jamenum, album, & aliud eſt Agizium, ad nigredinem declinans. Viſum acuit, confert pulmoni, aquæ intercuti cum lacte camelæ noviter fœtæ, ſtomachi, hepati, renibus & veſicæ; nec facit ſitim ſicuti reliquæ Sacchari ſpecies, quoniam ejus dulcedo eſt parva.

Quamvis illud Saccharum ab Avicenna Manna de cœlo cadens dicatur, fortaſſe quod granulis concreſcat Mannæ ſimilibus; illud tamen haudquaquam ex rore; ſed gummium, & ipſius Mannæ modo a planta Alhuſar dicta manare Serapio manifeſte oſtendit his verbis.

Alhaſer, inquit Serapio, *Cap. de Saccharo*, habet late folia, & habet Zuccarum quod egreditur ab oculis ramorum ſuorum, & a locis foliorum ejus & colligunt de eo homines rem convenientem. Et in Zuccaro ejus eſt amaritudo, & egre-

& egrediuntur ab hac planta Mala quædam ſicut teſticuli camelorum, e quibus liquor quidam emanat adhærens ſtypticæque facultatis, ad cauteria peridoneus. Et lignum quidem Alhaſſer eſt leve, craſſum, rectum, pulchrumque: & ideo aſſimilaverunt cantilenarii in cantilenis ſuis brachia & crura dominarum ſuarum ligno ejus.

Illud Saccharum Alhaſſer noſtris in officinis hodie non reperitur: nihilominus tamen in Ægypto & Arabia non ignotum; ſiquidem lacryma eſt exſudans ex planta Ægyptiaca, quæ Beid el Oſſar, *Profp. Alpin. de Plantis Ægypt.* 86. Apocynum erectum, incanum, latifolium Ægyptiacum, floribus croceis; *Herman. Parad. Bat.* Apocynum Ægyptiacum lacteſcens, ſiliqua Aſclepiadis, *C. B. P.* 303. Beidelſar Alpini, ſive Apocinum Syriacum, *J. B. I.* 136. Eſt planta herbacea, fruticoſa, multis ſtolonibus ab radice rectis, ſurſum ad duorum fere cubitorum altitudinem ſe extollens, foliis latis, oblongis, ſubrotundis, craſſis & candidis; ex quibus diſſectis lac manat. Flores fert croceos. Fructus bini invicem alligati pendent, oblongi, pugni craſſitudinem æquantes, pediculo ſinguli hærentes unciali, craſſo, tereti, duro, incurvo. Cortex extimus membranaceus, viridis; interior croceus, qui tenuem alutam elaboratam æmulatur. Utrumque committunt filamenta villos Muſci arborei referentia. Integrum denique ſinum totius fructus implet tomentum velleri ſerico mollitie neutiquam cedens, colore candidum, ſemine involuto Cucurbitini forma, dimidio minus, compreſſiore, fuſco, pulpa albicante, ſapore amaro. Caules & folia incana ſunt, lanugine quadam tecta; ac craſſiore quapiam farina tota planta conſperſa videtur. Stolonum cortex & foliorum nervus copioſo lacte amaro & acri abundant. Planta hæc in Ægypto vulgariter *Oſſar* appellatur; fructus vero *Beid el Oſſar*, hoc eſt ovum ex Oſſar.

De Saccharo, quod ſuper hanc ſtirpem inveniri ſcribunt aut ab ipſa manare, nihil compertum habuit Honorius Bellus; cum in novellis plantis, quas excoluit, illud obſervare non poterit. Hoc tantum animadvertit, quod lac detracto folio emanans ſucceſſu temporis circa vulnus concreſcit inſtar gummi cujuſdam albi Tragacanthæ valde ſimilis, dulcedinis tamen expers. Hanc lacrymam ſeu Sacchari ſpeciem calidioribus tantum in regionibus ſponte manare veriſimile eſt. Hæc planta naſcitur, auctore Alpino, in humidis locis prope Alexandriam in ramo *Nili Calig* vocato, & Cairi prope Mathaream, loco fere perpetuo humido ac paluſtri ex aqua Nili ibi diu remanente.

Foliis contuſis, inquit Alpinus, tum crudis, tum in aqua coctis utuntur emplaſtri modo in frigidis tumoribus & doloribus. Ex lanugine parant cubilia ſeu pulvinaria in ſuum uſum. Utuntur etiam ea ad excipiendum ignem ex ſilice excuſſum, tanquam eſca & pabulo. Tota planta lacte calidiſſimo ac exurenti ſcatet, quod plures in quibuſdam vaſis colligunt ad expilanda coria; ea ſiquidem, ſi in eo lacte aliquo tempore maneant, pilis nudantur. Lac quoque ſiccatum corpora ſolvit, necnon etiam fluxus dyſentericos letales gignit. Præſtantiſſimum eſt remedium ad impetiginem curandam & ad plures alias cutis affectiones aut maculas tollendas, eo ſi partes inungantur. An lacryma ſponte fluens, quæ Saccharum dicta fuit, eadem acrimonia donetur, tempus fortaſſe nos edocebit.

A R-

ARTICULUS DECIMUS.

De Tartaro, ejuſque, præparationibus.

TArtarus & Tartarum, *Off.* vulgo *Tartre*. Eſt ſubſtantia ſalina, indurata, ſaporis acidi ſubauſteri, quæ fundo & lateribus vaſorum vinariorum accreſcit, & ex quibus abraditur. Duplex eſt: alba, & rubra.

Tartarus albus ex doliis quibus vinum album diu aſſervatum fuit, extrahitur. Ex Germania affertur, & rubro purior eſt minuſque terreſtris. Tartarus ruber ex doliis quibus vinum rubrum diu reconditum fuit, avulſus, craſſiorque ex Gallo Provincia & Italia affertur.

Tartarus eligitur albus potiſſimum, ponderoſus, durus, ab ea qua vinum tangit parte vel ſuperficie, plurimis apicibus cryſtallorum inſtar acuminatus, qui confractus non apparet inſtar ſpongiæ vel pumicis poroſus aut terra refertus, ſed ſubſtantia denſus, ſolidus, ſplendens.

Veteres Tartarum a vini fœcibus non diſtinguunt. Reipſa eamdem habent originem, nec multum inter ſe diſcrepant: ſiquidem muſtum in doliis poſt abſolutam fermentationem aſſervatum, per tempus duplicem deponit fœculentam ſubſtantiam; primam in fundo vaſis ſubſidentem, liquidam, lutoſam, turbidam, quæ fœx vini proprie dicitur; alteram duram, denſam, doliorum fundo & lateribus lapideæ cruſtæ inſtar adhæreſcentem, quæ Tartarus. Fœx vini eſt ipſe Tartarus, ſeu ſal eſſentialis vini continuata hujus liquidi fermentatione attenuatus, & humore ſpirituoſo ſolutus ita ut major ſpiritus vini quantitas ex vini fœcibus, quam, ex ipſo vino per diſtillationem extrahatur; Tartarus vero plus terræ contineat, minus vero partium ſpirituoſarum.

Tartarus raro ad uſum internum uſurpatur, niſi purificatus. Sic purgatus dicitur Cremor vel Cryſtallus Tartari; quæ quidem nomina olim diverſis præparationibus aſſignabantur, hodie vero confunduntur & indiſcriminatim uſurpantur. Sic autem hæc purgatio olim perficiebatur. Tartarus crudus craſſo modo contuſus, aqua ſimplici aliquoties lavabatur, deinde in aqua limpidiſſima unius horæ ſpatio coquebatur. Deinde decocto frigidiori loco expoſito, ſupercreſcens cuticula ligula collecta exſiccabatur pulveri ſimilis, & dicebatur cremor Tartari. Ab aliis decoctum Tartari ferventiſſimum in vas figulinum puriſſimum, cujus in medio bacilli cancellatim diſpoſiti erant, effundebatur, aerique frigido exponebatur, donec pars Tartari bacillis immiſſis adhæreret adinſtar cryſtallorum, quæ a bacillis ſeparatæ Cryſtalli Tartari dicebantur. Hodie priori præparatione neglecta, poſterior tantum ſervatur, & indiſcriminatim Cryſtalli vel Cremoris Tartari nomine inſignitur.

(Alia eſt Tartari purgandi ratio, quæ in Gallia Narbonenſi prope Monſpellium obtinet, in locis præſertim *Calviſſon* & *Aniane* dictis. Tartari pulverati decoctum fervidum per manicam trajectum in vaſis idoneis deponunt. Mox vaſorum parietes Tartari cryſtallis obducuntur, quæ aqua limpida lavantur, ut oleoſis exuantur partibus: poſtea terra quadam utuntur ſaponacea, Cretæ nonnihil ſimili, quæ prope locum, *Merviel* dictum repe-

reperitur. Hujus portionem in aqua diluunt, cui colorem lacteum impertit, & in ahenum aqua plenum conjiciunt. Ignem aheno adhibent, & in aquam fervidam Tartari cryſtallos injiciunt, ut ſordium reliquiis purgentur. Hac ratione cremorem Tartari longe puriorem obtinent.)

Tartarus multum ſalis acidi continet, & olei, tum tenuioris, tum craſſi: aliquantulum ſalis alcali volatilis urinoſi diſtillatione ſuppeditat, & ſalis alcali fixi portionem non mediocrem, cum terra poſt diſtillationem in capite mortuo relinquit. Verum ſale alcali, tum volatilis, tum fixus ignis fœtus eſſe videtur; ſiquidem neque in Tartaro neque in aliis mixtis corporibus hæ ſubſtantiæ manifeſtas ſe præbent, niſi obſtetricante igne, vel artificiali, in Chymicis fornacibus, vel naturali, in fermentationibus. Tartarus itaque ſal medius ſeu ſalſus eſt compoſitus ex acido ſale, oleo & terra, in quo acidus ſal longe majori copia continetur, quam ut ejus ſpicula terra abſorberi aut involvi poſſint: unde acidus ejus ſapor ſalſum longe ſuperat. Aqua niſi ferventiſſima difficile ſolvitur, ob oleoſas partes quibus ſalinæ involvuntur. Ille autem ſal acidus in alcali, tum volatile, tum fixum, ignis vel fermentationis ope convertitur: inde variæ oriuntur præparationes ad ſalem alcali fixum vel volatilem ex Tartaro eliciendum, vel potius conficiendum.

Cremor Tartari minorem terræ portionem quam Tartarus continet.

Tartarus & Cremor Tartari bilis æſtum ac fervorem reprimunt; ſitim in febribus ardentibus minuunt; appetitum deperditum reſtituunt; mucidos ac tenaces humores attenuant, reſolvunt, & blandiſſime educunt; viſcerum obſtructiones reſerant: quapropter commendantur in hepatis, lienis, meſenterii obſtructionibus, in cachecticis & hypochondriacis affectionibus. Cum debilioribus laxantibus medicamentis ſtimuli loco, & feliciſſimo cum ſucceſſu admiſcentur. Angelus Sala *in Tartarologia* de ſeipſo narrat, quod, cum paſſione colica multoties miſerrime diſcruciaretur, multis aliis medicamentis fruſtra tentatis, ſumpſit Tartari pulverati ʒvj. ex quo purgatus fuit & a cruciatibus ſolutus, tandemque poſt idem aliquoties repetitum remedium perfecte ſanatus fuit.

Exhibetur intus Cremor Tartari potiuſquam ipſum Tartarum a ʒß. ad ʒij. ſi aperiendi tantum ſit animus, vel cum aliis purgantibus ſtimuli vice permiſceatur: verum quando abſque ullo alio additamento aut ſtimulo purgantis munere fungi debet, ab ℥ß. ad ʒvj. aut ℥j. ſumitur.

Obſervandum eſt, cremorem Tartari in aqua frigida non diſſolvi ſed in calida tantummodo; ac proinde in juſculis aut potionibus calentibus præſcribendum eſſe, aut in Opiatis ſub forma boli vel pilularum exhibendum eſſe.

Cremor Tartari cum chalybeatis optime conſociatur, & ad obſtructiones reſolvendas Martem plurimum adjuvat: quapropter in opiatis meſentericis & cachecticis remediis ſæpius cum eo uſurpatur.

℞. Cremor. Tartari ʒij. Diacrid. gr. iiij. M. F. pulvis purgans in cachectis affectionibus.

℞. Cryſtallor. Tartar. folior. Sennæ ana ℥ij. Cinnamomi ʒiij. Caryophyllor. ℥ß. M. F. pulvis ad alvum blande ſubducendam, & obſtructiones reſolvendas. Doſis a ʒß. ad ʒij.

℞. Ru-

℞. Rubiginis Martis rore Majali pp. gr. xv. Cremor. Tartar. ℈j. Croci gr. iij. Cinnamom. ℈j. M. F. pulvis in chloroſi & cachexia bis die exhibendus.

℞. Cortic. Peruvian. ℥j. Cremor. Tartar. ℥ß. Pulver. Jalap. ʒß. Syrup. de Abſynthio q. ſ. M. F. Electuar. cujus doſis ʒj. vel ʒjß. ter quaterve die exhibenda in febribus intermittentibus, cachecticis, cum œdemate aut leucophlegmatia.

℞. Cremor. Tartar. ʒv. Roſar. rubrar. ſiccatar. & pulveratar. ʒj. Sp. Vitrioli gutt. aliquot. Fiat pulvis. Doſis ʒß. bis terve die in febribus intermittentibus, & ad bilioſos humores in ventriculo ſuffuſos & ſalivam infeſtantes contemperandos, ad nauſeam aut inappetentiam ſanandam, oris amaritiem emendandam, ciborumque concoctionem excitandam.

Ex Tartaro diverſæ ſubſtantiæ extrahuntur, diverſaque præparantur medicamenta. 1. Quidem ſpiritus & oleum fœtidum diſtillationi ope extrahitur hac ratione.

℞. Tartari contuſi ℔iij. Diſtilla ex retorta fictili igne reverberii gradatim aucto. Prodibunt primo phlegma inſipidum ad ℥iiij. prorſus inutile & abjiciendum; deinde ſpiritus rufeſcens ſub nebulæ ſpecie ℥viij. ac tandem olei, tum tenujoris, tum craſſioris, & admodum fœtentis ℥iij. In fundo retortæ maſſa nigra remanebit ℔ij. pondere, quæ igne aperto combuſta & calcinata, aqua diluta, percolata, & exſiccata ſalis alcali fixi albicantis ℥xij. exhibebit. Spiritus ab oleo per chartam bibulam ſecernitur; ſic enim ſpiritus tranſit, remanente ſuper chartam oleo. Spiritus rectificatus, ut ajunt, ſeu ab oleoſis & fuliginoſis particulis purgatus obtinetur nova diſtillatione per ignem arenæ: acidi & alcalini liquoris notas præbet, quandoquidem cum ſpiritu ſalis & cum ſale Tartari aut ſale volatili urinæ efferveſcit. Revera acidum & alcali in eodem liquore conſociata, illæſa & abſque tumultu hic continentur. Sales enim alcalici oleoſis partibus involuti acidorum vim & actionem declinant.

Spiritus Tartari diureticus eſt & diaphoreticus, & in obſtructionibus reſerandis quaſi Panacea a Chymicis laudatur. Doſis a ℈j. ad ʒj. Ex hoc ſpiritu fit mixtura ſimplex Paracelſi ſeu diaphoreticum in peracutis, quod ſic præparatur.

℞. Sp. Tartari rectificati ℥vj. Sp. Vitrioli volatil. ℥ij. Sp. Theriacal. Camphor. ℥x. Digeratur in vaſe vitreo in balneo cinerum per tres hebdomadas. Servetur liquor ad uſum. Doſis a ʒß. ad ʒjß.

Oleum empyreumaticum, iteratis cum aqua vel cum Calce viva diſtillationibus, minus fœtidum, imo odore non injucundum efficitur. Intus ſumptum ſudores movet: externe tumores potenter reſolvit. Rheumatiſmo & paralyſi medetur, & in cutaneis affectionibus commendatur.

Sal Tartari fixus fit, vel ex maſſa nigra poſt Tartari diſtillationem reſidua & calcinata, vel ex Tartaro ipſo igne aperto calcinato. Tartarum calcinatum aqua ſolvitur, ſolutio per chartam bibulam tranſcolatur, ad ſiccitatem evaporatur in maſſam ſalinam candicantem; quæ, ſi nondum ſatis purgata fuerit, iterum calcinatur igne reverberii: ſolvitur aqua & exſiccatur, ac tandem in crucibulo aliquantiſper calcinatur, donec ad cæruleum vel ruben-

bentem colorem accedat. Tunc in vaſe optime clauſo reconditur: humido enim ab aere facillime colliqueſcit.

Ex hoc ſale oleum Tartari per deliquium paratur, eum nempe ſalem humido aeri exponendo, ubi intra breve temporis ſpatium in liquorem reſolvitur.

Sal Tartari fixus eſt alcali acre & cauſticum valentiſſimum: quapropter ad uſum internum rarioris eſt uſus, licet a quibuſdam vis diuretica ipſi tribuatur. Plurimis operationibus Chymicis inſervit, præſertim ad reſinoſorum & ſulphureorum mixtorum tincturas extrahendas. Cum purgantibus nonnumquam admiſcetur, tum ad eorum partes ſulphureas explicandas, tum etiam ad eorum actionem juvandam, craſſos viſcidoſque humores attenuando. Ejus doſis a gr. xij. ad ℨß. præſcribitur. Magna aquæ copia ſolvi debet; ne gulæ, œſophagi, & ventriculi membranas acredine ſua lædat.

Ex ſale Tartari tinctura extrahitur ope ſpiritus vini, quæ a nonnullis plurimum commendatur. Ad hanc tincturam præparandam ſpiritus vini ſali Tartari optime calcinato, ita ut fuſioni proximus ſit, & adhuc candenti affunditur, & cum illo in vaſe clauſo per aliquot dies digeritur. Spiritus colore croceo intenſo tingitur, poſtea a ſale reſiduo ſecernitur & ſervatur. Obſervandum ſpiritum aut nullam aut tenuiſſimam tincturam extrahere, ſi ſal Tartari candidus fuerit; intenſiorem vero, ſi rufeſcens, nec optime lixivio purgatus, vel ſi in calcinatione tenuiſſimo carbonum pulvere aut fuligine inſpergatur, aut ſi ſpiritus vini aliquantulum olei eſſentialis cujuſcumque, v. g. Aniſi, Lavandulæ, Thymi, aut alterius hujuſcemodi contineat. Illa enim tinctura ab oleoſis partibus, vel in ſale, vel in ſpiritu reconditis oritur.

Spiritus ille ſeu tinctura quaſdam ſalis alcalici partes in ſinu ſuo continet: quare ſalinum oleoſum ſe præbet aptum & idoneum ad viſcidos tenaceſque humores ventriculi parietibus inhærentes aut in renibus vel meſenterii glandulis incidendos. Exhibetur in vehiculo conveniente a gutt. x. ad xxx. Præterea ſulphureis & oleoſis tincturis ex mineralibus vegetabilibus & mineralibus extrahendis inſervit.

Ad fixum Tartari ſalem volatilem efficiendum Chymici plurimum inſudarunt. Duplex autem ſal volatilis Tartari efficitur; urinoſus nempe, & ſalſus.

Sal Tartari volatilis urinoſus fit, vel Tartarum fermentando fere uſque ad putreſcentiam, vel ſalem Tartari fixum cum oleis quibuſcumque digerendo.

1. Sal volatilis urinoſus ex Tartaro fermentato conficitur, Tartarum contuſum & aqua madidum in cella vel in loco tepido reponendo, donec odorem aliquantiſper fœtidum emittat. Tunc aeri expoſitum & probe exſiccatum per retortam diſtillatur, & non mediocrem ſalis urinoſi quantitatem præbet.

Copioſior ille ſal urinoſus extrahitur ex vini fœcibus quæ nihil aliud ſunt quam Tartarum in vino diutius fermentatum. Exprimuntur per linteum fœces vini, perfecte exſiccantur ac tandem diſtillantur: copioſum præbent ſalem volatilem urinoſum, cujus vires cœteris ſalibus volatilibus ex animalium familia deſumptis non inferiores ſunt, licet non ſuperiores aut tantæ virtutis, & præſtantiæ, quantum Chymici de hoc ſale prædicarunt.

2. Sal Tartari fixus volatilis quoque evadit, cum digeritur cum ipſo oleo Tartari fœtido, vel cum alio quocumque: recipiunt nempe olei Tartari fœ-

tidi partem unam, ſalis Tartari fixi partes duas. Rite mixta per aliquot menſes blando cinerum calore digeruntur. Inſtituta poſtmodum diſtillatione, ſal volatilis copioſus prodit urinoſo ſimilis. Minus volatilis eſt alter ille ſal, quem ſalem Tartari volatilem ſalſum dico. Terra foliata Tartari & Magiſterium Tartari arcanum nuncupatur. Sic præparatur. Sali Tartari puriſſimo affundunt aceti diſtillati q. ſ. ad punctum ſaturationis. Mixtura ad ſiccitatem uſque diſtillatur. Prodit liquor ſaporis expers, nempe phlegma aceti. Sali exſiccato novum acetum affundunt, ſolutio diſtillatur: ſicque iterantur novæ aceti affuſiones & diſtillationes, donec tandem liquor diſtillatus acidus prodeat, id eſt donec acetum quale affuſum fuit, regrediatur; tunc enim ſal Tartari ſufficienti quantitate acidi aceti ſaturatus eſt. Salina hæc maſſa in optimo vini ſpiritu diſſolvitur: ſolutio per chartam bibulam tranſcolata diſtillatur, exſiccatur; exſiccata iterum ſpiritu vini diſſolvitur, percolatur & exſiccatur; tertio & ultimo novo vini ſpiritu ſolvitur; & leniſſimo cinerum calore abſtracto ſpiritu vini, maſſa ſalina remanet rara & quaſi ſemivolatilizata, aliquantiſper unctuoſa, nivea, nitens, & foliata, Talci adinſtar. Tunc terra foliata dicitur. Metallorum Tincturas mirum in modum extrahit, quo nomine a Chymicis plurimum commendatur: inſuper prædicatur tanquam præſtantiſſimum remedium, ad viſcerum obſtructiones reſolvendas, craſſoſque humores attenuandos; unde in cachecticis affectionibus, paralyſi & hydrope utiliter præſcribitur. Urinas movet, alvum laxat, & medicamentorum purgantium operationem plurimum auget ac promovet. Doſis a ʒß. ad ʒj. præſcribitur.

Inter medicamenta ex Tartaro præparata uſitatiora ſunt Tartarus ſolubilis, Tartarus vitriolatus, Tartarus emeticus, Tartarus chalybeatus. De his duobus jam egimus, ubi de Stibio & Ferro.

Tartarus ſolubilis, ſal vegetabilis officinarum, & Balſamum Samech paracelſi ſic præparatur.

℞. Cryſtallor. Tartari ℥viij. Salis Tartar. ℥iiij. Simul mixtis affunde aq. bull. ℔iiij. Bulliant per ſemihoram circiter. Solutio refrigerata per manicam hippocraticam tranſcoletur, & ad pelliculam uſque evaporetur. Poſtea in loco frigido ad cryſtallos producendas reponatur. Liquor a cryſtallis abſtractus ad pelliculam iterum evaporetur, & in cryſtallos reducatur; quod eo uſque repeti debet, donec liquor pinguis nimis & oleoſus in cryſtallos non amplius concreſcat. Cryſtalli optime exſiccatæ ad ℥xij. circiter ſerventur ad uſum. Aperiens eſt & laxans medicamentum. In cachecticis morbis & in viſcerum obſtructionibus plurimum confert. Purgantium medicamentorum vim adauget: quare in potionibus catharticis ſæpius uſurpatur. Doſis a ℈j. ad ʒij. vel etiam nonnumquam ad ʒvj. & ℥j. Præſcribitur in juſculo vel in apozematis aperientis ℔ij. ad catharſim promovendam: tunc enim ſine moleſtia purgat.

Tartarus vitriolatus vel magiſterium Tartari officinarum fit ſpiritus Vitrioli q. ſ. affundendo ſuper oleum Tartari per deliquium paratum ad punctum ſaturationis, liquorem percolando & ad ſiccitatem evaporando. Idem quoque ſal fieri poteſt ex Vitriolo & ſale Tartari hac ratione. Solvunt Vitriolum in aquæ ſ. q. Huic ſolutioni affundunt oleum

Tar-

Tartari per deliq. Turbidus fit liquor partium metallicarum præcipitatione: cum olei Tartari affuſione liquor non amplius turbatur, per chartam emporeticam tranſcolatur & in ſalem exſiccatur, qui genuinus eſt Tartarus vitriolatus. Iiſdem donatur virtutibus ac ſal vegetabilis, & eadem doſi exhibetur. In Opiatis meſentericis, aperientibus, cachecticis, & in apozematibus, tum alterantibus, tum purgantibus frequenter uſurpatur.

CAPUT NONUM.

De Tuberibus, Fungis, & adnatis quibuſdam vegetabilibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Tuberibus cervinis.

TUbera cervina & Boleti cervini, *Off.* Tuberum genus quibuſdam cervi Boletus, J. *B. III.* 851. (Lycoperdaſtrum tuberoſum, arthizon, fulvum, cortice duriore, craſſo, & granulato, medulla ex albo purpuraſcente, ſemine nigro, craſſiore, *Mich. Nov. gen. p.* 220. *n.* 10. *Tab.* 99. *Fig.* 4.) Tuberum genus eſt magnitudine Juglandis, interdum Avellanæ & minore, ſubrotundum, tuberoſum & inæquale, ſubſtantiæ calloſæ, inter duritiem & molitiem mediæ, atro-purpureæ, cortice tectum coriaceo, ex cinereo ad fulvum inclinante, in ſuperficie granulatum, cujus meditullium fungoſa quædam ſubſtantia ex albido purpuraſcens occupat, (per cellulas non nitidas ac tenaces, ſed molles & lanuginoſas ſubdiviſa ac diſtributa : cellulæ vero ſeminibus minutiſſimis in maſſam compactis & filamentis alligatis replentur. Eadem ſubſtantia, ubi ſemen jam maturum dimiſit, in parvum globulum contrahitur.) Saporis eſt & odoris, dum recens, gravis, muriatici, ſpermatici; dum ſiccum & jam dudum repoſitum, fere nullius evidentis.

Sub terra naſcitur ſicut cœtera tubera, abſque radicibus ſaltem conſpicuis. In præruptis & opacis montium ſylvis in Germania & Hungaria reperitur.

De his tuberibus nulla apud antiquos exſtat memoria. Cervina dicuntur, inquit C. Bauh. quia reperiuntur in locis, ubi cervi libidinem exercent : & Matthiolo narrante fungum hunc, tuberum vulgarium modo, ſub terra naſci affirmant venatores, ubi cervino ſemine in coitu inficitur ſolum. Sed hæc meræ ſunt fabulæ a J. Bauhino & aliis rejectæ. Magis veriſimile eſt hoc obtinuiſſe nomen ex eo quod cervi horum tuberum avidiſſimi ſint, adeo ut gravi eorum odore alliciti terram ubi deliteſcunt pedibus ſcalpere non deſinant, donec illa detexerint. Sale volatili copioſo turgent.

Hæc tubera, quamvis in ciborum uſum non venerint, magnis tamen exornantur elogiis: illis enim in medicamentis quæ venerem movent, uſitata ſunt; in quem uſum ſiccata & pulverata ℨj. vel ℨjß. pondere ex vino propinantur. Lactis quoque ubertatem afferri ajunt ex ptiſana vel muliebri lacte potum, & valentius ſi Piperis longi aliquid miſceatur. Suf-

ſitu occulos fœminarum locos referare tradunt, & vulvæ ſtrangulatus avertere. Non deſunt ſuperſtitioſæ mulierculæ, quæ iis abutuntur in quibuſdam poculis amatoriis, prius obmurmuratis nonnullis incantationibus: verum aphrodiſiacam virtutem Lonicerus & Cordus illis denegant. Et revera nihil aliud illis adſcribi poteſt quam quod ad modum omnium fungorum, craſſum ſuccum gignant, flatus excitent, paulum inflent, & hac ratione membrorum genitalium erectionem promoveant.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Fungo Sambucino.

FUngus Sambucinus ſive Auricula Judæ, *Off.* Agaricus Auriculæ forma, *Inſt. R. Herb.* 562. (Agaricum Auriculæ forma, *Mich. p.* 124. *n.* 1. *Tab.* 66. *Fig.* 1.) Fungus membranaceus Auriculam referens ſive Sambucinus, *C. B. P.* 372. Spongia Sambuci, *Schroder.* Gummi Sambuci, *Dodon. Pemptad.* Eſt ſubſtantia fungoſa, naſcens ex imo trunco Sambuci veteris, ſpongioſa, (nullis foraminulis, denticulis & lamellis intercepta, ſed lævis,) coriacea & membranacea, ſinuoſa & complicata Auriculæ inſtar, ſubtus incana & cinerea, ſupra nigricans, inodora, ſaporis terrei & fatui: breviſſimo vel potius nullo pediculo nititur; ſed caudici arboris inhæret aut ſingularis aut geminus.

Vis adſtringendi & exſiccandi ipſi tribuitur. Interne raro ſumitur. Infuſus in vino vel in aqua conveniente fortiter alvum laxat & hydropicorum aquas miro modo pellit, ut refert Simon Paulli. In aqua Roſarum aut Plantaginis, vel in decocto ſummitatum Roſarum rubr. aut Caprifolii, vel in lacte decoctus aut aceto maceratus, in angina, gutturis tumoribus aut inflammationibus incipientibus exhiberi ſolet ad gargarizandum & guttur eluendum. Ophthalmiæ quoque medetur, ſi infundantur in aquam Roſar. Cyani, ſpermatis ranar. aut alterius.

℞. Fungi Sambuci q. v. Infunde in aq. ſtill. flor. Sambuci q. ſ. Macerentur per noctem; & aqua ſeparata ſervetur ad inflammationes oculorum ſiſtendas.

℞. Fung. Sambucin. ʒij. Hordei mund. Glycyrrhizæ ana ℥ß. Flor. Malv. arboreſcent. pugill. ij. Coq. in aq. Plantag. ℥xviij. ad tertiæ partis diminutionem. Fiat colatura, in qua diſſolve Salis Prunell. ʒj. Mellis roſati ℥ij. Fiat gargariſma ad faucium inflammationes.

ARTICULUS TERTIUS.

De Agarico.

AGaricum & Agaricus, *Off.* Αγαρικὸν, *Græcorum*: Agaricus ſive fungus Laricis, *C. B. P.* 375. Agaricus, *Dodon. Pemptad.* 486. vulgo *Agaric.* Eſt ſubſtantia fungoſa, ſubrotunda, angulosa, inæqualis, nunc majoribus, nunc minoribus maſſis conglabata, pugni & nonnumquam capitis humani magnitudine, leviſſima, candoris nivei, in farinam digitorum attritu friabilis, paucis fibris intertexta cortice, qui removeri ſolet

callo-

calloſo, cinereo, ſubrufo circumtecta, (cujus pars inferior modo late, modo anguſte perforata, ſeminibus minutiſſimis in ipſius foraminulis adhærentibus;) ſaporis primum ſubdulcis, mox amari, acris & nauſeoſi cum levi quadam adſtrictione. In Laricibus trunco adnaſcitur, rarius in ramis invenitur. Si creſcit in his arboribus, tum Terebinthinam non amplius reddunt, referente Hermanno.

Probatur candidum, leve, friabile; rejicitur ponderoſum, nigricans, minus friabile: improbatur etiam quod ſtirpi proximum eſt, quia trahit aliquid de nigredine corticis; quin fere liquoſius eſt, ideoque minus friabile. Cortex removetur tanquam inutilis aut noxius.

Agaricum Dioſcoridi & Plinio duplex habetur, mas & fœmina. Mas rotundus eſt & undique ſibi ſimilis, Plinio criſpior amariorque: fœmina rectas intus habet pectinum modo venas & quaſi diviſuras: Plinio fœmina ſolutior eſt, initio dulcis, mox in amaritudinem tranſit. Hæc præfertur, ille reprobatur. Hanc diſtinctionem officinæ hodie non obſervant. Candidius & levius eligunt, & fœminam dicunt. Mas econtra dicitur aliud Agarici genus magis ponderoſum & nigricans. Nuncupatur Agaricus pedis equini facie, *Inſt. R. H.* 562. Fungus in caudicibus naſcens unguis equini forma, *C. B. P.* 372. Fungi igniarii, *Tragi* 943. Hoc nullius eſt uſus in Medicina. Arti infectoriæ inſervit. Annoſis Juglandium, Quercuum aliarumve arborum truncis adnaſcitur, ſubſtantia calloſa lignoſaque in ambitu, & fibris rectis contexta, in meditullio molliore, colore foris cinereo, intus obſcuriore ad fuſcum inclinante. Mollius fit, & ignis rapaciſſimum hoc modo. Decoquitur in lixivio, & ſiccatum tunditur; poſtea in aqua nitroſa rurſus coquitur & exſiccatur.

Agaricum noſtrum idem eſt cum Agarico veterum, licet aliter ſentiat Salmaſius. An radix, an fungus ſit ex arborum putrefactione naſcens, veteres Græci non ſatis noverunt. Plinius & Meſue fungi ſpeciem eſſe ſuſpicati ſunt: Agarici enim & fungorum non abſimilem eſſe generationem putabant; arborumque magnarum, cum putreſcere aut ſeneſcere incipiebant, fœtum eſſe crediderunt: unde Agaricum non ſecus ac apoſtema per modum putrefactionis naſci opinabantur. Inter hos Plinius Agaricum coniferas Galliarum arbores ferre memoriæ prodidit. Braſſavolus aliique ſcribunt ſe Agaricum Quercui adnaſcens vidiſſe, alii Ilici, Abieti, Piceæ; Matthiolus vero & Bellonius Agaricum nunquam alii arbori præter Laricem innaſcens ſe vidiſſe aſſerunt: & reipſa conſtat ſolius Laricis fungum eſſe. Fungi autem quos Quercubus aut aliis arboribus adnaſcentes alii viderunt, Agaricorum ſpecies ſunt a genuino officinarum Agarico diverſæ, tum colore, tum forma & viribus.

Itaque Agaricum eſt planta ſui generis paraſita, ſeu quæ aliis plantis innaſcitur, & ab eorum ſucco nutritur; cujus flores fructuſque aut ſemina nondum penitus innoteſcunt.

Dioſcorides refert Agaricum in Agaria Sarmatiæ regione naſci, unde nomen ei inditum. Hodie in Delphinatu Galliæ, in Alpibus aliiſque montibus ſupra Larices colligitur.

Analyſi Chymica, ex Agarici candidiſſimi ℔iij. ℥xj. prodierunt humoris, primo mere aquei, translucidi, deinde rufeſcentis, acidi, poſtea fuſci, empyreumatici, linguam Piperis inſtar exurentis ℥xvj. ʒiiij. gr. xxxiiij.

 liquo-

liquoris rufeſcentis urinoſi ſale volatili prægnantis, & tantillum acidi ℥ij. ʒvj. gr. xxxvj. olei fluidi ℥xvj. ʒvj. gr. xxv. Maſſa nigra denſa, dura, in retorta reſidua pendebat ℥xij. quæ per horas 19. in crucibulo calcinata reliquit cinerum ex fuſco rufeſcentium ℥j. ʒiij. ex quibus lixivio ſalis fixi acris & mere alcali ʒij. extractæ fuerunt. Partium deperditio in diſtillatione fuit ℥x. ʒvj. gr. lix. calcinatione in fumum & flammam abierunt ℥x. ʒv. Ex hac analyſi liquet, Agaricum conſtare ex Tartareo & Ammoniacali ſale cum oleo copioſo conjunctis, & exigua admodum terræ portione: quæ principia ita inter ſe miſcentur, ut mixtum conſtituant ſalino reſinoſum; quandoquidem Agarici ℥ij. ope ſpiritus vini præbuerunt extracti reſinoſi ſaporis nauſeoſi & ingrati ʒvjß. aqua vero perparum ex Agarico diſſolvit & extrahit, ſed illud in mucaginoſum magma convertit. Unde patet, quam parum utilis ſit Agarici maceratio vel decoctio in menſtruis aqueis. Ejus tamen infuſum in aqua chartam cœruleam purpuream reddit. Præcipua vis purgans hujus medicamenti pendere videtur ab illo ſpiritu vel oleo tenui, acri, & exurente, qui in primis portionibus prodiit, & a quo acris oritur hujus medicamenti ſapor.

Dioſcorides & Galenus cum veteribus Græcis illud medicamentum ad varios diverſoſque affectus commendarunt; ſed præſertim ictericis, epilepticis, aſthmaticis, iſchiadicis, & arthriticis; nec niſi leviter de ejus vi cathartica aliquid tetigerunt: ita ut conjecturæ locus ſit veteres uſurpaſſe Agaricum, non tam ad purgandum, quam ad incidendum & aperiendum. Avicenna quoque inter Arabes laudat Agaricum exiguo pondere ſicut medicamentum incidens & digerens, cum Opii modico mixtum. Vis anthelmintica & alexiteria illi concedebatur. Hac ratione Theriacam ingreditur & alias compoſitiones alexiterias, ut videre eſt apud Scribonium Largum: attamen ab Arabum plurimis inter evacuantia recenſetur. A neotericis hodie inter Medicinas purgantes numeratur, & commendatur potiſſimum ad pituitam evacuandam, ea forte ducti ratione quod ab aſſumpto Agarico excrementa albida eſſe ſoleant. Cathartici nomine in plurimis compoſitis evacuantibus medicamentis uſurpatur. Ab iiſdem quoque adhiberi ſolet ad ſerum quod in coagulum pronum erat, fluxile reddendum, & ad excretionem præparandam: hinc in morbis catarrhalibus, coryza, diſtillationibus, aſthmate, tuſſi, cachexia, fluore albo, menſium ſuppreſſione, febribus quotidianis & lentis, ſi crudorum humorum congeries earum fomes ſit, prodeſſe putatur. Datur non robuſtis modo & validis, ſed & infirmioribus, puberibus, ſenibus, ac etiam gravidis; idque nullo periculo, ſi morbi conditio expoſtulat.

Nonnulli vim catharticam ipſi denegant. Maſſaria enim propria edoctus experientia aſſerit Agarici infuſum nullam habere purgandi virtutem. Re quidem ipſa aqua perparum de Agarico extrahit, ut jam obſervavimus. Sed tamen ipſa Agarici ſubſtantia alvum ſubducit, licet non vehementer; & ea de cauſa cum aliis purgantibus medicamentis conſociatur, quibus multum adjuvat, humores ſpiſſos ac tenaces attenuando & incidendo.

Alexiteriam quam ipſi tribuebant veteres virtutem, C. Hoffmannus, aut nullam eſſe, aut perexiguam cenſet. Si quid autem in Theriaca aut cœteris Antidotis eorum operationi conferat, incidendo & abſtergendo illud efficere exiſtimamus.

Aga-

Agaricum ſua etiam habere incommoda, ſuiſque patere diſcriminibus plures Medicorum obſervationes oſtendunt. Tria hæc vitia in illo redarguuntur, quod ventriculum gravet & lædat, unde nauſea & vomitus; quod viſcera diſtendat, unde hypochondriorum aut abdominis intumeſcentia, & nonnunquam inflammatio; denique quod tardæ admodum & teſtudineæ ſit operationis, unde parum levaminis ab hoc medicamine ægrotantes accipiunt: hiſce de cauſis Daniel Ludovicus illud a ſuo Myrothecio rejicit. Verum medicamentum a veteribus magnopere commendatum, & a neotericis frequenter & utiliter uſurpatum, non adeo contemnendum eſt. Cautus & opportunus eſſe debet illius uſus. Catarrhoſi affectus, in quibus curandis potiſſimum prædicatur, ii ſint oportet, a quibus febris abeſt, in quibus ſerum concretum atque lenteſcens ejuſmodi indigeat medicamento a quo liqueſcere poſſit. Idem dicendum de morbis pectoris, aſthmate præſertim & reſpiratione difficili ab infarctu pulmonum oriundis. Ab eo abſtinendum in morbis acutis, & in illis omnibus, in quibus dominatur utraque bilis, vel quos urget ſanguis actuoſus nimis, & quorum præfervida ſunt viſcera, cujus ſunt indolis melancholici non pauci, bilioſi, phthiſici, hyſtericæ, ut recte obſervavit vir doctiſſimus celeberrimuſque ſaluberrimæ facultatis Pariſienſis Doctor Philippus Hecquet, *Tractat. Mſs. de Purgantibus*. Infuſi vel decocti exigua admodum eſt virtus. Subſtantia efficacius operationem ſuam exercet. Ejus pulvis præſcribitur ſolus, vel trochiſcorum forma præparatus, a ʒß. ad ʒjß. ʒij. infuſum vel decoctum a ʒij. ad ℥ß.

Agarici incommoda & vitia veteres corrigere tentarunt ſtomachicis calidis & aromaticis, Zingibere præſertim, incidentibus, ut ſale gemmeo, oxymelite, quo ipſius acrimonia retunditur. A neotericis diverſimode emendatur. Plurimi Agarici pulveris intus ſumpti levitatem reformidant, cujus ratione œſophagi & ventriculi parietibus adhæret: idcirco illud in trochiſcos redactum ſumunt. At, quæſo, quis hunc pulverem ſolum & ſiccum deglutire poſſet? Si vero quovis liquore vel ſyrupo ſubactus fuerit hic pulvis, non amplius ſua ſiccitate membranis ventriculi adhærebit, ſaltem non adeo facile. A quibuſdam uſtulatur ad ejus vim deleriam & emeticam temperandam aut extinguendam; ſed ſic deſtruitur, & in inertem terram aut carbonem convertitur. Ab aliis extractum reſinoſum proponitur quaſi pulvere præſtantius: ſed hæc reſina ſaporis eſt ingrati admodum & nauſeoſi, ventriculum & inteſtina vehementius lædit quam ipſa ſubſtantia; ſicque correctio pejor eſt medicamento.

Porro nulla tutior eſt correctio quam trochiſcorum præparatio, in quibus Agarici ſapor ingratus ac nauſeoſus, & acrimonia ventriculi nociva aromaticis emendatur.

Nonnulli Agaricum, pro diverſo cui deſtinatur ſcopo, medicamentis convenientibus illius virtutem dirigere opinantur. Sic ut felicius ad caput ejus virtutem ferant, addunt Stæchadem Arabicam, Nucem Moſchatam, lignum Aloes, ſpicam: ad pectus ejus ducunt virtutem Capillo Veneris, radice Ireos, Hyſſopo; ad hepar Cichorio: ad lienem cortice Tamariſci, Aſplenio; ad uterum Matricaria, Myrrha; ad veſicam & renes quinque radicibus aperientibus. Quid de illis directionibus ſentiendum ſit facile judicabunt, qui Arabum ſcholæ nimis addicti

non ſunt. Agaricum trochiſcatum in officinis Pariſienſibus ſic præparari ſolet.

℞. Zingiberis albi contuſi ʒij. vini albi ℥iiij. Macerentur frigide horis xxiiij. & colentur poſtmodum.

℞. Agarici electi radula raſi & in tenuiſſimum pulverem redacti ℔ß. Prædicto vino medicato humectetur, ut in maſſam ſolidiorem coeat: & ex illa fingantur trochiſci in umbra exſiccandi.

℞. Decoct. folior. Agrimon. & Pimpinell. ℥vj. Diſſolve Agaric. trochiſcat. Electuar. de Citro ſolativ. ana ʒij. Syr. flor. Perſic. ℥j. Fiat potio.

℞. Senn. mund. Agaric. trochiſc. & Turbith gummoſ. ana ʒj. Cinnamom. contuſ. ℈j. Sal. Tartar. gran. xv. Infund. per noctem in aq. fluviatil. ℥vj. In colatura diſſolv. Syrup. de Rhamno cathartic. ℥j. Fiat potio in hydrope.

℞. Agaric. radula comminut. ʒiv. rad. Irid. Florent. ℥ij. folior. exſiccator. Nicotianæ ℈j. folior. Hyſſop. Thym. ana m. j. Coquantur in aq. comm. ℔iij. ad tertiæ partis diminutionem. In colatura diſſolv. Oxymel. ſimplic. ℥iiij. Capiat æger duos treſve hauſtus calidos quotidie ad ℥vj. pro ſingula doſi.

℞. Agaric. trochiſc. ʒß. Mercur. dulcis gr. vij. Diacridii gr. iij. M. Fiant pilulæ purgantes cum Syrupo flor. Perſicor.

℞. Trochiſcor. Agaric. ʒj. Jalap. pulver. & Aloes notæ ana gr. xij. Aquil. alb. gr. x. Olei diſtill. Succin. gutt. ij. Majoran. gutt. j. Conſerv. flor. Salv. q. ſ. M. F. pilulæ catarrhales.

Agaricum externe raro adhibetur, licet ad morſus & ictus venenatos animalium a veteribus commendetur.

Uſurpatur in Theriaca, Mithridatio, Confect. Hamech, Hiera picra cum Agarico, Hiera diacolocynthidos, Syrupo roſato cum Senna & Agarico, Syrupo helleborato *Quercetani*, Pilulis de Agarico *Meſues*, Pilulis ſine quibus, Pilulis Mercurialibus *Charas*.

ARTICULUS QUARTUS.

De Gallis.

GAllæ, *Off.* Κηκῖδες, *Græcorum*: Hafs & Hafus, *Arabum*: vulgo *Noix de Galle*. Corpora ſunt Quercubus adnaſcentia, quorum genera traduntur multa, magnitudine, colore, lævitate aut aſperitate ſuperficiei, pondere, figura differentia. Quercubus adnaſcuntur ſeu arboribus glandiferis, ſed non in omnibus regionibus; ſiquidem in frigidioribus non reperiuntur. Obſervat enim J. Rajus Quercus in Anglia nunquam Gallas protuliſſe; cujus rei hanc rationem affert, ſcilicet inſecta illa, quibus Gallæ ortum ſuum debent, ibi non reperiri. Arboris fructus non ſunt, ut quidam opinantur; ſed tumores præter naturam, qui inſectorum quorumdam animalium morſibus, lancinationibuſve originem ſuam debent. Inſecta enim & in primis muſcæ quædam hujus arboris gemmas, folia, ſurculos teneriores pungentia, (tenuia vaſa dila-

dilacerant : ſuccus inde effluit, copioſior appellit ob minutam reſiſtentiam vaſa ab humore uberius appellente ampliantur magis ac magis ; inde tumores illi multiformes,) qui licet arboris reſpectus præternaturales ſint, à natura tamen deſtinantur, ut ſint velut matrices & uteri inſectorum eorumdem ovis excipiendis, tuendis, fovendis, fœtibus excludendis editisque alendis inſervientes. Dum Gallæ maturæ atque recentes aperiuntur, vermiculi vel potius nymphæ, modo unica in centro, modo plures in totidem cellulis reperiuntur, quæ poſt aliquod temporis intervallum in muſcas evolvuntur ejuſdem vel etiam diverſi generis. Paulo poſt viam ſibi quærunt Gallæ ſubſtantiam erodendo, ac tandem in ſuperficie foramen rotundum aperiunt, per quod exeunt & avolant. Si Gallæ foraminibus perforatæ non ſint, vermiculus aut muſca in illis deprehenditur : ſi vero apertæ ſint, vacuæ reperiuntur, aut aliis animalculis refertæ, quæ forte fortuna foraminulum ſubjerunt, & in hoc cuniculum ſe receperunt.

Gallarum genera duo in officinis diſtinguuntur, ſcilicet Alepenſes ſeu orientales, vulgo *Noix de Galles d'Alep.* vel *Alepines* ; & noſtrates.

Alepenſes ſubrotundæ ſunt, Avellanæ vel Nuculæ magnitudinem æquantes, anguloſæ, tuberculis interdum paucis, interdum multis aſperatæ, ponderoſæ, colore albicante, glauco, aut nigricante, intus denſæ, & reſinoſæ, guſtu adſtringente, & acerbo. Noſtrates rotundæ ſunt, ſubrubræ vel rufæ, ſuperficie leves, pondere leviores, fractu faciles, ſubſtantia rariores, fungoſæ, nonnumquam cavernoſæ. Minus præſtant, tum in arte inſectoria, tum in Medicina nec veteribus ignotæ fuerunt, ὀμφακῖτις, altera ὀνογηκῖς quaſi aſinina dicta fuit.

Analyſi Chymica, ex Gallarum Alepenſ. probe exſiccatum ℔v. prodierunt humoris aliquantiſper flaveſcentis, ſubacidi ℥viij. ʒvjß. humoris rufeſcentis, acidi, nonnihil empyreumatici ℥vj. ʒvij. liquoris fuſci, ſubſalſi, acris empyreumatici, tum acidi, tum urinoſi ℥xiiij. ʒij. olei lentæ ſpiſſioriſque conſiſtentiæ veluti piceæ, odoris exigui & parum fœtidi ℥ij. ʒv. gr. liiij. Maſſa nigra in retorta ſuperſtes pendebat ℥xxviij. ʒv. gr. liiij. quæ calcinata reliquit cinerum fuſcorum ʒij. gr. ij. ex quibus ſalis alcali valde acris ʒvij. gr. l. lixivio fuerunt extracta. Partium deperditarum quantitas in diſtillatione fuit ℔j. ℥ij. ʒiij. in calcinatione ℥xxvj. ʒv. gr. lij. Per hanc analyſim liquet, Gallas multum ſulphuris fixi & craſſi continere cum ſale Ammoniacali conjuncti.

Obſervandum præterea Gallas Vitrioli ſolutionem nigram vel potius intenſe violaceam efficere, dum nempe alcali Gallarum ſali acido vitriolico conjungitur, metallicas partes ab eo disjiciendo : tunc enim metallicæ particulæ liquoris fundum non petunt ; ſed cum ſulphureis Gallarum particulis in fluido natantibus conſociantur, & ab iiſdem ſuſtinentur. Eam ob cauſam Gallarum infuſum vel decoctum Chymicis, & Phyſicis inſervit ad aquas minerales examinandas.

Si enim ſalem vitriolicum, vel quid martialis, aut venerei continent, ab hoc infuſo vel decocto, nigro violaceo, purpureo, vel ſubpurpuraſcente colore inficiuntur, prout plus vel minus ſalis metallici continent.

Gallæ vehementer adſtringunt. Hinc in dyſenteriis, alvi fluxu, hæmorrhagiis

giis intus ſumptæ a plurimis laudantur. Nuperrime vero febrifuga virtus in illis detecta fuit, & a peritiſſimo viro Facultatis Medicæ Pariſienſis Doctore Michæle Ludovico Renealmo, *in Regiæ ſcientiarum Academiæ commentariis anni* 1711. promulgata fuit. Exhibetur a ʒß. ad ʒj. ineunte paroxyſmo, in febribus intermittentibus, illis præſertim, inquit D. Renealmus, quæ a nimis laxo fibrarum ventriculi tono pendent.

Externe quoque ad adſtringendum, repercutiendum, & partes laxiores firmandas ac roborandas adhibentur. Ad inſeſſus uteri, contra vulvæ & ſedis procidentias fluxioneſque decoctum earum uſurpatur.

℞. Gallar. Malicor. ana ʒj. Fol. Salviæ, Lauri, Chamæmel. flor. Balauſtior. ana p. ij. Coquantur in vino auſter. & aq. chalyb. Applicentur pro fotu ad procidentiam ani.

Uſurpatur in Emplaſtro ad herniam, vulgo contra rupturam *Charas*.

Infectoribus familiaris eſt earum uſus, necnon etiam ad atramentum ſcriptorium præparandum, cujus præſtantior hæc eſt conficiendi ratio.

℞. Aq. fluviatilis ℔iiij. Vini albi ℔ij. Gallar. Alepenſ. contuſarum ℥iiij. Macerentur per 24. horas, identidem agitando. Deinde bulliant per ſemihoram, cum pluma deſpumando. Vaſe ab igne remoto, adde Gumm. Arabic. ℥ijß. Vitriol. Hungar. ℥ij. Alum. rup. ℥ß. Sacchar. Candi ℥ß. Digerantur denuo per 24. horas, poſtea bulliendo per horæ quadrantem coquantur. Decoctum per linteum tranſcoletur.

ARTICULUS QUINTUS.

De Grano Kermes, & Coccinella.

Kermes, Chermes, Granum Kermes, Granum infectorium, Coccum baphicum, Coccum infectorium, *Off.* Κόκκος βαφική, *Dioſcoridis*: Kermes, & Karmes *Arabum*: vulgo *Graine de Kermes*, *Graine d'Ecarlatte*, *Vermillon*. Folliculus eſt membranaceus, Piſi magnitudine, lævis, ſplendens, ex rubro fuſcus Prunorum adinſtar, tenuiſſima lanugine vel pulviſculo cinereo tectus, innumeris turgens ovulis rubentibus vel etiam animalculis, quæ digitis attrita liquorem fundunt coccineum, ſaporis ſubacris, ſubamaricantis, odoris non ingrati. Foliis & teneris ſurculis cujuſdam Ilicis adhæret: non quidem in omnibus regionibus, ſed in calidioribus ſolummodo, nec omni tempore reperitur, ſed menſibus Majo, & Junio, & quidem calidioribus annis.

Planta, cui hoc granum adhæret, dicitur Ilex aculeata cocciglandifera *C. B. P.* 425. Ilex coccigera *J. B. I.* 106. (Quercus foliis ovatis, dentato-ſpinoſis, *Van-Royen flor. Leyd. Prod.* 81. 8.) Frutex eſt, qui ex radice lignoſa, longe lateque ſerpente, cortice tecta, coloris diverſi pro ratione ſoli, modo nigricante, modo rubente, tenui, quatuor vel ſex lineas craſſa, nonnumquam fibrata, plures ſtolones emittit ad trium quatuorve palmorum altitudinem, lignoſos, cortice tenui albicante vel cinereo circumveſtitos, & in plures ramos diviſos, onuſtos foliis inordinatim poſitis, ſinuoſis, & undulatis oris ſpiniſque armatis, Aquifolii proximis, ſed minoribus, octo decemve lineas longis, ſex ſeptemve latis, utrinque gla-

glabris, læte & ſemper virentibus, pediculo innixis lineam circiter longo. (Flores profert maſculinos, & fœmininos in eodem individuo. Flores maſculini in amentum laxum digeſti perianthio donantur monophyllo, quinquifido vel quadrifido, lacinulis bifidis acutis, abſque corolla; ſtaminibus vero pluribus (octo circiter) breviſſimis, quorum antheræ magnæ, & didymæ. Fœminini vero in gemma ſeſſiles conſtant perianthio monophyllo, coriaceo, hemiſphærico, ſcabro, integerrimo, in flore vix manifeſto, etiam abſque corolla. Germani ovato minimo ſtyli duo vel quinque inſident, ſetacei, calice longiores, ſtigmata ſimplicia & perſiſtentia gerentes. Fructus Nux eſt ovalis cruſta gaudens coriacea, univalvi baſi deraſa, affixa brevi calyci, & quaſi ſpinoſo, teres, & glabra.) In collibus ſaxoſis circa Monſpellium, Nemauſum, Avenionem, & alibi in Gallia Narbonenſi hic frutex oritur, ubi præcipuus Cocci proventus, necnon in Gallo-provincia, Hiſpania, Italia.

(Præter genuinos fructus, glandes nempe, quidam veluti folliculus Majo menſe, variis in hujuſce fruticis partibus conſpicitur, magnopere celebratus, Coccum infectorium dictus, de cujus origine inter auctores diu certamen fuit. Alii enim fructum eſſe opinati ſunt; alii quoddam recrementi genus ex vulnere ab inſecto quodam arbori inflicto natum; alii denique aliud ſenſerunt. Verum ſagaciſſimus naturæ arcanorum ſcrutator D. De Reaumur (*a*), quo diligentiorem accuratioremve reperire eſt neminem, detexit tandem Coccum infectorium inſectis quoddam eſſe genus illorum ex familia, quæ Gallo-inſecta (vulgo *Gall inſectes*) ipſi dicuntur.

In hujus Cocci acremento tria cum Emerico Aquiſextienſi Medico (*b*) tempora diſtinguit.

1. Ineunte Martio, animalculum quoddam ſemine Miliis minus, Millepedarum forma oblongo-ovata, verſus caudam paulo acutiore parte, ſupina convexum, rubrum, punctulis plurimis aureis micantibus inſignitum, & rugis aliquot tranſverſis diſtinctum, ſex donatum pedibus, duobus antennis facile mobilibus, & totius corporis longitudinem fere æquantibus oculis nigris & duplici cauda immobili ejuſdem cum corpore longitudinis, Ilicis trunco, ramis, & foliis adhæret, ibique torpidum & immobile fit & ſenſim intumeſcit. Si tunc temporis in Ilice ope microſcopii animalculi corpus obſervetur dum intumeſcit, coccineum apparet punctulis aureis nitens, tomento quodam involutum albicante, quod in quibuſdam dorſi locis, ſub ventre & circa ventrem in floccos erigitur, ac nidi ſpeciem repræſentat. Dorſum in hemiſphærum multum intumeſcit rugoſum; & in anteriore corporis parte capitis vice protuberantiæ tres percipiuntur, media craſſior ſubrotunda, duæ laterales exiliores, & verſus mediam incurvatæ.

2. Alterum accretionis tempus eſt circa menſem Aprilem; tunc animal prorſus mutatum Piſi figuram & magnitudinem æquat. Ejus membrana ſeu cutis firmior eſt; & tomentum quod initio faſciatim tantum in ejus cutim naſcebatur, totam grani ſuperficiem pulviſculi adinſtar tergit; tuncque non amplius animalculum, ſed folliculus videtur ſanguine pallido & ſeroſo repletus.

3. Cir-

(*a*) Mèmoires pour ſervir a l'Hiſtoire des Inſectes *Tom.* 4. *Mem.* 1.
(b) Hiſtoire des Plantes qui naiſſent aux environs d'Aix, par M. Garidel.

3. Circa Maij medium vel finem, tertium occurrit tempus, quo in interiore folliculi parte ſub animalculi ventre tenuiſſima reperiuntur granula ovata, ſeminibus Papaveris albi dimidio circiter minora, colore pallide rubentia, & punctulis aureis diſtincta. Conſtant eſt membrana tenuj, candida, pellucida & liquore pallido rubente. Duo millia circiter in ſingulis folliculis continentur. Prioris animalculi ovula ſunt, ex quibus excuſſis prodeunt ejuſdem generis animalcula prorſus ſimilia, quæ per Ilicis ramos & folia vagantur, donec Vere ſequente ad trunci ramorum diviſiones ſedem figant ſuos fœtus editura.

Dum hoc animalculum ſeu Kermes ad debitam magnitudinem intumeſcit, tunc ventris, cutis ſeu corporis pars prona intus circa deorſum convellitur, & vacuum quoddam ſpatium inter ventrem & tomentum, cui inſidebat, relinquit: ſicque Millepedæ ſemiconvolutæ ſimilis fit. Hoc in ſpatio vacuo ovula ſua deponit: quo facto, animal moritur, & exſiccatur.

Excuſſis ovulis, animalcula aliquamdiu ſub matris cadavere deliteſcunt deinde in lucem prodeunt, pabulum in foliis quæſitura, non rodendo ut erucæ, ſed illorum ſuccum proboſcide ſugendo.

Duplicis ſexus inter ea diſtinguit D. de Reamur; fœminas nempe de quibus hactenus, & mares a prioribus diſtinctiſſimos. Sunt enim, juxta Emericum, muſcæ exigue culicibus quadantenus ſimiles, ſex pedibus inſtructæ, quatuor anterioribus brevioribus & duobus poſterioribus longioribus, quatuor articulationibus diviſis & tribus unguiculis curvis armatis. Duæ ſunt antennæ in capite ſeſquilineam longæ, mobiles, oblique ſtriatæ, articulatæ. Cauda quædam poſticæ corporis parti ſubnectitur, ſemilineam longa, quæ identidem in duas partes dehiſcit. Totum corpus duabus alis translucidis obtegitur. Ad inſtar pulicum magno impetu ſaliunt, & fœminis fœcundandis deſtinantur.

Meſſis, prout Hyems ſævior mitiorve fuerit minus vel magis fertilis eſt. Mulieres ante ſolis ortum unguibus Coccum deradunt; & ne jactura fiat inſectulorum excluſione, illud aceto inſpergunt, ac deinde ſoli exponunt ſiccandum; unde colorem rubrum acquirit.

De alia Kermes ſpecie albicante Garidellus & Emericus mentionem faciunt, quam vermiculi matrem a ruſticis nominari referunt. Sed aſſerunt hanc ſpeciem ova parturire albicantia, ex quibus albicantia quoque animalcula maculis argenteis notata naſcuntur, non vero rubra, ut Quinqueranus narrat; ita ut ſecundum eorum ſententiam, alia ſpecies ſit Kermes a rubra parum diſcrepans.

Aliam Cocci ſpeciem nigricantem Hyacinthus Ceſtonius in Hetruria circa Liburnum obſervavit ſuper Ilices pumilas, Cocco infectorio ſimilem. Hoc maturitatem adeptum ſucco albicante & albidis ovulis turget: ex eo erumpunt animalcula Kermeſinis haud diſſimilia, ſed albicantia; quorum hiſtoriam fuſe enarratam legere eſt in operibus Antonii Valliſneri. Ex his itaque concludere licet plurimas eſſe horum animalculorum Coccorumque ſpecies colore tantum diverſas, quarum rubra ſola in uſum medicum, & infectorium venit.

Botanicis plurimi Coccum infectorium in ſola Ilice naſci opinati ſunt. Verum vir doctiſs. Martinus Liſter, narrante J. Rajo ejuſmodi grana etiam in Anglia Ceraſorum aliarumque arborum ſurculis tenellis adnaſcentia obſervavit.

Coc-

Coccum baphicum duobus uſibus inſervit, nimirum Medicinæ, & lanis aut ſericis tingendis.

Pro Medicinæ uſu grana recens collecta & bene matura in mortario marmoreo tunduntur: contuſa digerentur in loco frigido per ſeptem vel octo horas, ut ſucci tenacitas tantiſper dividatur: poſtea ſuccus exprimitur, per aliquot horas in loco remoto reponitur, ut craſſiores partes in vaſis fundum ſubſideant. Senſim effunditur liquor, & a fœcibus craſſioribus ſeparatur. Succo defœcato Sacchari albi æqualis portio admiſcetur, & blando ignis calore ad ſpiſſioris ſyrupi conſiſtentiam excoquitur. Mixturam hanc Conſervam appellant, aut ſuccum ſyrupumve de Kermes, ex quo celebris illa Confectio Alkermes præparatur. Alii eumdem ſyrupum ſine igne præparant hac ratione. Unicæ contuſorum granorum Kermes parti tres Sacchari partes permiſcentur, & per diem integrum macerantur in loco frigido. Succus cum expreſſione tranſcolatus ſyrupi conſiſtentiam obtinet. Præſtantior cenſetur priore, cui non mediocrem volatilium partium portionem ignis ademit. Ex Occitania ſub nomine ſucci vel ſyrupi Kermes ille ſuccus ſic paratus, ad exteras nationes magna copia tranſvehitur.

Si vero grana integra ſervare velint, matura illa colligunt, & in cubiculo undique aperto aeri libero ſuper linteamina exponunt. Initio, quamdiu humore abundant, bis terve in die verſant; ne incaleſcant nimium. Si vero animalcula, incitato calore, prorepant & effugere nitantur; tum a cuſtode qui continuus aſſidet, concuſſu lintei in medium uſque rejiciuntur, donec emoriantur. Tunc animalcula ſub coccinei pulveris ſpecie cribro a folliculis ſeparantur; deinde digitis leniter prehenſa comprimuntur, & in pilas ſeu paſtillos rediguntur ſole exſiccandos. Paſtilli dicuntur Scarlatini, vulgo *Paſtel d' Ecarlatte*, vel *Ecarlatte de graine*. Folliculi vero ſemivacui ſeorſim exſiccati ſervantur.

Pro infectorum uſu Coccum eodem ſupradicto modo præparatur, eo tantum diſcrimine, quod evacuati folliculi & corbibus excepti bis terve in acetum acerrimum immerguntur, ac tandem ſuper lintea expanſi exſiccantur; unde colorem rubicundum, & magis nitentem acquirunt. Pulvis quoque rubens ſeu animalcula, ſtatim atque ſe incipiunt movere, forti aceto irrorantur, donec in maſſam redigantur, ex qua formantur paſtilli ſeu maſſulæ probe exſiccandæ, & ad exteras nationes tranſmittendæ. Hodie in Gallia rarioris eſt uſus apud infectores, ex quo tempore Coccinella nobis allata fuit.

Analyſi Chymica, ex granorum Kermes recentium ℔j. prodierunt non parum phlegmatis primo, odoris & ſaporis expertis, deinde empyreumatici: ſalis volatilis concreti ℥vj. olei Citrini aliquantulum; ac tandem olei ſpiſſioris & butyroſæ conſiſtentiæ, coloris ruſeſcentis, odoris empyreumatici, non tamen adeo fœtentis portio non mediocris: quæ nullas acidi ſalis notas præbuerunt. Ex maſſa nigra poſt diſtillationem ſuperſtite nihil ſalis fixi lixivio fuit extractum; ita ut ex animali proſapia Coccum illud oriundum videatur.

Veteres Græci, teſtibus Dioſcoride & Galeno, in Cocco infectorio vim adſtringentem tantum agnoſcebant: cujus ratione vulneribus nervisque ſauciatis, ex aceto tritum imponebant. Arabes primi ejus virtutis cardiacæ mentionem fecerunt. Meſues illud ad cordis palpitationem, ſyncopem,

men-

mentis alienationem & melancholiam commendavit . Nunc vero in difficili partu ad collapſas vires ſuſtinendas reſtituendaſve , ad vomitum ſedandum , & ventriculum roborandum ejus pulvis, vel ex vino aut aqua cordiali , vel ex ovo ſorbili intus ſumptus plurimum celebratur . Mulieribus prægnantibus læſis , vel ad abortum pronis , ad abortum præcavendum feliciter exhiberi ſolet . Quin etiam prægnantes abortum metuentes ſericum Cocco tinctum ſæpe deglutiunt . Pulvis exhibetur a ℈ß. ſyrupus vero ab ℥ß. ad ℥j. Plurimas novi mulieres, quæ nunquam ad ultimum graviditatis terminum pervenerant ſine abortu , & tandem ſequentium pilularum uſu per novem menſes abſque ulla noxa fructum ſuum geſtaverunt , & vivacem prolem feliciter enixæ ſunt .

℞. Granor. Kermes recentium pulver. Confect. de Hyacinth. ana ʒj. Ovor. Germin. exſiccator. & pulverator. ℈j. Syrup. Kermeſin. q. ſ. M. Fiant pilulæ novem pro tribus doſibus.

Mulieres gravidæ caſu læſæ , aut alia de cauſa abortum metuentes, ſtatim tres pilulas deglutiant, ſuperbibendo hauſtum vini generoſi aqua temperati , vel aquæ cordialis convenientis , aut vulnerariæ . Eadem doſis poſt ſex horas iteretur, eademque tertio poſt alias ſex horas ; ita ut pilulæ novem intra duodecim horarum ſpatium devorentur . Deinde ſingulis menſibus, tribus ultimis deficientis lunæ diebus , mane jejuno ventriculo tres ſimiles pilulas pro doſi devorabunt , ſic continuando uſque ad puerperium, cum debitis cautionibus .

℞. Granor. Kermes pulverator. ʒj. Santal. rubr. & Sang. Draconis ana ʒß. Corall. rubri pp. ʒjß. Germin. ovor. exſiccator. & pulver. ℈j. Confect. de Hyacinth. ʒij. Syrup. Granacor. q. ſ. M. F. opiata . Doſis ʒj. quotidie mane per novem dies , ab abortum præcavendum .

℞. Syrup. Kermeſin. ℥iij. Sacchar. Candi ℥j. Pulver. lætificant. Galen. ʒij. Olei Nuc. Moſch. ſtill. gutt. iiij. Aq. Cinnamom. ℥iiij. Aq. Roſar. ℥ij. Vini Hiſpanici Aloneenſis , vulgo *Alicante* , ℔ß. M. propinentur ℥ij. mane & veſperi contra abortum & difficilem partum , aut ad vires longo morbo fractas , vel ſenio labantes reſtituendas .

Quidam cardiacam virtutem Cocco baphico denegant , ſolam adſtrictionem ei concedentes . Verum ſi ad ejus analyſim attendere velint , intelligent ſane tinctorium granum ſalibus volatilibus turgere , ac proinde maſſæ ſanguineæ ſpiritibus deſtitutæ actuoſas partes poſſe ſuppeditare .

Garidellus in hiſtoria Plantarum Aquiſextienſium obſervat , columbas grana Kermes avide expetere , ſuiſque oggerere pullis ; at vero eſcam illam eiſdem eſſe infeſtam , ita ut juniores intereant , vetuſtiores vero alvi profluvio rubro afficiantur . Ex qua quidem obſervatione non prorſus innoxium eſſe hoc granum concludere poſſemus , niſi contrarium frequentiſſimo illius uſu ſatis ſuperque probaretur . Columbis autem noxium eſſe poteſt, quod hominibus quibuſdam in circumſtantiis ſalutare comperitur . At vero quod Simon Paulli poſt Rondeletium refert, quemdam in dyſenteriam ob nimium & frequentem Confectionis Alkermes uſum incidiſſe , non grano Kermes tribuendum cenſemus, ſed potius lapidi Lazuli , qui in ea Confectione uſurpatur .

Syrupus Kermeſinus iiſdem ac grana Kermes virtutibus donatur . *Uſurpatur* in celeberrima Confectione Alkermes .

Gra-

Grana Kermes uſurpantur in Confectione de Hyacinthis, Pulvere diamargariti frigidi, &c. Præter granum Kermes alia ſunt grana ſimilia, quæ ad diverſarum plantarum radices reperiuntur, qualia ſunt Coccum radicum, Coccum Polonicum, quibus Poloni ad elegantem tincturam coccineam ſericis aut laneis pannis conciliandam utuntur. Radicibus cujuſdam herbæ *Knavel* dictæ adhæret. Similia quoque reperiuntur in radicibus Pimpinellæ ſaxifragæ, Plantaginis, Parietariæ, Piloſellæ, & aliarum. Hæc grana in uſum medicum numquam aut rariſſime uſurpantur.

Quandoquidem Coccinella & grana Kermes maxima inter ſe affinitate conjunguntur, hanc ab illis ſeparandam non eſſe viſum eſt.

Coccinella, Cochinilla & Cocciniglia, *Officin.* Cochenilla Hiſpanis, *Breyn. Hiſt. Coc.* 6. Cochinille, ſive Fici Indici grana, *Park. Theat.* 1498. Ficus Indicæ grana, *C. B. P.* 458. Nocheznopalli ſeu Nopalnochaztli, id eſt, Coccus Indicus in Tunis quibuſdam naſcens, *Hernand. Hiſt. Mexic. Plant.* 78. Scarabeolus hemiſphæricus, Cochineelizer, *Gaz. Petiv.* 1. *fig.* 5. & *Sloane Hiſt. Jam.* 2. 208. vulgo *Cochenille*.

Grana Coccinea Indica, qualia vulgo in officinis proſtant, figuræ ſunt prorſus irregularis, hinc convexa, inde compreſſa, vel etiam parumper concava, ſtriis utrinque tranſverſis ceu rugis notata, coloris intus punicei, extus vero modo atro-rufi, modo leucophæo-cinerei rubro nonnihil permixti. Quæ hunc colorem obtinent, præſtantiora cenſentur. Adſportantur nobis ex Mexicano Regno, ubi maximi ſunt proventus.

Pro fructibus diu habita ſunt; at recentiorum induſtria tandem compertum eſt, inſecti quoddam eſſe genus Opuntiæ arbori Americanæ inhærentis, quodque vir clariſſimus D. de Reaumur inter Progallo-inſecta (*Progallinſectes*) recenſendum eſſe exiſtimat.

Coccinella itaque inſectum eſt ovatum, Piſi exigui craſſitie, viviparum, hexapodum, proboſcide inſtructum, qua ſuccum plantarum ſugendo alitur, cujus corpus ex annulis conflatum eſt, plantis, quibus paſcitur immobile adhærens, ubi ſemel ſedem fixit, nulli mutationi obnoxium.

Duplex vulgo diſtinguitur: altera domeſtica & præſtantior (*Cochenille meſteque*), quæ tincturam puriorem copioſioremque ſuppeditat, & cariori pretio venit; altera ſylveſtris, & ignobiliorem colorem largiens: has vero ſpecie inter ſe diſtingui non debere veriſimillimum eſt. Quod enim inter illas intercedit diſcriminis, inde repetendum videtur, quod hæc ſponte ſua, & nulla hominum induſtria, arbores depaſcat incultas; illa vero ſumma cura, & ſtato tempore, arboribus admoveatur ſtudioſiſſime cultis, unde puriorem & aptiorem ſuccum ſugit. Quibus enim curandarum Coccinellarum demandata eſt provincia, illi Opuntias certo ordine diſponunt, atque ſtudioſe colunt, ab aliorum inſectorum injuriis eas defendunt; & ſi quæ irrepſerint, diligentiſſime deturbant, arbores vulpinis caudis detergendo, ne ſimul novella inſectorum ſeminaria lædant.

Præterea non abſque veri ſpecie a nonnullis cenſetur, iſtud diſcrimen a vario tempore meſſis, variave Coccinellæ conditione, prout nempe vel prægnans, vel connixa lecta fuerit, exſurgere poſſe; ita ut quæ aptiori tempore lecta fuerit, præſtantior ſit habenda.

Exeunte anno, cum imbres & frigora imminent his animalculis cocentiſſima, Opuntiæ ramos ſive folia (utrum enim dixeris, parvi refert) Coccinellis onuſta ultimum incrementi gradum nondum adeptis decerpunt,

quæ

quæ domi aſſervant, donec Hyems præterierit. His interim foliis copioſo ſucco turgidis veſcuntur & creſcunt. Cum mitior tempeſtas rediit, & animalcula fœtus ſuos jamjam excluſura ſunt, Indi nidulos avium nidis ſimiles, ſed minores, ex muſco arboribus innaſcente, vel fœno molli, vel ex tomento Nucis Cocos conſtruunt: in ſingulis quibuſque nidis duodecim, quatuordecimve inſectula recondunt; nidos Opuntiis admovent, & ſpinis appendunt. Tribus vel quatuor elapſis diebus, Coccinellæ fœtus ſuos excludunt, qui paucis poſt diebus e nidis exeuntes, arboribus ſeſe applicant, per ramos vagantur, ac tandem ſedem figunt, ubi adoleſcant, & ſuccum alibilem exſugant, & ubi a maribus fœcundatæ fœminæ novam ſobolem deponant.

Triplex in anno, ſi tempeſtas opportuna fuerit, fit Coccinellæ meſſis: Ac primo quidem poſt excluſos fœtus colliguntur matrum, quæ in nidis reconditæ fuerant, cadavera: deinde poſt trium vel quatuor menſium intervallum fit altera meſſis, cum ſcilicet Coccinellæ, quæ ſuper arbores veluti ſatæ fuerant, incrementum adeptæ ſunt. Tunc enim priuſquam ſuam edant progeniem, Indi eas penicillo exiguo ab arboribus molliter excutiunt, nonnullis tamen parcendo, quæ ex ſe naſcenda ſobole tertiam meſſem ſuppeditent.

Ubi Coccinellas Indi collegerunt, illas enecant; vel in crobibus reconditas in aquam ferventem immergendo, quas deinde ſoli ſiccandas exponunt; vel in clibanum, ut par eſt calefactum, eas ſtoreis impoſitas immittunt; vel tandem ſuper laminas calefactas. Ex varia hac enecandarum Coccinellarum ratione petendi varii illarum colores. Quamdiu vita gaudent, albo pulvere conſperſæ ſunt: quæ aqua fervida enecantur, pulverem hunc amittunt, & colorem acquirunt atro-fuſcum: quæ vero in clibanis, pulverem iſtum conſervant, & colore nitent leucophæo-cinereo; tandem quæ ſuper laminas torrentur, nigræ evadunt.

Coccinella iiſdem virtutibus gaudet ac grana Kermes, Cardiacum inſigne habetur, ſudorificum, alexipharmacum & antifebrile medicamentum, febres omnes quantumvis malignas ſanans; ideoque in peſte & febribus petechialibus exhibetur. Illam ex aceto tritam adſtringere, admotamque in forma emplaſtri vulneribus opitulari aſſerit Hernandez, cor, caput, atque ventriculum roborare, ac dentes egregie extergere. At rari uſus eſt in Medicina. Ingreditur Confectionem Alkermes. Melius inſervit pictoribus & tinctoribus, ad colorem non tantum purpureum *lacca* dictum; ſed & vividiſſime ſanguineum, qui coccineus vulgo dicitur, extrahendum, quo cum cæruleo commixto violaceus producitur.)

Finis Tomi primi.